14.20.F.15

DIVI BRVNONIS CARTHVSIANORVM PRIMI INSTITVTORIS SANCTISSIMI, AC PARISIENSIS THEOLOGI DOCTISSIMI,

TOMVS SECVNDVS.

CONTINENS EXPOSITIONES IN omnes Epiſtolas Pauli.

RECENSITVS ET EMENDATVS
STVDIO AC LABORE

P. THEODORI PETRAEI, CAMPENSIS, COLONIENSIS
Carthuſiæ alumni: idque de voluntate Reuerendiſs. Patris Generalis,
totius Ordinis miniſtri.

PSALMO LI. verſ. X.
Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



COLONIAE AGRIPPINAE.
Sumptibus Bernardi Gualteri.
ANNO M. DC. XI.

VENERABILI IN CHRISTO PATRI,

DOMINO

HECTORI HOENIO, VITENSI,

Carthuſiæ Treuirenſis PRIORI, ac prouinciæ Rheni VISITATORI prudentiſſimo.

ALPHONSVS *Aragoniæ Rex, vt vir erat literis & earum cultoribus apprimè deditus, cùm aliquando de pretioſarum rerum iacturâ ſermo haberetur, Admodum Reuerende in Chriſto Pater, perſanctè affirmauit, malle ſe gemmas, vniones, ac margaritas, quas quidem poſſidebat in omnem terrarum orbem diffamatiſſimas, quàm libros qualeſcunque amittere: nimirùm iudicabat, libros eſſe ſcientiarum ſcrinia, animorum paſcua, diuorum oracula; nec damnoſiùs hominem ab vllâ re, quàm hiſce conchis & canalibus ſapiētiæ abeſſe poſſe. Quod ſi ille nec immenſis opibus æſtimauit quoſcunque libros, nullum quippè rebatur adeò inſulſum reperiri, quin micam aliquam ſanæ doctrinæ ſaperet; quanto pretio pendant oportet Carthuſiani clientes, ſanctiſſimi Patriarchæ ſui volumina, quibus Religioſæ perfectionis medulla, & incognita illa filijs ſæculi dulcitudo concluditur? Hæc profectò ſpiritualis penaria ſunt, ad omnium alumnorum veſtrorum neceſſitatem ſic inſtructa, & ſacræ Carthuſianorum familiæ propria, alieno vt commeatu nihil egeat, ijs verò deficientibus, mox exterorum Ordinum implorare abundantiam cogeretur. Hæc domeſtica viridaria, quæ ſaluberrimas ægris ſaniſq; animis herbas ac radices ſuppeditant. Hæc veſtigia Angelicæ doctrinæ, quam vt hæredes ſui ſequerentur, Beatiſſimus* BRVNO *tribus poſt ſe monumentis conſignatam reliquit.*

Vlterioribus ſuperſedeo; iam enim conſpicaris, Venerabilis in Chriſto Pater, quem in ſcopum huiuſmodi à me commemorari cœpta ſint, videlicet, vt ſatis tibi factum indices ſemeſtri in-

duſtriâ meâ, qui curas et facultates eò contuli, quò hæreditaria illa ſuppellex operum diui Patriarchæ veſtri, à puluere ac ſqualore errorum tandem detergeretur, & veſtigia, quæ dixi, cæleſtis doctrinæ, vſu & temporis diuturnitate propemodum deleta, reformarem. Atque hæc omnia Zelo excitatus R.P.V. quæ à præſenti interitu vindicauit in Lotharingiâ Carthuſiam Rutilanam; Treuirenſem verò eâ vigilantiâ hucuſq; tuetur, citiùs vt Argum fallas, quàm in illam vitij facies, excubante HECTORE HOENIO, *irrepat.*

Quæ cùm ita ſint, ſicut dubitare nolim, quin clariſſimis vtiliſſimisq́; paſſim facinoribus ipſius omnes boni nimioperè afficiantur; ita & Secundum hũc tomum præfati D. BRVNONIS, *quem ad vniuerſi S. Ordinis veſtri emolumentum recudi, & R.P.V. ſingulatim nuncupare viſum eſt, gratum optatumq́; ipſi obuenturum confido. Valeat. Coloniæ Agripp. prid. Kalend. Octob. 1611.*

Venerabilis in Chriſto P.V.

obſeruantiſſ.

BERNARDVS GVALTERI Ciuis & Bibliopola Colonienſis.

DIVI BRVNONIS PRIMI CARTHVSIANORVM INSTITVTORIS SANCTISSIMI, ET THEOLOGI DOCTISSIMI,

IN EPISTOLAS PAVLI.

PRAEFATIO S. HIERONYMI, IN OMNES SANCTI PAVLI EPISTOLAS.

Euangelia ſunt legis ſupplementum.

PRIMVM *quæritur, quare poſt Euangelia, quæ ſupplementum legis ſunt, & in quibus nobis exempla & præcepta viuendi pleniſsimè digeſta ſunt, voluerit Apoſtolus has epiſtolas ad ſingulas Eccleſias deſtinare. Hâc autem cauſa factum videtur, vt ſcilicet, initia naſcētis Eccleſiæ, nouis cauſis exiſtentibus præueniret, & vt præſentia atque orientia reſecaret vitia; & pòſt futuras excluderet quæſtiones, exemplo Prophetarum, qui poſt editam legem Moyſi, in qua omnia Dei mandata legebantur, nihilominus tamen doctrina ſua rediuiua ſemper populi compreſſere peccata: & propter exemplum viuendi, libros ad noſtram etiam memoriam tranſmiſerunt.*

Paulus cur non amplius quam 10 epiſt. ad Eccleſias ſcripſerit.

Deinde quæritur, cur non amplius quam decem epiſtolas ad Eccleſias ſcripſerit. Decem ſunt enim, cum ea quæ dicitur ad Hebræos: nam reliquæ quatuor ad diſcipulos ſpecialiter ſunt porrectæ. Vt oſtenderet nouum non diſcrepare à veteri teſtamento, & ſe cōtrà legem non facere Moyſi, ad numerum primorum decalogi mandatorum ſuas epiſtolas deſtinauit; & quot ille præceptis à Pharaone inſtituit liberatos, totidē hic epiſtolis à diabolo & idololatriæ ſeruitute edocet acquiſitos. Nā & duas tabulas lapideas, duorum teſtamentorum figuram habuiſſe viri eruditiſſimi tradiderunt.

De auctore Epiſtolæ ad Hebræos.

Epiſtolam ſanè quæ ad Hebræos ſcribitur, quidam Pauli non eſſe affirmant, eò quod non ſit eius nomine titulata, & propter ſermonis, ſtiliq́; diſtantiam: ſed aut Barnabæ, iuxta Tertullianum; aut Lucæ, iuxta quoſdam: vel certè Clementis diſcipuli Apoſtolorum, & Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ, poſt Apoſtolos ordinati. Quibus reſpondendum eſt; ſi propterea Pauli non erit, quia eius non habet nomen, ergo nec alicuius erit; quia nullius nomine titulatur, quod ſi inconueniens abſurdumq́; eſt, ipſius magis eſſe concedenda eſt, quæ tanto doctrinæ ſuæ fulget eloquio.

Quare Paulus iſti epiſtolæ nomen ſuum præfigere noluerit.

Sed quoniam apud Hebræorum Eccleſias, quaſi deſtructor legis falſa ſuſpitione habebatur, voluit tacito nomine de figuris legis & veritate Chriſti reddere rationem; ne odium nominis in fronte prætitulati, vtilitatem excluderet lectionis. Non eſt ſanè mirum, ſi eloquentior videatur in proprio .i. Hebræo, quam in peregrino .i. in Græco, quo cæteræ epiſtolæ ſunt ſcriptæ ſermone.

Epiſtola Romanorum, quare prima ſit poſita.

Mouet etiam quoſdam, quare Romanorum epiſtola in primo ſit poſita, cùm eam non primò ſcriptam ratio manifeſtet. Nam hanc ſe proficiſcentem Hieroſolymam ſcripſiſſe teſtatur, cùm Corinthios & alios iam ante, vt miniſterium quod ſecum portaturus erat, colligerent, literis adhortatus ſit. Sed inde intelligi quidam volunt ita omnes epiſtolas ordinatas, vt prima poneretur, quamuis poſterior fuerit deſtinata, vt per ſingulas epiſtolas gradibus ad perfectiora veniretur. Romanorum namque plerique

A *tam rudes erant, vt non intelligerent Dei ſe gratia & non ſuis meritis eſſe ſaluatos, & ob hoc duo inter ſe populi conflictarent. Idcircò illos indigere aſſerit corrigi, vitia gentilitatis priora commemorans.* Corinthij. Corinthijs *autem iam dicit ſcientiæ gratiam eſſe conceſſam, & non tam omnes increpat, quam cur peccantes non increpauerunt reprehendit; ſicut ait:* Auditur inter vos fornicatio. *Et iterum:* Congregatis vobis cum meo ſpiritu, tradere huiuſmodi Sathanæ. *In ſecunda verò Corinthij laudantur, & vt magis ac magis proficiant commonentur.*

B Galatha. Galathæ *verò iam nullius criminis arguuntur, niſi hoc tātum, quod callidiſſimis pſeudoapoſtolis crediderunt.* Epheſij. Epheſij *ſanè nulla reprehenſione, ſed multa laude ſunt digni; quia fidem Apoſtolicam ſeruauerunt.* Philippēſes. Philippenſes *etiam multò magis collaudantur, qui nec audire quidem falſos apoſtolos voluerunt.* Theſſalonicenſes. Theſſalonicenſes *nihilò minus in duabus epiſtolis omni laude proſequitur, eo quod non ſolum fidem inconcuſſam ſeruauerint veritatis, ſed etiam in perſecutione ciuium fuerint conſtantes inuenti.* Colloſſenſes. Colloſſenſes *autem tales erant, vt cùm ab Apoſtolo viſi corporaliter non fuiſſent, hac*

C *laude digni haberentur.* Coloſ. 2. 5. Et ſi corpore, *inquit*, abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum, gaudens, & videns ordinem veſtrum. Hebræi. *De* Hebræis *verò quid dicendum eſt, quorum Theſſalonicenſes, qui plurimum laudati ſunt, imitatores facti eſſe dicuntur. Sicut ipſe ait.* 1. Theſ. 2. 14. Et vos fratres imitatores facti eſtis Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa: eadem enim paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris, quæ & illi à Iudæis. *Apud*

D *ipſos quoque Hebræos eadem commemorat, dicens.* Heb. 10. 34. Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam.

PROLOGVS SPECIALIS IN EPISTOLAM ad Romanos.

ROMANI ſunt qui ex Iudæis & gentibus crediderunt. Hi ſuperba contentione volebant ſe alterutrum ſupponere. Nâm Iudæi dicebant: Nos ſumus populus Dei, quos ab initio dilexit & fouit, nos circumciſi ex genere Abraham, ſancta deſcendimus ex ſtirpe, & notus retro apud Iudæam tantum Deus. Nos de Aegypto ſignis Dei & virtutibus liberati, mare ſicco pertrāſiuimus pede, cùm inimicos noſtros grauiſſimi fluctus inuoluerent. Nobis pluit māna Dominus in deſerto, & quaſi filijs ſuis cœleſte pabulū miniſtrauit. Nos die noctuq; in columna nubis igniſque præceſſit, vt nobis in inuio iter oſtenderet. Atq; vt cætera eius circa nos immenſa beneficia taceamus, nos ſoli digni fuimus Dei legem accipere, & vocem Dei loquentis audire eiusq; cognoſcere voluntatem. In qua lege nobis promiſſus eſt Chriſtus, ad quos etiam ipſe ſe veniſſe teſtatus eſt, dicens: *Non veni niſi ad oues quæ perierant domus Iſrael:* Mat. 15. 24. cùm vos canes potius, quam homines appellauerit. Aequum ne ergo eſt vt idola hodie deſerentes, quibus ab initio deſeruiſtis, nobis comparemini: & non potius in proſelitorum locum ex legis auctoritate & conſuetudine deputemini? Et hoc ipſum non merebamini, niſi quia larga ſemper Dei clemētia voluit vos ad noſtram imitationem admittere. Gentes etiam econtrariò reſpondebant. Quantò enim maiora erga vos Dei beneficia narraueritis, tantò maioris vos criminis reos eſſe monſtrabitis. Semper enim his omnibus extitiſtis ingrati. Nam ipſis pedibus quibus aridū mare tranſiſtis, ludebatis ante idola quæ feciſtis: & ipſo ore quo paulò ante ob necem aduerſariorum Domino cantaueratis, ſimulacra vobis fieri popoſci-

A popoſciſtis: illis oculis quibus vene-
rando Deum in nube vel igne con-
ſpicere ſolebatis, ſimulacra intueba-
mini. Manna quoque vobis faſtidio
fuit, & ſemper in deſerto contra Do-
minum murmuraſtis: ad Aegyptum
vnde vos manu valida eiecerat, redi-
re cupientes. Quid plura? Ita patres
veſtri crebra prouocatione Domi-
num irritauerũt, vt omnes in eremo
morerentur, nec plus ex ſenioribus
eorum, quam duo homines terram
repromiſſionis intrarẽt. Sed quid an-
B tiqua replicamus; cum etiam ſi illa
minimè feciſſetis, de hoc ſolo nemo
vos dignos venia iudicaret quod Do-
minum Chriſtum prophetarũ ſem-
per vobis vocibus repromiſſum, nõ
ſolum ſuſcipere noluiſtis, ſed etiam
morte peſſima peremiſtis? Quem vt
nos cognouim9, ſtatim credidimus:
cùm nobis de eo antea non fuerit
prædicatum. Vnde probatur quod i-
dolis ſeruiuimus, non obſtinationi
mentis, ſed ignorantiæ deputãdum.
Qui enim cognitum ilicò ſequimur,
olim vtiq; ſequeremur ſi antea co-
C gnouiſſemus. Sic autem vos de gene-
ris nobilitate iactatis, quaſi non mo-
rum imitatio magis quàm carnalis
natiuitas filios vos faciat eſſe ſancto-
rum. Denique Eſau & Iſmahel cum
de ſtirpe ſint Abrahę, minimè tamen
in filijs reputantur. His taliter alter-
cantibus, Apoſtolus ſe medium in-
terponens, ita partium dirimit quæ-
ſtiones, vt neutrum eorum ſua iuſti-
tia ſalutem meruiſſe confirmet: am-
bos verò populos & ſcienter & gra-
uiter deliquiſſe: Iudæos quidẽ quod
per pręuaricationem legis Deum in-
D honorauerint; gẽtes verò quod cum
cognitum de creatura creatorem vt
Deum debuerint venerari, gloriam
eius in manu facta mutauerint ſi-
mulacra: vtroſq; etiam ſimiliter ve-
niam conſequutos, æquales eſſe ve-
raciſſima ratione demonſtrat: præ-
ſertim cum in eadem lege prædi-
ctum, & Iudæos & gentes ad Chriſti
fidem vocãdos eſſe oſtendat; quam-
obrem viciſſim eos humilians; ad
pacem & concordiam cohortatur.

ARGVMENTVM.

ROmani ſunt partis Italiæ. Hi præuenti ſunt à falſis apoſtolis: & ſub nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti in legem & prophetas erant inducti. Hos reuocat Apoſtolus ad veram & Euangelicam fidem, ſcibens eis à Corintho; per Phœben, miniſtram Eccleſiæ Cenchrenſis primi Carthuſianæ religionis fundatoris.

PROLOGVS B. BRVNONIS, IN EXPOSITIONEM EPIſtolarum Diui Pauli Apoſtoli.

PAVLVS nondum Romam venerat, ſed per quoſdam diſcipulos ibi prædicantes, fidem ſuſceperant aliquot Romani, partim Gentiles, partim Iudæi: inter quos erat inconueniens altercatio; certabant enim Iudæi ſe debere præferri Gentilibus, & Gentiles econtrariò digniores Iudæis debere ſe fieri aſſerebant. Cauſa Iudæorum hæc erat, quia repromiſſio huius ſaluationis facta erat patribus eorum, vt Abraham, Dauid, & cæteris: quia etiam & Deus illis dederat legem & prophetas, quæ omnia præſignabant ſaluationem per Chriſtum futuram, gentium autem in nullo horum meminerat; ideoque eos dignè præferendos eſſe gentibus in hac ſaluatione. Econtrariò Gentiles opponebant, ideò Iudæos debere iudicari indigniores, quia ſi Deus tantam eorum diligentiam habuerat, vt quæ præmiſſa ſunt illis tribueret, ipſi in omnibus abuſi fuerant bonis Dei, præuaricando legem quam dederat, contemnendo prophetas quos miſerat: Ad vltimum ſaluatorem ſibi miſſum, damnantes crucis patibulo, quare potius in his deprimi, quàm exaltari deberent. Sed ipſi Gentiles meritò præferri deberent, qui vt primum audierunt verbum Dei, fidem

ſuſceperunt, etſi ante non credide-rant: quia nec legem, nec prophetas habuerant, excuſabiles ſeſe aſſere-bant. Quam ſeditionem, quia diſci-puli quorum prædicatione conuerſi fuerant, ſedare non ſufficiebant, miſerunt ad Paulum, vt per magiſtrum efficerent, ad quod auctoritas eorum inſufficiens erat. Hac autem Paulus accepta occaſione, ſcribit ad illos hanc Epiſtolam, in qua materiam habes: Romanos, ſeu Gentiles, ad fidem conuerſos: de quibus in hunc modum agit, comprimendo primum Gentiles, ne efferendo ſe, ſeu de ſapientia, ſeu de libertate arbitrij, ſicque detrahendo gratiæ Chriſti, arbitrentur ſe digniores in fide quibuslibet, qui fidem ſuſceperint, cùm per gratiam Dei ſolam fides & ſaluatio tribuatur. Si enim de libero arbitrio ſe efferunt, in eo vtique plurimum rei ſunt, cùm habuerint naturalem ſcientiam, qua cognoſcere poſſent creatorem ſuum, ſine omni docente, negligentes creatorem, creaturas adorauerunt, & cætera multa, ad deprimendam elationem Gentilium ponit. In depreſſione autem Iudæorum, quia eos magis obſtinatos ſenſit, quaſi qui plures cauſas obtenderent, diutius immoratur, probans non eſſe ſuperbiendum eis, ſi legem & prophetas habuerunt, cùm in quibus placare Dominum debuiſſent, præuaricando ſemper offenderint Deum. Hæc & alia multa ad compeſcendos Iudæos adducit eò fine ſic agit, vt vtroſque, Iudæos & Gentiles ſubijciat gratiæ Dei, credentes nihil prouenire Iudæis ex genere, lege, vel prophetis: Neque Gentilibus ex ignorantia quam obtendunt, ſeu ex libero arbitrio.

aulùs con ntionem trorumq; b ancipiti vindicat.

A

EPISTOLÆ B. PAVLI APOSTOLI AD Romanos.

CAPVT PRIMVM.

PAVLVS *ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus ſegregatus in Euãgelium Dei, quod ante promiſerat per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de*
B *filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ſecundum ſpiritũ ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri, per quem accepimus gratiã & Apoſtolatum, ad obediendũ fidei in omnibus gentibus pro nomine eius: in quibus eſtis & vos vocati Ieſu Chriſti; omnibus qui sũt Romæ dilectis Dei vocatis ſanctis; Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto. Primũ quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtũ pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. Teſtis enim*
C *mihi eſt Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo in Euãgelio filij eius quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis, obſecrans ſi quomodo tandem aliquando proſperum iter habeã in voluntate Dei veniendi ad vos. Deſidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis, ad confirmandos vos .i. ſimul conſolari in vobis, per eã quæ inuicem eſt fidem veſtrã atq; meã. Nolo aũt vos ignorare fratres, quia ſæpè propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum vſque adhuc, vt aliquem fructũ habeã in vobis, ſicut & in cæteris genti-*
D *bus. Græcis ac Barbaris, ſapiẽtibus ac inſipientibus debitor ſum, ita quod in me promptum eſt & vobis, qui Romæ eſtis, Euangelizare. Non enim erubeſco Euãgelium. Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credẽti, Iudæo primum & Græco. Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt. Iuſtus aũt ex fide viuit. Reuelatur enim ira Dei de* *Abac.2.4.* *cælo ſuper omnẽ impietatẽ & iniuſtitiã hominum, eorum qui veritatem Dei in iniuſtitia detinẽt: quia quod notum eſt*

Dei,

Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis reuelauit. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mũdi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; eius virtus & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles. Quia cũ cognouiſſẽt Deum, nõ ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiẽs cor eorũ. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutauerũt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentũ. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immũditiam, vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis: quia commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potius quã creatori, qui eſt benedictus in ſæcula, Amen. Propterea tradidit illos Deus in paſsiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum, in eum vſum qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis in inuicem: maſculi in maſculos turpitudinem operãtes, & mercedem quã oportuit erroris ſui, in ſemetipſis recipiẽtes. Et ſicut non probauerunt Deũ habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciãt ea quæ non conueniũt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia: plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate; ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia: qui cùm iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerũt: quoniã qui talia agũt, digni ſunt morte; non ſolũ qui ea faciũt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.

B. BRVNONIS CARTHVSIANORVM PAtriarchæ expoſitio in Epiſtolam ad Romanos.

SIcut mos eſt in Epiſtolis, ſalutem præmittit, dicẽs: Paulus qui prius Saulus à Saule & genus, & nomen, & A ſæuitiam traxerat. Hoc autem nomẽ Paulus, Hebræa lingua ſonat quiet⁹. Vnde ſicut ex auctoritate, quia hoc nomẽ apud omnes notum & honorabile erat, ſic etiã ex auctoritate ſuã valet ad intẽtionem. Hic enim Paulus vt quietos & tranquillos inter ſe redderet Romanos intendit: Vel ſi Paulus, Latinè dicatur, quaſi modicus, iterũ benè ad rem. Hic enim laborat, vt Romanos modicos & humiles per epiſtolã redditos, ſubijciat gratiæ Dei. *Paulus*, inquã, *ſeruus Chriſti Ieſu*. Quia omnibus modis ad hu- B militatem ſuadendam hîc intendit, ideò nomini dignitatis, nomen præpoſuit humilitatis. Dicens: Paulus ſeru⁹ Chriſti Ieſu regis & ſacerdotis: qui ſolus regere valet, atq; veſpertino ſuo ſacrificio ſaluare. Seruus etiã Ieſu.i. Saluatoris, præter quem nemo ſaluare ſufficit: ſic & vos exẽplo meo nihil de vobis confidatis, ſed penitus ſubijciamini ſeruituti Ieſu Chriſti. Paulus, inquam, ſeruus Chriſti Ieſu, *vocatus* per gratiam Dei, non meritò legis vel generis, ſed per ſolam gratiam ad hoc, vt ſit *Apoſtolus*, cuius C auctoritati vos obedire bonum eſt. Vel Paulus Apoſtolus, non in occulto, ſed vocatus ab omnibus, quia iã omnes cognouerunt me à Deo conſecratum Apoſtolum, vnde magis mihi obediendum eſt. Quæ vtraque ſententia valet ad vtrumque populum, Iudæum ſeu Gentilem comprimendum. Diuerſis modis vocationes Dei fiunt. Hic autem Paulus vocatus eſt, & per afflictionem corporis exterius: & per vocem Chriſti dicentis: *Saule quid me perſequeris?* & D interiori inſpiratione. Paulus hic *ſegregatus*, non determinat à quo, ſed in quid. ſ. *in Euangelium*. Segregatus, inquam, vel ab alijs Apoſtolis; quia illi conſtituti ſunt prædicatores Iudæorum, ego autem gentium. Cùm enim Paulus ad fidem conuerſus, inſtructus eſſet per aliquot dies à diſcipulis, qui erant Damaſci, continuò de Chriſto in ſynagoga docere cœpit, quare præpoſitus Damaſci voluit eum comprehendere, ſed à fratribus

Paulus Hebræa lingua quietus ſonat.

Vocationes Dei diuerſimodè fiunt.

Act 9.27.

per murum demiſſus eſt in ſporta, & ſic euaſit manus eius, & inde abijt in Arabiam prædicans ibi gentibus tribus annis, poſt quos redijt in Hieruſalem, ibique inuenit Petrum & Iacobum, qui ſatis prius mirati fuerant, audientes Paulum prædicantem gentibus, quem nunquam viderant, dederuntque Paulo & Barnabæ dextras ſocietatis, approbantes doctrinam eorum, ſeque idem prędicare dicentes: non quod Paulum conſecrarent Apoſtolum, quē ipſe Deus conſecrauerat, ſed concordantes doctrinam eius, vt hi qui per eos cōuerterentur, vnius & eiuſdem fidei ſe eſſe crederent. Vel ſegregatus à lege: quia cùm ego phariſæus .i. cuſtos: & de præcipuis in lege eſſem, & genere, & ſcientia, videns eam non valere ad ſaluationem, ſeparaui me ab ea. Quia ſi ego qui tantus eram in lege, legem deſerui, quantò magis vos ab ea recedere debetis, qui longè me inferiores eſtis. Hæc vltima ſententia ſpectat ad Iudæos tantum, prior verò ad vtroſque. Hucuſque commendauit propriam perſonam, tum per humilitatem, tum per auctoritatem. Hic incipit commendare prædicationem ſuam, dicens: Segregatus, inquam, ſeu à lege, ſeu ab Apoſtolis alijs veniens *in Euangelium* prędicandum. Euangelium bonum nūcium dicitur, Euangelium dico *Dei.* Noua lex Dei ſpecialiter eſſe dicitur, qui non per miniſtrum, ſed eam per propriam perſonam docuit. Vetus autem lex per angelū data eſt Moyſi, & per Moyſen data eſt Iudæis: quare non ita propriè dicitur eſſe Dei, *quod* Euangelium *antequam* daretur *promiſerat Deus*, vt ille qui daturus erat. Promittere enim conuenit ei, qui rem promiſſam daturus eſt. Vnde Deus quidem promiſit, prophetę verò velut miniſtri, nec dare potentes, prædixerunt. In hoc autem quod ait Deum hoc promiſiſſe ab æterno, notat magnam diligentiam Dei fuiſſe in hoc Euangelio, quod ante promiſerat *per prophetas* .i. per eos qui futura præuiderunt. Et quia fuerunt qui-

Galat. 2. 9.

A dam pithonico ſpiritu futura prædicentes, quidam etiam diuinitus inſpirati prophetantes, vt Balaam: nec tamen officium hoc à Deo habentes; determinat prophetas ſuos, qui & ſcientiam futurorum, & miniſterium prophetādi à Deo acceperunt. Et vt hæc prophetia perpetuò maneret. promiſſa eſt *in ſcripturis ſanctis* .i. vel per Spiritum ſanctum editis, vel ſanctificātibus eos, qui ſicut ſcripturæ docent operantur. Hic ingreditur cōmendationem Chriſti, à quo præmiſſa commendatione, eius ſe acce-

B piſſe apoſtolatum dicit: Scripturis dico habitis *de filio.* Omnis enim ſcriptura etſi de Patre, ſeu de Spiritu ſancto agat, præcipuè de Filio videtur agere, quia quæcunque in ſcripturis prædicta fuêre, per Filium conſummata ſunt. De Filio dico non adoptiuo, ſed *ſuo* .i. conſubſtantiali ipſi & coæterno. *Qui* filius *factus eſt* .i. facturam quandam accepit. Diceret aliquis: quid hoc eſt miraculi, vt filius cùm patre ſempiternus, factus ſit in tempore? Contra hoc ait. Factus eſt

C dico, non ſecundum deitatem, ſed *ſecundùm carnem*, quam in ſe deitati perſonaliter vniuit in tempore. Carnem dico, aſſumptam *ex ſemine* .i. ex carne *Dauid*: ſecundum genus matris Chriſti, in qua facturam carnis accepit. *Ei*, ſcilicet, Deo .i. ad manifeſtationem Dei. Niſi enim Chriſtus carnem aſſumeret, rara vel nulla de Deo notitia hominibus eſſet. Chriſtus ſimiliter de Salomone ſeu Roboan natus eſſe dici poſſet: ſed quia ad Abraham & Dauid factæ ſunt repromiſſiones de Chriſto, ideò de al-

D tero eorum, vel vtroque natus eſſe dicitur vbique. Hic autem cauſa eſt, quare ſileat Abraham, & præponat Dauid. Per Abraham enim iuſti, quia iuſtus fuit. Per Dauid peccatores, quia plerunque grauiter deliquit, accipiuntur. Sed hic ad peccatores ſermo erat, vtique ſe peccatores confiterentur, Paulus intendebat: & idcircò Dauid in memoriam peccatorum hic poſuit. Qui Chriſtus in tempore quidem factus eſt: ſed

ab

ab æterno *prædeſtinatus*.i.præordinatus & diſpoſitus eſt *filius Dei* eſſe,aſſumendo carnē.Chriſtus dico ſecundū quod filius Dei eſt permanens *in virtute*. i. in eadem diuinitatis potentia ſemper cum patre. Nec ſecundū deitatem prædeſtinatus,ſed ſecundū ſolam humanitatē. Prædeſtinare .n.de re quæ non eſt dicitur,filius autē Dei in principio ſemper fuit. Sed quia in Chriſto duæ naturæ conſiderantur, altera diuina, altera humana. Propter vtriuſque ſubſtantiæ indiuiſam copulam,dicitur plerunq; de diuina, quod proprium eſt humanæ: vt hic, vbi dicitur,prædeſtinatus filius,quod in natura deitatis eſſe nequit : ea ſimilitudine qua conſiderantes in homine, corpus & animam,plerunque propter affinitatem dicūt de anima, quod proprium eſt corpori, & econuerſo : quod genus dicendi in Chriſto expreſſius conuenit, cū ibi homo Deus,& Deus homo dicatur. In homine verò corpus animam & animā corpus dicere non licet. Cùm autem referimus,ſic qui Chriſtus, neutram naturam excludimus. Sed cum per partes exequimur, ꝙ diuinæ conuenit diuinæ , quod humanæ attribuamus humanæ.Chriſtus inquam prædeſtinatus eſt fieri homo : non ex cōcupiſcentia carnis:ſed *ſecundum ſpiritum*. i. de Spiritu ſancto conceptus eſt.Spiritum dico *ſanctificationis* : qui eum ſanctificauit in vtero matris, immunem factum à peccatis. Quia Chriſtus filius Dei ſit in virtute, apparet *ex reſurrectione mortuorum*,per hoc quod reſurgens à mortuis, mortuos fecit reſurgere ſecum, quod vtique inauditum facere non poſſet, niſi Deus eſſet. Mortuorum dico nō omnium, ſed eorum tātum qui fuerunt *Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Non enim infideles ſecum reſurgere fecit. Vnde dicuntur illi potiſſimum cōſurrexiſſe Chriſto, qui cum Abraham in Ebron ſepulti ſunt. *Per quem* Ieſum Chriſtum *accepimus gratiam*.i. remiſſionem. Paulus vt meli⁹ humilitatem ſuadeat, nomen humilitatis præponit nomini dignitatis.Accepi-

Prædeſtinare de quo dicitur.

Qui cum Chriſto ſurrexerunt.

A mus etiam *apoſtolatum in omnibus gētibus*. Spiritus enim ſanctus Apoſtolum gentium me conſtituit; vbi ait : Segregate mihi Barnabā & Paulum ad opus,ad quod * aſſumpſit eos. Accepimus inquam in gētibus apoſtolatum, *ad obediēdum fidei*.i. ad hoc vt prædicaremus fidem, & poſt acceptam fidem,obediēdum eſſe his quæ admonet fides: non ſuperbiendo derogare gratiæ Dei : hoc autem debere fieri, *pro nomine eius*.i. ad gloriam nominis Dei. *In quibus*. i. inter quas

Actor. 13. a.

** aſſumpſi.*

B gentes *eſtis* vos Romani,& Gentiles, & Iudæi *vocati*. i. per vocationem gratiæ Dei. Non ex merito veſtro ad fidem electi eſtis inquam *Ieſu Chriſti* .i. ad hoc vt ſitis Ieſu Chriſti : Quia ſi modo Iudæi vellent obijcere, ſe non debere ſubiici Paulo: cū gentiū tantū Apoſtolus ſit,errarent. Poſtquam.n. inter gentes habitant, de apoſtolatu eius ſunt, cuius & gentes,vt ſi modo quilibet alienigenæ veniant in epiſcopium aliquod : etiam ſi natione alieni ſunt,propter habitationē tamē

C computabuntur de ipſo epiſcopio. Sic illi Iudæi , quia ad gentes contulerant ſe, in gentibus deputabantur. Paulus inquam talis,& talis,Apoſtolus Dei , ſcribit *omnibus qui ſunt Romæ*. Vt autem infideles excludat,ſubdit,omnibus dico *Dilectis Dei*.i. quos Deus diligit : & vt ſui fierent prælegit. His dico ex dilectione & gratia Dei. *Vocatis ſanctis*. i. ad hoc vt ſint ſancti:Sit *vobis gratia*. i. remiſſio peccatorum veſtrorū. *Et pax*. i. tranquil-

D litas animi , & perſeuerantia in bonis , *à Deo* qui poteſt , *Patre noſtro*, & ideo voluntatem habet : *& à Domino Ieſu Chriſto* , qui ſimiliter & vult & poteſt. Paulus multiplici & aſpera increpatione correcturus Romanos , vt benignè ſuſtineant aſpera quæ dicturus eſt eis , eoſque ſibi reddat beniuolos, prædicit ſe gratias agentem Deo , pro bonis quæ iam acceperunt. Et de his quæ adhuc neceſſaria ſunt illis omni ſollicitudine orare Deum. Quaſi diceret. Ego de inſtructione veſtri multa dicturus ſum vobis , ſed primum

ante omnia dicã quod amplius mihi gratum eſt, & de quo magis ſum ſollicitus: hoc ſcilicet, *gratias ago Deo.* Gratias agere Deo, eſt tòtum Deo attribuere, & nihil homini. Vnde ait, gratias ago Deo, id eſt, bona quæ iam in vobis video: gratiæ Dei aſcribo, & non vobis: *Deo meo*, qui quodam * ſpirituali modo meus eſt. *Per Ieſum Chriſtum*, quem ſolum mediũ habeo inter me & Deum. Vos autẽ per me tranſitis ad Chriſtum, & per Chriſtũ ad Deũ. Et ideò gratias dicò ꝑ Chriſtum. Vobis autẽ gratiæ agendæ ſunt per me Chriſto, & ſic Deo. Fortaſſis putarent alteri. Vel Iudæi ſolum vel gentiles. ꝙ pro alteris tantum gratias ageret. i. bona eorũ ſoli gratiæ Dei aſcriberet, ne per hoc alter in alterum ſe efferat: ait *pro vobis* Romanis: ſeu ſitis Iudæi, ſeu Gentiles. Omnibus ago gratias, & bonę fidei veſtrę, ipſi ſoli aſcribò. Determinat vnde gratias agat, dicens: Inde gratias Deo refero: *quia fides Dei in vobis eſt.* Et veſtra fides vobis ſolis nòn proficit: ſed *annũciatur in vniuerſo mundo.* Audito. n. ꝙ Romæ ſit recepta fides Chriſti, quæ eſt caput orbis, ſuſcipiũt eam cæteri, imitando caput ſuum. Verè bonæ veſtræ fidei iam habitum, gratiæ Dei bonę aſcribo, qa in orationibus meis memoriam veſtri facio. i. pro bonis quæ habituri eſtis Deum orãs ipſi totum aſcribo. Si. n. bona poſt fidẽ venientia, Dei gratiæ aſcribũtur, maximè pro fide agendæ ſunt gratiæ Deo, quæ hominẽ de ſolis peccatis trahit ad iuſtitiam. Et quod *memoriã veſtri facio: mihi teſtis eſt Deus*, quẽ ſi ad teſtificandum (quod falſum eſt) aduocarem: falſitatis reũ iudicarem. Fortaſſis diceret aliquis, quia Deum nõ curas, ideo leuiter eũ falſæ rei teſtem aduocas. Contra hoc ait: *Cui* Deo ego *ſeruio*, ſeruus autem ad teſtimonium falſitatis, Dominũ nõ vocaret. Seruio vtique Deo *in ſpiritu meo*, id eſt, ex voluntate, non ex coactione: vel in ſpiritu. i. non in carnalibus, ſed in ſpiritualibus ſeruio Deo. Determinat in qua re ſeruiat. ſ. *in Euangelio* i. in annunciatione filij eius. Hoc autem ſeruitium magis tunc temporis gratum erat Deo prædicare gloriam Chriſti, filij Dei. Inde mihi teſtis eſt Deus, quod *in orationibus meis* facio memoriam veſtri. i. facio Deum memorem veſtri, ſine intermiſſione, qa nunquã orans intermitto vos. Poſſet quidem orare ſemel in menſe, & ſic parum eſſet eos tunc nõ intermiſſos fuiſſe. Ideo ait: In orationibus *ſemper* .i. omni die continuatis, memoriam veſtri habeo: Non ſolum orans, ſed etiam *obſecrans*, in quibuſdam ſacramẽtis & coniurationibus Deũ obnixè poſtulans, *ſi* exauditus *habeam iter veniendi ad vos*: habeam dico. *Quomodo.* i. ſub quacunq; difficultate hoc fieret, ſeu latronem, ſeu tempeſtatem non curarem. Habeã hoc tandẽ. In hoc oſtẽdit ſe diu deſideraſſe, nec potuiſſe ſe efficere. Habeam iter aliquando. i. in quocunq; tempore, ſeu hyeme, ſeu æſtate hoc fieret, non curarem. Item dico pro ſpiritu in hoc, vt quod volo efficerẽ, & quia multæ res effectũ habent, quę Deo diſplicẽt, addit: *In voluntatem Dei.* Niſi. n. Deus hoc vellet, effectum huius rei potius nollem quam cuperem. Ideò volui venire ad vos: qa *deſidero videre vos*: ad hoc *vt impertiar vobis aliquid gratiæ.* Vos quidem gratiam fidei iã habetis, ſed cum ad cuſtodiam huius, aliæ gratiæ opportunæ eſſent, vt gratia vnitatis: non tamen determinat, quã gratiã: quia miniſtraret eis omnem illam quã videret neceſſariã. Impertiar dico: aliquid gratiæ, nõ ſecularis vt eſſet ſi conciliaret illos cũ quibuſlibet principibus mundi, ſed gratiæ *ſpiritualis*, i. quę gratia nutriat ſpiritũ in vitã æternã. Ne fortè gratiã fidei, quam à diſcipulis Pauli acceperant, inutilẽ opinarentur: quia dixit ſe daturum illis gratiam, ait: Non dico vt impertiar vobis gratiam, ad initiãdũ vos in fide (fidem enim ſanam accepiſtis) ſed *ad confirmandos vos*, i. ad cõfirmãdam fidem veſtram, in his quæ fidem comitari debent. ſ. vt vnitatem habeatis. Nec alter alterum digniorem, ſeu indigniorẽ gratia Dei iudicetis. Hoc quod dico deſidero con-

Gratias agere Deo quid eſt.

** ſpeciali.*

Roma caput orbis.

confirmare vos.i. deſidero *conſolari in vobis ſimul.* Vbi ait ſimul conſolari, oſtendit ſe de errore eorum doluiſſe: Vbi ait *ſimul*, innuit quod per doctrinam ſuam conſolandi ſunt:& propter vtrunq; ęquanimiter debere eos tolerare quamlibet aſperā increpationem Pauli: cùm & per hoc conſolandi ſint,& Paulus de errore eorū doluerit, vt quæ errorem ab eis auferat ſollicitus ſit. conſolari inquā deſidero in vobis *per fidē veſtrā atq; meā*: factā eā.i.talem quæ eſt inuicē.i. quæ eandē viciſſitudinem habeat, vt ſicut fides mea totum aſcribit gratiæ Dei, ſic veſtra faciat. Vel aliter. Conſolari cupit per fidem meam factam veſtram, vt omne bonum credatis eſſe per gratiam Dei, fidem veſtram dico, factam eam.i.talem *quæ eſt inuicē*.i. modo ſuo ſubſeruientem, vt ſicut ego (quod magiſtri eſt) præcipiendo doceo; ſic vos (quod diſcipulorum eſt) obediendo diſcatis. Ego vtique deſideraui venire ad vos, ſed non potui: *quia prohibitus ſum.* Prohibitiones hæ quandoq; fiebant Paulo per Spiritum ſanctū, plerunque per pericula latronum, ſeu tempeſtatum in mari. Quare autem venire prohibitus ſum: *Nolo vos ignorare fratres* mei in fide. Si enim cauſam huius prohibitionis diligenter inquiratis, vobis proderit ad correctionem: dum pro peccato contentionis veſtræ me eſſe prohibitum intelligetis. Hoc inquam *nolo vos ignorare* quia *ſæpè propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum venire vſque adhuc.* Vbi ait adhuc, oſtendit ſe multotiens prohibitum eſſe: quaſi diceret. Sicut ſæpè propoſui, ſic ſæpè prohibitus fui. Venire inquam propoſui ad vos, ideo *vt habeam in vobis*, quod & habeo in alijs, *aliquem fructum*, id eſt, vel vt vos me docente correcti, fructificetis in melius: vel vt ego fructum mercedis recipiam, quia laboraui in vobis. Habeam, dico, in vobis, *ſicut* habeo *in cæteris gentibus*, id eſt, vt ſicut alias gentes docui, omnia referre gratiæ Dei; ſic & vos edocti à me idem faciatis: nec à doctrina veſtri & alia-

A rum gētium ceſſare queo: ego enim *debitor ſum*.i.ex debito prædico. Sic enim mihi eſt iniunctū à Spiritu ſancto. *Græcis ac Barbaris.* Præter Græcos omnes gentes vocat Barbaros: ſed Græci ſemper ſapientiam præ cęteris ſectati ſunt, & etiam in Græcia Paulus Primū Eccleſias de gentibus conſtituit: & in illis ſeu Græcis, ſeu Barbaris, debitor ſum: *ſapientibus & inſipientibus*: quia apud Grçcos ſunt ſapientes, & inſipientes; & ſic apud Barbaros. Et ſicut alijs gentibus debeo: ſic debitor ſum *euangelizare vobis* Iudæis & Gentilibus conuerſis: *qui Romæ eſtis.* Quod ſcilicet euangelizare: *promptum eſt*. i. paratum eſt ſecūdum hoc quod *in me* eſt.i.inquātum ad me pertinet. Videte ne vos imparatos auditores inueniam. Verè promptum eſt in me, ego enim *nō erubeſco Euangelium.* Tribus modis erubeſcit quis Euangelium. Vel cum miſerias Chriſti, Crucem, mortem,

Barbari.

B

&c. ſtultè verecundatur prædicare. 1.
Vel cùm corruptè viuens, iuſtitiam 2.
timet prædicare, ne repræhendatur aliter docere; & aliter viuere. Vel 3.
C ad confirmationem prædicationis ſuæ, virtus miraculorum deficit. Sed Paulus nullo horum modo erubeſcebat. Propterea non erubeſco Euangelium. *Nam* in Euangelio præſto *eſt* mihi *virtus Dei*: qua & peccata dimitto: & miracula operor: quod Euangelium dico; valens omni credenti in habendam ſalutem per fidem qua credidit: *omni credenti* dico ſcilicet *Iudæo primum*, tempore credenti. In Iudæa enim cœpit Eccleſia D Chriſti. Credenti etiam *Græco*.i.gentibus: quia Græci ſecundum ſcientiā caput erant gentium. Ideo per Græcos quoſcunque Gentiles ſignificat. Vel ita Euangelium ſalus eſt credenti Iudæo: & Græco primum.i. maximè, quia ſufficientem ſalutem dabit vtrique. Verè per Euangelium habetur fides, & per fidem ſalus æterna. *Nam* in eo Euangelio *reuelatur*: & cognitiōe & habitudine: *ex fide*. i.per fidem ex Euangelio acceptam. *Iuſtitia*.i.executio bonorum operum: per

Euangeliū quis tripliciter erubeſcit.

Eccleſia Chriſti in Iudæa cœpit.

quam

quam iuſtitiā habetur ſalus æterna. Quia ſi per Euāgelium fides, per fidē autē iuſtitia, per iuſtitiam verò ſalus æterna: Igitur per Euangelium ſalus: addit quiddam amplius, quod ad rem valet ſic. *Reuelatur ex fide* eundo *in fidem.* Non ſic ait vt diuerſas fides intelligat, ſed vt doceat multos gradus eſſe in fide. Romani ſanam quidem fidem habebant de Chriſto, ſed in hoc errabant, quia non omnia gratiæ Dei attribuebant. In quo gradu fidei Paulus eos locare intendit, ex fide habetur iuſtitia, & inde ſalus. *Sicut ſcriptum eſt* in Abacuc Propheta. *Iuſtus autem ex fide viuit*; per Prophetam confirmat Euangelium, ait enim Propheta. Ex fide quæ per Euangelium habetur, fit homo iuſtus, benè operando, & per iuſtitiam viuit in æterna ſalute. Hucuſque blanditus eſt Romanis, dicendo ſe ſollicitum de ſalute eorum, vt æquo animo ſuſcipiant correctiones Apoſtoli. Hîc autem primo aggreditur gentiles, quos facilius poſſe corrigi intelligit; vt poſtea diutius in confutatione Iudæorum immoretur; attamen autem ſic dicens ingreditur. Verè ex fide iuſtitia: & ex iuſtitia ſalus. Nam per contrarium *ex impietate*, id eſt, ex non fide, ſeu ex idolatria ſequitur *iniuſtitia.* i. mala opera: & ex iniuſtitia ſequitur *ira Dei* i. damnatio æterna, ſaluti contraria, quod æquipollenter ſic ait. Verè ex fide reuelatur iuſtitia: & ſic ſalus. Nam ſuper omnem impietatem: ſuper dicit, ad oppoſitionem impietatis: & cùm dicit impietatem: magis eſt quàm ſi diceret omnes impios. Si enim impios diceret, omnes quidem impios, ſed nō pro ſingulis impietatibus opprimendos diceret. Sed cùm dicit omnē impietatē, & omnes impios, pro ſingulis impietatibus puniendos eſſe inſinuat. Super omnē vtique impietatem: ex qua infidelitate procedit iniuſtitia. i. peruerſa cogitatio vel operatio: & ſuper omnem iniuſtitiam *reuelatur.* i. cognoſcitur eſſe ira Dei venturi de cœlo in die iudicij. Tunc. n. reuelabitur his qui vſq;

A ad diem illū non crediderint Chriſtū eſſe iudicē omnium. Vel *ira Dei reuelatur de cœlo*, quia ipſum elementū in ornatu & factura ſua oſtendit metuēdā eſſe iram eius, qui talem creaturā formauit. Reuelatur, inquā, ira *ſuper iniuſtitiā hominū, eorū* hominū dico, *qui veritatem.* i. verā cognitionem de Deo, quàm naturaliter habēt, vel habere poſſunt, eam *detinent.* i. retrahunt, ne quod natura exigeret, aſcēdat ad aliquid magis de Deo agnoſcendum. Detinent vtiq; eam *in iniuſtitia.* i. per mala quæ operatur.

B Verè impij veritatē Dei ſic detinent: *quia quod notū eſt Dei,* i. quòd cognoſci poteſt de Deo, illud *manifeſtū eſt,* ſi non in actu rei, tamen *in illis.* i. in rationibus eorum, & in potentia intellectus ſui. Verè quod notum eſt Dei, manifeſtū eſt in illis omnibus potentialiter. Nam *Deus manifeſtauit* in actu *illis.* i. quibuſdam illorum, hoc ꝙ notū eſt Dei. Quod ſi quibuſdā reuelatum eſt in actu, conſtat quia manifeſtum eſt in potentia. Plato. n. & quidā Philoſophi, naturaliter cognouerūt eſ-

Plato & alij Philoſophi cognouerunt naturaliter vnum ſolūmodò eſſe Deum.

C ſe vnū creatorē omniū, non tamē ſine adiutrice gratia Dei: probat quod Deus quibuſdam actu reuelauit hoc, & modū reuelationis ſubdit dicens. Verè Deus quibuſdam reuelauit. *Nā inuiſibilia ipſius* diuinę eſſentię *conſpiciuntur à creatura mundi:* nec obſcurè ſed lucidè intellecta, *per illa quæ ea ſunt*: per inuiſibilia patrem ſignificat, quia à nullo ducit principium, ſicut Filius & Spiritus ſanctus à Patre. Ideò aūt pluralem numerum poſuit, quia infirmitas humani intellectus

D non ſufficit conſiderare in Deo, niſi per interpoſitiones temporum, quæ in eo naturalia & ſimul ſunt, & vno ictu (ſi fieri poteſt) conſiderāda. *Sempiterna quoque virtus eius.* i. eius diuinæ eſſentiæ. i. filius qui virtus & ſapiētia patris dicitur ſemper cum patre æternus, *& diuinitas.* i. bonitas. Vnde & bonos homines, diuinos vocamus. *Bonitas,* id eſt, dilectio eius diuinæ eſſentiæ. ſ. Spiritus ſanctus, qui nihil aliud eſt quā bonitas, & dilectio Patris & Filij. Hæc inquam virtus & diui-

Bonos homines diuinos vocamus.

diuinitas cõſpiciuntur, intellecta, per ea quæ facta ſunt. Homo.n.inuiſibilia intelligere nequit, niſi per ea quæ videt. Sed cum aſpicit aliquem regẽ magni imperij, per eum quodãmodo intelligit, eum regem longè maiorem qui iſtũ creauit. Cũ verò videt virtutẽ, ſeu ſapientiã in aliquo, cogitat multò magis virtutem eſſe & ſapientiã in eo qui dedit illi. Sic de bonitate ſeu dilectione Dei, per bonitatem creaturæ poteſt cognoſci. Hãc autẽ virtutem & diuinitatem in Deo naturaliter penſare ſuffeciſſet, & ſi illa nomina. i. Filius & Spiritus ſanctꝰ ignorarent. Idem.n.eſt virtus & diuinitas ſeu dilectio Dei, quod Filiꝰ & Spiritus S. Virtus & diuinitas Dei, per ea quæ facta ſunt intelliguntur. *Ita vt* homines *ſint inexcuſabiles* ex hoc, *quia cum cognouiſſent Deũ*, ſi non actu, tamen per potentiam eius intellectꝰ naturalis: *non glorificauerũt Deũ*, colẽdo & honorãdo eum *ſicut Deum, aut gratias egerunt*. i. bona cogitationis ſuæ, non gratiæ Dei, ſed ſibi attribuerunt. Deo quidẽ non egerũt gratias, *ſed in cogitationibus ſuis* ſe efferentes *euanuerunt*, à ſimilitudine fumi: qui quantò plus aſcendit, tantò amplius nihil fit, & quia ſuperbiendo euanuerunt: *ideo cor*. i. intelligentia eorum prius ſubtilis *obſcurata eſt* propter ſuperbiã: adeo vt fieret *inſipiens*. Euanuerunt vtique. Nã dixerunt ſapiẽtes eſſe ſe. i. à ſeipſis ſine dono Dei ſapientiam ſuã eſſe. Et verè cor eorũ obſcuratũ eſt: nã hoc *dicentes*, & ita eſſe credentes *facti ſunt ſtulti*, & ſic de ſuperbia in ignorantiam: de ignorantia in ſtultitiam lapſi præcipitati ſunt: adeo quod *mutauerũt gloriã incorruptibilis*, .i. inuariabilis *Dei*, præter quem omnis creatura variabilis, & ideo corruptibilis eſt: gloriam vtique eius Dei *mutauerunt* non in verum hominẽ: ſed *in imaginem corruptibilis hominis*. Et vt expreſſum facerent ſibi ſimulacrum, mutauerunt hoc in ſimilitudinem imaginis, id eſt, in ſimilem imaginem, colentes creaturam loco creatoris. Prius in ſimilitudinem hominis. Dehinc in ſimilitudinem *vo-*

Fumus quãtò plus aſcendit, tantò amplius euaneſcit.

A *lucrum*. Poſtea in ſimilitudinem *quadrupedum*. Et poſt hoc in ſimilitudinem *ſerpentium* mutauerunt cultum & religionem creatoris gentiles. Sicut dictum eſt: quia in intellectu ſuperbierunt, ideo intellectu priuati ſunt. Quia iterum creatorem reſpuẽrũt, in cultura creaturæ puniti ſunt. Iterum quia vt natura docebat Deum glorificare noluerunt, ſed ad quod natura repugnabat, creaturas coluerunt. Ideò ad peccata quæ contra naturam ſunt, deuoluti ſunt, ſic-

B ut ſequitur. *Propter quod*. i. quia quod contra naturam fuit, creaturas coluerunt. Ideò ſubtrahendo gratiam, *tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum*, vt animo cuperent. Dehinc *in immunditiam*, id eſt, in opus deſideratæ immunditiæ: ad hoc inquam ſic tradidit illos, *vt corpora ſua afficiant*, id eſt, contaminent *contumelijs*, id eſt, his pollutionibus, quæ ſi violenter inferrentur eis, pro magna contumelia haberent. afficiant dico *in ſemetipſis*. i. vel alter in alterum, vel

C in ſemetipſis. Hoc intellexerunt debere fieri non à Deo, qui prius de intellectu ſe efferebant. Quod dixit ſuperius mutauerunt gloriam, id repetit, vt enumeret modos mutationis, dicens. *Qui* gentiles *commutauerunt veritatem*. i. cultum quem naturalis veritas afferebat exhibẽdũ eſſe Deo, *in mendaciũ*. i. in creaturas quas mendaciter fingebant eſſe Deos, *&* poſtquam finxerunt, *coluerunt*. i. adorauerunt eos. Dehinc etiam *ſeruierunt*

D offerendo, & immolando *creaturæ*: his tribus modis mutauerũt gloriam Dei. Prius mendaciter putauerunt idolum eſſe Deum. Dehinc adorando. Tertiò hoſtias immolando. Seruierunt vtique creaturæ, iudicantes hoc *potius* eſſe *quam* ſeruire *creatori*, qui creator in auerſione eorũ nihil perdit: *eſt*. n. *benedictus in* omnia *ſecula*, quicquid adorent illi: *amen*. i. profectò ita eſt. Quod iterum ſuperiꝰ ait: tradidit illos Deus in deſideria: hic repetit idem, vt pœnam peccati comparet ipſi peccato. Quia ſicut quod natura exigebat creatori cultũ

dene-

quam iuſtitiā habetur ſalus
Quia ſi per Euāgelium fides
autē iuſtitia, per iuſtitiam ve
æterna: Igitur per Euangeliu
addit quiddam amplius,
rem valet ſic. *Reuelatur e*
do *in fidem*. Non ſic ait vt d
des intelligat, ſed vt doc
gradus eſſe in fide. Rom
quidem fidem habebant
ſed in hoc errabant, qui
nia gratiæ Dei attribueba
gradu fidei Paulus eos lo
dit, ex fide habetur iuſt
Abac. 2. 4. ſalus. *Sicut ſcriptum eſt*
Propheta. *Iuſtus autem*
per Prophetam confir
lium, ait enim Prophet
per Euangelium habe
iuſtus, benè operando
tiam viuit in æterna ſ
que blanditus eſt Ro
do ſe ſollicitum de ſa
æquo animo ſuſcip
nes Apoſtoli. Hîc a
greditur gentiles, q
ſe corrigi intelligit
tius in confutation
moretur; attame
ingreditur. Verè e
iuſtitia ſalus. Na
ex impietate, id eſt
idolatria ſequitur
opera: & ex iniuſt
.i. damnatio æte
ria, quod æqui
rè ex fide reuela
lus. Nam ſuper
ſuper dicit, ad
tatis: & cùm di
eſt quàm ſi di
enim impios d
impios, ſed n
tibus opprim
dicit omnē i
pios, pro ſin
endos eſſe in
que impieta
pre
ti

Homicid. a ſunt dupli citer.

ggrauat hæc duo dicens. A
detractores, odibiles Deo.
dico *contumelioſos*. i. con-
pitudinis inferentes ſibi
perbos. i. ſe ſupponentes
perponere cupientes. *Ela-*
pares ſibi, nec ſe maiores
t: vt Cæſar, qui noluit pa-
m Pompeium, nec Pompe-
ſibi Cæſarem. *Inuentores*
lorum ſeu malarum con-
m, ſeu tormentorum. *Non*
dientes carnalibus *parenti-*
od natura admonet etiam in
lum. *Inſipientes*. i. indiſcre-
um & ad malum. *Incompo-*
ſtimentis, & per immodifi-
m membrorum. Per hæc e-
extra videmus, ſic de inte-
us penſamus. *Sine affectione*. i.
plicatione animi ad aliquod
m *abſque fœdere*. i. ſine colliga-
animi: quia enim fœdera va-
d nutrimētum fidei, vt ſemper
plicarentur, prohibita ſunt cō-
in eadem cognatione, quę iam
vinculo propinquitatis fœdera-
. Qui etiam ſunt *ſine miſericor-*
quia ſi quos viderint miſeros nō
ent ad eos viſcera miſericordiæ.
his omnibus gentiles pro præmiſ-
peccatis puniti ſunt. Sed quia nec-
m per hæc pœnituerunt, præcipi-
i ſunt in aliud malum, vt excæca-
promitterēt ſibi impunitatem pec-
corum. Vnde ſic ait. Qui gentiles
cæcati ſunt non intellexerunt: *quo-*
iam illi *qui talia agunt*; vt prædicta
unt, *digni ſunt morte* æterna. Hoc
modo non intellexerunt, *cùm* prius
naturaliter *cognouiſſet iuſtitiam Dei*:
qua cognitione priuati dicti ſunt,
quia inde ſuperbierunt. Digni vti-
que ſunt morte: *non ſolum qui faciunt*
ea prædicta, *ſed etiam qui conſentiunt*
facientibus. Conſentire ſecundum
Ambroſium eſt, ſi quæ poſſit repræ-
hendere, taceat: aut hæc audiens, ad-
uletur. Si ergo facientes prædicta
mala, & conſentientes eis damna-
tione digni ſunt, nemo genti-
lium mortem hanc
euadet.

CAP. II.

Propter quod inexcuſabilis es ô homo omnis qui iudicas. In quo enim alterū iudicas, teipſum condēnas. Eadem.n. agis quæ iudicas. Scimus.n. quòniam iudicium Dei eſt ſecundum veritatem in eos qui talia agunt. Exiſtimas autem hoc ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad patientiam te adducit? B *Secūdum autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei; qui reddet vnicuique ſecundum opera eius. His quidem qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem & corruptionem, quærentibus vitam æternam. His autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati; ira & indigna-* C *tio, tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum; Iudæi primum & Græci. Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum; Iudæo primum & Græco. Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. Quicunque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt, & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur: Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Cùm enim gentes quæ legem nō habent, naturaliter ea quæ legis ſunt* D *faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis; teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium; in die cum iudicabit Deus occulta hominum, ſecundum Euangelium meum, per Ieſum Chriſtum: Si autem tu Iudæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo; & noſti voluntatem eius, & probas vtiliora, inſtructus per legem; confidis teipſum eſſe du-*

ſuſceperunt , etſi ante non crediderant: quia nec legem, nec prophetas habuerant , excuſabiles ſeſe aſſerebant. Quam ſeditionem , quia diſcipuli quorum prædicatione conuerſi fuerant, ſedare non ſufficiebant, miſerunt ad Paulum, vt per magiſtrum efficerent, ad quod auctoritas eorum inſufficiens erat. Hac autem Paulus accepta occaſione , ſcribit ad illos hanc Epiſtolam , in qua materiam habes: Romanos, ſeu Gentiles, ad fidem conuerſos : de quibus in hunc modum agit , comprimendo primum Gentiles, ne efferendo ſe, ſeu de ſapientia, ſeu de libertate arbitrij, ſicque detrahendo gratiæ Chriſti, arbitrentur ſe digniores in fide quibuslibet, qui fidem ſuſceperint, cùm per gratiam Dei ſolam fides & ſaluatio tribuatur. Si enim de libero arbitrio ſe efferunt , in eo vtique plurimum rei ſunt, cùm habuerint naturalem ſcientiam , qua cognoſcere poſſent creatorem ſuum , ſine omni docente , negligentes creatorem, creaturas adorauerunt , & cætera multa, ad deprimendam elationem Gentilium ponit. In depreſſione autem Iudæorum , quia eos magis obſtinatos ſenſit , quaſi qui plures cauſas obtenderent , diutius immoratur, probans non eſſe ſuperbiendum eis, ſi legem & prophetas habuerunt, cùm in quibus placare Dominum debuiſſent, præuaricando ſemper offenderint Deum. Hæc & alia multa ad compeſcendos Iudæos adducit eò fine ſic agit, vt vtroſque, Iudæos & Gentiles ſubijciat gratiæ Dei, credentes nihil prouenire Iudæis ex genere, lege, vel prophetis: Neque Gentilibus ex ignorantia quam obtendunt, ſeu ex libero arbitrio.

aulus con ntionem trorumq; b ancipiti indicat.

A

EPISTOLÆ B. PAVLI APOSTOLI AD Romanos.

CAPVT PRIMVM.

PAVLVS *ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus ſegregatus in Euãgelium Dei, quod ante promiſerat per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de* B *filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ſecundum ſpiritũ ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri, per quem accepimus gratiã & Apoſtolatum, ad obediendũ fidei in omnibus gentibus pro nomine eius: in quibus eſtis & vos vocati Ieſu Chriſti; omnibus qui sũt Romæ dilectis Dei vocatis ſanctis; Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto. Primũ quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtũ pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. Teſtis enim* C *mihi eſt Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo in Euãgelio filij eius quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis, obſecrans ſi quomodo tandem aliquando proſperum iter habeã in voluntate Dei veniendi ad vos. Deſidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis, ad confirmandos vos .i. ſimul conſolari in vobis, per eã quæ inuicem eſt fidem veſtrã atq; meã. Nolo aũt vos ignorare fratres, quia ſæpè propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum vſque adhuc, vt aliquem fructũ habeã in vobis, ſicut & in cæteris genti-* D *bus. Græcis ac Barbaris, ſapiẽtibus ac inſipientibus debitor ſum, ita quod in me promptum eſt & vobis, qui Romæ eſtis, Euangelizare. Non enim erubeſco Euãgelium. Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credẽti, Iudæo primum & Græco. Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt. Iuſtus aũt ex fide viuit.* Abac. 2. 4. *Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnẽ impietatẽ & iniuſtitiã hominum, eorum qui veritatem Dei in iniuſtitia detinẽt: quia quod notum eſt*

Dei,

Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis reuelauit. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mũdi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq́; eius virtus & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles. Quia cũ cognouiſſet Deum, nõ ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiẽs cor eorũ. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutauerũt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentũ. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immũditiam, vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis: quia commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potius quã creatori, qui eſt benedictus in ſæcula, Amen. Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum, in eum vſum qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis in inuicem: maſculi in maſculos turpitudinem operãtes, & mercedem quã oportuit erroris ſui, in ſemetipſis recipiẽtes. Et ſicut non probauerunt Deũ habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciãt ea quæ non conueniũt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia: plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate; ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia: qui cùm iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerũt: quoniã qui talia agũt, digni ſunt morte; non ſolũ qui ea faciũt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.

B. BRVNONIS CARTHVSIANORVM Patriarchæ expoſitio in Epiſtolam ad Romanos.

SIcut mos eſt in Epiſtolis, ſalutem præmittit, dicẽs: Paulus qui prius Saulus à Saule & genus, & nomen, & A ſæuitiam traxerat. Hoc autem nomẽ Paulus, Hebræa lingua ſonat quietꝰ. Vnde ſicut ex auctoritate, quia hoc nomẽ apud omnes notum & honorabile erat, ſic etiã ex auctoritate ſuã valet ad intẽtionem. Hic enim Paulus vt quietos & tranquillos inter ſe redderet Romanos intendit: Vel ſi Paulus, Latinè dicatur, quaſi modicus, iterũ bene ad rem. Hic enim laborat, vt Romanos modicos & humiles per epiſtolã redditos, ſubijciat gratiæ Dei. *Paulus*, inquã, *ſeruus Chriſti Ieſu.* B Quia omnibus modis ad humilitatem ſuadendam hîc intendit, ideò nomini dignitatis, nomen præpoſuit humilitatis. Dicens; Paulus ſeruꝰ Chriſti Ieſu regis & ſacerdotis: qui ſolus regere valet, atq; veſpertino ſuo ſacrificio ſaluare. Seruus etiã Ieſu. i. Saluatoris, præter quem nemo ſaluare ſufficit: ſic & vos exẽplo meo nihil de vobis confidatis, ſed penitus ſubijciamini ſeruituti Ieſu Chriſti. Paulus, inquam, ſeruus Chriſti Ieſu, *vocatus* per gratiam Dei, non meritò legis vel generis, ſed per ſolam gratiam ad hoc, vt ſit *Apoſtolus*, cuius C auctoritati vos obedire bonum eſt. Vel Paulus Apoſtolus, non in occulto, ſed vocatus ab omnibus, quia iã omnes cognouerunt me à Deo conſecratum Apoſtolum, vnde magis mihi obediendum eſt. Quæ vtraque ſententia valet ad vtrumque populum, Iudæum ſeu Gentilem comprimendum. Diuerſis modis vocationes Dei fiunt. Hic autem Paulus vocatus eſt, & per afflictionem corporis exterius: & per vocem Chriſti dicentis: *Saule quid me perſequeris?* & D interiori inſpiratione. Paulus hic *ſegregatus*, non determinat à quo, ſed in quid, ſ. *in Euangelium.* Segregatus, inquam, vel ab alijs Apoſtolis; quia illi conſtituti ſunt prædicatores Iudæorum, ego autem gentium. Cùm enim Paulus ad fidem conuerſus, inſtructus eſſet per aliquot dies à diſcipulis, qui erant Damaſci, continuò de Chriſto in ſynagoga docere cœpit, quare præpoſitus Damaſci voluit eum comprehendere, ſed à fratribus

Paulus Hebræa lingua quietus ſonat.

Vocationes Dei diuerſimodè fiunt.

Act. 9.27.

per murum demiſſus eſt in ſporta, & ſic euaſit manus eius, & inde abijt in Arabiam prædicans ibi gentibus tribus annis, poſt quos redijt in Hieruſalem, ibique inuenit Petrum & Iacobum, qui ſatis prius mirati fuerant, audientes Paulum prædicantem gentibus, quem nunquam viderant, dederuntque Paulo & Barnabæ dextras ſocietatis, approbantes doctrinam eorum, ſeque idem prędicare dicentes: non quod Paulum conſecrarent Apoſtolum, quē ipſe Deus conſecrauerat, ſed concordantes doctrinam eius, vt hi qui per eos cōuerterentur, vnius & eiuſdem fidei ſe eſſe crederent. Vel ſegregatus à lege: quia cùm ego phariſæus .i. cuſtos: & de præcipuis in lege eſſem, & genere, & ſcientia, videns eam non valere ad ſaluationem, ſeparaui me ab ea. Quia ſi ego qui tantus eram in lege, legem deſerui, quantò magis vos ab ea recedere debetis, qui longè me inferiores eſtis. Hæc vltima ſententia ſpectat ad Iudæos tantum, prior verò ad vtroſque. Hucuſque commendauit propriam perſonam, tum per humilitatem, tum per auctoritatem. Hic incipit commendare prædicationem ſuam, dicens: Segregatus, inquam, ſeu à lege, ſeu ab Apoſtolis alijs veniens *in Euangelium* prędicandum. Euangelium bonum nūcium dicitur, Euangelium dico *Dei*. Noua lex Dei ſpecialiter eſſe dicitur, qui non per miniſtrum, ſed eam per propriam perſonam docuit. Vetus autem lex per angelū data eſt Moyſi, & per Moyſen data eſt Iudæis: quarę non ita propriè dicitur eſſe Dei, *quod* Euangelium *antequam* daretur *promiſerat Deus*, vt ille qui daturus erat. Promittere enim conuenit ei, qui rem promiſſam daturus eſt. Vnde Deus quidem promiſit, prophetę verò velut miniſtri, nec dare potentes, prædixerunt. In hoc autem quod ait Deum hoc promiſiſſe ab æterno, notat magnam diligentiam Dei fuiſſe in hoc Euangelio, quod ante promiſerat *per prophetas* .i. per eos qui futura præuiderunt. Et quia fuerunt quidam pithonico ſpiritu futura prædicentes, quidam etiam diuinitus inſpirati prophetantes, vt Balaam: nec tamen officium hoc à Deo habentes; determinat prophetas ſuos, qui & ſcientiam futurorum, & miniſterium prophetādi à Deo acceperunt. Et vt hæc prophetia perpetuò maneret, promiſſa eſt *in ſcripturis ſanctis* .i. vel per Spiritum ſanctum editis, vel ſanctificātibus eos, qui ſicut ſcripturæ docent operantur. Hic ingreditur cōmendationem Chriſti, à quo præmiſſa commendatione, eius ſe accepiſſe apoſtolatum dicit: Scripturis dico habitis *de filio*. Omnis enim ſcriptura etſi de Patre, ſeu de Spiritu ſancto agat, præcipuè de Filio videtur agere, quia quæcunque in ſcripturis prædicta fuēre, per Filium conſummata ſunt. De Filio dico non adoptiuo, ſed *ſuo* .i. conſubſtantiali ipſi & coæterno. *Qui* filius *factus eſt* .i. facturam quandam accepit. Diceret aliquis: quid hoc eſt miraculi, vt filius cum patre ſempiternus, factus ſit in tempore? Contra hoc ait. Factus eſt dico, non ſecundum deitatem, ſed *ſecundùm carnem*, quam in ſe deitati perſonaliter vniuit in tempore. Carnem dico, aſſumptam *ex ſemine* .i. ex carne *Dauid*: ſecundum genus matris Chriſti, in qua facturam carnis accepit. *Ei*, ſcilicet, Deo .i. ad manifeſtationem Dei. Niſi enim Chriſtus carnem aſſumeret; rara vel nulla de Deo notitia hominibus eſſet. Chriſtus ſimiliter de Salomone ſeu Roboan natus eſſe dici poſſet: ſed quia ad Abraham & Dauid factæ ſunt repromiſſiones de Chriſto, ideò de altero eorum, vel vtroque natus eſſe dicitur vbique. Hic autem cauſa eſt, quare ſileat Abraham, & præponat Dauid. Per Abraham enim iuſti, quia iuſtus fuit. Per Dauid peccatores; quia plerunque grauiter deliquit, accipiuntur. Sed hic ad peccatores ſermo erat, vtique ſe peccatores confiterentur, Paulus intendebat: & idcircò Dauid in memoriam peccatorum hic poſuit. Qui Chriſtus in tempore quidem factus eſt: ſed

Galat. 2. 9.

ab æterno *prædeſtinatus*.i.præordinatus & diſpoſitus eſt *filius Dei* eſſe, aſſumendo carnē. Chriſtus dico ſecundū quod filius Dei eſt permanens *in virtute*. i. in eadem diuinitatis potentia ſemper cum patre. Nec ſecundū deitatem prædeſtinatus, ſed ſecundū ſolam humanitatē. Prædeſtinare. n. de re quæ non eſt dicitur, filius autē Dei in principio ſemper fuit. Sed quia in Chriſto duæ naturæ conſiderantur, altera diuina, altera humana. Propter vtriuſque ſubſtantiæ indiuiſam copulam, dicitur plerunq; de diuina, quod proprium eſt humanæ: vt hic, vbi dicitur, prædeſtinatus filius, quod in natura deitatis eſſe nequit: ea ſimilitudine qua conſiderantes in homine, corpus & animam, plerunque propter affinitatem dicūt de anima, quod proprium eſt corpori, & econuerſo: quod genus dicendi in Chriſto expreſſius conuenit, cū ibi homo Deus, & Deus homo dicatur. In homine verò corpus animam & animā corpus dicere non licet. Cùm autem referimus, ſic qui Chriſtus, neutram naturam excludimus. Sed cum per partes exequimur, ꝙ diuinæ conuenit diuinæ, quod humanæ attribuamus humanæ. Chriſtus inquam prædeſtinatus eſt fieri homo: non ex cōcupiſcentia carnis: ſed *ſecundum ſpiritum*. i. de Spiritu ſancto conceptus eſt. Spiritum dico *ſanctificationis*: qui eum ſanctificauit in vtero matris, immunem factum à peccatis. Quia Chriſtus filius Dei ſit in virtute, apparet *ex reſurrectione mortuorum*, per hoc quod reſurgens à mortuis, mortuos fecit reſurgere ſecum, quod vtique inauditum facere non poſſet, niſi Deus eſſet. Mortuorum dico nō omnium, ſed eorum tātum qui fuerunt *Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Non enim infideles ſecum reſurgere fecit. Vnde dicuntur illi potiſſimum cōſurrexiſſe Chriſto, qui cum Abraham in Ebron ſepulti ſunt. *Per quem* Ieſum Chriſtum *accepimus gratiam*.i. remiſſionem. Paulus vt meliꝰ humilitatem ſuadeat, nomen humilitatis præponit nomini dignitatis. Accepi-

Prædeſtinare de quo dicitur.

Qui cum Chriſto ſurrexerunt.

A mus etiam *apoſtolatum in omnibus gētibus*. Spiritus enim ſanctus Apoſtolum gentium me conſtituit; vbi ait: Segregate mihi Barnabā & Paulum ad opus, ad quod * aſſumpſit eos. Accepimus inquam in gētibus apoſtolatum, *ad obediēdum fidei*.i. ad hoc vt prædicaremus fidem, & poſt acceptam fidem, obediēdum eſſe his quæ admonet fides: nō ſuperbiendo derogare gratiæ Dei: hoc autem debere fieri, *pro nomine eius*.i. ad gloriam nominis Dei. *In quibus*. i. inter quas

B gentes *eſtis* vos Romani, & Gentiles, & Iudæi *vocati*. i. per vocationem gratiæ Dei. Non ex merito veſtro ad fidem electi eſtis inquam *Ieſu Chriſti*.i. ad hoc vt ſitis Ieſu Chriſti: Quia ſi modo Iudæi vellent obijcere, ſe non debere ſubijci Paulo: cū gentiū tantū Apoſtolus ſit, errarent. Poſtquam. n. inter gentes habitant, de apoſtolatu eius ſunt, cuius & gentes, vt ſi modo quilibet alienigenæ veniant in epiſcopium aliquod: etiam ſi natione alieni ſunt, propter habitationē tamē

C computabuntur de ipſo epiſcopio. Sic illi Iudæi, quia ad gentes contulerant ſe, in gentibus deputabantur. Paulus inquam talis, & talis, Apoſtolus Dei, ſcribit *omnibus qui ſunt Romæ*. Vt autem infideles excludat, ſubdit, omnibus dico *Dilectis Dei*.i. quos Deus diligit: & vt ſui fierent prælegit. His dico ex dilectione & gratia Dei. *Vocatis ſanctis*. i. ad hoc vt ſint ſancti: Sit *vobis gratia*. i. remiſſio peccatorum veſtrorū. *Et pax*. i. tranquil-

D litas animi, & perſeuerantia in bonis, *à Deo* qui poteſt, *Patre noſtro*, & ideo voluntatem habet: *& à Domino Ieſu Chriſto*, qui ſimiliter & vult & poteſt. Paulus multiplici & aſpera increpatione correcturus Romanos, vt benignè ſuſtineant aſpera quæ dicturus eſt eis, eoſque ſibi reddat beniuolos, prædicit ſe gratias agentem Deo, pro bonis quæ iam acceperunt. Et de his quæ adhuc neceſſaria ſunt illis omni ſollicitudine orare Deum. Quaſi diceret. Ego de inſtructione veſtri multa dicturus ſum vobis, ſed primum

Actor. 13. *aſſumpſi

ante omnia dicā quod amplius mihi gratum eſt, & de quo magis ſum ſollicitus: hoc ſcilicet, *gratias ago Deo.* Gratias agere Deo, eſt totum Deo attribuere, & nihil homini. Vnde ait, gratias ago Deo, id eſt, bona quæ iam in vobis video: gratiæ Dei aſcribo, & non vobis: *Deo meo*, qui quodam * ſpirituali modo meus eſt. *Per Ieſum Chriſtum*, quem ſolum mediū habeo inter me & Deum. Vos autē per me tranſitis ad Chriſtum, & per Chriſtū ad Deū. Et ideò gratias dico ꝑ Chriſtum. Vobis autē gratiæ agendæ ſunt per me Chriſto, & ſic Deo. Fortaſſis putarent alteri. Vel Iudæi ſolum vel gentiles. ꝙ pro alteris tantum gratias ageret. i. bona eorū ſoli gratiæ Dei aſcriberet, ne per hoc alter in alterum ſe efferat: ait *pro vobis* Romanis: ſeu ſitis Iudæi, ſeu Gentiles. Omnibus ago gratias, & bonę fidei veſtrę, ipſi ſoli aſcribo. Determinat vnde gratias agat, dicens: Inde gratias Deo refero: *quia fides Dei in vobis eſt.* Et veſtra fides vobis ſolis nōn proficit: ſed *annūciatur in vniuerſo mundo.* Audito. n. ꝙ Romæ ſit recepta fides Chriſti, quæ eſt caput orbis, ſuſcipiūt eam cæteri, imitando caput ſuum. Verè bonæ veſtræ fidei iam habitum, gratiæ Dei bonę aſcribo, q̃a in orationibus meis memoriam veſtri facio. i. pro bonis quæ habituri eſtis Deum orās ipſi totum aſcribo. Si. n. bona poſt fidē venientia, Dei gratiæ aſcribūtur, maxime pro fide agendæ ſunt gratiæ Deo, quæ hominē de ſolis peccatis trahit ad iuſtitiam. Et quod *memoriā veſtri facio: mihi teſtis eſt Deus*, quē ſi ad teſtificandum (quod falſum eſt) aduocarem: falſitatis reū iudicarem. Fortaſſis diceret aliquis, quia Deum nō curas, ideo leuiter eū falſæ rei teſtem aduocas. Contra hoc ait: *Cui* Deo ego *ſeruio*, ſeruus autem ad teſtimonium falſitatis, Dominū nō vocaret. Seruio vtique Deo *in ſpiritu meo*, id eſt, ex voluntate, non ex coactione: vel in ſpiritu. i. non in carnalibus, ſed in ſpiritualibus ſeruio Deo. Determinat in qua re ſeruiat. ſ. *in Euangelio* i. in annunciatione filij eius. Hoc autem ſeruitium magis tunc temporis gratum erat Deo prædicare gloriam Chriſti, filij Dei. Inde mihi teſtis eſt Deus, quod *in orationibus meis* facio memoriam veſtri. i. facio Deum memorem veſtri, ſine intermiſſione, q̃a nunquā orans intermitto vos. Poſſet quidem orare ſemel in menſe, & ſic parum eſſet eos tunc nō intermiſſos fuiſſe. Ideo ait: In orationibus *ſemper*. i. omni die continuatis, memoriam veſtri habeo: Non ſolum orans, ſed etiam *obſecrans*, in quibuſdam ſacramētis & coniurationibus Deū obnixè poſtulans, *ſi* exauditus *habeam iter veniendi ad vos*: habeam dico. *Quomodo*. i. ſub quacunq; difficultate hoc fieret, ſeu latronem, ſeu tempeſtatem non curarem. Habeā hoc tandē. In hoc oſtēdit ſe diu deſideraſſe, nec potuiſſe ſe efficere. Habeam iter aliquando. i. in quocunq; tempore, ſeu hyeme, ſeu æſtate hoc fieret, non curarem. Item dico pro ſpiritu in hoc, vt quod volo efficerē, & quia multæ res effectū habent, quę Deo diſplicēt, addit: *In voluntatem Dei.* Niſi. n. Deus hoc vellet, effectum huius rei potius nollem quam cuperem. Ideò volui venire ad vos: q̃a *deſidero videre vos:* ad hoc *vt impertiar vobis aliquid gratiæ.* Vos quidem gratiam fidei iā habetis, ſed cum ad cuſtodiam huius, aliæ gratiæ opportunæ eſſent, vt gratia vnitatis: non tamen determinat, quā gratiā: quia miniſtraret eis omnem illam quā videret neceſſariā. Impertiar dico: aliquid gratiæ, nō ſecularis vt eſſet ſi conciliaret illos cū quibuſlibet principibus mundi, ſed gratiæ *ſpiritualis*, i. quę gratia nutriat ſpiritū in vitā æternā. Ne fortè gratiā fidei, quam à diſcipulis Pauli acceperant, inutilē opinarentur: quia dixit ſe daturum illis gratiam, ait: Non dico vt impertiar vobis gratiam, ad initiādū vos in fide (fidem enim ſanam accepiſtis) ſed *ad confirmandos vos*. i. ad cōfirmādam fidem veſtram, in his quæ fidem comitari debent. ſ. vt vnitatem habeatis. Nec alter alterum digniorem, ſeu indigniorē gratia Dei iudicetis. Hoc quod dico deſidero

[Gr]atias a[g]ere Deo [q]uid eſt.

ſpeciali.

[R]oma ca[p]ut orbis.

con-

confirmare vos.i. deſidero *conſolari in vobis ſimul.* Vbi ait ſimul conſolari, oſtendit ſe de errore eorum doluiſſe: Vbi ait *ſimul,* innuit quod per doctrinam ſuam conſolandi ſunt:& propter vtrunq; ęquanimiter debere eos tolerare quamlibet aſperā increpationem Pauli: cùm & per hoc conſolandi ſint,& Paulus de errore eorū doluerit, vt quæ errorem ab eis auferat ſollicitus ſit. conſolari inquā deſidero in vobis *per fidē veſtrā atq; meā:* factā eā.i.talem quæ eſt inuicē.i. quæ eandē viciſſitudinem habeat, vt ſicut fides mea totum aſcribit gratiæ Dei, ſic veſtra faciat. Vel aliter. Conſolari cupit per fidem meam factam veſtram, vt omne bonum credatis eſſe per gratiam Dei, fidem veſtram dico, factam eam.i.talem *quæ eſt inuicē* .i. modo ſuo ſubſeruientem, vt ſicut ego (quod magiſtri eſt) præcipiendo doceo; ſic vos (quod diſcipulorum eſt) obediendo diſcatis. Ego vtique deſideraui venire ad vos, ſed non potui: *quia prohibitus ſum.* Prohibitiones hæ quandoq; fiebant Paulo per Spiritum ſanctū, plerunque per pericula latronum, ſeu tempeſtatum in mari. Quare autem venire prohibitus ſum: *Nolo vos ignorare fratres* mei in fide. Si enim cauſam huius prohibitionis diligenter inquiratis, vobis proderit ad correctionem: dum pro peccato contentionis veſtræ me eſſe prohibitum intelligetis. Hoc inquam *nolo vos ignorare* quia *ſæpè propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum venire vſque adhuc.* Vbi ait adhuc, oſtendit ſe multotiens prohibitum eſſe: quaſi diceret. Sicut ſæpè propoſui, ſic ſæpè prohibitus fui. Venire inquam propoſui ad vos, ideo *vt habeam in vobis*, quod & habeo in alijs, *aliquem fructum,* id eſt, vel vt vos me docente correcti, fructificetis in melius: vel vt ego fructum mercedis recipiam, quia laboraui in vobis. Habeam, dico, in vobis, *ſicut* habeo *in cæteris gentibus*, id eſt, vt ſicut alias gentes docui, omnia referre gratiæ Dei; ſic & vos edocti à me idem faciatis: nec à doctrina veſtri & alia-

A rum gētium ceſſare queo: ego enim *debitor ſum.*i.ex debito prædico. Sic enim mihi eſt iniunctū à Spiritu ſancto, *Græcis ac Barbaris.* Præter Græcos omnes gentes vocat Barbaros: ſed Græci ſemper ſapientiam præ cęteris ſectati ſunt, & etiam in Græcia Paulus Primū Eccleſias de gentibus conſtituit: & in illis ſeu Græcis, ſeu Barbaris, debitor ſum: *ſapientibus & inſipientibus*: quia apud Gręcos ſunt ſapientes, & inſipientes; & ſic apud Barbaros. Et ſicut alijs gentibus debeo: ſic debitor ſum *euangelizare vobis* Iudæis & Gentilibus conuerſis: *qui Romæ eſtis.* Quod ſcilicet euangelizare: *promptum eſt.* i. paratum eſt ſecūdum hoc quod *in me* eſt.i.in quātum ad me pertinet. Videte ne vos imparatos auditores inueniam. Verè promptum eſt in me, ego enim *nō erubeſco Euangelium.* Tribus modis erubeſcit quis Euangelium. Vel cum miſerias Chriſti, Crucem, mortem, &c. ſtultè verecundatur prædicare. Vel cùm corruptè viuens, iuſtitiam timet prædicare, ne repræhendatur aliter docere, & aliter viuere. Vel ad confirmationem prædicationis ſuæ, virtus miraculorum deficit. Sed Paulus nullo horum modo erubeſcebat. Propterea non erubeſco Euangelium. *Nam* in Euangelio præſto *eſt* mihi *virtus Dei:* qua & peccata dimitto: & miracula operor: quod Euangelium dico; valens omni credenti in habendam ſalutem per fidem qua credidit: *omni credenti* dico ſcilicet *Iudæo primum*, tempore credenti. In Iudæa enim cœpit Eccleſia Chriſti. Credenti etiam *Græco*.i.gentibus: quia Græci ſecundum ſcientiā caput erant gentium. Ideo per Græcos quoſcunque Gentiles ſignificat. Vel ita Euangelium ſalus eſt credenti Iudæo: & Græco primum.i. maximè, quia ſufficientem ſalutem dabit vtrique. Verè per Euangelium habetur fides, & per fidem ſalus æterna. *Nam* in eo Euangelio *reuelatur*: & cognitiōe & habitudine: *ex fide.* i.per fidem ex Euangelio acceptam. *Iuſtitia*.i.executio bonorum operum:per

B

C

D

Barbari.

Euangeliū quis tripliciter erubeſcit.

1. 2. 3.

Eccleſia Chriſti in Iudæa cœpit.

quam

quam iuſtitiā habetur ſalus æterna. Quia ſi per Euāgelium fides, per fidē autē iuſtitia, per iuſtitiam verò ſalus æterna: Igitur per Euāngelium ſalus: addit quiddam amplius, quod ad rem valet ſic. *Reuelatur ex fide* eundo *in fidem*. Nō ſic ait vt diuerſas fides intelligat, ſed vt doceat multos gradus eſſe in fide. Romani ſanam quidem fidem habebant de Chriſto, ſed in hoc errabant, quia non omnia gratiæ Dei attribuebant. In quo gradu fidei Paulus eos locare intendit, ex fide habetur iuſtitia, & inde ſalus. *Sicut ſcriptum eſt* in Abacuc, Propheta. *Iuſtus autem ex fide viuit*; per Prophetam confirmat Euangelium, ait enim Propheta. Ex fide quæ per Euangelium habetur, fit homo iuſtus, benè operando, & per iuſtitiam viuit in æterna ſalute. Hucuſque blanditus eſt Romanis, dicendo ſe ſollicitum de ſalute eorum, vt æquo animo ſuſcipiant correctiones Apoſtoli. Hîc autem primo aggreditur gentiles, quos faciliùs poſſe corrigi intelligit; vt poſtea diutius in confutatione Iudæorum immoretur; attamen autem ſic dicens ingreditur. Verè ex fide iuſtitia: & ex iuſtitia ſalus. Nam per contrarium *ex impietate*, id eſt, ex non fide, ſeu ex idolatria ſequitur *iniuſtitia*. i. mala opera: & ex iniuſtitia ſequitur *ira Dei* .i. damnatio æterna, ſaluti contraria, quod æquipollenter ſic ait. Verè ex fide reuelatur iuſtitia: & ſic ſalus. Nam ſuper omnem impietatem: ſuper dicit, ad oppoſitionem impietatis: & cùm dicit impietatem: magis eſt quàm ſi diceret omnes impios. Si enim impios diceret, omnes quidem impios, ſed nō pro ſingulis impietatibus opprimendos diceret. Sed cùm dicit omnē impietatē, & omnes impios, pro ſingulis impietatibus puniendos eſſe inſinuat. Super omnē vtique impietatem: ex qua infidelitate procedit iniuſtitia. i. peruerſa cogitatio vel operatio: & ſuper omnem iniuſtitiam *reuelatur*. i. cognoſcitur eſſe ira Dei venturi de cœlo in die iudicij. Tunc. n. reuelabitur his qui vſq;

Abac. 2. 4.

A ad diem illū non crediderint Chriſtū eſſe iudicē omnium. Vel *ira Dei reuelatur de cœlo*, quia ipſum elementū in ornatu & factura ſua oſtendit metuēdā eſſe iram eius, qui talem creaturā formauit. Reuelatur, inquā, ira *ſuper iniuſtitiā hominū, eorū* hominū dico, *qui veritatem*. i. verā cognitionem de Deo, quàm naturaliter habēt, vel habere poſſunt, eam *detinent*. i. retrahunt, ne quod natura exigeret, aſcēdat ad aliquid magis de Deo agnoſcendum. Detinent vtiq; eam *in iniuſtitia*. i. per mala quæ operātur. Verè B impij veritatē Dei ſic detinent: *quia quod notū eſt Dei*, i. quod cognoſci poteſt de Deo, illud *manifeſtū eſt*, ſi non in actu rei, tamen *in illis*. i. in rationibus eorum, & in potentia intellectus ſui. Verè quod notum eſt Dei, manifeſtū eſt in illis omnibus potentialiter. Nam *Deus manifeſtauit* in actu *illis*. i. quibuſdam illorum, hoc ꝙ notū eſt Dei. Quod ſi quibuſdā reuelatum eſt in actu, conſtat quia manifeſtum eſt in potentia. Plato.n. & quidā Philoſophi, naturaliter cognouerūt eſ- C ſe vnū creatorē omniū, non tamē ſine adiutrice gratia Dei: probat quod Deus quibuſdam actu reuelauit hoc, & modū reuelationis ſubdit dicens. Verè Deus quibuſdam reuelauit. *Nā inuiſibilia ipſius* diuinę eſſentię *conſpiciuntur à creatura mundi:* nec obſcurè ſed lucidè intellecta, *per illa quæ ea ſunt*: per inuiſibilia patrem ſignificat, quia à nullo ducit principium, ſicut Filius & Spiritus ſanctus à Patre. Ideò aūt pluralem numerum poſuit, D quia infirmitas humani intellectus non ſufficit conſiderare in Deo, niſi per interpoſitiones temporum, quæ in eo naturalia & ſimul ſunt, & vno ictu (ſi fieri poteſt) conſiderāda. *Sempiterna quoque virtus eius*. i. eius diuinæ eſſentiæ. i. filius qui virtus & ſapiētia patris dicitur ſemper cum patre æternus, *& diuinitas*. i. bonitas. Vnde & bonos homines, diuinos vocamus. *Bonitas*, id eſt, dilectio eius diuinæ eſſentiæ. ſ. Spiritus ſanctus, qui nihil aliud eſt quā bonitas, & dilectio Patris & Filij. Hæc inquam virtus & diui-

Plato & alij Philoſophi cognouerunt naturaliter vnum ſolūmodò eſſe Deum.

Bonos homines diuinos vocamus.

diuinitas cõſpiciuntur, intellecta, per ea quæ facta ſunt. Homo.n.inuiſibilia intelligere nequit, niſi per ea quæ videt. Sed cum aſpicit aliquem regẽ magni imperij, per eum quodãmodo intelligit, eum regem longè maiorem qui iſtũ creauit. Cũ verò videt virtutẽ, ſeu ſapientiã in aliquo, cogitat multò magis virtutem eſſe & ſapientiã in eo qui dedit illi. Sic de bonitate ſeu dilectione Dei, per bonitatem creaturæ poteſt cognoſci. Hãc autẽ virtutem & diuinitatem in Deo naturaliter penſare ſuffeciſſet, & ſi illa nomina. i. Filius & Spiritus ſanct⁹ ignorarent. Idem.n.eſt virtus & diuinitas ſeu dilectio Dei, quod Fili⁹ & Spiritus S. Virtus & diuinitas Dei, per ea quæ facta ſunt intelliguntur. *Ita vt* homines *ſint inexcuſabiles* ex hoc, *quia cum cognouiſſent Deũ*, ſi non actu, tamen per potentiam eius intellect⁹ naturalis: *non glorificauerũt Deũ*, colẽdo & honorãdo eum *ſicut Deum*, *aut gratias egerunt*. i. bona cogitationis ſuæ, non gratiæ Dei, ſed ſibi attribuerunt. Deo quidẽ non egerũt gratias, *ſed in cogitationibus ſuis* ſe efferentes *euanuerunt*, à ſimilitudine fumi: qui quantò plus aſcendit, tantò amplius nihil fit, & quia ſuperbiendo euanuerunt: *ideo cor*. i. intelligentia eorum prius ſubtilis *obſcurata eſt* propter ſuperbiã: adeo vt fieret *inſipiens*. Euanuerunt vtique. Nã dixerunt ſapiẽtes eſſe ſe. i à ſeipſis ſine dono Dei ſapientiam ſuã eſſe. Et verè cor eorũ obſcuratũ eſt: nã hoc *dicentes*, & ita eſſe credentes *facti ſunt ſtulti*, & ſic de ſuperbia in ignorantiam: de ignorantia in ſtultitiam lapſi pręcipitati ſunt: adeo quod *mutauerũt gloriã incorruptibilis*, .i. inuariabilis *Dei*, præter quem omnis creatura variabilis, & ideo corruptibilis eſt: gloriam vtique eius Dei *mutauerunt* non in verum hominẽ: ſed *in imaginem corruptibilis hominis*. Et vt expreſſum facerent ſibi ſimulacrum, mutauerunt hoc in ſimilitudinem imaginis, id eſt, in ſimilem imaginem, colentes creaturam loco creatoris. Prius in ſimilitudinem hominis. Dehinc in ſimilitudinem *vo-*

Fumus quantò plus aſcendit, tantò amplius euaneſcit.

A *lucrum*. Poſtea in ſimilitudinem *quadrupedum*. Et poſt hoc in ſimilitudinem *ſerpentium* mutauerunt cultum & religionem creatoris gentiles. Sicut dictum eſt: quia in intellectu ſuperbierunt, ideo intellectu priuati ſunt. Quia iterum creatorem reſpuerũt, in cultura creaturæ puniti ſunt. Iterum quia vt natura docebat Deum glorificare noluerunt, ſed ad quod natura repugnabat, creaturas coluerunt. Ideò ad peccata quæ contra naturam ſunt, deuoluti ſunt, ſic-

B ut ſequitur. *Propter quod*. i. quia quod contra naturam fuit, creaturas coluerunt. Ideò ſubtrahendo gratiam, *tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum*, vt animo cuperent. Dehinc *in immunditiam*, id eſt, in opus deſideratæ immunditiæ: ad hoc inquam ſic tradidit illos, *vt corpora ſua afficiant*, id eſt, contaminent *contumelijs*, id eſt, his pollutionibus, quæ ſi violenter inferrentur eis, pro magna contumelia haberent. afficiant dico *in ſemetipſis*. i. vel alter in alterum, vel

C in ſemetipſis. Hoc intellexerunt debere fieri non à Deo, qui prius de intellectu ſe efferebant. Quod dixit ſuperius mutauerunt gloriam, id repetit, vt enumeret modos mutationis, dicens. *Qui* gentiles *commutauerunt veritatem*. i. cultum quem naturalis veritas afferebat exhibẽdũ eſſe Deo, *in mendaciũ*. i. in creaturas quas mendaciter fingebant eſſe Deos, *& poſtquam finxerunt, coluerunt*. i. adorauerunt eos. Dehinc etiam *ſeruierunt*

D offerendo, & immolando *creaturæ*: his tribus modis mutauerũt gloriam Dei. Prius mendaciter putauerunt idolum eſſe Deum. Dehinc adorando. Tertiò hoſtias immolando. Seruierunt vtique creaturæ, iudicantes hoc *potius* eſſe *quam* ſeruire *creatori*, qui creator in auerſione eorũ nihil perdit: *eſt*. n. *benedictus in* omnia *ſecula*, quicquid adorent illi: *amen*. i. profectò ita eſt. Quod iterum ſuperi⁹ ait: tradidit illos Deus in deſideria: hic reperit idem, vt pœnam peccati comparet ipſi peccato. Quia ſicut quod natura exigebat creatori cultũ

dene-

denegantes,ad non naturalem cultũ creaturarum ſe contulerunt; ſic ipſi in non naturalia peccata deuoluti ſunt. Enumerat etiam ipſum peccatum, quomodo in vtrunque ſexum ſit diffuſum, dicens. *Propterea* quia ſeruierunt creaturæ & non creatori, *tradidit illos Deus* priuatos gratia ſua *in paſſiones ignominiæ*. i. in ignominioſa * peccata, quæ licet caro malè concupiſceret, tamẽ ipſa natura violentiam patiebatur,dum in ſe nõ naturaliter operaretur. Enumerat paſſiones ignominiæ dicẽs. Traditi ſunt vtique in ignominias. *Nam fœminæ* horum gentilium *immutauerunt naturalem vſum* viri *in eum* vſum *qui eſt contra naturam*, vt vna abuteretur altera, quia naturalem cultum creatori negauerant. *Similiter autem* vt fœminæ *maſculi, relicto naturali vſu fœminæ,exarſerunt in deſiderÿs ſuis in inuicem*; vt alter alterum igne libidinis incenſi, cõcupierint, & ſicut animus eorum deſiderauerat,opere *complentes turpitudinem maſculi in maſculos. Et* ſic *recipientes mercedem erroris ſui*, .i. pœnam illius peccati. Quia cum cognouiſſent Deum,nõ ſicut Deum glorificauerunt;recipientes hãc non in damno poſſeſſionis, vel filiorum, ſed *in ſemetipſis*, quia ipſi ijdem hac pœna puniti ſunt. *Quam* vtiq; mercedem *oportuit*. i. conueniẽs fuit eos recipere;vt quia quod natura monebat ne facerent, ſpreuerunt creatorem, & adorauerunt creaturam, rectè comparatum eſt, vt pro hoc non naturali peccato,in nõ naturale peccatum, & pœnam peccati præcipitarentur, & *ſicut* quia in non naturali cultu creaturæ peccauerunt:per non naturalia peccata puniti sũt, ſic quia *non probauerunt Deum habere in notitia*.i.quia non habuerunt Deũ in cognitione ſuâ: quem merito cognoſcẽdum ipſa natura probabat. i. quia in cognitione Dei ſibi naturaliter conceſſa, abutẽdo ea per ſuperbiam peccauerunt: *ideo* opportunè cognitione priori amiſſa,*tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*, quia recto ſenſu vti noluerunt. Tradidit inquàm ad

* *facta.*

hoc, *vt faciant ea quæ non conueniunt*. .i.quæ ipſa natura ſatis apertè intelligeret non conueniẽtia eſſe. Primum quia conceſſa cognitione abuſi ſunt, putantes hoc bonum naturalis intellectus à ſe & non à Deo eſſe, priuati ſunt conceſſo intellectu, & creatorẽ derelinquendo contra naturã creaturas coluerunt, quare iterum per naturalia puniti ſunt. Sed quia adhuc non pœnituerunt poſt non naturalia, in alia mala præcipitati ſunt. ſicut ſequitur. Illos tradidit Dominus in reprobum ſenſum: illos dico *repletos omni iniquitate*: quia & omnes iniquitates habuerunt, & ſingulas ad plenum. Cùm dixit omni iniquitate, compræhendit omnia quæ ſequuntur: ſed vt magis illos deterreat, ſingula genera iniquitatis enumerat,dicens. Verè omni iniquitate,quia repletos *malitia*. Malitioſè.n. agebant in proximos,auferendo bona eorum, vel verberibus eos afficiẽdo. Repletos etiã *fornicatione*.Fornicationem vocat quicquid fit præter legitimam vxorem: quæ ſicut cauſa generandæ prolis, ſic cauſa vitandæ fornicationis dicitur. Repletos etiã *auaritia*, illicitè retinendo ſua, vel concupiſcendo aliena, & repletos *nequitia*: vel à nequeo nequis: vel à nomine quod eſt nequã dicitur nequitia, quia nequeũt ſe continere ab illicitis. Qui autem ſe continere nequit,non eſt dicendus aliquis.Plenos etiam *inuidia*: quia licet non ſibi cupiant bona aliorum, tamen eos non habere vellent hæc bona. Plenos etiam *homicidÿs*, quæ non ſolum manibus, ſed tractatione & conſenſu fiunt. Plenos *contentione*: quia inter ſe clamoribus & opprobrijs litigant. Plenos *dolo*: quia & aliud agunt & aliud cogitant. Plenos *malignitate*: quia contraria benignitati ſemper in amaritudine animi ſunt. Qui etiam ſunt ſuſurrones:mala de proximo ad proximum transferentes occultè:detractores etiam bona quæ ſunt auferentes:mala quæ non ſunt imponentes:ne hęc duo facilia viderẽtur:quia pro verbis tantum. non ſe crederent

Fornicatio quid eſt.

Homicidia ſiunt dupliciter.

dam-

damnari, aggrauat hæc duo dicens. *Suſurrones & detractores, odibiles Deo.* Eos etiam dico *contumelioſos.* i. contumelias turpitudinis inferentes ſibi viciſſim. *Superbos.* i. ſe ſupponentes alijs, vel ſuperponere cupientes. *Elatos.* qui nec pares ſibi, nec ſe maiores pati poſſunt: vt Cæſar, qui noluit pati maiorem Pompeium, nec Pompeius parem ſibi Cæſarem. *Inuentores* etiam *malorum* ſeu malarum conſuetudinum, ſeu tormentorum. *Non* etiam *obedientes* carnalibus *parentibus*, quod natura admonet etiam in pullis auium. *Inſipientes.* i. indiſcreti ad bonum & ad malum. *Incompoſitos* & veſtimentis, & per immodificationem membrorum. Per hæc enim quæ extra videmus, ſic de interioribus penſamus. *Sine affectione.* i. ſine applicatione animi ad aliquod dignum *abſque fœdere.* i. ſine colligatione animi: quia enim fœdera valent ad nutrimētum fidei, vt ſemper multiplicarentur, prohibita ſunt cōiugia in eadem cognatione, quę iam ſatis vinculo propinquitatis fœderata eſt. Qui etiam ſunt *ſine miſericordia:* quia ſi quos viderint miſeros nō habent ad eos viſcera miſericordiæ. In his omnibus gentiles pro præmiſſis peccatis puniti ſunt. Sed quia necdum per hæc pœnituerunt, præcipitati ſunt in aliud malum, vt excæcati promitterēt ſibi impunitatem peccatorum. Vnde ſic ait. Qui gentiles excæcati ſunt non intellexerunt: *quoniam* illi *qui talia agunt*, vt prædicta ſunt, *digni ſunt morte* æterna. Hoc modo non intellexerunt, *cùm* prius naturaliter *cognouiſſet iuſtitiam Dei:* qua cognitione priuati dicti ſunt, quia inde ſuperbierunt. Digni vtique ſunt morte: *non ſolum qui faciunt* ea prædicta, *ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Conſentire ſecundum Ambroſium eſt, ſi quæ poſſit repræhendere taceat: aut hæc audiens, aduletur. Si ergo facientes prædicta mala, & conſentientes eis damnatione digni ſunt, nemo gentilium mortem hanc euadet.

Cæſar & Pompeius ſe inuicē pati nolebant.

Conſentire peccatis quid eſt.

A

CAP. II.

PRopter quod inexcuſabilis es ô homo omnis qui iudicas. In quo enim alterū iudicas, teipſum condēnas. Eadem.n. agis quæ iudicas. Scimus.n. quoniam iudicium Dei eſt ſecundum veritatem in eos qui talia agunt. Exiſtimas autem hoc ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad patientiam te adducit? Secūdum autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei; qui reddet vnicuique ſecundum opera eius. His quidem qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem & corruptionem, quærentibus vitam æternám. His autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati; ira & indignatio, tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum; Iudæi primum & Græci. Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum; Iudæo primum & Græco. Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. Quicunque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt, & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur: Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Cùm enim gentes quæ legem nō habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis; teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium, in die cum iudicabit Deus occulta hominum, ſecundum Euangelium meum, per Ieſum Chriſtum. Si autem tu Iudæus cognominaris; & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo; & noſti voluntatem eius, & probas vtiliora, inſtructus per legem; confidis teipſum eſſe du-

B

C

D

cem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium; habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege: qui ergo alium doces, teipſum non doces. Qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis. Qui abominaris idola, ſacrilegium facis. Qui in lege gloriaris, per prauaricationem legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes, ſicut ſcriptum eſt. Circuncisio quidem prodeſt, ſi legem obſerues; ſi autem prauaricator legis ſis, circunciſio tua præputium facta eſt. Si igitur præputium iuſtitias legis cuſtodiat, nónne præputium illius in circunciſionem reputabitur? & iudicabit id quod ex natura eſt præputium legem conſummans, te, qui per literam & circunciſionem præuaricator es legis. Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt, neque quæ in manifeſto in carne eſt circunciſio: ſed qui in abſcondito Iudæus eſt, & circunciſio cordis in ſpiritu non litera: cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.

HVcuſque gentiles ſecundum priorem ſtatum ſatis dehoneſtauit, oſtenſo quod de ignorantia excuſari non poſſunt: cùm naturaliter cognitionem de Deo habuerint, qua propter peccatum priuati ſunt. Hoc autem de ſolis gentilibus dictum transfundit hic in vtroſque, .i. in Iudæos & gentiles, dicens vtrunque populum inexcuſabilem: quia ſi Iudæus dicat ſe fuiſſe peculiarem populum Dei de genere Abrahæ natum, legem & Prophetas habuiſſe, cumque ſic Deo dilectus ſit non eſſe credendum, quod Deus hunc permittat perire adeò dilectum licet errauerit, improperetque gentili quod ſaluatione indignus ſit, cuius nec aliquando Deus memor fuerit. Si verò econuerſo dicat gentilis, Iudæum ſalute indignum, quia cùm Deum per legem cognouerit, ſicut Deum glorificare noluit, ſeq; ideo præferendũ putet Iudæo: quia vt primum de Deo audiuit, ſtatim credidit, neque reum

A eſſe eorum quæ per ignorantiã peccauit. Contra vtrunq; agit Apoſtol⁹: dicens gentilem de ignorantia inexcuſabilem, quia naturalem habuit cognitionem: Iudæum verò fruſtra in lege vel genere gloriari: cùm ſemper deterior fuerit, vnde meliorari debuerit, præuaricando legem fide degenerando ab Abraham, & ſimilia. Quaſi diceret. *Propter quod*.i. quia qui faciunt & qui conſentiunt, digni ſunt morte: ideò tu *homo* vnanimiter viuens & intelligens, omnis Iudæus & gentilis; *inexcuſabilis es*, tu

Gentiles de ignorantia excuſabiles: Iudæi verò fruſtra de lege gloriantur.

B dico *qui iudicas*.i. damnas alium. Si enim tu Iudæus dicis te præferendum gentili: quia dilectus Deo fueris, quem dicis nec aliquãdo memorem fuiſſe gentilis. Vel ſi tu gentilis præferas te excuſatum per ignorantiam Iudęo, qui Deum per legem ſibi cognitum inhonorauit, vterque inexcuſabilis es, & gentilis: quia naturalem cognitionem habuit, & Iudæus quem lex & naturalis intellectus de Deo docuit. Verè vterque inexcuſabiles es, *quia in eo cõdemnas teipſum, in quo tu iudicas alterum*: ſiue

C Iudæus gentilem, ſiue gentilis Iudæum. Si enim lex data damnat Iudæum, quia non cuſtodiuit eam: lex naturalis ſimiliter non cuſtodita, damnat gentilem. Verè teipſum cõdemnas. *Nam tu agis eadem quæ iudicas*, id eſt, damnas in alio. Si enim tu Iudæus pro prædictis gẽtilem putas damnandum, tibi verò eadem ſcelera agenti, pro lege, & genere putas eſſe parcendum, fruſtra opinaris. Econtrariò, ſi tu gentilis damnas Iudæum

D quia legem habuit & non cuſtodiuit eam; in eo damnas teipſum præuaricatorem naturalis legis. Verè in quo iudicas alterum, damnas teipſum. Nam nos qui auctoritatis magnę ſumus, hoc quoniam contra eos qui agunt talia ſicut prædicta ſunt, *eſt iudicium Dei*, non ſecundum ignorantiam quam tu gentilis fruſtra prætẽdis: Nec ſecundum genus Abrahæ, in quo tu Iudeæ gloriaris, ſed *ſecundum* puram *veritatem*, id eſt, ſecundũ actus ſingulorum, Iudæi & gentilis.

Nos

Nos *ſcimus*, tu autem exiſtimas.i. falſò opinaris hoc ô homo ſeu Iudæus ſeu gentilis, qui iudicas eos qui talia agunt quæ prædicta ſunt, & ea tu ipſe facis. Hoc inquam *exiſtimas, quia tu effugies iudicium Dei*.i. vnde alium damnandum iudicas, ex eodem te impunitum euadere credis. Primum quia putant fieri iudicium Dei ſecūdum dignitatem, vel indignitatem perſonarum, & non ſecūdum opera, cadunt in hoc malū, q impunitatem ſibi pollicentur: & iterū per malū impunitatis ſibi promiſſę, ruūt in aliud, in hoc.ſ. quod abutuntur bonitate & patientia Dei, quod ibi ſupra ait, quia tu effugies iudicium Dei, idem ſupra ſignificauerat, vbi ait. Non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni ſunt morte; in vtroque agens de impunitate, quā ſibi promittunt: Sed ibi tantum de gentilibus, hîc verò de vtriſque intelligit, & antè putando te effugere iudicium Dei, contemnis diuitias eius bonitatis. dictum à ſimilitudine pôtentis: qui ſi porrigeret cibum alicui, ille verò cui porrigeretur indignans eo vti proijceret eum, videretur ſic ſpernere, non cibum, ſed datorem cibi: Sic ille qui abutitur bonitate Dei: non vtens ea ad correctionem, ad quam Deus dat, hic reus eſt non tantum pręteritorū, ſed etiam contemptæ maieſtatis. *Diuitias bonitatis* ideo dicit: quia Deus & temporalia abundè dat malis, quibus nec digni eſſent, vt conſiderantes benignitatem Dei, reuertātur ad eū. Dat etiam magiſtos qui doceant, & intelligentiam qua ad Deum reuerti bonum eſſe ſciant, & multa alia. *An diuitias bonitatis eius contemnis*, & diuitias *patientiæ eius*: quia non in vno ſed in mille peccatis te patitur, & diuitias lōganimitatis, quia per multa tempora correctionē tui ſuſtinet: contemnis inquā. *ignorans quoniā benignitas Dei* per bonitatē, patientiā, & longanimitatē quātū in ſe eſt, *adducit te ad pœnitentiā*: Benignitas Dei quātum in ſe eſt, vocat te ad pœnitētiam: ſed *ſecundum duritiā tuam*.i. ſecūdum actus tuos obſtinatos in ma-

A lo, *&* ſecundū *cor* tuum *impœnitens*: quia nec à malo opere recedis, nec te malè operari intelligis. Sunt.n. quidā in malis operibus obſtinati, qui tamē ſe malè agere credūt. Tu inquā ſecūdū cor impœnitens, *theſaurizas tibi iram*.i. congregas tibi propriam dānationem futurā *in die iræ*.i. communis damnationis impiorum. Die.n. *reuelationis iuſti iudicij Dei*: quia in die illo Chriſtus eſſe iudex omniū credetur ab impijs, qui ſemper hoc negauerunt. Tunc.n. videbit eum omnis caro: *qui Deus reddet tūc vnicuique*, & Iudæo & Gētili, *ſecundū opera eius*, nō

B parcens Gentili pro ignorantia: nec ſaluans Iudæum pro lege, vel genere Abrahæ. Quod dixit in toto, per partes exequitur, dicēs. Vnicuiq; reddet ſecundum opera. *His quidem qui* ſunt *boni operis*.i. qui benè operati ſunt *ſecundū patientiā*.i. nō abutentes patiētia Dei, ſed corrigentes ſe cum ſuſtinerentur à Deo: Vel ſecundū patientiā, quia æquanimiter tolerauerunt quæcunq; aduerſa pro Deo: His vtiq; reddet *gloriam*.i. claritatem corporis & illuminationem animæ: & reddet

C *honorē*: quia in præſentia Chriſti inter honorabiles: quia cū angelis Dei reddet etiā *incorruptionē*.i. permanētē ſtatū in gloria & honore: quæ per horā habere poſſent & perdere. His cū hac determinatione dico *quærentibus vitā æternā*, i. ſi benè operentur amore vitæ æternæ: nō quęrētes inde tēporalia lucra vel gloriā mundi: his qui ſunt boni operis, ſic reddet: *his autē qui ſunt ex cōtentione*.i. qui ſe cōtentioſè alternatim præferunt, hoc vitiū maximè repoſcit: quia in hoc

D laborabant, & ab hoc eos deterrere nititur. His inquā qui contendunt *& qui nō acquieſcunt veritati*: quādo bonū ſuadetur eis vt Romani qui nolebāt acquieſcere diſcipulis Pauli, *ſed credebāt iniquitati*: pręferētes ſe alter alteri: his vtiq; erit *ira*.i. æterna damnatio, *&* talis ira quæ ſit *indignatio*. Impij.n. in ignem poſiti, grauiter indignabūtur ſibijpſis, quod malè egerint, & interim dū illud iudiciū morabitur, *in omnem animā hominis ope-*

rantis malum. *Iudæi* dico *primùm*. i. maximè operãtis malum:quia & naturalis, & datæ legis reus eſt, *& græci*. i. gentilis,qui de naturali lege ſolum arguitur, in animam operantis malum.Iudæi indifferẽter & græci erit *tribulatio*.i. damnatio *& anguſtia*. Hoc eſt illud quod dixit indignatio; qa determinat de malo quod fieret, & poſt iudiciũ & antè:De bono verò non ante, ſed poſt iudicium dicit, quid illi futurum ſit interim dũ veniatur ad iudicium. Operanti malum erit tribulatio. Omni verò operanti bonum: *Iudæo* ſecundum tempus *primum* benè operanti. In Iudæa .n.principium habuit Eccleſia Chriſti: *& græco*.i.gentili poſterius tẽpore *operanti bonum:* erit *gloria*.i.illa claritas *& honor*: quia inter honorabiles erit:*& pax*.i.in gloria & honore diuturna tranquillitas. Verè Iudæo & Gentili indifferenter dabitur gloria, ſi ſolummodo benè operati ſint. Nam *apud Deum non eſt acceptio perſonarum*, vt Iudæum malè agentẽ ſaluet,quia habuit legem; gentilem benè meritum reprobet, quia non fuit de carne Abrahæ: cuius fidem melius eſt imitari, quam ab eo lineam generis trahere: cùm multi de Abrahami carne, in gentes tranſierint. Multi verò de gentibus fidem Abrahæ imitando,ſe dignos promiſſionibus Abrahæ fecerint:& in Iudæos reputati ſint vt Proſeliti. Probat Deum nõ accipere perſonã Iudæi ſeu Gentilis:quia vtrunq; iudicabit:& modũ iudicij futuri in vtrunq; exponit, dicens. Verè apud Deũ nõ eſt acceptio perſonarum:quia iudicat oẽs, & eos qui ſine lege, & eos qui in lege ſunt. *Quicunque.n.peccauerunt ſine lege*. i. non habentes legem ſcriptã:ipſi *peribunt ſine lege*,i.damnabuntur.non de præuaricatione ſcriptæ legis,ſed tantum naturalis. Hoc de gentilibus dictum eſt,& *quicunq; peccauerunt in lege*,i. habentes legem ſcriptã vt Iudæi, ipſi *iudicabuntur per legem*. i. de præuaricatione datæ legis adiuncta peccatis eorum damnabũtur. Opponeret Iudæus, licet tranſgreſſus in lege

Eccl.ſia Chriſti principium habuit in Iudæa.

fuerit,ſe tamen non dãnari, ſed parcendum ſibi à Deo. Contra hoc Paulus. Verè habentes legem de peccato iudicabũtur:quoniã *apud Deũ nõ* ſunt iuſti:& ſi apud homines reuereantur *auditores legis*.i.qui ſolummodò legẽ audierunt, nec eam operati ſunt vt Iudæi, *ſed factores legis*: ſiue eam audierint: ſiue eã ſolummodo operati ſint:illi *iuſtificabuntur*:ſeu fuerint gẽtiles,ſeu Iudæi: ſolummodo opus legis compleuerunt. Hic verſus qui ſequitur,ſolũmodo de gentilibus agit: probans eos ſaluari per legem naturalem,facientes eadem quę ſunt ſcriptæ legis,& damnari ſi non fecerint. De vtroq; agit hic verſus,& de ſalute gentilium propter opus legis, & de damnatione eorundem, ſi non operati ſint legẽ, ac ſi opponeretur Paulo:Dicis ꝙ quicũq; factores legis fuerint ſaluabuntur,ſed gentiles ſaluari non debent,quia etiã ſi opus legis faciunt,indifferenter hoc faciunt,non ducti *ratione,ſed *caſu,vt illi qui de nullis per ſcripturas inſtructi ſint. Contra hoc Paulus. Verè gentiles ſi fuerint factores legis iuſtificabũtur, & econtrariò ſi malum operati ſint, ira & indignatione damnabuntur:ex merito debẽt ſaluari pro bono,& puniri pro malo. *Quia ipſi ſibi ſunt lex*,i. naturalem legem in ſeipſis habent: ipſi dico non habẽtes legem eiuſmodi.i. ſcriptam ſicut Iudæi, & verè *ipſi ſibi ſunt lex*: cùm hoc ſit *quod gentes quæ legem* ſcriptam *non habent*.i.gentiles *faciunt ea quæ ſunt legis* ſcriptæ, id eſt, quæ ſcripta lex præcipit: *naturaliter*.i. naturalem legem ſequentes. Nec indifferenter ea quæ legis ſunt faciunt,quia *qui oſtendunt* per operationem *ſcriptum* eſſe *in cordibus ſuis opus legis:* deſerendo mala, adhærendo bonis. Hoc enim eſt opus legis,declinare à malo & facere bonũ: quod ſi per legem naturalem nõ creditis gentiles ſaluari,nihil hoc ſalutẽ eorũ impedit: quia *in die cũ iudicabit Deus:* apparebit opus legis ſcriptum fuiſſe in cordibus eorum. Tunc in illo die conſcientia ipſorum quę tunc omnibus palam fiet (ibi.n.ſingulorũ

**nomine*
**cauſa.*

Opus legis quid ſit.

ope-

opera omnibus palam erunt) reddēte illis teſtimoniū de bonis ſeu malis quæ fecerunt. Multos enim teſtes tūc habebunt, cùm conſcientia eorū nemini occultabitur, & ſicut de operibus, ſic *conſcientia* eorum *reddente illis teſtimonium* cogitationū, quia ſicut opera, ſic iuſtificabūtur etiam cogitata. Cogitationum dico accuſantium eos ſi malæ ſint : aut etiā defendentium eos ſi bonæ ſint:& hoc inter ſe, quia quæ mala fuerint, accuſabunt bona & inuicem:quia econtrariò bona impugnabunt mala. Hæc pugna fiet in illis, quorum bona vel mala incerta ſunt : ſed in quibus bona ſine admixtione malorum certa ſunt, vt in ſanctis, & in quibus mala ſine refrigerio bonorū certa ſunt, vt in valde malis, in his nō erit accuſationis huius, vel defenſiōis colluctatio, ſed certa ſalus, valdè bonis: indubitata damnatio valde malis:hoc autem teſtimoniū operū & cogitationum reddet illis ſua conſcientia in die illo *cum iudicabit Deus occulta omnium hominum*. i. incerta eorum vel bona vel mala. Iudicabit vtiq; *per Ieſum Chriſtū*:qui conſtitutus eſt iudex omnium *ſecundū Euangelium meum*, .i. ſecundū ꝙ ego annūcio, quia Deus per Chriſtū iudicabit omnia. Probauit gentilē poſſe ſaluari naturaliter, facientem opus ſcriptæ legis. Nunc autē probare incipit , nihil prodeſſe Iudæo, ꝙ Iudæus dictus eſt qui legē & circuncīſionē habuit, niſi opus legis & circuncīſionis impleuerit, dicens: gentilis legem naturalem habuit : tu aūt Iudeæ, & naturalem & ſcriptā legem habuiſti. Conſiderandum eſt ꝙ de Iudæo & gentibus ſecundū priorē ſtatum agat Apoſtolus. *Tu* inquam *cognominaris Iudæus*.i. hoc dignitatis cognomen habes, quod Iudæus diceris. Ante Iudam Machabæum illi ſolum de tribu Iuda Iudæi vocabantur, Iſrael autem oēs dicebantur, ſed à Iuda Machabæo, propter probitatē ei᷒, dicti ſunt omnes Iudæi. Concedo ait Paulus te cognominari Iudæū , quia tu *requieſcis in lege*. Aliæ enim gentes erroneæ ſunt : non habentes do-

Iudæi unde dicuntur.

A cumenta vitæ : ſed tu quietem habes in ſcientia legis, *& gloriaris in Deo*, q̄a in Iſrael tantum dicitur notus Deus. Aliæ gentes quaſi ſine Deo ſunt, vnde te iactando gloriaris. *Noſti & voluntatem eius*.ſ.Dei, quid fieri ſcilicet velit, quid non. *Et* tu inſtructus *per legem, probas vtiliora*.i. de vtilibus legis vtiliora diſcernere noſti. *Confidis* etiam *teipſum eſſe ducem cæcorum* gentilium : quia ſi qui de gentilibus in Iudaiſmum tranſire voluerint , doces eos obſeruare ſabbatum,& cętera le-

Pſal. 75. b

B gis , cum adhuc neſcientes quid hæc ſignificant cæci ſint. Confidis etiam te eſſe *lumen eorum* , *qui in tenebris ſunt* : cùm enim illi obſeruauerint ſabbatum , adhuc ignorantes myſterium ſabbati, illuminas eos docēdo quid hæc ſignificent:& ad quid valeant , & ſic de tenebris ignorantiæ educis. Confidis etiam te eſſe *eruditorem inſipientiū* Iudæorum:quia ſi qui in lege inſipientes ſint, doces eos eſſe ſapientes. Confidis etiā te eſſe *magiſtrum infantium* : quia ſi quid ſimplices nec fari de lege nouerint , do-

C ces eos diſputare de lege, te etiam *habentem formam ſcientiæ* : quia ſi quis velit conſiderare de lege quanta ſit, ſciat eā tantā eſſe, quanta ſcientia tua in ea eſt: habentem etiam formā *veritatis in lege:* quia & ſcientia legis,& quæcunq; docet vera eſſe noſti. Poſſumus .n. habere ſcientiam Ouidij, nec tamen vera eſſe ſcimus , quæ ibi narrata intelligimus. Ergo quoniam quidem dux es cæcorū , & de doctrina legis illuminans eos: *tu qui alium*

Iudæi qualiter dicatur eſſe dux cæcorum.

D *doces, quare non doces teipſum?* Sic cum debes per legem proficere , reijciendo opus legis, amplius reus eſſe conuinceris. Tu etiam *quæ prædicas non furandum*, quare *furaris*? Furabantur inter ſe Iudæi res ſuas plerunque: ꝙ autē deterius eſt, furabantur ſanū intellectū de lege. Tu etiā *qui dicis non eſſe mœchandū*, quare *mœcharis?* Mœchabantur ad literā, mœchabantur etiā adulterinum intellectum ponētes in lege, poſtquā ſanū ſenſum legis furati fuerant. Tu etiam *qui abominaris idola*. i. qui gentiles colētes idola,

Iudæi dicuntur mœchari dupliciter.

nec homines vocandos eſſe iudicas, quare *ſacrilegium facis*.i.tu ipſe quare colis idola? Plerunque enim Iudæi ad culturam idolorum lapſi ſunt, faciebant ſacrilegiũ;denegantes Chriſto cultum ſuum. Sacrilegium.n. eſt creaturam,quod naturaliter creatori debet,negare:cultũ.ſ. Deo. Tu etiã *qui gloriaris in lege*. i. qui iactas te ſolum legem habuiſſe,quare *inhonoras Deum per præuaricationem legis?* Præuaricari eſt in lege non facere quę facienda præcipit, & facere quæ fieri interdicit. Iudæi autem deſerendo legem,faciendo contraria legi, Deum inhonorabant, quantum ad opinionem hominum,nihil tamen gloriæ eius detrahentes. Verè Deum inquantum vobis eſt inhonoratis,*quia nomen Dei blaſphematur per vos inter gentes*.Cũ.n.gentes videant vos contraria legi facere, iuſtitiam Dei prophanare, cibis gentilium cõmunicare,& ſimilia; dicunt & putant Deum ſic vos inſtituiſſe, nec ſatis prouidè tales cultui ſuo delegiſſe. Hoc Ezechiel dixit:licet alijs verbis,de Iudęis inter gentes diſperſis, tranſeuntibus ad idolatriam. Vnde Paulus ſic ait. Hoc quod dico Deum blaſphemari per vos, inter gentes dico *ſicut ſcriptum eſt*. Scriptura enim in hac re teſtimonium perhibet, & quia præuaricatus es in lege, ideo *circunciſio tua præputium facta eſt*. i. non plus valet te eſſe circunciſum, quam gentilem præputiatum. Sicut ſuperius aſſeruit, nihil prodeſſe quod Iudæus vocaretur, quodque legem haberet;ita probat hic nihil valere circũſionem illi, qui circunciſionis myſteriũ non impleuerit. Illa enim abſciſſio carnis, ſignificat carnalem generationem, quæ in peccatis eſt, debere abſcindi, & ſpiritualem generationem exinde eſſe tenendam. Diceret Iudæus: Si circunciſio ſit præputium, pro nihilo data eſt, cùm non proſit. Contra hoc Paulus. *Circunciſio quidem prodeſt: ſi obſerues legem* circunciſionis, id eſt,ſi quomodo circunciſio ſignat, omnia vitia à te circuncidas;prodeſt quidem obſeruata lege, ſed ſi ſis præ-

[Sa]crilegiũ [qu]id.

[Pr]æuarica[ri] in lege [qu]id.

A uaricator legis circunciſionis: non abſcindendo vitia cordis: circunciſio tua ſic facta eſt præputium, id eſt, non eſt vtilior tibi quam præputium gentili. Circunciſio dicitur ipſa munditia carnis. Præputium, id eſt, caro quæ amputabatur, dicitur ipſa immunditia: quia caro ipſa reclinatorium ſit libidinis. Et quia circunciſio lege circunciſionis non obſeruata fit præputium, igitur præputium ſi iuſtitias legis circunciſionis cuſtodiat, fiet circunciſio. Sed ne aliquis audeat contradicere, ponit

Circunciſio quid ſignificat, quidue præputium.

B ſub interrogatione dicens. *Si præputium*, id eſt, gentilis quem tu ipſam immunditiam iudicas: te autem circunciſionem,id eſt,ipſam munditiã, ſi inquam præputium *cuſtodiat iuſtitias legis* circunciſionis, quod vitia cordis abſcindat, etiam carne non amputata: *nonne præputium illius* cuſtodientis legem circunciſionis *reputabitur in circunciſionem*, id eſt, nonne ſic proderit illi quemadmodum circunciſo lex cuſtodita circunciſionis? & nonne præputium *quod* eſt *cõſummans*, id eſt, implens *legem* circũ-

C ciſionis,*& hoc ex natura*,id eſt,per naturalem legem *iudicabit*, id eſt, damnabit *te* comparatione ſui: te dico *qui es præuaricator legis* ſeruatæ *per literam:* quia literalem cuſtodiam eligis, & ſpiritualem reijcis,præuaricator etiam es per *circunciſionem* in carne habitam, & in corde non obſeruatam? Verè circunciſio fit præputium. Nam *qui in manifeſto*, id eſt, ſolo nomine Iudæus eſt, hic non eſt credendus eſſe Iudæus:neque circun-

D ciſio quæ eſt in manifeſto, & ita *quod in carne tantum*,& non in corde:hæc non eſt dicenda circunciſio. Probat iterum quod præputium (ſicut dictũ eſt) fiet circunciſio, dicens. Iudæus in manifeſto non eſt Iudæus: *ſed* ille *qui in abſcondito*,id eſt, in operum exhibitione *Iudæus eſt*, & ſi non vocetur hoc nomine, *& circunciſio cordis facta in ſpiritu*. i. ſpiritualiter impleta, *non* in *litera*,id eſt,non literaliter, vt carnalis.Hæc vtique ſpiritualis eſt & vera circunciſio. *Laus cuius*,id eſt,

quæ

quæ laudabilis circunciſio *non eſt ex*
hominibus, ſed eſt ex Deo. Deus enim
ſolus iuſtitiam cordis dare poteſt;
homines verò amputare carnem, &
nihil aliud poſſunt.

CAP. III.

QVID *ergo amplius Iu-*
dæo eſt? aut quæ vti-
litas circunciſionis?
Multũ per omnẽ mo-
dum. Primum quidẽ,
quia credita ſunt illis eloquia Dei. Quid
enim ſi quidam illorũ non crediderunt?
Nunquid incredulitas illorum fidem
Dei euacuauit? Abſit. Eſt autem Deus
verax, omnis autem homo mendax, ſic-
ut ſcriptum eſt, vt iuſtificeris in ſermo-
nibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Si
autem iniquitas noſtra iuſtitiam Dei
commendat, quid dicemus? Nunquid
iniquus eſt Deus qui infert iram? Secũ-
dùm hominem dico. Abſit. Alioquin quo-
modo iudicabit Deus hunc mundum? Si
enim veritas Dei in meo mendacio abũ-
dauit in gloriam ipſius, quid adhuc &
ego tãquam peccator iudicor? & non ſic-
ut blaſphemamur, & ſicut aiũt quidam
nos dicere, faciamus mala vt veniant
bona, quorum damnatio iuſta eſt. Quid
ergo? Præcellimus eos? Nequaquã. Cau-
ſati enim ſumus Iudæos & Græcos om-
nes ſub peccato eſſe, ſicut ſcriptum eſt.
Quia non eſt iuſtus quiſquam, non eſt
intelligens, non eſt requirens Deum.
Omnes declinauerunt, ſimul inutiles fa-
cti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non
eſt vſque ad vnum. Sepulchrum patens
eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè a-
gebant, venenum aſpidum ſub labijs eo-
rum. Quorum os maledictione & ama-
ritudine plenum eſt, veloces pedes eo-
rum ad effundendum ſanguinem. Con-
tritio & infelicitas in vijs eorum; &
viam pacis non cognouerunt, non eſt ti-
mor Dei ante oculos eorum. Scimus au-
tem quoniam quæcunque lex loquitur,
his qui in lege ſunt, loquitur: vt omne
os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis
mundus Deo: quia ex operibus legis non
iuſtificabitur omnis caro coram illo. Per
legem enim cognitio peccati. Nunc au-
A *tem iuſtitia Dei ſine lege manifeſta eſt,*
teſtificata à lege & prophetis. Iuſtitia
autem Dei per fidem Ieſu Chriſti, in om-
nes & ſuper omnes qui credunt in eum.
Non enim eſt diſtinctio. Omnes enim
peccauerunt, & egent gratia Dei; iuſti-
ficati gratis per gratiam ipſius; per rè-
demptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu:
quem propoſuit Deus propitiatorem per
fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem
iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præce-
dentium delictorum in ſuſtentatione
B *Dei, ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc*
tempore, vt ſit ipſe iuſtus & iuſtificans
eum, qui ex fide eſt Ieſu Chriſti. Vbi eſt
ergo gloriatio tua? Excluſa eſt. Per quã
legem? Factorum? Non. Sed per legem
fidei. Arbitramur enim iuſtificari ho-
minem per fidem ſine operibus legis. An
Iudæorum Deus tantum? Nonne &
gentium? Immò & gentium. Quoniam
quidem vnus eſt Deus qui iuſtificat cir-
cunſionem ex fide, & præputium per fi-
dem. Legem ergo deſtruimus per fidem?
Abſit. Sed legem ſtatuimus.

QVIA probauit ſuperius præpu-
C tium fieri circunciſionem, &
econuerſò circunciſionem fieri præ-
putium, opponeret per hoc Iudæus,
nihilò plus ſub veteris teſtamenti
ſtatu collatum eſſe ſibi, quam genti-
li. Ad hoc refellendum ait Paulus
inſerendo obiectionem Iudæi, quia
dixi præputium reputari in circun-
ciſionem, & econuerſò, ergo prò-
pter hoc dicturus eſt mihi: Quid am-
plius collatum eſſe Iudæo in veteri
ſtatu, quam gentili? Aut quæ vtilitas
fuit circunciſionis Iudæo, cùm gen-
tili idem valeret præputium? Pro
D nihilo videretur facta circunciſio,
lex ſuperfluè data, ſi abſq; his potuit
bonum legis & circunciſionis habe-
ri, ſicut oſtenditur in gentili. Habuit
vtique Iudæus in veteri ſtatu multò
amplius collatum ſibi (etiam ſi non
obſeruauit) quam gentilis, quod
enim circunciſus eſt & edoctus de
cæteris in lege, præparationes bo-
næ fuerunt, & quædam inſtru-
ctiones, ad intelligendum fidem
Chriſti. Sed gentilis nullam penitus

A inſtructionem, preter naturalem intellectum habuit. Non tamē *amplius* dico *Iudæo quod* in fide Chriſti dignior habendus ſit *gentili*, ſed vtique magis præparatus eſt ad fidem: quare ſi non conſenſit fidei, magis damnatus quam gentilis. Si verò conſenſit, non tamen gentilem dignitate fidei exceſſit. Quæris quid amplius collatum ſit Iudæo? *Multum* vtique, & *per omnem modum*, & ſecundum animam, & ſecundum corpus, & in vnoquoq;: & in corpore, & in anima multa bona facta ſunt Iudæo, quorū nihil gētilis habuit. In corpore quia B liberauit eos ab inimicis, & dedit eis terram repromiſſionis & cæt. In anima, quia inſtruxit eos per legem, & habuerunt cognitionem Dei &c. Et multa ſimilia contulit eis, & in corpore & in anima. De quibus ait Paulus. Multa quidem reponere poſſem ad comprobādum amplius eſſe collatum Iudæo quam gentili: ſed *primum* .i. quia hoc præcipuum eſt ad probandum quod intendo ponam iſtud, ideò amplius collatum eſſe Iudæo, *quia credita* .i. propoſita ſunt illis ad inſtructionem eorum *eloquia* C *Dei*. Præcepta quæ Deus dedit in lege & prophetis. Contra hoc Iudæus iterum. Per data eloquia amplius non fuit Iudæo quam gentili, quia non credidit eloquijs Dei. Verè ait Paulus amplius per credita eloquia fuit Iudæo: *quia ſi quidam illorum* Iudæorum *non crediderunt* eloquijs Dei, & ideò reprobati ſunt: quid impedit ad hoc vt non ſit amplius collatum Iudæo quam gentili? Nihil vtique impedit: quia quantum in Deo fuit, præparauit eos ad fidem, licet incre- D duli permanſiſſent. Verè ſi quidam illorum non crediderunt, nihil impedit: quia Deus quod promiſerat, propter incredulitatem eorum implere non dimiſit. *Nunquid* enim *incredulitas eorum* quorundam *euacuauit fidem* .i. impletionem promiſſorum Dei? Nihil vtique eorum quæ promiſit Deus inexpletum dimiſit, & ideò nihil amplius impedit habuiſſe Iudæum. licet quidam in incredulitate damnati ſint. Quæro an propter incredulos euacuata ſit fides Dei? Sed *abſit* hoc, vt fides Dei aliquo modo poſſit vel credatur euacuari: quia licet quidam illorum nō crediderint, tamen *Deus eſt verax* .i. impletor omniū quæ promiſit. Deus vtique verax eſt, ſed *omnis homo* quicunque ſit, ſeu Iudæus ſeu gentilis, *mendax eſt* .i peccator. Deus enim ad ſaluandum veniens, omnem hominem ſub peccato reperit, & ſecūdum merita ſalute indignum. Vnde palam eſt fidem & ſaluationem Dei Iudæis & gentilibus æquè prouenire ex gratia. Mendacium dicitur omne peccatum: quia omnis creatura quæ naturaliter obſequi debet creatori ſuo, cùm tranſgreditur mandatum Dei, mēdoſam facit naturam ſuam, deſerens puritatem, in qua creata eſt. Quia Deus ſit verax aſſero etiam per ſcripturæ teſtimonium. Hoc enim dico *ſicut ſcriptum eſt* de veritate Dei in pſalmo. Deus proculdubio verax eſt. Ait enim Dauid. *Iuſtificeris in ſermonibus tuis*, id eſt, iuſtificando me verus appareas in promiſſionibus tuis. Illud vt ad continuationem pſalmi legitur, in quo agebat Dauid multorum criminum reus, vt de proditione militis, de morte proximi, de illicita concupiſcentia & adulterio agebat, vt horum omnium conſequeretur veniam, de qua certus erat per repromiſſionem ſibi de Chriſto factam, quæ ad eos ſolum facta eſt qui per Chriſtum ſaluandi erant, vnde confidit ſe emaculandū ab hoc crimine, alioquin enim indignus eſſet futura ſaluatione. Præterea notandum eſt, quod cùm Dauid nullum prætendens meritum, ex ſola gratia confidat ſe ſaluandum, ſeque in peccatis confiteatur, quo nemo ſanctior vixit in lege, neminem ex merito poſſe ſaluari, ſed per ſolam gratiam. Iuſtificeris vtique in ſermonibus tuis, *& vincas* impios, *cùm iudicaris* ab illis non eſſe filius Dei, cùm vincas eos de hoc iuſtificando homines ſicut promiſiſti.

Mendaciū omne peccatum dicitur.

Pſalm. 50. 6.

Vel vincas cùm iudicaris .i. partici- paris alicui, vt mihi. Aiunt enim me non ſaluandum propter peccatum, licet mihi repromiſſus ſis. Hic quiddam ingreditur Paulus, quod ab incepto alienum videtur: imponebatur enim ipſi & alijs Apoſtolis, quod docerent bonum eſſe peccare, quia quantò plura eſſent peccata hominum, tantò glorioſior apparet Deus, dimittens omnia quotquot eſſent, accipientes inde occaſionem: quia *vbi abundauit delictum, ſuperabundauit ibi gratia:* & ſimilia. Quod hic deſtruere ingreditur Paulus, & ſatis benè ad rem. Hic enim probabit omnem ſalutem eſſe ex gratia Dei, & nihil ex merito hominis, dicens: Quia omnis homo mendax reus inuentus eſt: Deus autem omnem reum iuſtificans ex gratia in promiſſis verax eſt. Per hoc apparet quod *iniquitas noſtra commendat* iuſtitiam Dei, id eſt, commendabilem facit Deum, per ſolam gratiam iuſtificantem homines à peccatis: & hoc vtique verum eſt: quia quantò gratia eius copioſior eſt in remiſſionem peccatorum, tantò proculdubio commendabilior eſt Deus. Sed licet quæcunque peccata ſint dimittat, non tamen inde cauſam peccandi dat. Iniquitas noſtra commendat Deum, ſed ſi hoc eſt, quod ex iniquitate noſtra commendabilior ſit Deus, *quid ad hæc dicemus?* Mirabile quid videtur inde conſequi, Ideò quid dicemus, quia *nunquid Deus iniquus eſt, quia infert iram* .i. vltionem propter peccatum, quod commendabiliorem facit Deum? Aequitati videtur hoc eſſe contrarium. Hoc quod dico non ſatis eſſe æquum, quia punit peccatum quod commendat eum, quod totum *dico ſecundum hominem* .i. ſecundum carnaliter intelligentem: Sed ex me hoc dico, *abſit* hoc vt Deus iniquus ſit, quia peccatum punit. Et hoc probat ab impoſſibili dicens. Verè Deus nō eſt iniquus inferens iram: quia *alioquin* .i. ſi *Deus* iniquus eſſet, *quomodo iudicabit hunc mundum?* Non eſt cre-

A dendum vt ille qui conſtitutus eſt iudex totius mundi, iniquus ſit: & hoc impoſſibile. Verè ſi iniquus eſt Deus, mundum non iudicabit, quia nec me ſolum. Me autem ideò non iudicabit de peccato, quia ſic gloriam eius augeo. *Si enim in meo mendacio* .i. propter meum peccatum *abundauit veritas Dei* .i. abundantius oſtenditur Deus ex veritate promiſſionis ſuæ, dimiſiſſe peccata. Abundauit dico *in gloria ipſius* Dei: quia quantò plura dimiſit, tantò glorioſior de miſericordia cognoſcitur. Si

B vtiq; peccatum meum cauſa eſt gloriæ eius, *quid adhuc* .i. quare etiam in hoc mundo *& ego* (vt alios omittam) *iudicor* .i. condemnor *tanquam peccator?* Deberem de peccato hoc argui, in quo augeo gloriam Dei? Cur etiam non facimus mala, vt bona miſericordiæ Dei per hoc veniāt in augmentum, *ſicut* nos *blaſphemamur* à quibuſdam credere. *Sicut* etiam *nos aiunt* illi quidem non ſolum credere, ſed etiam *dicere*, & prædicare hoc alijs, *faciamus mala* .i. cer

C tatim peccemus, *vt veniant bona*.i. vt Deus habeat quod multipliciter remittat. *Damnatio quorum* ita nos blaſphemantium *iuſta eſt*, id eſt, iuſtè damnandi ſunt pro hac blaſphemia. Quia ſi pro peccato blaſphemiæ iudico hos debere damnari, conſtat quod non prædico quod peccare bonum ſit. Hi autem qui ſic ſentiebant de miſericordia, in miſericordia eſſe gratiam Dei prędicabant. Quia ſuperius probatum eſt, omnem hominē eſſe mendacem, & Iudæum & gentilem. Igitur ô Iudæe dic mihi, *quid* .i.

D quę cauſa eſt quare prę̨cellere debeamus eos .ſ. gentiles in ſaluationem? *Nequaquā* vtiq; *præcellimus eos.* Verè non præcellimus. *Cauſati enim ſumus* .i. conuenientibus cauſis & rationibus comprobauimus *Iudæos & gentiles omnes* (neminem excipio) *eſſe* non ſolum in peccato, ſed ita *ſub peccato* depreſſos, quod nemo per ſe poſſet reſurgere, ſine gratia adiutrice. Probat de Iudæis, quod omnes ſub peccato ſint, dicens: In eò quod dico oēs

Iudæos

Iudæos ſub peccato eſſe, ſcriptura A mihi teſtimonium perhibet. Hoc enim aſſero *ſicut ſcriptum eſt* in pſalmo: *quia non eſt iuſtus quiſquam.* Illud quia in ordine pſalmi legitur, non eſt vtique quiſquam iuſtus, id eſt, deſerens malum, & faciens bonum. Et hoc ideò, quia *non eſt* quiſquam *intelligens.* Ideò autem non intelligunt, quia *non eſt* quiſquam *requirens Deum.* Quia ſi Deum requirerent, vtique intelligerent, & intelligentes ſectarentur iuſtitiam. Nemo in Iudæis iuſtus eſt, ſed omnes declinauerunt malè operando in ſeipſis. B Quod nec ſufficiens fuit illis, ſed etiam *facti ſunt inutiles* .i. deprauationi aliorum intendentes: qui adeò declinauerunt quod *non eſt* inter eos *qui faciat bonum.* Nec dico vt pluribus à bono excluſis, aliqui in bono remaneant: ſed non eſt inter eos faciens bonum, eundo *vſque ad vnum:* quia nec vnus faciens bonum inter eos relinquitur. Vel non eſt faciens bonum, donec veniatur ad vnum, id eſt, ad Chriſtum per fidem. Qui enim fide ad Chriſtum venerit, hic vtique bonum facit. Non eſt in eis qui bonum faciat, ſed *guttur eorum eſt patens ſepulchrum:* Quod receptis cadaueribus fœtet, & adhuc ad recipienda cadauera patet. Sic illi & de prioribus peccatis fœtent, & adhuc ad patranda ſcelera inhiant: & (quod apertè facere non poſſunt) agebant *linguis ſuis doloſè,* aliud cogitando, & aliud ſimulando, *& ſub labijs eorum,* id eſt, in corde quod eſt ſub labijs, eſt *venenum aſpidum inſanabile:* quia nemo quamdiu conſenſerit illis poterit ſanari. *Os quorum* Iudæorum *plenum eſt maledictione.* Maledicebant enim Chriſto, dicentes eum filium fabri, & ſimilia. Plenum eſt etiam os eorum *amaritudine.* Amara verba dicebant inclamantes: Crucifige, crucifige eum. Et *pedes,* id eſt, affectiones *eorum* Iudæorum ſunt *veloces ad effundendum ſanguinem.* Prius enim voluntate effuderunt ſanguinem Chriſti, quam actu. Et quia adeò iniqui ſunt: ideò *in vijs,* id eſt,

[Left margin notes: (P)ſalm.13. — Idem. — (Pſa)l.13.139. (De)ut.32. — (P)ſalm.9. — (M)arc.10 & (L)uc.23. — (Iu)dæi per (or)bem di(sp)erſi.]

operibus *eorum eſt contritio,* id eſt, miſera per orbem eorum diſperſio, facta per Romanos. Eſt etiam in operibus eorum *infelicitas,* id eſt, animarum damnatio, quæ ſola infelicitas dicenda eſt. Et hoc totum fuit eis ideò, quia cognoſcere *noluerunt viam pacis,* id eſt, Chriſtum per quem itur ad veram pacem. Et ſicut non cognouerunt eum dilectione, ſic nec etiam timore. *Non eſt* enim *timor Dei ante oculos eorum:* quia etiam ſi in natura timorem Dei haberent, & Deum timendum eſſe benè reminiſcerentur; tamen timorem Dei tunc non habuerunt ante, ſed poſt oculos, quia contempſerunt. Diceret fortaſſis Iudæus, hæc dicta eſſe de gentili. Contra quod Paulus. Tu Iudæus fortaſſis arbitraris hæc non eſſe dicta de te: ſed ego & quicunque ſancti *ſcimus,* authoritati quorum non eſt obnitendum. Scimus vtique *quoniam quæcunque loquitur lex,* id eſt, pſalmus iſte, proculdubio *loquitur his qui ſunt in lege* .i. Iudæis, hoc nos ſcire dicimus, *vt* per hoc dictum, *obſtruatur omne os.* Iudæo enim C conuicto non eſt qui repugnet, cùm gentilem ſub peccato non dubium ſit vlli. Et ſic conuictis omnibus *ſubditus fiat omnis mundus:* tam in Iudæis quam in Gentilibus *Deo* .i. confiteantur omnes per ſolam gratiam Dei ſe ſaluari. Et iuſtum eſt vt omnis mundus ſubditus ſit Deo, & nemo legi: *quoniam non iuſtificabitur aliquis ex operibus legis coram Deo,* etſi in oculis hominum iuſtus videatur. Sed omnis qui eſt in lege permanet ibi caro, id eſt, carnalis. Verè nemo iuD ſtificabitur ex operibus legis. *Nam per legem* habetur *cognitio peccati,* & nõ iuſtificatio à peccatis. Quia ſi aliqui vt Moyſes & Dauid ſub lege iuſtificati ſunt, non hoc habuerunt ex lege, ſed per fidem Chriſti, quem redemptorem credebant & expectabant. Sic omnes iuſti ſub veteri lege non per legem, ſed per Chriſtum iuſtificati ſunt, quem credentes expectabant venturum. ¶ Nota in prima conditione hominis, homo ſuper-

Homo ſuperbiendo cecidit.

biendo

biendo cecidit, quem Deus diu expectauit, vt ſi poſſet per naturalem intellectum reſurgeret: ad quod poſtquam homo ſe inefficacem comperit, dixit: quia ſi legem haberet, per quam mala à bonis, & ecõuerſo bona à malis diſcerneret, ſic tandem reſurgere poſſet. Deus autem vt hominem vbiq; per ſe impotentem oſtenderet, dedit legem qua bona à malis diſcernere poſſet, nec tamen ſic liberari potuit. Deus vtique ſic futurum de homine benè cognouerat, ſed pro voto hominis & naturalem intellectum dimiſit, & poſtea legem indulſit, vt per hæc conceſſa non liberatus, crederet ſe nihil eſſe per ſe: & ſic ad gratiam Dei confugeret, quam Deus poſt naturalem intellectum, poſt legem, quæ ad iuſtificationem non ſufficiebant conuenienter indulſit: poſtquam iam nec putari poterat aliud genus ſaluationis. Et quia per legem ſola cognitio peccati, igitur *nunc* tandem hoc oſtenſo, *manifeſta iuſtitia eſt Dei ſine lege* .i. apertum eſt Deum iuſtificare credentes, per ſolam gratiam ſine omni lege. Illud autem illatiuum eſt: quæ iuſtitia Dei *teſtificata* eſt, per gratiam fieri *à lege* Moyſi, *&* à cæteris *prophetis*. Probato quod iuſtitia Dei fiat ſine lege, ſubiungit per quæ fiat. Per fidem, ſcilicet, & per effuſionem ſanguinis Chriſti dicens. Iuſtitia Dei non fit per legem: ſed fit *per fidem Ieſu Chriſti in omnes illos qui credunt.* Quicunque enim in Chriſtum credit, iuſtificabitur à peccatis: *&* etiam *ſuper omnes*: quia iuſtificatus nunquam tantum mereri poteſt, quin gratia Dei meritum eius retribuendo ſuperet. Verè omnes iuſtificantur per fidem. *Nam non eſt diſtinctio,* vt hic iuſtificetur per meritum: hic per gratiam, propterea non eſt diſtinctio, quia *omnes tam* Iudæi quam gentiles *peccauerunt*: vt ſupra oſtenſum eſt: *&* ideò *omnes egent gloria Dei*.i. iuſtificari per Deum: in qua re glorioſus apparet Deus. Egebant vtique gloria Dei, quia *iuſtificati* ſunt *gratis* ſine meritò eorum: *per gratiam*

A *ipſius* .i. per effuſionem ſancti Spiritus, cuius gratia data eſt *per* præcedentem *redemptionem*, *quæ eſt in Chriſto Ieſu* .i. per datum precium ſanguinis Chriſti: *quem* Ieſum *Deus* pater *propoſuit*.i. in propatulo hominem factum mundo expoſuit *propitiatorem*. In Chriſto enim Deus propitiatus eſt mundo *per fidem*.i. his qui ſanam fidem de Chriſto habent. Propitiatorem etiam *in ſanguine ipſius* Chriſti: quia nec fides ſine effu-

B ſione ſanguinis, nec ſanguis ſine fide ad ſalutem proficeret. Deus vtique ſic propoſuit Chriſtum *ad oſtenſionem iuſtitiæ*, id eſt, vt oſtenderet ſe iuſtum & veracem, *propter remiſſionem delictorum præcedentium*, id eſt, vt remitteret delicta Abrahæ & iuſtorum, præcedentia *in ſuſtentatione Dei*. Deus enim delicta eorum cùm fierent patienter ſuſtinuit, donec in tempore gratiæ purgaret illos ab eis. Propoſuit etiam Deus Chriſtum propitiatorem *ad oſtenſionem iuſtitiæ*, id eſt, iuſtificationis *eius*, ſcilicet, vt in hoc tempore gratiæ omnibus

C ſatis oſtenſum eſſet: cùm neque naturalis intellectus *ij*, neque lex data à vinculo peccati liberaret, quod ſolus Deus iuſtificare poſſet. Hoc, inquam, oſtenderetur: *vt ſit* Deus *ipſe iuſtus*, id eſt, verax in completione promiſſorum. *Et* vt ſit *iuſtificans* omnem *eum* à peccatis *qui eſt ex fide Ieſu Chriſti*. Quandoquidem (vt ſupra probatum eſt) omnis iuſtitia per fidem eſt, & in omnes. Non enim diſtinguitur Iudæus à gentili, cum omnes æquè peccauerint: ergo ô Iudæe, *vbi eſt tua gloriatio?* Non tibi relin-

D quitur vnde iam glorieris in lege, cùm per legem nulla ſit iuſtificatio, ſed omnis per fidem. Propterea *excluſa* .i. ablata *eſt* tua gloriatio, qua per legem te præferebas gentili. Sed *per quam legem* excluſa eſt glorificatio tuæ legis? An per ſimilem legem *factorum* ablata eſt? Lex vetus erat lex factorum: quia ſimiliter neceſſe erat in ea operari immolando, cæteros ritus carnales obſeruando, velut in agro aut

Lex vetus, cur lex factorũ dicta.

vinea. Quia ſi Deus huic legi factorum aliam ſimilem legem ſuperinduceret, videretur incongruum & indifferens, vt per facta, facta repelleret. Ideò ait *non* per legem factorum excluſa eſt gloria tua: *ſed per legem fidei* .i. per fidem iuſtificantem, cuius fidei lex eſt Euangelium. Verè per fidem excluditur gloriatio tua: nam fides ſola iuſtificat, ſine omni opere legis. Et huic loco inſerit authoritatem dicens: Ego & iuſti mecum *arbitràmur iuſtificari hominem per* ſolam *fidem ſine operibus legis* .i. licet nulla præceſſerint opera legis, ſola tamen fides ſufficit ad hominis iuſtificationem. Diceret Iudæus; concedo per fidem iuſtificari, ſed ſolos Iudæos. Contra hoc Paulus. Non eſt credendum quod Deus Iudæos ſolos per fidem iuſtificet. *An* enim *Deus* creator eſt *tantùm Iudæorum? Nonne* ſicut Iudæorum ita *& gentium* creator eſt? Non ſolum Iudæorum, immò etiam gentium Deus eſt. Quia ſi æquè gentiles creauit vt Iudæos: conſtat Deum vtroſque velle æqualiter ſaluare. Verè qui Deus eſt Iudæorũ, eſt Deus gentium *quoniam quidem vnus eſt Deus omniũ.* Quia ſi vnus tantum eſt Deus, conſtat eundem eſſe Deum gentium quem & Iudæorum. *Quandoquidem vnus* gentium & Iudæorum eſt creator; conſtat quod hic vnus idem *eſt, qui iuſtificauit circumciſionem* .i. Iudæos *ex fide*, & non per legem. *Et qui* iuſtificauit *præputium* .i. gentiles ſimiliter *per fidem.* Hi qui inſidiantur literæ, dicunt quiddam expreſſius notari, per hoc quod ait ex fide; quàm vbi ait per fidem. Vult enim deſignare dicens ex fide, quod nec etiam aliquod initium iuſtificationis habuerint Iudæi niſi ex fide. De gẽtibus verò quia nulla erat dubietas, non ſic expreſſit. Sed Aug. dicit æquipollere ex fide, & per fidẽ, cùm alibi dicat Apoſtolus, Iudæos per fidem, gentiles ex fide iuſtificari. Et quia dicimus per fidem ſolam iuſtificari, ſine operibus legis. *Ergo* .i. an propter hoc *deſtruimus legem per fidem* inductam? *Abſit* hoc vt fides legem deſtruat: nos vtiq; non deſtruimus, *ſed* potius *ſtatuimus* .i. ſtabilem & valentem comprobamus fuiſſe *legem.* Niſi enim fides ſequeretur quæ iuſtificaret, pro certo lex vetus irrita eſſet: quia neque res, neq; figura fieret. Sed modo valens eſſe probatur, per hoc quod figurauit gratiam, quæ ſic iuſtificaret per fidem. Vult etiam comprobare per exemplum Abrahæ, quod lex iuſtificare non poſſit, & ad hoc fides ſola ſufficiat, qui priuſquam legem circunciſionis haberet, per fidẽ ſolam iuſtificatus eſt, dicens.

In libro de ſpiritu & litera.

A B

CAP. IIII.

QVID *ergo dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem? Si enim Abraham ex operibus legis iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. Quid enim ſcriptura dicit? Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Ei autem qui operatur merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei: ſicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iuſtitiam ſine operibus. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Beatitudo ergo hæc in circunciſione tantùm manet, an etiam in præputio? Dicimus enim; quia reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam. Quomodo ergò reputata eſt, in circunciſione, an in præputio? Non in circunciſione, ſed in præputio. Et ſignum accepit circunciſionis ſignaculum iuſtitiæ fidei quæ eſt in præputio, vt ſit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iuſtitiam. Et * ſit pater circunciſionis, non his tantum qui ſunt ex circunciſione, ſed & his qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ. Non enim per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini eius, vt hæres eſſet mundi, ſed per iuſtitiam fidei. Si enim qui ex lege*

Gen. 15. 6. Galat. 3. 6. Iacob. 2. 23.

C

Pſal. 31. 1.

D

** Alias vt.*

hæredes

hæredes ſunt, exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio. Lex enim iram operatur. Vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio. Ideò ex fide vt ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini: non ei qui ex lege eſt ſolùm, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrum: ſicut ſcriptum eſt. Gen.17.5. & 18. *Quia patrem multarum gẽtium poſui te ante Deum cui credidiſti: qui viuificat mortuos, & vocat eà quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt: Qui contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret pater multarum gentium ſecundum quod dictum eſt ei:* Gen.15.5. & 22. *Sic erit ſemen tuum, ſicut ſtellæ cœli, & tanquam arena maris. Et non infirmatus eſt in fide, nec cõſiderauit corpus ſuum emortuum: cùm iam ferè centum eſſet annorum, & emortuã vuluam Saræ. In repromiſſione etiam Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus ex fide dans gloriam Deo, pleniſſimè ſciens, quia quæcunq; promiſit Deus, potens eſt & facere, ideò & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Non eſt autem ſcriptum tantum propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad iuſtitiam, ſed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum. Qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum à mortuis. Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.*

QVoniam quidem ex operibus legis nulla iuſtificatio, ſed per fidem tantum. *Ergo quid dicemus? Abraham patrem noſtrum* ſic gentium vt Iudæorum ſecundum fidem inueniſſe *ſecundum carnem* .i. ſecundum carnalis legis obſeruantiam? Vel ita. Quid dicemus inueniſſe ex carnis circuncifione Abraham patrem noſtrum .i. Iudæorum, ſecundum carnem .i. ſecũdum propaginem carnis: qui omnium credentium pater eſt ſecundum inſtitutionem fidei. Nullam vtique iuſtificationem ex operibus legis inuenit Abraham: quod ita probat, per quoddam inconueniens. Verè Abraham non eſt iuſtificatus per legem. Nam *ſi iuſtificatus* eſſe credatur *ex operibus legis: habet quidem gloriam* apud homines, *ſed non apud*

A *Deum* glorioſus eſt, quia nec in conſpectu eius iuſtificatus eſt, quod impoſſibile eſt, vt quilibet iuſtificatus apud Deum ſit inglorioſus. Vel ita. Si Abraham iuſtificatus eſt ex lege, habet inde referẽdam gloriam meritis ſuis, ſed non apud Deum .i. non eſſe hoc referendum gratiæ Dei: ſed derogare gratiæ Dei, & derogantem iuſtificari qui iniuſtus eſt, ſimul eſſe non poſſunt. Probauit per legem nõ poſſe iuſtificari, per præmiſſum incõueniens probat per fidem iuſtificari, per ſequentem authoritatem dicẽs.

B Impoſſibile eſt ex operibus legis iuſtificari, ſed fides iuſtificat, teſte ſcriptura. *Quid enim ſcriptura dicit?* Hoc ſcilicet, *Abraham credidit Deo, &* illud credere *reputatum eſt ei ad iuſtitiam* .i. per fidem qua Deo credidit, meruit iuſtificari. Reputatum eſt, ideò dicit, quia multotiens & diuerſis tẽporibus repromiſit hoc illi Deus, & nulla vice Abraham hæſitauit, ſed ſemper credidit. Quia dixit de Abraham, eum .ſ. iuſtificatum per fidem, & nõ per opera legis, adaptat omnibus dicens: Non ſoli Abrahæ hoc fit,

C nihil .ſ. iuſtificationis inuenire ex operibus legis; ſed etiam omni *ei qui operatur* .i. qui legem operum .i. veterem, & non gratiam ſequitur: *illi non computatur merces ſecundum gratiam* .i. iſte quærit remunerari nõ per gratiam Dei, *ſed ſecundum debitum* .i. ſecundum quod meritis operum ſuorum debetur. *Ei verò qui non operatur* .i. qui legem operum non ſequitur, *ſed credenti in eum qui iuſtificat impiũ* .i. qui ex impio ſi credidit facit iuſtũ: *fides,* inquam, *eius* credẽtis *reputatur*

D illi *ad iuſtitiam:* quia iuſtificatur ſine omni merito: per ſolam fidem ſicut ſuprà oſtenſum eſt in Abraham. Vel aliter. Licet dixerim per fidem ſolã ſine lege iuſtificari, tamen ei qui operatur .i. qui tempus habet operandi, non eſt vacãdum ocio, ſed benè operando credẽdum eſt venienti gratię. Non enim talibus qui ętatem operãdi habent imputatur merces: ſed fit retributio, non gratia tantum, ſed ſecundum debitum .i. ſic debent mere-

ri, vt per meritum adiuuēt gratiam. Ei verò qui non operatur .i. qui non habet tempus operandi vt pueri ſtatim morientes, ſed credenti in eum qui per fidem iuſtificat impium, illi reputatur fides eius ad iuſtitiam.i.ſola fides ſufficit ad iuſtificationē eius, cui tenera ætas opera negauit. ¶ Sicut ſuperius probauit per exemplum Abrahæ, omnem credentem iuſtificari per fidem, ita hic probare incipit per authoritatem Dauid, omnem iuſtificationem eſſe ex gratia. Sicut enim fides per gratiam: ita iuſtitia ex ſola gratia Dei habetur. Vnde ſic ait. Fides reputatur omni credenti ad iuſtitiam: quæ iuſtitia eſt *ſecundum propoſitum gratiæ Dei* .i. omnis iuſtificatio fit per gratiam Dei: quæ gratia propoſita & præparata eſt omni credenti. Iuſtitia vtique fit per gratiam Dei, *ſicut* non ego ſolus ſed *& Dauid dicit:* hoc .ſ. eius *hominis* eſſe *beatitudinem* .i. vitæ huius munditiam, & in futuro vitam æternam: *cui Deus accepto* .i. acceptabili Deo: vel cui Deus accepto .i. gratis ſine merito *fert iuſtitiam*.i. quem Deus ex gratia iuſtificat, *ſine operibus* iuſtificationem promerentibus. Hoc vtiq; ait Dauid ita dicens: *Beati* ſunt illi *quorum iniquitates remiſſæ ſunt.* Non determinat per quem, ſed ſequens verſus innuit à Domino has remitti. Illi vtiq; ſunt beati: iniquitates quorum .i. in quibus naturalis fomes peccati remiſſus & debilitatus eſt, quod iam in actum tranſire non poteſt, ſi velint vti libero arbitrio confortato. Sed quia remiſſum eſſe fomitem peccati non ſufficeret ad ſalutem, niſi præterita peccata dimitterentur, addit. *Et beati* ſunt illi, *peccata quorum* actualia *tecta ſunt* in baptiſmo. Tecta ideò: quia Deus iam non videt ad puniendum. *Beatus* etiam *vir* ille *cui Dominus non imputat peccatum* originale. Hic non multum videtur agere de gratia. ¶ Sciendum tamen eſt, quod totus pſalmus verſatur circa cōmendationem gratiæ Dei, & probat neminem poſſe iuſtificari niſi per gratiam. Quoniam quidem ita legitur

Pſalm. 31. 1.

A in Dauid: *ergo* per authoritatem hāc conſtat, quod *beatitudo* .i. iuſtificatio (ſicut dictum eſt) *fit per gratiam.* Sed cùm ſic fiat, videamus an hæc beatitudo *maneat in circunciſione* .i. in Iudæis tantum: *an* ſicut in Iudæis, ſic etiam *in præputio* .i. in gentilibus. Vult iterum probare per Abraham, qui priuſquam circunciderctur, per fidē iuſtificatus fuit; ſic gentiles per gratiam iuſtificari, vt Iudæos dicens. Ideò quæro an in circunciſione ſolùm, an in præputio maneat hæc iuſtificatio: *quia* nos *dicimus quod fides Abra-* B *hæ reputata eſt ei ad iuſtitiam* .i. quod Abraham per fidem iuſtificatus ſit: & cùm per fidem iuſtificatus ſit, *ergò* dicendum reſtat *quomodo* .i. in quo ſtatu *reputata eſt ei fides ad iuſtitiam,* an in circunciſione, an priuſquam circunciderctur, dum adhuc eſſet in præputio .i. in gentilitate? Quæro in quo ſtatu, ſed palam eſt, quia in circunciſionis tempore non eſt iuſtificatus per fidem, ſed dum adhuc maneret in præputio. Quia ſi Abraham incircunciſus adhuc per fidem iuſtificatus eſt, quare ſimiliter gentiles C incircunciſi non iuſtificentur ſi fidē habeant? Opponeret iterum Iudæus. Si circunciſio nihil ad iuſtificationem Abrahæ profuit, quare poſtquam iuſtificatus eſt ſe circuncidit? Opportunè, inquam, vt veritatem rei quam habebat occultam in anima, figuraret in carne: intendens magis docere circunciſionem cordis quam carnis, quod æquipollenter ait. Et licet Abraham in præputio iuſtificatus ſit, tamen poſtea *accepit in carne ſignum circunciſionis* & iuſti- D ficationis habitæ, non vt per circunciſionem iuſtificaretur, ſed vt ſic oſtenderetur iuſtus. Signum dico non apertum omnibus ſed *ſignaculum,* quod quiddam occultum contineret: à ſimilitudine ceræ cui imprimitur ſigillum, quę in ſe continet quod extra non apparet. Sic circunciſio carnis ſignum quidem erat interioris iuſtitiæ, quod vix aliqui Iudæi ſanè attendebant. Signaculum dico *iuſtitiæ fidei* .i. iuſtificationis habitæ

t per

per fidem, quæ fides & *qua* iuſtitia *eſt in præputio* .i. conſideratur in Abraham tempore præputij, & conueniẽter in eo ſtatu Abraham iuſtificatus eſt, *vt ita ſit pater* .i. inſtitutor ſecundum formam fidei: non ſolum Iudæorum, ſed & *omnium credentium*, ſit inquam, pater fidei omnium *per præputium* .i. per fidem in tempore præputij habitam. Et quemadmodũ illi, ſic *illis* omnibus credentibus *reputetur* credere ſuum *ad iuſtitiam*. Et ſicut Abraham pater eſt fidei: ita *ſit pater* .i. Inſtitutor *circunciſionis* .i. iuſtificationis, quæ ex fide conſequitur. Sit pater dico *non his tantum qui ſunt ex circunciſione carnis*.i. Iudæis: *ſed etiam omnibus his qui ſectantur veſtigia fidei* Abrahæ, exemplo illius bene operando per fidem, quæ fides eſt habita in tempore præputij, patris noſtri Abrahæ. Verè Abraham pater erit omnium credentium, non per legem ſed per fidem. *Nam* huius rei *promiſſio*, ſcilicet, vt eſſet hæres mundi, quod idem eſt quod eſſe patrem omnium gentium. Hæc, inquam, promiſſio *non* eſt facta *per legem* .i. merito legis, ſed merito fidei: quod ſi non eſt promiſſum per legem, nec impleri debet per legem, quod ſic ait. *Promiſit* quidem *Deus Abrahæ* aut *ſemini eius*, id eſt, Chriſto *vt eſſet hæres mundi*: vbi dictum eſt. Dabo gentes hæreditatem tuam &c. Hoc, inquam, non promiſit per legem, *ſed per iuſtitiam fidei* .i. quæ iuſtitia ex fide ſequitur, quam fidem & iuſtitiam fidei oportet habere omnes, qui ſe volunt annumerari in hæreditatem Chriſti: Abraham autem fidem in ſe habuit, & iuſtitiam quam oportet imitari filios eius. Verè per legem non fit promiſſio: quia *ſi* ij tantùm *qui* ſunt *ex lege* .i. Iudæi, *ſunt hæredes* promiſſionis Abrahæ: ergo *fides* Chriſti *eſt exinanita* .i. inanis eſt, & fruſtra recepiſtis eam ô Iudæi, ſi lex ſufficiebat vobis, vt hæredes eſſetis: quod maximum inconueniens iudicatis vosipſi, vt fides Chriſti fruſtra ſit. Nec hoc ſolum eſt, ſed etiam ſi Iudæi ſolũ hæredes ſunt, ſic *abolita*.i.

A deleta *eſt promiſſio* & falſa: quod dictum eſt, in ſemine tuo benedicentur omnes gentes, cùm in ſolis Iudæis hæc benedictio fiat. Verè qui ex lege ſunt tantum, non merentur hæreditatem. Nam *lex operatur* & meretur ſolummodo *iram*: quia ſi qui ſub lege benè operati ſunt, per fidem hoc fuit, & non per legem. Verè lex operatur iram: nam præuaricationem: & verè præuaricationem: nam ſi *vbi non eſt lex, non eſt præuaricatio*: & vbicunque eſt præuaricatio, ibi lex

B eſt. Propter ſupradicta qui ex lege ſunt, hæredes non erunt: ſed *ideò* qui *ex fide* ſunt hæredes erunt, *vt promiſſio* facta & implenda *ſecundum gratiam firma ſit omni ſemini*, id eſt, omni imitanti Abraham per fidem: *non ei ſolum qui ex lege eſt*, id eſt, Iudæo: *ſed* etiam omni *ei qui eſt ex fide Abrahæ*, id eſt, qui per fidem ſequitur Abraham: *qui* Abraham *eſt pater omnium noſtrum*, tam gentilium quam Iudæorum: ſecundum formam fidei & iuſtitiæ. Pater vtique omnium eſt: ſicut ſcriptum eſt in Geneſi. Illud

C quia ad ordinem literæ de qua ſumptum eſt, reſpicit. Hoc, inquam, ſcriptum eſt. Ego diſpoſui te Abraham futurum patrem ſecundum inſtitutionem fidei multarum gentium: te dico per iuſtitiã factum ante Deum, id eſt, in beneplacito Dei cui crediſti. ¶ Hinc ſequuntur verba Pauli. *Qui* Deus *mortuos* peccato *viuere facit*, iuſtificatos per fidem: nec tantùm viuificat, ſed etiam per gratiam *vocat ea quæ non ſunt* .i. gentiles qui propter non habitam legem nihil eſſe videntur: *tanquam ea quæ ſunt*, id

D eſt, quemadmodum vocat Iudæos qui ſe ſolos eſſe per legem gloriantur. Probauit ſuperius per Abraham omnem iuſtificationem eſſe ex fide: vt autem in plenitudine fidei perfectè imitemur Abraham, determinat qualitatem fidei Abrahæ: vt ſicut quęcunque ſecundum viſum hominum impoſſibilia credidit ſibi per Deum impleri; ſic & nos de potentia Dei non hæſitemus, opponentes ei legem naturæ. Vnde ſic ait. *Abrahæ*

dictum eſt: Poſui te patrem multarum gentium: qui Abraham credidit, *contra ſpem in ſpem:* poſſet dicere contra opinionẽ. Spes Domini certa expectatio rei futurę dicitur. Sed congruè dixit contra ſpem, quia ſecũdum legẽ naturæ viſa annoſitate ſua, & ſterilitate vxoris, certiſſimè ſperabat non iã ſe habiturum ſemen: ſed contra ſpem, quam ſibi lex naturæ porrigebat, credidit in ſpem, quã fracto iure naturæ, omnipotentia Dei ſuggerebat. Credidit vtiq; hoc vt fieret pater multarum gentiũ: de quo ſecũdum hominẽ ſatis ambigere poſſet, cùm videret ſe vnius tãtum filij procreatorem. Credidit, inquam, illud totum *quod dictum eſt ei*.i. credidit ſe patrem futurum multorum: non ſolum ſecundum propaginem carnis, ſed ſecũdum imitatam formã fidei. Hoc, inquã, dictum eſt ei. *Sic erit ſemẽ tuum* Abraham, *ſicut ſtella cœli, & ſicut arena maris*. Per ſtellas cœli, ſpirituales filios Abrahæ, luce virtutum conſpicuos, ſignificat. Per arenã maris, infructuoſos carnales filios. Sic promiſſum eſt Abrahæ, & accepta hac promiſſione quamdiu differebatur, propterea *non eſt infirmatus in fide*: vt minus crederet firmæ promiſſioni ſibi factæ, vtque firmus in fide promiſſæ rei perduraret, *non conſiderauit corpus ſuum emortuum*.i. non pẽſauit naturalem defectum generandi poſſe immutare voluntatem Dei, *cùm eſſet ferè centum annorum*, & tempus generandi iam in eo præterijſſet. *Et* non conſiderauit *vuluam Saræ emortuam*.i. genitalia vxoris defeciſſe, & vitio ſterilitatis, & annorum antiquitate. Non eſt infirmatus in fide primæ promiſſionis: in repromiſſione etiam Dei, quia Deus multotiens idem ipſi repromiſit. *In repromiſſione* vtique illa, qua Deus priuſquam finiretur annus ſe daturum filium promittebat, in hac vtique *non hæſitauit diffidentia*. Hæſitauit quidẽ admirando & reuoluendo ſecũ myſterium rei, ſed non hęſitauit per diffidentiam, vt diffideret non implendum ſibi totum, quod Deus promi-

Spes quid ſit.

Gen. 15. 5.

A ferat, *ſed cõfortatus eſt fide*. Cùm enim poſſet obijcere rẽ toties promiſſam, diu ſuſtinendo: dubium me mora facit, fortior in credulitate rei promiſſæ ſurrexit: dans inde gloriam Deo: nihil meritis ſuis de bono huius promiſſionis aſcribens: ſed *in omnibus glorificans Deum, ſciens* hoc *pleniſſimè*, ſine omni hæſitatione: *quia quæcunque promiſit Deus, potens eſt etiam facere*, iuxta omnem modum quem promiſit: & ideò quia ſciens promiſ-

B ſis Dei pleniſſimè fidem adhibuit, non ſolum completum eſt ei promiſſum, quia ſic credidit, ſed etiam *reputatum eſt illi ad iuſtitiam*.i. meritò tantę fidei meruit iuſtificari. Quia modo ſatis modum fidei Abrahę expreſſerat, quæ de eo dixit adaptat ſuæ intentioni, dicens: Quia ſic credidit Abraham, ideò iuſtificatus eſt. Hoc tamen de Abraham *non* hic *ſcriptum tãtummodo propter ipſum* Abraham, de tanta fide laudandum. Hoc, ſcilicet, *quia reputatum eſt illi ad iuſtitiam: ſed etiam* ſcriptum *propter nos*, in fide Abrahæ conformandos, *qui-*

C *bus* credẽtibus credere noſtrum (ſicut in illo videmus) nobis *ad iuſtitiam reputatur. Credentibus* dico *in eum qui ſuſcitauit Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum à mortuis*.i. ſicut Abraham, quod contra naturam erat, à Deo ſe accepturum credidit; ſic neque nos hæſitemus credere & confiteri, licet contra ius naturæ ſit Chriſtum ſurrexiſſe à mortuis. Qui enim author eſt naturæ, ſicut placuit potuit eam inuertere. Hæc duo quæ ſequuntur: *traditus eſt ad mortem, & reſurrexit propter iuſtificationem*, ad

D probationem præmiſſorum neceſſaria non erant, ſed ad inſtructionem Romanorum vidit ea opportuna, & ideò ſubiunxit: Qui traditus eſt: non determinat ad quid, ſed ſatis patet, quia ad mortem. Et hoc *propter delicta noſtra*, id eſt, vt nos mundaret à delictis noſtris, qui etiam reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, id eſt, vt nos mundatos à delictis noſtris, per poſitionem virtutum iuſtos efficeret.

Non

Nõ ideò, ait, mortuus eſt propter delicta noſtra, reſurrexit propter iuſtificationem, quin mors eius cauſa ſit noſtræ iuſtitiæ, & reſurrectio cauſa remiſſionis peccatorũ. Sed ideò ait reſurrexit, propter iuſtificationem, vt oſtẽderet reſurrectionem eius ſic eſſe cauſam noſtræ iuſtificationis, vt eſſet ſignum rei futuræ in nobis: Duplicis.ſ.reſurrectionis. *Prima* eſt, qua in baptiſmo à morte peccati reſurgimus, ad viuẽdum in iuſtitia. Hæc aũt reſurrectio animę, quę prius mortua in peccatis, nũc aũt confortato libero arbitrio poteſt obniti omni malæ ſuggeſtioni, Deumq́ue cognoſcit. *Secunda* reſurrectio eſt futura ſecundũ corpus: quãdo impaſſibilitate & immortalitate reſumpta, conregnabimus Chriſto, ſi prima reſurrectio integrè fuerit cuſtodita, quæ reſurrectio Chriſti & Pẽtecoſtes, quæ de eadem reſurrectione pẽdet, ideò varijs temporibus celebrantur, quia adhuc ventura præſignant, nec ſolũ de præteritis agunt, vt feſtum Natiuitatis.

Reſurrectio duplex. Prima.

Secunda.

CAP. V.

IVſtificati igitur ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: per quẽ habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Non ſolum autem, ſed etiã gloriamur in tribulationibus: ſcientes quod tribulatio patiẽtiam operatur, patientia autẽ probationem, probatio verò ſpem. Spes aũt non confundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum S. qui datus eſt nobis. Vt quid enim Chriſtus cum adhuc infirmi eſſemus, ſecundũ tempus pro impijs mortuus eſt? Vix enim pro iuſto quis moritur: Nam pro bono forſitan quis audeat mori. Commendat aũt charitatem ſuam Deus in nobis: quoniã ſi cùm adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt; multò igitur magis nũc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum. Si enim cùm inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius; multò magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius.

Heb.9.14. 1.Pet.3.18.

A *Non ſolum autem, ſed & gloriamur in Deo per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. Vſq; ad legem enim peccatum erat in mundo. Peccatum aũt non imputabatur, cùm lex non eſſet: ſed regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, qui eſt forma futuri.* B *Sed non ſicut delictum, ita & donum. Si enim illius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures * abundauit: & non ſicut per vnum * peccatum: ita & donum. Nam iudicium ex vno in condemnationem, gratia aũt ex multis delictis in iuſtificationem. Si enim in vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abũdantiam gratiæ & donationis & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic &* C *per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per vnius * obedientiam iuſti conſtituentur multi. Lex autem ſubintrauit, vt abundaret delictum, vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia, vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

De conſec. diſt. 3. quæ erit in fine & cap. placuit.

* *Habet homines.*
* *Delictum.*
* *Habet hominis.*

D QVandoquidem ſufficienter ex ſuperioribus probatum eſt, omnem iuſtificationem eſſe ex fide; *igitur iuſtificati ex fide, habeamus pacem*.i. concordiam inter nos: vt neque Iudæus gentili, nec gentilis Iudæo in hac noua gratia ſe præferat: vt autem magis eos & à diſcordia deterreat, & ad concordiam inducat, ait: Habeamus pacem *ad Deum*. Si enim inter nos diſcordes fuerimus, ad Deum vtique pacem non habemus. Habeamus dico pacem *per Dominum*

minum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui in omnibus obedire debemus: qui tradi voluit ad mortem propter delicta noſtra &c. *Per quem* Chriſtum nō ſolum delicta dimiſſa ſunt, vita, & iuſtitia data, ſed etiam *habemus gratiam iſtam*.i. tam excellentem, vt depellere morbos, facereq́; miracula. Sed ne Iudæi opinarentur per meritum legis aliquem gradum habere in hanc gratiam: ait Paulus. *Per quem* Chriſtum: etiam *acceſſum*.i. primum gradum veniendi ad hanc gratiā *habemus:* quam gratiam conſequimur *per fidē* ſicut iuſtificationem: quia & fides iuſtificat: & fides gratiam hanc dat *in qua* gratia nos *ſtamus*.i. perſeueramus. Adæ quidem multa gratia collata eſt, ſed in ea nō ſtetit. *Et* ſtando in hac gratia *gloriamur in ſpe gloriæ filiorū*.i. ex eo quia certiſſimè ſperamus nos habituros gloriam, quam habent filij *Dei*, *non ſolum autem*, ſpe huius gloriæ, *ſed etiā gloriamur in tribulationibus*. Hæc eſt maxima virtus, in hoc gaudere quod naturale eſt formidare: ideò in tribulationibus gloriamur: quia *ſcientes* ſumus *quod tribulatio patientiam operatur*.i. quia vſus & conſuetudo tribulationum nutrit patientiam, *patientia autem* operatur *probationem*.i. purgationem, quia ſicut aurum purgatur per ignē, ſic quod in iſtis purgandum eſt igne tribulationis excoquitur, vnde eos qui in tribulatione vitam finiūt, ſanctos ſine aliqua hæſitatione confidimus, quia quicquid prius peccauerūt, ignis tribulationis totū excoxit. Eos verò qui in pace vitam finiunt, quātumcunq; laudabiliter vixerint (nemo enim ſine ſorde eſt) ſine certa miraculorum oſtenſione, in catalogo ſanctorum non annumeramus. *Probatio verò* operatur *ſpem*. Certiſſimè enim ſperare poteſt, qui ſufficiēter purgatus eſt. *Spes autem* ſic poſt purgationem habita *non confundit*.i. non facit erubeſcere eos qui ſperant, quos faceret confuſibiles ſi inexpleta eſſet. Verè ſpes non confundit, ſed implebitur, quod certum habemus per Spiritum ſanctum qui datus eſt

ribula-
onum
irſus.

A nobis. Spiritus enim ſanctus iam nos ex parte deificans, certitudinem dat: quia nos plenariè deificabimur, in futuro illuminati ſecundum animā maiori cognitione Dei, & ſecundum corpus incorruptibiles futuri. Quia Spiritus ſanctus datus ſit nobis apparet ex eo, *quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*.i. quia dilectio Dei amplificata eſt in cordibus noſtris, quia parati ſumus pro eo & pati & mori. Vel aliter. Verè non confundit, ſed implebitur: quod patet ex eo, quia charitas Dei diffuſa eſt .i. quia

B Deus abundè diligit nos, & quia charitas Dei adeò ferueat erga nos. Hoc ſentimus in cordibus noſtris illuminatis *per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis*. Probat quod ſpes (ſicut dictum eſt) impleatur diuerſis de cauſis: tum quia ſi non impleretur, fruſtra Deus homo eſſet factus, mortem guſtaſſet, niſi ſpem conſummādo quod cœperat piè perficeret. Tum etiam ideò, ſi cùm impij eſſemus, & damnationis meritum eſſet in nobis tantum, quid facere voluit vt pro

C nobis, impijs difficultatem mortis ſubiret: non eſt ambigendum, quin nos iam iuſtificatos, & iam meritum ſaluationis prætendentes ſaluos faciat: quod facilè eſt ei, quia nō oportet eum amplius mori. Vnde ſic ait: Verè ſpes non confundit ſed implebitur, quia niſi ſicut ſperamus conſummaretur: *vt quid Chriſtus mortuus eſt* iuſtꝰ pro impijs? Vel vice impiorū, quia impij mori deberent pro peccato ſuo. Vel cauſa impiorū redimendorū. Diceret aliquis quia mortuus eſt, ideò nō poteſt. Mortuus di-

D co *ſecundum tempus:* die enim tertia ſurrexit. Iterum aduerſarius, impij quidem fueratis, ſed iam tempore mortis eius iuſtificati: impijs dico ita *cùm adhuc* tempore mortis ſuæ *infirmi eſſemus*.i. in impietate perduraremus. Fruſtra iuſtus *mortuus eſt pro impijs*, ſi iuſtificatos ſaluare deſerit. Non eſt credendum quod inexpletum dimittat, pro quo tantam difficultatem ſubijt. Diceret aliquis: fuit ne adeò magnum

mori

mori pro impijs? Ita inquam. *Vix enim quis*, id eſt aliquis, vel morte dignus, vel citò moriturus *moritur pro iuſto*, id eſt, vel vice vel cauſa iuſti. Vnde magnum quid eſſe conſtat, Chriſtum qui reſpectu iuſtitiæ ſuæ non moriturus erat, mori pro impijs. Ideò dico vix aliquem mori pro iuſto. *Nam forſitan aliquis audeat mori pro bono.* Quia ſi dubietas eſt vtrum quis moriatur pro bono, magnum fuit mori Chriſtum pium pro impio. Vix aliquis audeat mori pro iuſto. Sed Chriſtus pro nobis mortuus eſt, & per hoc *commendabilem facit Deus ſuam charitatem in nobis, quoniam ſi cum adhuc eſſemus peccatores; mortuus eſt Chriſtus* quod tam difficilè & indebitum fuit, iuſtus pro nobis peccatoribus. *Igitur*, id eſt, propterea *multò magis* credēdum eſt, quod nos *iuſtificati nunc* qui prius peccatores eramus *in ſanguine ipſius*, id eſt, per effuſionem ſanguinis eius *ſalui erimus* liberati *ab ira per ipſum*, quem amplius non oportet à ſtatu ſuo mutari, vti quando pro peccatoribus mortem ſubijt. Et quia poſſemus iuſtificari, nec tamen pacem perditam recuperare cum Deo, ait: Verè iuſtificati ſalui erimus, dum iā iuſtificationis meritum prætēdimus, quia *cum inimici eſſemus*, & meritum damnationis haberemus, *ſumus reconciliati Deo per* rem tam grauem, vt *mortem filij eius*. Etſi prius inimici, modo morte filij eius ſumus reconciliati, multò magis credendum eſt, quod nos recōciliati, & iam quodammodo ſalutem promeriti, *ſalui erimus*: & ſatis leuiter ſaluabit nos: quia *in vita ipſius*. Non .n. iā oportet eum mori, ſicut prius. Conſiderandū eſt quomodo ſingula ſingulis opponat. Peccatores iuſtificati, inimici reconciliati, per mortem in vita, *non ſolum* ſalutem futuram expectamus, *ſed etiam* ſpe & gaudio illius *gloriamur in Deum*, etiam dum hic ſumus: gloriamur, inquit *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc* paulò ante *accepimus* inimici *reconciliationem ad Deum.* ¶ Opponeret

A aliquis. Chriſtus quidem ſatis iuſtus fuit, ſed non videtur iuſtitia eius ſufficiens ad ſaluationem omnium: quod Apoſtolus probat, dicens: Cùm per vnius inobedientiam omnis homo lapſus ſit: dignum & æquè comparatum videtur, vt per vnius obedientiam lapſus humani generis reparetur: per Ieſum ſolum. *Propterea* reconciliari potuimus ad ſaluationem, *ſicut per vnum hominem intrauit* non immiſſum à Deo, ſed quadam violentia *peccatum in mundum hunc*, id eſt, adeo miſerū per peccatum factum, *&* conſequenter *per peccatū* vnius hominis intrauit *mors*, & corporalis & ſpiritualis in eundem hominem: *& ita* ab eo *pertranſiit mors in omnes homines.* Et meritò ab eo in omnes, quia hic fuit *in quo peccauerunt omnes.* In lumbis enim Adæ tota illa maſſa humani generis peccato præuaricationis corrupta eſt. Quidam protendunt hunc verſum, vſque ad illud longè inferius: Igitur ſicut per vnius, &cæt.

B

Adam oēs corrupit.

C Sed ſicut expoſuimus, ſatis abbreuiari poteſt. Verè omnes peccauerunt in Adam, & ſi ànte legem ferè ab omnibus hoc ignoraretur. *Peccatum enim erat in mundo* ab Adam *vſque ad legem.* Sed licet ita eſſet, tamen hoc *peccatum nō imputabatur*, id eſt, nemo reus pro originali iudicabatur ante Moyſen, *cùm lex non eſſet*, quæ poſtquam venit peccatum hoc patefecit, vel dicamus in toto. Peccatum hoc quidem erat in mundo ante legem, ſed ideò neſciebatur, quia nullū peccatum imputabatur: cum lex non eſſet. Et licet peccatum originale ante legem non imputaretur, tamē per hoc ſatis dinoſci poteſt: *quia mors* corporalis quæ pœna fuit pro originali, illa regnauit præmittendo ante ſe omnes miſerias ſuas, ſitim, famē, febres, & cætera. *Regnauit* inquam *ab Adam vſq. ad Moyſen*, non ſolum in eos qui originali peccato ſua peccata adiunxerunt, ſed *etiam in eos qui non peccauerunt. In ſimilitudinem præuaricationis Adæ*, id eſt, qui ex parte ſua non ſimiliter præuaricati ſunt,

D

vt Adam. Hi ſunt paruuli qui nō habuēre tempus peccandi, ſed ſolummodo de originali ſunt puniti. *Qui* Adam *eſt forma futuri* Adę.i.Chriſti. Adam forma Chriſti fuit: quia ſicut ille pater eſt omniū ſecūdum carnē; ſic Chriſtus pater fidelium ſecūdum fidem. Et ſicut ex latere Adæ dormientis formata eſt Eua, ſic ex latere Chriſti ſoporati ſomno mortis in Cruce fabricata eſt Eccleſia. Et ideò Adam forma Chriſti, quia Deus decreuit per vnum Chriſtū emendare, quod per vnum Adam peccatum eſt. Vel ſic legamus ſecundū Ambroſiū. Verè oēs peccauerunt in Adam. Nā originale peccatum erat in mundo vſque ad legem. Sed licet in mundo eſſet, tamen non imputabatur illud peccatū: quia lex non eſſet quæ peccatum hoc inſinuaret, ſed licet neſciretur hoc peccatum, tamen pro pęna huius peccati regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen, non ſolum in eos qui de actualibus rebus peccauerunt, ſed etiam in eos qui peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ. i. qui pro ſola ſimilitudine: quia fuerunt filij prçuaricatoris Adę damnati ſunt. Oſtēdit ſuperius Chriſtum vnum ſufficiētem eſſe ad ſaluationem omniū, quia ſolus Adā ſufficiens fuit ad perditionem omniū. Et ſicut perſonā Chriſti, perſonæ Adæ contulit: ſic cauſam Chriſti. i. obedientiam opponit cauſæ Adæ, quæ eſt inobediētia: & effectum cauſæ Chriſti. i. iuſtificationem in præſenti: & vitam æternam in futuro, opponit effectui illius.i. morti tēporali, & æternę damnationi. Probat etiam gratiam Chriſti longè amplius abundare peccato Adæ. Cùm enim ab Adā originale tantum contraximus, gratia Chriſti non ſolū originale, ſed cū eo quęcunque actualia dimiſit in baptiſmo. Litera ſic iungitur. Adam vetus forma fuit futuri Adæ: ſed licet vna perſona vni eſſet oppoſita, tamen cauſæ ſunt diſſimiles. *Non* enim *ſicut fuit delictum* Adæ, *ita* eſt *etiam donū* Dei quę eſt gratia. Verè non ſic fuit donum Chriſti: vt delictum

[A]dam figu[r]auit Chri[ſt]um.

[Ba]ptiſmo [re]mittūtur [om]nia pec[cat]a, etiam [act]ualia.

A Adę: nam donum Chriſti multo magis abundauit ſuper delictum Adæ, quia delictum vnum fuit quod vocamus originale: Chriſtus autem & originale, & quæcunq; actualia dimiſit: & probat. Verè ſolus Chriſtus ſufficiens fuit ad iuſtificationem omnium. *Nam ſi delicto*.i. per delictū *vnius* Adæ, & per vnum (quod in ſequentibus plenius determinabit).i. per inobedientiam. Si per hoc inquit vnum delictum (quod originale vocamus) multi peccato mortui ſunt, contrahentes illud originale à primo patre. Multi nō ideo dicit, quin omnes hoc

B peccato preſſi ſint, ſed non omnes in eo perdurantes detenti ſunt; deponentes illud originale per acceptam fidem Chriſti. Si inquit per vnū delictum vni⁹, *multi mortui ſunt, multò magis* ſecundum dignitatem perſonæ Chriſti & cauſæ, abundauit *gratia Dei*.i. remiſſio peccatorum. Abūdauit etiam *donum*. i. corroboratio per Spiritum ſanctum. Poſtquam enim remiſſa ſunt peccata, neceſſaria ſunt arma Spiritus ſancti, quibus reſiſtamus diabolo malè ſuadenti.

C Gratia inquit & donum abundauit *in gratia*.i. per gratiam *vnius hominis*. Cōgruè ait per gratiam: quia quemadmodum contractio originalis fuit per neceſſitatem, ſic ſaluatio facta eſt per gratiam, id eſt, per voluntatē. Nemo enim niſi ex voluntate ſaluatur. Sicut inquit delictum vnius diffuſum eſt in multos, ſic æquè comparatum eſt, quod gratia vnius hominis abundauit in plures. Non dicit in plures gratiam abundaſſe, quā delictum, ſed *in plures*.i. in multos.

D Non enim omnes ſaluati ſunt, quia noluerunt: vnius hominis dico, qui nihil minus potuit quàm voluit: Nā *Ieſu Chriſti*.i. ſaluatoris & regis. Sicut cauſas Chriſti & Adæ diuerſificauit, ſic effectus cauſarum opponendo diſtinguit dicens. Sicut donum Chriſti tale non fuit, quale delictum Adæ; ſic etiam *non ſicut* fit *per vnum peccatum* Adæ, *ita* fit per *donum* Chriſti, id eſt, effectus peccati Adæ & gratiæ Chriſti diuerſi ſunt: quia pec-

catum

catum ſimplex, donum verò multiplex. Et hoc probat dicens. Verè effectus peccati Adæ, & effectus gratiæ Dei non ſunt ſimiles. *Nam iudicium*.i. iuſta ſententia Dei fit *in condemnationem*,id eſt,condemnat filios Adæ *ex vno* delicto, id eſt, ſolummodò propter originale: ſed *gratia* Chriſti fit *in iuſtificationem*, id eſt,iuſtificat filios ſuos *ex multis* delictis, id eſt, ſic de actualibus vt de originali. ¶ Notandum eſt, quod illud primūm peccatum debilitauit quidem naturam noſtram, & proniorem fecit in caſum, ſed tamen non fuit cauſa actualium peccatorum, quibus naturali ratione (licet multa parte debilitata) poſſemus reſiſtere. Videndum etiam, quod licet in peccato Adæ, multa conſiderentur, vt ſuperbia, gula, tamen vnum ſolum dicitur: quia inobedientia probat, quod gratia iuſtificauerit ex multis delictis, dicens: Verè per gratiam Chriſti iuſtificātur homines ex multis delictis. Nā accepta iuſtitia (quod maius eſt) regnabunt cum Chriſto in vita æterna quod æquipollenter ait. Homines accipientes abundantiam gratiæ eius, id eſt, abundantem remiſſionem, quia non ſolum originalis, ſed etiam omnium actualium. Et *accipientes abundantiam donationis*, id eſt, dona Spiritus ſancti ad confortationem in bono abūdantem. Et accipientes abundantiam *iuſtitiæ*,id eſt,iuſtę operationis: quia poſtquam dimiſſa ſunt peccata & Spiritus ſanctus corroborat: ſic demum licet benè operari. Hæc inquam accipientes *conregnabunt* Deo poſiti *in vita* æterna, quæ omnia, & gratiam, & donationem, & regnum,accipient *per vnum Ieſum Chriſtum*. Et verè per hunc vnum: *quia ſi* in delicto vnius Adæ quod cauſa fuit perditionis, regnauit mors, & temporalis & æterna *per vnum delictum*, id eſt, per inobedientiam, multò magis ſecundum dignitatem perſonæ, cauſæ, & effectus: hi qui ſunt accipientes abundantiam gratiæ, donationis, & iuſtitiæ: regna-

A bunt in vita per vnum Ieſum Chriſtum. Quoniam quidem & ſimilitudo eſt ibi:quia Adam vnus, Chriſtus vnus: & maioritas ſecundum dignitatem, quæ dicta eſt. Igitur à ſimili, & à maiori inferre poſſum, *quod ſicut per delictum vnius Adæ*(delictum dico tranſiens in omnes homines) ventum eſt in condemnationem: ſic & per iuſtitiam vnius Chriſti tranſeuntem *in omnes homines* ſecundum potentiam. (Chriſtus enim ſufficiens precium pro omnibus dedit) per vnius inquit iuſtitiam ventum eſt

B in iuſtificationem vitæ. Oſtendit ſatis ſuperius quod Chriſtus potens eſſet, & reſtaurare ſufficeret:quicquid lapſum fuerat per Adam,ſed non determinauerat quid in hac reparatione ageret, ſeu per potentiam, ſeu per meritum, quod hic determinat, dicens.Quia quemadmodum Adam malè merendo per inobedientiam omnes præcipitauit: Sic Chriſtus benè merendo per obediētiam omnes redemit. Litera ſic iungitur.Verè per delictum vnius omnes condemnantur. Nam per inobedien-

C tiam. Et ſicut per inobedientiam vnius hominis conſtituti ſunt multi peccatores: quia non omnes remanſerunt in peccato: ita & per obedientiam vnius Chriſti hoc promerentem, conſtituentur multi iuſti. Multi ideo, quia non omnes iuſtificari voluerunt. Cùm modò dicat Chriſtum iuſtificare homines à peccatis, dicit quod etiam tranſgreſſores legis à præuaricatione acceptę legis iuſtificat. Et hoc ideò adducit, vt com-

D probet Iudæos magis obnoxios eſſe gratiæ Dei,quam etiam gentiles:quibus ſe præferebant in hac noua gratia:quia gētiles de naturali ſolum rei erant, Iudæi verò & de naturalis & ſcriptæ legis præuaricatione rei erāt. Litera ſic iungitur.Obedientia Chriſti multos iuſtificauit: lex autem delictum abūdare fecit: lex inquit ſubintrauit,quia peccatum pri⁹ intrauerat.*Intrauit lex* ad hoc *vt abundaret delictum*,non quia lex mala eſſet, ſed quia ſub illa erant quos reos faceret,

iuben-

Lex tribus modis habebatur in tempore ſuo.

iubendo, non adiuuando. Lex tri- A
bus modis habebatur in tẽpore ſuo.
1. Quibuſdam. n. erat ſolummodò in
ſignum, vt Abrahæ: qui circunciſus
eſt, non vt per hoc iuſtificaretur, ſed
in ſignum iuſtificationis iam accep-
2. tæ per fidem. Alijs lex erat pædago-
gus, vt quemadmodum puerum ne
inſoleſcat vagandò pædagogi coër-
cet cuſtodia; ſic lex minando pęnam
coërcebat quoſdam ab actu peccati.
3. Alijs autem erat lex cauſa prçuarica-
tionis. In his autem duobus quibus
lex in ſignum iuſtitiæ vel pædagogus B
erat nihil operabatur: quia qui iuſti
erant vt Abraham, per fidem hoc e-
rant non per legem. Qui verò ſe ti-
more coercebant à malo, non hoc
per legem, ſed per donum Spiritus
ſancti. i. per ſpiritum timoris facie-
bant. Alijs verò lex cauſa erat delicti,
quia præuaricationis. Per legem de-
lictum abundauit, ſed per gratiam e-
uacuatum eſt. *Vbicunq;* enim *abunda-
uit delictum*, vel ſub lege vel extra le-
gem: *ibi gratia abundauit ſuper* deli-
ctum: quia nõn ſolum remiſit pecca-
ta, ſed & iuſtè operari conceſſit. Quia C
iterum aliqui errabant ex eo, quod
dictum eſt gratiam ſuperabundaſſe,
vbi fuit delictum, dicentes ſe impu-
nè opportunè etiam peccare, quia
gratia Dei omnia dimitteret, & quã-
tò plura tantò glorioſior eſſet. De-
terminat quidem Paulus, gratiam
Dei quotquot peccata ſint, in baptiſ-
mo omnia dimittere: Sed poſtquam
iuſtificati ſunt, ſi iterum peccant, nõ
ſicut prius ex gratia, ſed merito pœ-
nitentiæ dimittentur peccata. Vnde D
ſic ait. Gratia vtique Dei abundauit
hac lege: *vt ſicut peccatum* ante iuſti-
ficationem *regnabat* ducendo *in mor-
tem*; *ità & gratia* poſtquam remiſit
peccata, *regnet per* acceptam *iuſtitiã*
bene conſeruatam, eundo *in vitam
æternam*. Non iam amplius reſpici-
endo ad iniquitatem. Regnet dico,
*Per Dominum noſtrum Ieſum Chri-
ſtum*, qui poſtquam iuſtifica-
uit per gratiam, dat vi-
tam æternam.

(·.·)

CAP. VI.

QVID *ergo dicemus? Manebimus in peccato, vt gratia abundet? Abſit. Qui enim mortui ſum⁹ peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? An ignoratis fratres, quia quicunq; baptizati ſumus, in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſum⁹. Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quo modo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus. Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati; vt vltra non ſeruiamus peccato: qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul etiam viuemus cum Chriſto: ſcientes quod Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra nõn dominabitur: Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel, quod autem viuit; viuit Deo. Ita & vos exiſtimate vos mortũos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu. Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore; vt obediatis concupiſcentijs eius. Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato; ſed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & membra veſtra arma iuſtitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur. Non enim ſub lege eſtis; ſed ſub gratia. Quid ergo? Peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit. An neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obediſtis: ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam? Gratias autem Deo, quod fuiſtis ſerui peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi eſtis. Liberati autem à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ. Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ. Sicut enim*

Ioann.8.34. 2.Pet.2.19.

exhi-

exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Cùm enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. Nunc verò liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam. Stipendia.n. peccati mors, gratia autem Dei, vita æterna, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

QVandoquidem gratia regnare debet per iuſtitiam conſeruatam ſemper, donec veniat in vitam æternam, *ergo quid dicemus? Permanebimus* iterum *in peccato iuſtificati* iam per gratiam, *vt abundet gratia*, iterum remittendo gratis quæ iterum deliquimus? *Abſit* hoc: vt tam peruerſa intentione reuertamur in peccatum. Hic incipit loqui de duplici reſurrectione. Prima qua ſecundum animam iuſtificamur in baptiſmate, quod baptiſma conſecrauit nobis Chriſtus in morte ſua, fundendo aquam remiſſionis de latere ſuo; inſinuans nos debere commori ſibi in baptiſmo: vt quemadmodum ille ſemel mortuus ad actus veteris hominis non eſt reuerſus; ſic & nos ſemel iuſtificati in baptiſmo, omnem vetuſtatem peccati ibidem interficientes, reſurrectionem animæ (ibi enim iuſtificata reſurgit) cuſtodiamus: ambulando in nouitate vitæ, quia ſi reſurrectionem animæ in iuſtitia conſeruauerimus: futuram reſurrectionem corporum cum Chriſto, in incorruptione profectò habebimus. Reuertamur ad literam, vbi probat non debere reuerti ad peccatum, dicens. Verè ſemel iuſtificatis, non eſt vlterius permanendum in peccato. Nam nos *qui* in baptiſmo *mortui ſumus peccato*, id eſt, ad hoc ne vltrà operemur peccatum: mortui dico ſecundum depoſitam vetuſtatem peccati, quomodo, id eſt, qua ratione nos

Reſurrectio duplex.

A qui ſic commortui ſumus Chriſto, *adhuc viuemus*, id eſt, perſeuerabimus *in illo* peccato? Et verè non amplius viuere debetis in peccato illo, quia *an ignoratis vos quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu*, id eſt, per inſtitutionem Chriſti, vel per Chriſtum conſecrantem nobis baptiſma. Nos vtique *baptizati*, id eſt, abluti à peccatis *ſumus in mortem ipſius*, id eſt, in ſimilitudinem mortis eius: vt ſicut ille ſemel mortuus eſt & ſemper viuit; ita & nos ſemel in baptiſ- B mo peccatis moriamur, & in iuſtificatione ſemper viuamus. Sicut probauit quod ſemel iuſtificati iterum peccare non debemus, ſic etiam probat quod à peccato nos benè continere poſſumus, dicens. Verè iuſtificati poteſtatem habemus, ſi volumus, non peccandi. *Nam* nos *conſepulti ſumus*: non ſolum mortui *cum Chriſto, in mortem* per baptiſmũ, quod quemadmodum Chriſtus in ſepulchro poſitus poteſtatem non habuit ſecundum carnem manum vel pe- C dem extendere ad actus veteris hominis: ſic & nobis ſi volumus, in baptiſmo poteſtatem dedit iam amplius non reuertendi ad vetuſtatem peccati. Ad hoc vtique conſepulti ſumus, *vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis*, non amplius reſumpturus actum mortalitatis: ſurrexit dico, *per gloriam patris*, id eſt, per verbum ſibi vnitum: vel propter magnificandam gloriam patris: ita nos *poſiti in nouitate vitæ*, id eſt, in reſur- D rectione animæ per baptiſmum iuſtificatæ: *ambulemus* proficiendo in accepta nouitate. Vere in nouitate vitæ poſſumus ambulare. Nam nos ſumus ſimiles reſurrectionis eius, quia quemadmodum Chriſtus reſurgens nouus homo fuit, ita & nos per baptiſmum vetuſtate peccati depoſita, in nouitate bonorum operum noui homines ſimus. Et verè ſimiles reſurrectionis erimus: *ſi complantati ſumus*: nec per nos hoc poteſt fieri, ſed per gratiam Dei *facti* cõplantati *ſimilitudini mortis eius*. i. ſi commortui fuerimus Chriſto, ea

ſimi-

A ſimilitudine, vt ſicut ille ſemel depoſitis miſerijs veteris hominis, ad illas vltra non redijt; ſic & nos in baptiſmo ſemel depoſita vetuſtate peccati: ad illud vltra non regrediamur. Si enim ſic complantati ſumus ſimilitudini mortis eius, *ſimul etiam* merito vnitate mortis *erimus* complantati ſimilitudini *reſurrectionis* eius, in nouitate operum proficiẽtes. Cõplantati ab illa ſimilitudine dictum eſt: qua ramus bonæ arboris, trunco malæ arboris inſeritur, fructuſq; nouos ibidem facit; ſic & nouitas iuſtificationis inſerta trunco noſtræ vetuſtatis, extincto ſapore veteri, fruct⁹ faciat inſertæ nouitatis. Similes vtiq; mortis Chriſti debemus fieri: *Scientes* hoc *quia vetus homo noſter ſimul cum Chriſto affixus eſt cruci*: ad hoc, *vt deſtruatur in* nobis *corpus peccati*: ita deſtruatur corpus noſtrũ in eo quod peccabat, *vt vltra non ſeruiamus peccato*, ſed imperium habeamus ſuper peccatum. Dominus Ieſus aliud genus mortis ſi vellet eligere poſſet, ſed non ſine myſterio cruci affigi magis voluit, ſignificans nobis vt quemadmodum manus & pedes, ſenſus. ſ. humanos affixos habuit; ſic & nos non ſolum opera, ſed etiam ſenſus affixos habeamus, ne cogitemus vel operemur mala. Et bene debemus & poſſumus non ſeruire peccato. *Nam ille qui mortuus eſt* in baptiſmo: à peccato liberatus eſt. Nec hoc ſolum, ſed etiam *iuſtificatus à peccato*. ¶ Poſtquam de prima reſurrectione, quæ eſt animæ, ſufficienter edocuit, quomodo eſſet obſeruanda, ſubiungit de ſecunda dicens, nos eam habituros merito primæ bene cuſtoditæ. Vtque magis capiamur amore eius; ponit commendationem ipſius, aperiens quam digna ſit & quam vtilis dicens. Non ſolum mortui peccato iuſtificamur, quæ iuſtificatio eſt prima reſurrectio, ſed etiam *ſi mortui ſumus* peccato: hoc eſt *cum Chriſto*: vt quemadmodũ Chriſtus ſemel mortuus, nunquam ad depoſitam vetuſtatem redijt: ſic & nos ſemel per baptiſmum in peccato mortui, non reuertamur

Cruci cur affixus Dominus.

ad peccatum. *Credimus* vtique & nos etiã *viuemus* in ſecunda reſurrectione *ſimul*. i. facti impaſſibiles & immortales: neque hoc alibi niſi *cum Chriſto*. i. in oculis eius viuemus poſiti incorruptibiles. Si mortui ſumus cũ Chriſto, profectò credimus, quod viuemus cum Chriſto, *ſcientes* hoc *quod Chriſtus ſurgens à mortuis iam nõ moritur*. i. iam non vlterius mortem guſtabit: quia ſemel mortuus ad iuſtificationem omniũ ſufficiens fuit. Nec ſolum non moritur: ſed etiam *mors non illi vltra dominabitur*. Dominia mortis ſunt, fames, eſuries, febres, & quæcunque miſeriæ. B Caput etiam & completio omnium miſeriarum mors. Sed nec mors nec miſeriæ quæ ſunt pręnuncię mortis, dominabuntur amplius Chriſto ſemel mortuo. Verè Chriſtus iam nõ moritur. Nam hoc *quod mortuus eſt peccato*. i. ad deſtructionem peccati, *mortuus eſt ſemel*. i. ſemel mori ſuffecit. Et ideo ſemel commori illi in baptiſmo ſufficiat nobis, perſeuerando in accepta iuſtificatione. Probat etiam quod mors vltra non dominabitur C Chriſto. Nam hoc *quod viuit viuit Deo*. i. vita Dei: quia ſi quemadmodum Deus viuit æternaliter & ſine corruptione, profectò nullũ Dominium in eo mortis erit. Quod dixit in toto debere commori Chriſto, vt ei cõuiuamus: adaptat modo Romanis, quorum hic intẽdebat inſtructioni, dicens. Quandoquidẽ neceſſe eſt commori Chriſto, ſi volumus viuere cũm eo: *ita*. i. hac ratione edocti *vos* Romani, *exiſtimate vos* quidem eſſe *mortuos peccato*, id eſt, credite vos D mortuos eſſe in baptiſmo, ne vltra manum porrigatis ad actum peccati: quod ſi ita mortui eſtis, exiſtimate etiam vos *viuentes Deo*. i. in accepta iuſtificatione animæ viuentes & hoc merito in corruptione corporum victuros: & hoc totum *in Chriſto Ieſu*. i. per Chriſtum Ieſum: qui & in præſenti iuſtificat, & in iuſtificatiõe permanentibus, vitam æternam præparat. Quod dixerat ſuperius, nos mortuos eſſe peccato, & viuendum eſſe

Mortis dominia quæ ſunt.

Deo:

Deo: videns hominem nullo modo poſſe in hac vita ſe cohibere à venialibus: determinat in quibus peccatis mori debeamus, & poſſimus, ſciens fomitem peccati naturaliter ineſſe cuique. Sed iã confortato libero arbitrio, poſſumus coercere fomitem peccati, ne prorumpat in actum. Et hoc determinans, ait: Quandoquidem viuẽtes eſtis Deo, *ergo peccatum*, id eſt, naturalis fomes peccati, *non regnet in* vobis. Regnare peccati eſt, conſentiendo, agendo, & in opere peccati conſueſcendo. Peccatum vtique non regnet *in corpore veſtro*, id eſt, quod iam veſtrum eſt, & per confortationẽ liberi arbitrij ſubiectum dominio rationis. Corpore dico licet iuſtificato, tamen adhuc *mortali:* & (niſi ratione regatur) prono in op⁹ peccati. Quare videndũ eſt, ne conſentientes mortalitati veſtræ, non viuatis Deo. Non itaque regnet peccatum *vt obediatis concupiſcentijs eius*. ſ. peccati. i. vt quod malè ſuadet infirmitas carnis veſtræ, opere perficiatis nec ſolum non obediatis opere, *ſed neque exhibeatis* ita, vt parata & opportuna per conſenſum faciatis *mẽbra veſtra* peccato. Quia ſicut nec operari, ſic nec malo conſentire debetis. Membra veſtra dico tunc facta *arma iniquitatis*, ſi fuerint exhibita peccato. Si enim peccato cõſenſeritis, tunc iniquitas armatur membris veſtris, vt per hæc arma perficiat quod malè cupit. Nolite vos exhibere delicto, *ſed exhibete vos Deo*, id eſt, præparate vos benè operando idoneos *Deo*. Et iuſtum eſt, vos dico factos *viuentes* in iuſtitia *tanquam ex mortuis*, mortui enim eratis in peccato. Nec ſolum actu exhibete vos Deo, ſed etiam *membra veſtra* in conſenſu & exhortatione bonorum præparate Deo. Mẽbra veſtra dico facta tunc *arma iuſtitiæ*. His n. armis perficiet iuſtitia, quod benè ſuadet & cupit. Debetis vtique & poteſtis exhibere vos Deo. *Nam peccatum*, etſi naturaliter ſit in vobis, *non tamen dominabitur in vobis*, ſi confortato libero arbitrio, velitis vti, ſed potius vos

Regnare peccati quid eſt.

Liberum arbitrium.

A dominabimini ipſi peccato, ne habeat actum. Verè peccatum non dominabitur in vobis: *nõ* iam *enim eſtis ſub lege*, quæ reos faciebat iubẽdo nõ adiuuando; *ſed eſtis ſub gratia*, quæ dimittit peccata, & adiuuat operari bona. Quia iterum errare ex eo quoſdam ſentit, quod dixerat per gratiam omnia dimitti, & hac fiducia ſe peccare, quia gratia parata erat, & ſufficiens relaxare omnia: contra ſic malè operantes dicit hac intentione nõ eſſe peccandum, quia gratia omnia

B quidem dimittit, ſed ſi aliquis peccando ſe ſubduxerit gratiæ factus ſeruus peccati: quomodo ſcit ſi ad gratiam reuerti poterit, cùm iam ſub iugo peccati ligatus ſit? Quandoquidem ſub gratia ſumus quæ ſufficienter purgat omnia: *ergo quid dicemus? An* ideo licitè *peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege*, quæ iubendo grauat & non adiuuat; *ſed* ſumus *ſub gratia*, quæ & peccata remittit, & benè operari adiuuat? *Abſit*. Hoc inquit abeſſe debet, vt peccemus fiducia gratiæ: quia an *neſcitis quod ſerui eius eſtis cui exhibuiſtis* vos ad obe-

C diendum? Serui dico facti *cui obediſtis*, id eſt, in ea hora qua cito obediſtis. Eius ſerui dico: *ſiue peccati* cui obediſtis, ducentis *ad mortem*. i. ad damnationem. *Siue* ſerui eſtis *obeditionis*: i. iuſtitiæ ducentis vos *ad* maiorem *iuſtitiam:* quia obediẽdo peccato, ſerui peccati efficiemini, nec huius ſeruitutis vincula rumpere poteſtis libertate perdita. Ideò bonum eſt vt ſerui facti iuſtitiæ, à gratia non

D declinetis, quia ſerui facti peccati non poteſtis veſtro iure reuerti ad gratiam. Ideò in iuſtitia perdurate, nec propter hoc ſolum, ſed etiam ideò quia cùm olim iugo peccati depoſito, facti eſtis ſerui iuſtitiæ: ſi iterum ad vomitum veteris ſeruitutis relabimini, rei eſtis inſtabilitatis, & iuſtæ perditionis: quod ſic ait. Nõ ſolum pro eo quod præmiſſum eſt perdurare debetis in iuſtitia, ſed etiam pro eo quod ſequitur. Vnde *gratias ago Deo meo*, qui vos gratis ſine merito veſtro à iugo peccati liberauit.

A Inde vtique gratias ago: *quia vos aliquando fuiſtis ſerui peccati, ſed* iam *obediſtis*, nec coacti, ſed *ex corde*, id eſt propria voluntate eundo *in formam doctrinæ*, id eſt, in doctrinam quæ vos fecit Deo conformes. Imago enim Dei deformata & excæcata fuerat in vobis: ſed per inſtructionem meam imaginem Dei in vobis reformaui. Formam dico illam, id eſt, tam excellẽtem ſicut reformationem imaginis Dei: *in quam* formam *traditi eſtis* per miſericordiam Dei, & doctrinam noſtram. Per vos enim inſufficientes eratis reformari. Olim fui- B ſtis ſerui peccati, ſed nunc *liberati à peccato, facti eſtis ſerui iuſtitiæ*: & ideò nolite vlterius redigi in ſeruitutem peccati. Et vobis factis iam ſeruis iuſtitiæ *dico humanum*, id eſt, præcipio vobis quiddam ſatis leue, ad quod humanitas veſtra ſatis poteſt ſufficere. Et hoc quia ſpirituale eſt arduum non præcipio vobis: facio *propter infirmitatem carnis veſtræ*, id eſt, quia ſcio vos adhuc carnalitate premi, nec ſatis firmos in ſpiritualibus, *humanum* vtique *dico*. Nam C hoc humanum eſt *ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ*, id eſt, luxuriæ, gulæ, libidini; ſeruire etiam *iniquitati*, id eſt, omni contrario æquitati *ad* conſummandam *iniquitatem*; ſaltem *ita nunc* fideles facti *exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ* eundo *in ſanctificationem*, id eſt in plenitudinem iuſtitiæ. Hoc vtique ſatis humanum eſt, vt quantum ſeruiſtis diabolo, tantum ſeruiatis Deo, cui multò magis eſtis obnoxij. D Verè quia ſerui facti eſtis Dei, ſeruire debetis iuſtitiæ. *Nam cùm prius eſſetis ſerui peccati, liberi* tunc *fuiſtis iuſtitiæ*, id eſt, expertes ab omni iuſtitia, fideliter ſeruientes peccato. Sed nunc facti ſerui iuſtitiæ, longè fidelius ſeruire debetis Deo. Quandoquidem amore peccati feciſtis vos expertes totius iuſtitiæ: *ergo quem fructum*, id eſt, quid vtilitatis *habuiſtis tunc* ante conuerſionem *de illis*, *in quibus nunc* poſt conuerſionem *erubeſcitis?* Ideò ſic interrogando inuehitur in eos, vt à ſeruitute peccati, magis deterreat. De temporali fructu peccati ideo ſolum requiro: nam de fine eorum ſatis conſtat: *finis illorum eſt mors*, id eſt, in fine vitæ abſorbet iſtos æterna damnatio. Serui facti peccati nullum fructum habuiſtis, ſed *nunc* per gratiam *liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum*, id eſt, fide ſuſcepta dignum: fructum dico tendentem *in ſanctificationem*, id eſt, in plenitudinem iuſtitiæ. Impij mortem habent, ſed vos habetis *finem vitam æternam*. Verè mors eſt finis illorum: nam *mors* eſt *ſtipendium peccati*, id eſt, peccatum miniſtrat hanc ſtipem, id eſt, mortem. Stipendium dicitur, hoc quod tribunus, vel prætor, penſata mercede militis, miniſtrat ei in exercitu. Mors habetur ex peccato, ſed *vita æterna* habetur *per gratiam Dei*. Licet enim aliquod meritum ſit ibi, prima tamen iuſtificatio fuit ex ſola gratia. Et directio vitę quæ ſequitur, & eadem gratia longè amplius quam meruerit remunerat: gratia dat vitam æternam: & hoc *in Chriſto Ieſu*. i. per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Stipendium quid dicitur.

CAP. VII.

AN ignoratis fratres (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore viuit? Nam quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro alligata eſt legi: Si autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri, vt non ſit adultera, ſi cum alio fuerit viro. Itaq; fratres mei & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti: vt ſitis vos alterius qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificetis Deo. Cùm.n. eſſemus in carne, paſſiones peccatorũ quæ per legem erant operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti.*

**marito.*

Nunc

A *Nunc aũt ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur; ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ. Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognoui, niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret. Non concupiſces.*

Exod. 20. 17. Deut. 5. 19.

Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem viuebam ſine lege aliquando. Sed cùm veniſſet mandatum, peccatum reuixit. Ego autem mortuus ſum, & inuentum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.

1 Tim. 1. 8.

B *Nam peccatum occaſione accepta per mandatũ ſeduxit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem: vt fiat ſuprà modum peccans peccatum per mandatum. Scimus enim: quia lex ſpiritalis eſt. Ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato. Quod enim operor nõ intelligo. Non enim quod volo * hoc ago, ſed quod odio * illud facio.*

* bonum
* malum

C *Si autem quod nolo illud facio, conſentio legi quoniam bona eſt. Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum. Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet.*

D *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem * me in lege peccati quæ eſt in membris meis. Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati.*

Di. 6. c. 1 in fi. 32. q. 5. ſ. Paulus.

* captiuum me ducẽt: m in lege, &c. 15 q. 1. §. 1.

A QVIA ſuperius ſatis probauerat, debere eos ſubijci gratiæ, & ſeruiendum eſſe Deo, ne modo in legalibus putarent ſe debere ſeruire Deo (peccatum enim eſſe credebant, ſi etiam in tempore gratiæ legalia prætermitterent) probat Paulus non vlterius ſeruiendum eſſe in legalibus; quæ ſi deſerunt, non eſt peccatum; ſi faciunt, rei ſunt. Non enim tenenda eſt vmbra; poſtquam venit veritas; & cùm carnalem legem expellat, ſpirituali legi alligat eos. Litera ſic iungitur. Per Chriſtum Ieſum eſt vita æterna tantum: Nam per legem non: quia *an ignoratis fratres*: vt magis excitet ad intellectum huius rei:

B & fratres vocat, & interrogat. Nec ignorare debetis (*ſcientibus enim legem loquor*) quia ſi benè conſulitis idem inuenietis. An ignoratis dico *quia lex* quæcunque poſita ſit; *dominatur in homine*, non ſemper, ſed *quanto tempore viuit* lex in eo homine, vel homo ſub ea lege? Velut ſi in qualibet vrbe pręceptio aliqua poneretur, vſque ad determinatos annos, qui intra hos annos præceptum

C poſitum non attenderet, reus eſſet tranſgreſſionis poſitæ legis. Qui verò finitis determinatis annis faceret contra poſitam legem, reus inde nõ eſſet, quia tempus eiuſdem legis iam prætetiſſet. Sic de lege Iudæorum, qui tempore Moyſi vſque ad tempus Chriſti eam non obſeruaret, reus eſſet. Sed poſtquam venit gratia, iam tempus eius legis præterijt, & ſic reus non eſt qui eam deſerit. Verè lex poſita dominatur, quandiu homo viuit ſub lege, vel lex in homi

D ne. Nam lex coniugalis iſta eſt. *Mulier quæ eſt ſub viro*, maritali modo fœderata, illa *alligata eſt legi* viri, viuente viro: *ſed ſi mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt mulier à lege viri*. Quandoquidem mulier viuẽte viro alligata eſt ei. *Igitur* ſi *viuente viro* ſuo, *habuerit rem cum alio viro, vocabitur adultera.* Sed *ſi vir eius mortuus fuerit, liberata eſt à lege viri: ita vt ſi fuerit iuncta cum alio viro, iam non iudicetur adultera.* Et *ita*. i. ſimili ratione *fra*

tres mei vos eſtis mortificati veteri *legi*, quæ data fuit ſolummodo vſque ad aduentum Cſtriſti. Mortificati dico *per corpus Chriſti*, id eſt, per Chriſtum aduenientem, qui corpus, id eſt, veritas ipſius legis fuit: & cuius corporis lex vmbra fuit. Nec mortificati vt vidui remaneatis, ſed *vt* amodo *ſitis alterius, eius ſcilicet qui reſurrexit ex mortuis*, per quod ſatis commendabilis eſt vobis. Reſurrexit ad hoc vt per eum fructificaremus Deo, id eſt, per gratiam ad honorem Dei. Et modo tandem fructum facere licet ſub gratia, quia *cùm eſſemus in carne*, id eſt, detenti in carnalitate: tunc *paſſiones peccatorum*, id eſt, mala deſideria, *quæ* licet ſenſualis homo affectaret, rationalis tamen paſſiones eſſe iudicabat, quæ paſſiones *erant* notæ *per legem*: & augmentatæ per delictum præuaricationis. *Operabãtur in membris noſtris, vt fructificarent morti*.i. vt facerẽt fructum damnationis. Sed *nunc* poſtquam venit gratia *ſumus ſoluti à lege* veteri, quę erat nobis lex *mortis, in qua* morte peccati *detinebamur*: nec adiutorio legis ſurgere poteramus. Soluti inquit ſum⁹ à lege carnali: Ita.i. propter hoc, *vt* amodò *ſeruiamus in nouitate ſpiritus*.i. ſpiritualiter renouãtes nos quotidiè bene agendo: iuxta
Epheſ.4.23. illud: Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, *& non* amplius ſeruiamus *in vetuſtate literæ*, adhærentes literali intellectui, vt vetuſtas conſueuit.

Quia dixerat ſuperius, Iudæos mortificatos eſſe veteri legi, nec eſſe reuertendum ad eam, quia paſſiones peccatorum erant per legem, & per eam fructificabant morti; appellauerat etiam eã legem mortis, ne malè opinarentur Iudęi Paulũ hoc intelligere, vt lex eſſet cauſa peccati efficiens, & ad peccãdũ compellẽs, probat legem quãtum in ea eſt, eſſe bonam. Quia verò Iudæi ampli⁹ ſub lege peccarent, hoc corrupta natura faciebat, non lex. Litera ſic iungitur. Quãdoquidem per legẽ fructificabamus morti. *Ergo quid dicemus?* Dicemus quod *lex eſt peccatum*. i. cauſa peccati

A efficiens, & compellens ad peccandum? *Abſit* hoc vt legem dicamus eſſe peccatum, quod ſi dicerem⁹, & legem eſſe iniuſtã probaremus, & Deũ datorem legis de iniuſtitia argueremus, qui legem dediſſet compellentem ad peccatum. Per legem vtique non eſt peccatum, ſed bonũ. Cognitio.n. peccati. *Non enim cognoui peccatum niſi per legem*. Ante legẽ vtiq; fuit cognitio peccati, cũ pincerna & piſtor Pharaonis cauſa peccati in carcerem miſſi ſunt. Sed per legem dicit
B cognitum eſſe peccatum, quia originale ferè ab omnibus ante legẽ ignorabatur: & actualia multa neſciebantur eſſe peccatum, vt concupiſcentia de qua ſubdit. Pœna etiam infernalis. quæ ſequitur de peccatis, non ita ſciebatur, nec meritum futurum nõ peccantibus. Putabant enim omnes in inferno permãſuros, licet ſub diſſimilitudine pœnarum. Sed per legẽ cognitum eſt originale, cognita ſunt etiam multa actualia, prius incognita. Nec etiam ea quæ cognita erant,
C tanta eſſe credebantur. Cognita eſt etiam futura damnatio pro peccatis, & ideo ait. Per legem cognoui peccatum, & originale, & actualia, quanta erant, pœnamq; pro ijs futuram. Verè per legem cognoui peccatum. *Nam* hoc. ſ. *concupiſcentiam*, quam eſſe peccatum *neſciebam*, *niſi lex* ita *diceret: non concupiſces*. Lex quidem bona eſt, quia dat cognitionem peccati, ſed tamen per legem nihil bonum, ſed omne malum habui: licet non culpa legis, ꝙ æquipol-
D lenter ait. Licet lex bona ſit, tamen peccatum.i. corrupta natura, vel diabolus inſtimulans: *operatum eſt in me concupiſcentiam omnem*. i. voluntate, actu, conſuetudine peccandi. Hoc inquit operatum eſt *peccatum accepta occaſione per mandatum*. i. per legem mandatam hominibus. Accepta ait occaſione .i. opportunitate ex lege: tum quia fragilitas humana magis tendebat in vetitum, tum quia diabolus feruentius accepta lege inſultabat homini, videns legem datam fore quędam gradũ homini redeundi ad

Peccatū eſt corrupta natura. Homo duplex ſenſualis, & ſpiritualis.

di ad ſaluationem, quem prius quieto iure poſſidens inquietare negligebat. ¶ Notandum etiam, quod peccatum corruptam vocat naturam. Sunt.n. in vnoquoq; & ſenſualis homo & ſpiritualis. Senſualis dicitur pars illa animæ, cū corpore quæ ſenſificat corpus, & ita premitur mole carnis, vt per ſingulos ſenſus cōgaudeat voluptati, diligēs ſuauia guſtu, canora auditu, delectabilia viſu, iocunda tactu, bene fragrantia odoratu. Illa verò pars animæ quæ non ita premitur carne, & hic dicitur rationalitas, cōtradicit ſenſualitati, & naturaliter appetit quod bonum eſt. Verè peccatum operatum eſt in me malum, per mandatum. Nam dum eram *ſine lege, mortuum erat peccatum* .i. corrupta natura ſecundum quod minus impugnabatur à diabolo, minus cupiebat peccatum, quia non erat prohibitum. Peccatum tūc mortuum erat, *ego autem viuebam*. i. viuere mihi videbar cùm eſſem *aliquando ſine lege:* quia & min⁹ cognoſcebam, nec ita concupiſcebam peccatum, nec diabolus adeò inardeſcebat. Ante legem mortuum erat peccatum: *ſed cùm veniſſet mādatum,* quod mortuum erat *reuixit peccatum*.i. corrupta natura vires reſumpſit, magis ſtimulante diabolo, & vt eſt vitium humanæ fragilitatis magis concupiſcendo interdicta. Reuixit ideo: quia in principio vixerat, & cognitum fuerat originale, cùm adhuc recens erat. Veniente mandato reuixit peccatum: *ego autem ſum mortuus*, non ſolum de prioribus, ſed etiā de præuaricatione datæ legis reus factus. Et quandoquidem per legem reuixit peccatum: & ego mortuus ſum: igitur *mandatum quod erat* mihi datum *ad vitam* ſecūdum intentionem datoris: hoc mandatum, non iā ad vitā, ſed inuerſum *inuētum eſt mihi eſſe ad mortem.* Nō quia me compelleret ad peccatum: ſed quia cauſa fuit ſine qua nec reus eſſem præuaricatiōis, & cauſa pro qua diabolus magis inſurgeret: contra ꝙ lex nō adiuuabat, ſed præcipiendo impediebat: Congruè

A dicit inuentum eſt ad mortē. Non.n. poſitum erat mādatum ad mortem. Probat mandatum eſſe ſibi ad mortem, non tamen culpa legis, ſed vitio corruptæ naturæ compellentis, dicens. Verè mandatum inuentum eſt mihi ad mortem, *nam peccatum*.i. corrupta ſenſualitas ſeu diabolus *accepta occaſione*, ſeu quia ſuaſio delectationis ad peccandum vehementior eſt, cùm adeſt prohibitio, ſeu quia diabolus ardentius incumbebat. Sic vtiq; accepta opportunitate *per mādatum, ſeduxit me*, vt conſentirē

B peccato: *& per illud* ſeducere *occidit* me, præcipitando in actum peccati. Et quandoquidem mādatum erat ad vitam, ex culpa peccati inuerſum eſt ad mortē. *Igitur lex ſancta* eſt. i. præcepta legis ſancta ſunt, *& mandatum* .i. opus præceptorum; vt ieiunare, dare eleemoſynam. Hoc inquit mādatum *ſanctum*.i. ſancitum & firmatum in bono eſt. Eſt etiam iuſtum æquitatem ſeruans ad proximum. Eſt etiam *bonum*.i. vtile implenti illud. Modo ſufficienter probauit legem

C eſſe bonam in ſe. Sed diceret Iudæus; non curo an lex bona ſit, cùm ſit mihi cauſa damnationis: quo contra Paulus probat per legem neminem dānari, ſed potius enutriri in bono. Corrupta verò natura hæc, cauſa eſt compellens ad peccatum. Vnde ſic ait. Quandoquidem mandatum ſanctum eſt: *ergo illud quod* in ſe *bonum eſt* credi debet, *quod mihi factum eſt mors*.i. cauſa cōpellens me ad mortē? *Abſit* hoc, vt illud quod bonum eſt, ſit cauſa quæ malum efficiat. Manda-

D tum vtiq; quod bonū eſt, non eſt mihi factū mors, *ſed peccatum*.i. corrupta natura: vel diabolus inſtimulans peccatum; ita dico *vt appareat*, id eſt, vt cognoſcatur eſſe *peccatum:* illud *operatum eſt mihi mortem per bonum*.i. accepta occaſione à lege quæ bona eſt, coegit me magis peccare. Præuaricari etiam quod prius non erat. Operatum eſt dicit ita per bonum *vt peccatum fiat:* peccans nunc in lege *ſupra* priorem *modum*.i. priuſquam lex daretur *per mādatum*.i. per

præuaricationem mādati magis *peccans*. Verè lex non eſt operata mortem, ſed peccatum. Nam nos ſcimus ab auctoritate vim habente. *Scimus* vtiq; *quia lex eſt ſpiritualis*, id eſt, vel data per Spiritum ſanctum, vel nutriens ſpiritum hominis, quorum alterum ſi ſit, conſtat quia non eſt cauſa mortis. Lex vtiq; eſt ſpiritualis, *ſed ego ſum carnalis*.i.adhærens carnalitati; *venūdatus*: quem primus parens pro guſtu pomi venundedit, nec ita vt ſim ſolum in peccato, ſed etiam *ſub peccato*: quia & ſi volo, & diu laboro, per me tamen ſurgere nequeo. ¶ Hic incipit oſtēdere, quod lex & rationalis homo in voluntatē boni conſentiant: ſed tamen ab illo tertio. i. à corrupta natura ſuperantur. Et hoc de rationalitate quod bona ſit & bonum velit conueniēter probat. Sicut.n. ſi lex mala eſſet, dator legis inde vituperaretur. Sic etiam ſi naturalis ratio aduerſaretur bono, iuſtè qui rationem dederat de malo rationis calūniaretur. Verè ſub peccato ſum. *Nam quod* ego *operor*, ſiue dimittendo bonum quod vtique eſt operari malum, ſiue faciendo malū, quod inquam operor ego ſenſualis: *intelligo* ego rationalis *non* eſſe operandum. Verè operor dimittēdo bonum, quod intelligo non eſſe operādum. *Non enim ago hoc bonum quod* ego rationalis *volo*: & verè operor faciendo malum quod intelligo non eſſe operandum. Nam ego carnalis facio *illud*, *quod* ego rationalis *odio*. Et nunc quia lex ſpiritualis & bona eſt: Rationalitas verò mea bonum vult cum lege, inde apparet, quod lex & ratio ſimul ſentiant, licet carnalitas præualeat. Ago inquit illud quod odi .i. illud quod nolo. *Si autem* rationalis *nolo illud quod* carnalis *facio*: ecce iam *conſentio legi*, id eſt, idem volēs teſtis ſum legi de hoc *quod bona eſt*. Quandoquidem ego rationalis nolo illud quod carnalis facio. (Illud nunc illatiuum eſt) *Ergo ego* rationalis *iam non operor illud* quod me nolente operatur caro, *ſed peccatum*, id eſt, fomes peccati, *quod* peccatum *habitat*, id eſt, aſſiduè remoratur *in me* carnali. Et verè peccatum habitat in me, quia bonum non habitat in me. Quod ſic ait. *Scio quidem quia bonū non habitat in me*, hoc quod dico in me eſt. i. *in carne mea* .i. in me carnali. Et hoc probat. Verè bonum non habitat in carne mea, nam neque per voluntatem, neque per actum. Per voluntatem quidem non habitat. *Nam velle* bonum *adiacet mihi* carnali. i. quodāmodo approximat carni. Nemo enim tam impius, quin aliquando ſaltem bonum velit: quod ſi adiacet, ergo non habitat in me, velle bonum adiacet. *Sed perficere bonū* illud *nullo modo inuenio* in carne mea. Verè perficere bonum non eſt in me carnali. *Nam* ego carnalis non *facio hoc bonum quod volo* rationalis. *Sed* ago carnalis hoc malum, *quod nolo* rationalis. Vel aliter. Verè perficere bonum ex toto non inuenio in me. Nam etiam hoc bonum non facio quod bonum eſſe cognoſco, & ideò facere volo. Non enim omnia bona mihi nota ſunt. De eo ꝙ dixit ſuperius ad aliud probandum, non quod volo hoc ago; iterum hoc per aliud probato, infert dicens. Quādoquidem ego rationalis *nolo malum*, *quod ago* carnalis: ergo *ego* rationalis *non operor illud* malum, *ſed peccatum*, .i. corruptio naturæ: *quod* peccatum *habitat in me* carnali, operatur illud malum. Repetit locum vnde inferat, ſi quod nolo illud facio. Quandoquidem ego rationalis nolo malum. Lex autem (ſicut probatum eſt) malum ſimiliter non vult. *Igitur* ego rationalis *inuenio legem* eſſe bonam.i.vtilem mihi rationali volenti facere bonum. Lex bonum docens, & ratio bonum volens, conſentiendo in bono ſeinuicem inueniunt. *Volenti facere bonum & non facienti*, bene dico: *quoniam malum* carnalitatis *adiacet mihi* rationali: & ꝑpterea bonum quod volo perficere nequeo. ¶ Nota, quoniam Paulus figuratiuè ſub perſona ſua de omnib⁹ loquitur, aſſumens ſibi perſonam, nunc ante

legem

legem nunc in lege. Verè bonum inuenio in me. *Nam* ego *cōdelector legi Dei:* quia & illa bonum vult & ego cum ea. Condelector dico *ſecundum interiorem hominem*, quia interior homo rationalis vult quidem bonū: etſi nequeat operari, cùm modo dixerit, quod lex & rationalitas bonū velint, oſtendit vtrumque ſuperari à tertio .i. à carnalitate, quod tertium oſtendit ſuperandum eſſe per gratiā, & hoc ſatis idoneè facit. Cùm enim legem oſtendat deprimi per carnalitatem, nec eos qui ſub lege fuerunt quicquā boni feciſſe, niſi per gratiā. per hoc planè Iudæos inſinuat debere ſubijci penitus gratiæ Dei, & non amplius legi. Per hoc iterum quod rationalitatem, etſi bonū vellet, ſuccubuiſſe tamen carnalitati dicit; gentiles ne ſe de libero arbitrio efferant, deprimit, & ſic oēs gratiæ Dei ſubijcit. Licet ſecundum interiorem condelector legi Dei; *tamen video aliam legem in membris meis* .i. in carnalitate mea. Legem ideò dicit, quia quēadmodum ratio dictat agere quod bonum eſt, ſic ſenſualitas quod malum eſt: legem membrorum dico, *repugnantem legi mentis meæ* .i. bonis quæ ratio ſuadet. Nec ſolum repugnantē, ſed etiam *captiuum ducentem me in legem peccati:* vt operer ea quæ corrupta ſenſualitas dictat: *quæ* lex peccati *eſt in membris meis* .i. in ſingulis ſenſibus diffuſa. Et quandoquidem lex membrorum captiuum me ducit in peccatum: ergo *ego* rationalis ſum *infelix:* quia ſum *homo* .i. quia carnalitate deprimor: & *me* infelicem *quis liberabit de corpore mortis huius* .i. de morte peccatorum, quæ ſunt in corpore meo: vel de corpore mortis .i. de tota hac maſſa peccatorum, quæ ducunt ad mortem? Lex non poteſt liberare me Iudæum, non ratio naturalis me gentilem, cùm hæc in vtroque deficiant. Scio liberationem meam, *gratiam Dei* datam *per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Illa profectò liberabit me, & ideò vos Iudæi gratiæ efficaci, non legi impotenti, vos iterum gentiles gratiæ Dei non

A rationi debilitatæ, ſubijcimini. Conſiderandum eſt, quod duplex velle bonum ſit in homine. Alterum ſecundum naturalem rationem, quæ corruptione peccati depreſſa, bonū quod vult operari non ſufficit. Alterum velle ſecundum inſpirationem Spiritus S. per quem fomes peccati deprimitur, vt bonum operari poſſimus. Velle autem naturalis rationis hoc erat, de quo ſuperius dicebat. Non quod volo bonū hoc ago. ¶ Dixerat ſuperius interiorem hominem & legem condelectari in bono ſola

Duplex velle bonum eſt in homine.

B voluntate non actu, quia contra hæc duo inualeſcebat fomes peccati, legē & rationem expugnans: ſed poſtquā Deus oſtendit vtrumq; bonum legis & rationis in homine deficere, dedit ad vltimum gratiam ſuam, quæ liberum arbitrium confortauit; vt iam ſi velit homo bonum poſſit operari, & benè coercere fomitem peccati. Quia aūt hominem redemptum per gratiam, Deus non penitus à fomite peccati diuiſit, cauſa hæc fuit, quia reliquit meritum homini. Si enim homo ſola neceſſitate quia non poſ-

Fomes peccati quare relictus eſt hominibus.

C ſet, non peccaret, non eſſet meritum quo ſaluari deberet. Vt aūt locus eſſet merendi, fomitem peccati reluctantem dimiſit, debilitatum tamen & (ſi velit homo) ſubditum rationi. Quia iterum hominē à peccato redemptum, non in tanta dignitate reſtituit, in quanta fuerat Adā cùm cecidit, factum eſt ne iterum homo de ſubita & tanta felicitate ſuperbiendo, irreparabiliter caderet. Quare ad memoriam peccati, & ad cuſtodiam humilitatis opportunè relicta eſt pœ-

D na peccati; vt etiam per hoc oſtendatur vis S. Spiritus, adiutorio cuius, rationalis homo ſubigit ſibi carnalem: cui ſubiectus fuit, quamdiu ſine gratia fuit. Litera ſic iūgitur. Quādoquidem gratia Dei data per Ieſum Chriſtum me liberauit: *igitur ego ipſe* qui ante gratiā ſubiectus eram carnalitati, iam quod bonum volebam potens operari, non ſolum volo, ſed etiam *ſeruio mente* .i. poteſtatem habeo ſecundum quod ratio ammonet

benè operando ſeruire *legi Dei.* Nec A ita tamen vt fomes peccati penitus in me deſtructus ſit, *ſed* poteſtatem habeo ſeruire *carni*.i. ſecundùm carnalitatem *legi peccati.* In hoc etiam maximum notat miraculum, quod fomes peccati, contra quem nihil prius poterat ratio, nunc ſubiaceat rationi ſi velit homo.

CAP. VIII.

NIHIL *ergo nunc damnationis eſt his qui ſunt in Chriſto Ieſu: qui non ſecundum carnem ambulant. Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis. Nam quod impoßibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum. Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt: qui verò ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus ſentiunt. Nam prudentia carnis mors eſt, prudentia autem ſpiritus vita & pax. Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo. Legi enim Dei non eſt ſubiecta, nec enim poteſt. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis. Si autem quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Si autem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus verò viuit propter iuſtificationem. Quia ſi ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis habitat in vobis, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis viuificabit, & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis. Ergo fratres * debitores ſumus, non carni vt ſecundum carnem viuamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicunque enim ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater. Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, vt & glorificemur. Exiſtimo enim quod non ſunt condignæ paßiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim omnis creatura* B *ſubiecta eſt, non volens: ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe: quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit & parturit vſque adhuc. Non ſolum autem illa, ſed & noſipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalui facti ſumus. Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes. Nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus: per patientiam expectamus. Similiter autem* C *& ſpiritus adiuuat infirmitatem * noſtram. Nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus: quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur * in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* D *Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem inſtificauit, illos & magnificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt, immò qui*

&

19. *quaeſt.* 2. *dua in fine de renunt. cap niſi* §. *verum ſi.*
2. *Tim.* 1. 7.
Gal. 4. 5.
1. *quaeſt.* 3. *ſaluator in prin.*
De pen. diſt. 4 *cap. hanc ſocietatem* §. *quod autem.*
2. *diſt cap propoſuiſti.*
* *Spiritui.*
* *Noſtra operationis.*
* *Cooperatur.*
De pœnit. diſt. 2 *cap. talibus & ca. Apoſtolus & diſt.* 4. *cap. ſi ex bono* §. *ſicut ergo.*

& reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis : Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? An anguſtia? An perſecutio? An fames? An nuditas? An periculum? An gladius? Sicut ſcriptum

Pſal. 43. 23. *eſt. Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neq. angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neq. fortitudo, neque altitudo, neq. profundum, neque creatura alia * poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

* aliqua.

QVandoquidem mente ſeruire poſſum lege Dei. *Ergo* nunc in tempore gratiæ *nihil damnationis* relictum eſt *his qui ſunt in Chriſto Ieſu*, .i. qui in fide Chriſti renati ſunt. Non quod modo boni ſint, modò malè agendo non ſint, ſed quia ita ſunt in Chriſto Ieſu, *quod non ambulant ſecundum carnem*.i. non delectantur in malis, ſectando carnalitatem. Ambulare congruè remouet. Impoſſibile enim eſt, non inuicem facere quæ carnis ſunt. Propterea non dixit, qui ſunt ſecundum carnem, ſed qui ambulant.i. qui de malo non pœnitent, ſed conſueſcendo delectantur in eo. Verè nihil damnationis eſt his qui ſunt in Chriſto Ieſu. Nam *lex ſpiritus* .i. vel quam Spiritus ſanctus dictat: vel ipſa rationalitas, ſpiritus dico datoris *vitæ* .i. qui dat hîc viuere in virtutibus : vnde etiam prouenit vita ęterna. Vitæ dico habitę *in Chriſto Ieſu* .i. per Chriſtum Ieſum. *Liberauit me à lege peccati*.i. à fomite peccati, *&* à lege *mortis* .i. ab actu fomitis peccati, ne quod fomes malè ſuadet, operarer. Verè liberatus ſum à lege peccati : *nam* per filium Dei. *Deus* enim *miſit Filium ſuum* : non quod Filius abeſſet alicubi, ſed quia ipſe natura inuiſibilis per vnitam ſibi carnem factus eſt viſibilis, miſſus dicitur ſecundum cognitionem noſtram. Miſit vtique Deus Filium ſuum, non in carnem peccati, ſed *in ſimilitudinem carnis peccati* .i. in carnem ſimilem carni peccatrici. Chriſtus enim omnem carnis materiam præter peccatum ſuſtinuit : & per miſſum Filium *damnauit peccatum* .i. fomitem peccati : quod erat *in carne* noſtra. *De peccato* .i. per Filium qui fuit hoſtia pro peccatis omnium oblata. Vnde & Chriſtus dictus eſt peccatum. Hoſtia enim pro peccato oblata, peccatum dicebatur, vel pro peccato. Vel ita. Damnauit peccatum .i. ſathanam de peccato : quod diabolus fecit in carne Chriſti. Diabolus enim ius habebat in omnem hominem propter originale peccatum : de quo quia Chriſtus reus non fuit (non enim in concupiſcētia carnis natus eſt) in eum diabolus indebitum ius vſurpauit : ideò ius quod conceſſum ipſi erat in omnes, perdidit, & ſic quia incōceſſa captauit, iuſtè cōceſſa perdidit. Damnauit vtiq; peccatum : ad hoc, *vt impleretur in nobis iuſtificatio legis* .i. quam lex præſignabat, & implere non poterat in nobis de termino: *qui non ambulamus ſecundum carnem* .i. ſequendo deſideria carnis : *ſed* ambulamus *ſecundum ſpiritum* .i. ſecūdum quod dictat Spiritus S. vel ratio. Damnauit dico peccatum, quod .ſ. damnare peccatum impoſſibile erat legi. Lex enim impotens erat liberare ab originali, in quo.i. in implenda iuſtificatione, lex infirmabatur per carnem.i. quia carnalitatē ſectabatur : verè iuſtificatio non impletur, ijs qui ambulāt ſecundum carnē. *Nam ij qui* ſectātur *carnalitatem, ſapiunt*.i. ſaporem bonum capiunt in his quæ carnis ſunt. Amodo in ſequētibus longè cōmendabit legem ſpiritualem per oppoſitum, deprimēdo carnalem. Quid inde diceret aliquis ſi ſapiunt ea quæ carnis ſunt? Malum vtiq; multum eſt hoc. *Nam prudentia carnis eſt mors*.i. vacare ijs quæ caro ſuadet, mors animæ eſt. His qui ſequuntur ſpiritum implebitur iuſtificatio legis. Nam qui ſunt ſecundū ſpiritum, ſentiunt.i. ſapiunt & ſectātur ea quæ ſunt ſpiritus.

Chriſtus dictus eſt peccatum.

Et quid inde diceret aliquis? Multum equidem. Nam *prudentia eſt ſpiritus vita*.i. viuere hic in virtutibus, *&* eſt *pax*.i.trãquillitas animi,& quies à tẽptationibus. Non enim oẽs qui viuũt in virtutibus, pacem hãc habent, ſed admodum pauci: ideò prudẽtia carnis eſt mors, *quoniam ſapientia carnis eſt inimica Deo*, quamdiu inimicatur Deo, viuere nequit. Sed qui bonum carnalitatis ſuæ Deo pręponit: regnũ Dei (quantũ in ſe eſt) diminuit, ſubijciens ſe regno carnis. Verè ſapientia carnis eſt inimica Deo. *Nam non eſt ſubiecta legi Dei*, ſed imperio carnis. Nõ eſt ſubiecta, *quia nec eſſe poteſt* ſubiecta, quãdiu carnalitati adhæret. Quid enim enumerare quæro ſingula dicens, prudẽtia carnis eſt mors & inimica Deo? vt paucis comprehendam: *quicunque ſunt in carne*.i.in carnalitate, quamdiu ibi detinẽtur, *Deo placere non poſſunt*. Quia modo dixerat, qui in carne ſunt Deo placere nequeũt, ne per hoc deterreret Romanos, qui prius iuſtificatione accepta, ad aliqua peccata relapſi fuerant, demulcet eos blandiendo, tamen quæ facienda ſint eis apertè inſinuãs. Qui in carne ſunt Deo placere nõ poſſũt: Sed *vos* ô Romani *nõ iam eſtis in carne*, nec vos in carne eſſe intelligo, *ſed* eſtis *in ſpiritu*. Hac cõditione tamen vos eſſe in ſpiritu pronuncio, *ſi Spiritus Dei* quem in baptiſmo accepiſtis *habitat*.i. perſeuerat *in vobis*. *Si quis aũt* (non dico de vobis, ſed quicunq; ille ſit) qui *non habet ſpiritum Chriſti, hic non eſt eius*.ſ.Dei.i.non habet partem cũ Deo. Hic planè oſtẽdit Apoſtolus, Spiritum ſic à Filio, vt à Patre procedere, vbi ait ſpiritũ Dei, & ſpiritum Chriſti, & quod idem ſit ſpiritus Dei, & ſpiritus Chriſti. *Si autem Chriſtus*.i. ſpiritus Chriſti *eſt in vobis, corpus quidem veſtrum mortuum eſt*.i. mortalitati adhuc ſubiacet *propter peccatum*.i.vel propter pęnã peccati, vel propter cuſtodiam, ne iterũ cadatis per elationem. Corpus quidem adhuc eſt mortuũ, *ſed ſpiritus* veſter iam *viuit propter iuſtificationem*.i.per opera iuſtitiæ quæ exercet iuſtifica-

Spiritus non minus à Patre, quam à Filio procedit.

A tus a peccatis: vbi ait: Si Chriſtus eſt in vobis, innuit Chriſtum & Spiritũ S. idem eſſe in ſubſtãtia Deitatis. Nec ſolum per ſpiritum habitantẽ in vobis, vitam ſpiritus habebitis, ſed etiã *ſi ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis*, pro hac cauſa quia Spiritus S. in eo habitauit. Si, inquit, idem ſpiritus *habitat in vobis*, *viuificabit etiã mortalia corpora veſtra*, facta immortalia propter eandem cauſam .ſ. *propter inhabitantem ſpiritũ eius in vobis*. Et quia ſic de vobis facere poſſit, & facturus ſit, præſignauit in eo *quod* iã B *ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis*. Quia ſi quęritur, quare Chriſtus ante omnes incorruptibilis ſuſcitatus ſit? Reſpondetur ideò quia de Spiritu S. conceptus ſit: quia peccatum nõ fecit, & quia per eum incorruptionem omnes habituri ſunt: dignum fuit, vt omnes in hoc, & tempore præueniret, & plus omnibus acciperet. Quãdoquidem Deus & iam animam viuificauit, & corpus viuificabit, *ergo fratres iam non ſumus debitores carni*.i. iam nihil debemus carnalitati, ſed ſpiritui: quia per ſpiritum viuimus, C & adhuc viuificabimur. Debemus quidem carni quæ neceſſaria ſunt ei: vt victum & tegumentum: ſed non ita viuamus ſequentes carnalitatem. *Si enim ſecundũ carnem vixeritis*, non viuificabimini, ſed *moriemini*. *Si autem facta carnis mortua feceritis, per ſpiritum viuetis*, & hic ſecũdum animam, & in futuro ſecundum corporis incorruptionẽ. Et mortificare debetis. Nã ſpiritu Dei agimini, & verè viuetis, quia filij Dei eritis. Quod ſic ait. Verè ſi mortificaueritis carnem, D per ſpiritum viuetis. *Nam quicunque aguntur ſpiritu Dei* (quod eſt mortificare facta carnis) *hi ſunt filij Dei*, & hæc eſt vita æterna. ¶ Poſtquam ſatis commendauit legem ſpiritus, oſtendit quanta vtilitas ſit nobis per Spiritum S. quod iã partim ſupra oſtẽdit. Verè filij eſtis. *Non enim* iam eſtis ſerui, quod ſic ait. Vos quidem *accepiſtis ſpiritum*, ſed non ſpiritum *ſeruitutis*: vt amplius ſerui ſitis, & ſeruiatis *iterũ in timore*. Dum enim ſub lege era-

Chriſtus quare ante omnes incorruptibilis ſuſcitatus.

Carni quid debemus.

tis, timore pœnarum quas lex minabatur ſeruiebatis: qui aũt timore pœnæ ſeruit, pœnam euadit, gloriã non meretur. Spiritum ſeruitutis vtique non accepiſtis, *ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum* .i. per quem adoptamini in filios Dei. *In quo* ſpiritu docente, nos *clamamus, abba pater.* Abba Hebræũm eſt, ſignificans id quod pater, vel pater græcum. Ideò hebræam vocem poſuit, & vocem gẽtium: ſeu græcã, ſeu latinã: vt oſtẽdat vtrumq; populũ, Iudæum & gẽtilem in nouitate ſpiritus debere ſeruire Deo, non iam in vetuſtate literæ. Verè in ſpiritu clamamus abba pater. Nã *Spiritus S. reddit teſtimonium ſpiritui noſtro* .i. docet rationem noſtram, hoc *quod ſumus filij Dei.* Niſi enim ſpiritus hoc inſinuaret, neſciremus nos eſſe filios Dei. *Si autem* ſumus *filij*, erimus *etiã hæredes.* Ecce quot vtilitates ſunt nobis per ſpiritum. Prius adoptamur in filios. Dehinc clamamus. Hęredes etiam conſtituimur, nec vilis hæreditatis, ſed *hæredes Dei*, quia Deus diſtribuet nobis hæreditatem ſuam .i. totius boni ſufficientiã. Si quærimus quomodo ſumus hæredes Dei, cùm vſus habeat hæredem eſſe morte deceſſoris? Reſpõdetur, quia Deus quodammodo nobis morietur in futura beatitudine, ſecũdum hoc quod nũc videmus eum per ſpeculũ & in ænigmate, tũc autem facie ad faciem ſumus viſuri. Hæredes erimus Dei, *cohæredes autem Chriſti*, quia eandem hęreditatem quam Chriſtus .i. incorruptionem ſecũdum carnem modo noſtro accipiemꝰ. Hæredes dicit Dei, velut eius cuius eſt hæreditas, eamq; diſtribuit. Cohæredes Chriſti, velut eius qui nobiſcũ partẽ capiet hęreditatis. Cohæredes erimus Chriſti, hac tamen cõditione dico: *ſi compatimur* Chriſto non intẽtione laudis vel lucri tẽporalis: ſed *vt glorificemur*, deſiderio tãtum ęternæ gloriæ. Compati vtiq; debemus, vt glorificemur. *Nam ego exiſtimo* (& verum eſt) quod *omnes paſſiones huius tẽporis* .i. quæ temporales ſunt, & huius .i. tam breuis tẽporis, *non ſunt condignæ ad* promerendam *futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, quia nec nos ipſi qui eã habituri ſumus, quã digna & magna ſit intelligimus. Verè gloria hæc reuelabitur in nobis. *Nam expectatio creaturæ* .i. totius Eccleſię *expectat reuelationem filiorum Dei*, vt & ipſi inter filios Dei reuelentur. Quia ſi omnis Eccleſia hoc expectat, credẽdum eſt futurũ eſſe quod expectat. Expectatio expectat, frequentiã notat. Creaturam vocat Eccleſiam, nã hæc ſpecialiter creatura Dei eſt, quã etiã iuſtificãdo nouã creaturã fecit: & quia cauſa eius bona omnia creata ſunt, ideò creatura .i. Eccleſia expectat hãc reuelationem, *quia ſubiecta eſt vanitati* .i. miſerijs carnis, quæ vanæ ſunt. Si enim modo comedit, poſt modicum iterum eſuriet, ſi bibit, iterum ſitiet, & ſic in cæteris. Et quia hæc omnia videt vana, ideò expectat hoc vbi nulla ſit varietas. Subiecta quidẽ eſt vanitati, ſed *non volẽs*, quia nollet pati hæc vana, & licet non volens, *tamẽ propter eum* ſuſtinet *qui ſubiecit eã* his miſerijs ne iterum ſuperbiendo periret. Subiecit dico *in ſpe* poſitam, vt ſpem haberet euadendi hanc vanitatem, in ſpe dico hac: *quia* .i. quod vt Chriſtus, ſic *etiam ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis* .i. variabilitatis, transferenda à ſeruitute *in libertatem*, à corruptione *in gloriã filiorũ Dei.* Benè dico non volens ſubiecta eſt: *nam* nos *ſcimus quòd omnis creatura* .i. Eccleſia, *ingemiſcit* animo *& parturit* .i. maximo conatu laborat operãdo quemadmodũ parturiẽs fructũ de labore expectans. Parturit dico *vſque adhuc*, quia à primo iuſto ſemper in labore fuit eccleſia vſq; ad hoc tempus. Creatura vtiq; ingemiſcit, *nõ ſolum aũt illa* creatura, *ſed etiã noſipſi*, qui tantæ dignitatis ſumus ꝙ etiã dij eſſe reputamur: nos dico *habentes primitias ſpiritus*, qa in primitiua Eccleſia prius omnibus & abundãtius Spiritũ S. accepimus, abundãtius etiã prophetis qui præceſſerunt: nõ .n. ſemper per Spiritũ S. loquebãtur, quia aliquãdo recedebat Spiritus S. ab eis, & quæ falſa erãt prædicebãt:

Abba quid ſignificat.

Hæredes Dei qualiter dicuntur eſſe Chriſtiani.

A B C D

vt

vt Nathan quandoq; & quidam alij: ſed Apoſtoli nunquam priuati ſunt ſemel accepto Spiritu ſancto. *Nos ipſi* habentes primitias ſpiritus, qui adeò digni ſumus, etiam ipſi iidem à Deo fragiles ſumus, quod gemimus quēadmodum creatura. Et ne putarentur gemere compaſſione ſubditorū, & non pro ſe, determinat: *Gemimus* dico *intra nos* .i. preſſi tentationibus quæ nos conturbant interius. Prius ipſi, nota eſt dignitatis: Alterum ipſi, fragilitatis. Per hoc Apoſtolus multum conſolatur Eccleſiam, & inuitat ad patientiam: quod dicit Apoſtolos eādem fragilitate premi, qua premūtur ſubditi. Subdit etiam magnam conſolationem quam habent, dicēs. Gemimus dico, *expectantes adoptionem filiorum Dei* .i. vt adoptemur in filios Dei. Duplex adoptatio eſt. Prima qua Deus peccata dimittit & iuſtificat. Secunda qua in æterna beatitudine ſanctos cohæredes faciens Chriſti, eos remunerat. De hac autem ſecunda innuit ſe Paulus intelligere, cùm ait. Adoptionem dico .i. *redemptionem corporis noſtri* .i. in qua adoptione corpus noſtrum modo fragile, nulla corrumpetur mutabilitate. Per hoc quod dicit expectātes, innuit ſe de futura adoptione loqui, non de iam habita. Rem enim iam habitam: non expectamus. Credendum eſt etiam Chriſtum aſſumpſiſſe ideò corpus cum anima, vt vtrumq; liberaret à corruptione. Verè expectamus, quia ſpem habemus Spes autem iſta magnum habet meritum: nam ſaluos nos facit. Quod ſic ait. *Spe* .i. merito ſpei, quia rem inuiſibilem & etiam incogitabilē conſtanter ſperamus, hoc merito *ſalui ſumus*: & in hac ſpe *facti* ſumus ab alio, non à nobis. Non enim fragilitas noſtra niſi Spiritu ſancto confortata ſperaret, quia neſciret: & ſic nec meritum ſalutis haberet, ſpe ſalui facti ſumus, tantum meritum habet vera ſpes: ſed illa *ſpes* .i. res ſperata *quæ videtur iam non eſt ſpes*, nec ſpei meritum habet. Spes enim eſt de re quæ non videtur: vt ſi ſperamus aliquem nobis daturum pecuniam, illud ꝙ ſperamus, nondum videmus, .ſ. nos habere pecuniam, & ſi pecuniam ipſam videamus. Rei autem quæ iam habetur non eſt ſpes, ſed iā vſus habetur. Verè rei quæ videtur non eſt ſpes, *nam quod videt quis, illud quomodo* vel quare *ſperat?* Nō eſt amplius ſperandum, ſed eo vtendum. Rei quæ videtur non eſt dicēda ſpes, ſed ſi illud quod non videmus ſperamus, meritum huius ſpei habemus. Nam *expectamus* rem ſperatam *per patientiam* .i. in expectando patiēter omnia toleramus, deſiderio rei quā ſperamus. Et hæc ſpes quæ tanti eſt meriti, per Spiritum ſanctum habetur. Nec hoc ſolum dat nobis Spiritus ſanctus, ſed etiam *ſimiliter* .i. ſicut ſpem: & per ſpem patientiam: ſic idē *ſpiritus adiuuat noſtram infirmitatem.* Sicut enim infirmi ſine Spiritu ſancto eſſemus in ſpe, ſic etiam infirmaremur in oratione, niſi doceret nos ſpiritus. Verè Spiritus adiuuat nos infirmos. *Nam nos ſcimus quid oremus*, ſicut ſcire oportet & orare: ſcimus quidem quomodo non oportet. Nos vtique neſcimus, *ſed ipſe ſpiritus poſtulat* .i. poſtulare nos facit & inſinuat. Poſtulat dico *pro nobis* .i. vel vice noſtri; vel cauſa noſtræ vtilitatis: *gemitibus inenarrabilibus*. Gemitus ideò inenarrabiles dicit, quia ipſi contemplatores neſcirent explicare, nec poſſent, quot & quantis deſiderijs æſtuant. Ex eo quod dictum eſt, Spiritus poſtulat, quidam in errores lapſi ſunt: dicentes Spiritum minorem Patre & Filio: quia qui poſtulat, minor intelligitur eo, à quo poſtulat; curialitatem Pauli, vertentes in hæreſim. Sicut enim qui modo docuiſſet aliquem quo genere loquendi, & quibus verbis loqueretur cum principe, ille per illum inſtructum diceretur loqui eidem principi: ſic Spiritus ſanctus, quid, & quomodo poſtulemus nos inſtruit; & per nos inſtructos dicitur poſtulare, non aliter. Quod ſupra dixit: neſcimus orare ſicut oportet: hoc in ipſo apertum eſt, qui contra ſalutem ſpiritum ſathanæ

Adoptatio eſt duplex.

Chriſtus quare aſſumpſit corpus cum anima.

Spes eſt de re quæ non videtur.

Spiritus S. quomodo poſtulet.

Spiritum ſanctum non eſſe minorem Patre & Filio.

thanæ orauit auferri à ſe datum ſibi ob cuſtodiam humilitatis, ne quia raptus erat ad tertium cœlum, & audierat quæ non licebat homini loqui, ſuperbiret: ſed per impellentem fragilitatem, puſillanimitatem carnis reminiſceretur. Spiritus ſanctus ſperare nos facit, orare nos docet, & exaudiri nos facit. Quod ſic ait. Spiritus poſtulat: ille *autem qui ſcrutatur corda*.i.Deus, *ſcit*.i.complet & approbat *quod deſiderat*.i.deſiderare nos facit *Spiritus* ſanctus. Scit ideò *quia* ſpiritus *poſtulat ſecundum Deum*.i.docet nos ſpiritus poſtulare, quod Deo bonum eſt concedere. Poſtulat dico *pro ſanctis*.i.vel vice vel cauſa ſanctorum. Scrutatur ab ea ſimilitudine dictum eſt: quia quemadmodum ille qui multo ſcrutinio rem inueſtigat, melius rem ipſam cognoſcit: ſic Deus non quod ſcrutando laboret: ſed quaſi ſcrutator & longè melius occulta cordium nouit. Non ſolum ſpiritus ſpem dat, orare inſinuat, exaudiri facit: ſed & quæcunq; proſpera vel aduerſa contingant ſanctis: omnia facit ille eſſe ad bonum. Litera ſic iungitur. Orare ſicut oportet per nos neſcimus: Hoc autem per Spiritum ſanctum *ſcimus*, *quoniam* idem ſpiritus *cooperatur omnia* ſeu proſpera, ſeu aduerſa *in bonum*.i. ad vtilitatem ſanctorum. Vel omnia cooperantur à Spiritu ſancto in bonum, vt paſſiuè dicamus. Vel in actiuo ſenſu omnia cooperantur in bonum: & iterum per Spiritum ſanctum. Sententia non mutatur, cooperantur dico diligentibus Deum: nec qui modò diligant, modò peccando odiant: ſed *his*.i. huiuſmodi *diligentibus qui* à Deo *vocati ſunt*: ad hoc vt ſint *ſancti*; & quia non omnes vocati electi, adiungit. Vocati dico *ſecundum propoſitum* præſcientiæ Dei, quæ nullo modo poteſt immutari. Verè ſecundum propoſitum vocati ſunt, & omnia cooperātur illis in bonum. *Nam* Deus preſciuit eos ab ęterno ſibi idoneos & electione dignos. Et *quia præſciuit* ab æterno: *prædeſtinauit etiam* eos.i. pręparauit in tempore cōgruo.

Præſcientia Dei nullo modo poteſt immutari.

A Hæc præparatio fuit oblatio gratiæ, & interna aſpiratio. Præſciuit, inquit, & prædeſtinauit *fieri conformes*.i. imitatores imaginis.i. puritatis *filij eius*: quia in hoc mundo per puritatem ſolam imitari licet filiū Dei, quem in futuro per maiorem puritatem & inuariabilitatem imitabuntur ſancti. Hoc aūt de diuina eſſentia filij dicimus. Quia ſi per hoc filium à patre videmur diuerſificare, quia dicimus imaginem filij. Reſpondemus

Filium Dei imitari debemus per puritatem.

B quod in ſubſtantia quidem per omnia idem ſunt, ſed in perſonis eſt varietas. Et in eo, quod pater ſine principio, nō ab alio: filius autem à patre principium habet: licet ſemper fuerit cum patre, & ſic ab alio. Si autem ſecundum humanitatem de Chriſto hic agimus, congruè ſequentia conſentiunt: quæ ſecundum carnem de Chriſto ſolummodò agunt: & dicemus. Simus conformes imaginis filij eius, vt quomodo in nouitate ſpiritus ambulauit, ſic & nos ambulem⁹. Ita tamen cōformes ſecundū vtrāq; ſententiam: *vt ipſe* filius *ſit primogenitus in multis fratribus*: vt quemad-

C modum primogenitus filius Dominus eſt paternæ hæreditatis, & quod inde habēt alij filij ab eò habent; Sic & Chriſtus Dominus eſt in hac hęreditate: & quicunque aliquid inde habent, ab eo & per eum totum habēt. Dicitur etiā primogenitus mortuorum, quia primus reſurrexit à mortuis: etiam ſic vt cum eo incorruptibiles reſurrexiſſe credantur quidam ſancti. Si qui autem per Chriſtum ſuſcitati ſunt, non ſurrexerunt à mortuis, quia iterum morituri. Nec ſolū

Chriſtus cur dicatur primogenitus mortuorum.

D præſciuit: ſed *quos prædeſtinauit*, *hos etiam vocauit*: quia poſtquam inſpirauit eos, vocatores adhibuit interius pręparatis, quorum vocatio fruſtra eſſet, niſi ſpiritus operaretur interius. *Et quos vocauit, hos etiam iuſtificauit*: remittendo peccata, infundēdo gratiam. *Quos autem iuſtificauit, illos etiam magnificabit* in futuro, quādo conregnabūt ſecum. Vel magnificauit ſecūdum certitudinem futuræ rei dicit: & ſecundum quoſdam,

qui iam cum Deo regnant, quantum ad animas. Quādoquidem Deus electos ſuos præſciuit, præparauit, iuſtificauit, & ad vltimũ magnificabit, *ergo quid dicemus ad hæc?* Eſtne aliquid, quod cōtraire poſſit huic diuinæ diſpoſitioni? Contra hoc vtiq; nihil poteſt dici, quia Deus eſt pro nobis, & *ſi Deus pro nobis*, *quis* poteſt eſſe *contra nos?* Quis poteſt euertere, ne perficiatur quod Deus de nobis præordinauit: Verè Deus eſt pro nobis. Nam ipſe eſt *qui non pepercit etiam filio ſuo, ſed tradidit*.i. diſpoſuit illum tradendum ad mortem *pro omnibus* electis ſuis. Et cùm rem tam difficilem fecerit, ſicut eſt filiũ præ omnibus filijs charum tradere morti pro nobis: *quomodo*.i. qua ratione *non etiam donabit nobis omnia*, quæ reſtāt, cum illo filio quem longè chariorem omni re habuit, quem nobis in articulo mortis dedit? Non eſt credendum, vt qui filium dedit, quæ minora ſunt filio, nobis negaturus ſit. Et quandoquidem Deus nos adeò dilexit, vt filium traderet pro nobis: *quis* iam *accuſabit aduerſus* nos *electos Dei?* Accuſare eſt aduerſus electum, quomodo ſubuertatur diſponere, quemadmodum Sathan videns Iob in terrenis abundare, quia in his putauit Iob mente detineri, pertractabat quod res eius demoliendo iuſtitiam eius per impatientiam de damno rerum venientem deſtrueret: ſed quia electus erat Iob, Sathan non potuit. A principio enim ex quo dixit: Ponam ſedem meam ad aquilonem, ſemper laborauit deſtruere regnum Chriſti: in quo adhuc malè perſeuerat. Diabolus vult accuſare, ſed non poteſt, Deus autem poteſt, ſed nō vult: *Deus* enim *eſt qui iuſtificat. Quis eſt* etiam *qui condemnet* electos Dei? Sathan quidem condemnare vult, ſed non poteſt. Chriſtus quidem poſſet, ſed non vult: quod ex eo palam eſt, quod *Chriſtus Ieſus* eſt, *qui mortuus eſt pro nobis*. Nec hoc ſolum, *immò qui etiam reſurrexit*, vt & nos reſurgere faciat, *qui* etiam *eſt ad dexteram Dei*, vbi & nos ſecum collocabit: *qui etiam in-*

Deus eſt pro nobis.

Accuſare quid.

Iob tētatus à ſathana non decidit in impatientiam.

Eſai. 14. 13.

A *terpellat pro nobis*, vbi eſt in dextera patris, qui hęc omnia pro nobis fecit & facit: credendum eſt quod nos cōdemnet? Interpellare dicitur Chriſtus, non quod voce clamet, ſed aſſumpta humanitas quæ in oculis Dei eſt, ſemper Deum pulſat, & memorem facit, vt perficiat illud pro quo filium carnem aſſumere voluit: quemadmodum legatus per ſolam repræſentationem perſonæ legationis ſuæ, memorem faceret ad quem miſſus eſſet in eo, quod ſe illi repræſentaret. Quandoquidem Deus præ-

Chriſtus quomodo interpellet.

B ſciuit, iuſtificauit &c. *ergo quis nos ſeparare poterit à charitate Chriſti*, vt ſic peruertat conſilium Dei? Separabit nos *tribulatio*.i. quęlibet afflictio carnis? *An anguſtia*.i. anxietas animi. *An perſecutio* de loco ad locum. *An fames*, quia ſæpè eſurijt, vt etiam tæderet eum viuere. *An nuditas*. *An periculum*.i. comminatio mortis. *An gladius*. An ipſa occiſio? Nihil vtique horum nos ſeparabit, *ſicut ſcriptum eſt* in libro pſalmorum: illud quia iungitur in poſterum. *Propter te mor-*

C *tificamur tota die, æſtimati ſumus vt oues occiſionis:* non quæ reſeruantur ad fœtus, ſed quæ ſunt *occiſionis*.i. quę ſteriles ſunt occiduntur: & ſi propter te occidimur, conſtat quod à te non ſeparabimur: Sed quæ cura ſi mortificamur? *In his* enim *omnibus*, tribulatione, anguſtia, & cæteris *ſuperamus*, *propter eum* feruentes amore eius, *qui dilexit nos*. Verè ſuperabimus, *quia neque mors*.i. comminatio mortis: *Neque vita*.i. promiſſio vitæ, vel gloriæ mundi. *Neque angeli*, qui legatione Dei funguntur. *Neque*

Pſal. 43. 23.

D *principatus*.i. neque ordo ille qui etiam ſuper angelos principatum habet. *Neque virtutes*.i. neque ordo ille cuius officium eſt operari miracula. Vel iſta ſi volumus, de malis angelis intelligimus: inter quos etiam ſunt diſcretiones officiorum. De ſingulis enim ordinibus aliqui lapſi ſunt, vt dicamus. Neq; angeli mali, quorum officium eſt explere legationes. Neque principatus, qui in genere malorum ſubditis angelis principantur.

Dæmonum officia.

Neque

Neque virtutes, mali enim ſpiritus miracula faciunt. *Neque inſtantia* .i. præſentia ſeu proſpera ſint ſeu aduerſa : *neque futura* huius mundi bona vel mala. *Neque fortitudo* .i. violentia cuiuslibet fortiſſimi. *Neque altitudo*.i. promiſſio honoris. Vel altitudo vt illa quando diabolus purpuratum ſe & diademate renitentem oſtendit. *Neque profundum*.i.etſi aperto inferno minaretur mihi in ipſum præcipitium. *Neque creatura alia*.i. ſi nouam & non viſam creaturam faceret. Nihil horum omnium *poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

In vita S. Martini.

CAP. IX.

*V*ERITATEM *dico in Chriſto Ieſu, nō mentior. Teſtimoniū mihi perhibente cōſcientia mea in Spiritu ſancto: quoniam triſtitia mihi eſt magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ: quorum adoptio eſt filiorum; & gloria, & teſtamentum; & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa: quorum patres, ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem: qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, Amen. Non autem quod exciderit * verbum Dei. Non enim omnes qui ex Iſrael * ſunt, hi ſunt Iſraelitæ, neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij ſunt Abrahæ: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen.i. non qui filij carnis hi filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine. Promiſſionis enim verbum hoc eſt, ſecundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. Non ſolùm autem illa, ſed & Rebecca ex vno concubitu habens, Iſaac patris noſtri. Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt. Iacob dilexi; Eſau autem odio habui. Quid ergo dicemus? Nunquid iniqui-*

Pſalm. 1.

* Excidit.
* Circumciſione.

Gen. 21. 12.
Gal. 4. 28.
Gen. 18. 10.
Gen. 25. 24.

Malach 1.
47. diſt. quantumlibet.

A *tas apud Deum? Abſit. Moyſi enim dicit. Miſerebor cui miſereor, * & miſericordiam præſtabo, cui miſerebor. Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Dicit enim ſcriptura Pharaoni. Quia in hoc ipſum * excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam, & vt annuntient nomen meum in vniuerſa terra. Ergo cui vult miſeretur, & quem vult indurat. Dicis itaque mihi. Quid adhuc quæritur? Voluntati enim eius quis reſiſtit? O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Nunquid*

B *dicit figmentum ei qui ſe finxit; quid me me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? * Quia ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum; vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Quos & vocauit non ſolum ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus, ſicut in Oſee dicit. Vocabo non plebem meam: plebem meam, & non dilectam; dile-*

C *ctam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam. Et erit in loco vbi dictum eſt eis non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui. Eſaias autem clamat pro Iſrael. Si fuerit numerus filiorum Iſrael tanquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient. Verbum enim conſummans, & abbreuians in æquitate: quia verbum abbreuiatum faciet Dominus ſuper terram: Et ſicut prædixit Eſaias. Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus; & ſicut Gomorra ſimiles fuiſſemus. Quid ergo dicemus? Quia*

D *gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam autē quæ ex fide eſt. Iſrael verò ſectando legem * iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offenſionis, ſicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem offenſionis; & petram ſcandali: & omnis qui credit in eum, non confundetur.*

Exod. 33. 19.
* Cui miſertus ſum. De pe. diſt. 2. ſi enim verſ. liberi.
Exod 9. 16.
* Seruaui. 45. diſt. de Iudæis.
Eſa 45. 9.
Hier 18. 6.
Eccl. 28.

* Quid.

Oſee. 2. 23. diſt. 1. Pet. 2. 35. quæſt. 1. cum legitur. §. hæc itaque.

Eſa. 10. 22.

Eſa. 1. 12.

* Iuſtitiam.

Eſa. 28. 26.
1. Pet. 2. 7.

IAM amplius non ſeparabor à charitate Chriſti, ſed olim ſeparatus fui: & inde multum doleo, & de hoc quod doleo, *veritatem dico* poſitus *in Chriſto*, in cuius corpore mentiri nō licet. Nec in vno verus, vt in alio mētiar. Sed *non* in aliqua parte *mentior*: nec ſolum Chriſto: ſed etiam *conſciētia* mea *mihi perhibente teſtimonium* quod non mentior: Conſcientia dico, fundata *in Spiritu S.* cum quo nō perhiberet falſum. De hoc, inquit, dico veritatem: *quoniā triſtitia magna eſt mihi* ſecundum afflictionem corporis: *& continuus dolor cordi meo* interius: dolor, inquit, eſt mihi, & merito. *Ego* enim ipſe qui modo ſeparari nequeo, *optabam eſſe* non ſolum ſeparatus: ſed etiam *anathema*.i. ſeparatio aliorum à Chriſto *pro fratribus meis*: quia hos qui modo fratres ſunt in Chriſto, ſeparare volebam à Deo: *qui* etiam *ſunt cognati mei ſecundum carnem*: quia licet omnibus in dilectione obnoxij ſimus, domeſticis tamē generis noſtri hanc debemus impenſius: *qui* etiam *ſunt* veri *Iſraelitæ*, vidētes Deum: *quorum* etiam *adoptio filiorum*.i. qui adoptati ſunt in filios Dei. Quorū etiā *gloria* miraculorū. Quorum etiam eſt *teſtamentum*. Euangelium repromiſſum. Quibus etiā eſt *latio legis*.i. ſpiritualis intelligentia quam fert lex. Quibus etiam eſt *obſequium*.i. cultus Dei. Quibus etiam facta ſunt *promiſſa* ſaluationis. Quibus etiam *patres* fuere illi *ex quibus Chriſtus* natus eſt *ſecundum carnem*: *qui* ſecundum deitatem Deus *eſt* ab initio: manens *ſuper omnia*, *Deus* dico *benedictus* ęternaliter *in ſæcula amen*. Ideò Paulus plures & maiores alijs Apoſtolis ſuſtinuit perſecutiones: quia perſecutus fuerat Eccleſiam Chriſti: ꝙ idē perhibet dicens: quia plus omnibus laboraui, quæ tamen augmentatio perſecutionis fuit ipſi ad cuſtodiā iuſtitiæ, & incrementum gloriæ. Probauit ſufficienter ſuperius, quod electos Dei nulla res poſſet à Deo ſeparare. In ſequentibus autē probare vult, hanc electionem filiorum non ſecūdum propaginem carnis, ſed ex

Actor. 9. 2.
1. Cor. 15. 9.

Paulus quare maiores perſecutiones ſuſtinuit cæteris Apoſtolis.
1. Cor. 15. 10.

A vocatione Dei fieri. Litera ſic iungitur. Ego olim optabā eſſe ſeparatio filiorū Dei à Chriſto: ſed tamen non excidit verbū Dei.i. licet multū ſæuirem in ſeruos Dei, aliqui ſubuerterētur: tamen propterea *non excidit verbum*.i. non inexpleta perijt promiſſio *Dei*, qua ſe promiſerat redempturū Iſrael: quia licet multi ſecūdum carnē de Iſrael à ſaluatione alienati ſint: oēs tamē veri Iſraelitæ electi ſunt, & ſic impleta eſt promiſſio. Verè etſi aliqui ſeparati ſunt à Deo, propterea non excidit verbū Dei: quoniam *non*

B *oēs* hi *qui ſunt ex Iſrael ſecundum carnem*, vocandi *ſunt Iſraelitæ*. Tempore enim Hieroboā multi Iudæi tranſierunt ad culturā idolorum, & reputati ſunt inter gentes, multotiens etiā fecerunt: Multi etiam de gentibus in ritus Iudæorum tranſierunt, & inter Iudæos reputati ſunt. Non oēs qui ex Iſrael ſunt ſecundum carnē, dicendi ſunt Iſraelitæ. *Neq;* oēs vocandi ſunt *filij*.i. hęredes *Abrahæ*, ideò quia ſecūdum carnem *ſunt ſemē Abrahæ*. Iſmahel enim de ſemine carnis Abrahæ fuit, nec tamen hæres. Vnde ſcriptū *Gen. 21. 12.*

C eſt: Eijce ancillam & filium eius, non enim hæres erit &c. Sic etiā nec filios Abrahæ dicimus degenerantes à fide eius. Cōſuetudo enim patrum eſt, eū vocare filium ſuum, qui imitatur patrē. Eum verò qui cōtrarius eſt factis patris, dicit pater non eſſe filiū ſuum, licet verè ſciat de carne ſua generatum. Non omnes qui ſecundum carnē ſunt de ſemine Abrahæ ſunt: ſed qui in ſimilitudine Iſaac per repromiſſionem Dei nati ſunt: hi vocātur filij Abrahæ. Sic enim teſtatur ſcri-

D ptura dicēs. *In Iſaac*.i. in ſimilitudine Iſaac *erit tibi ſemen*. Nec hoc ſecundum carnem: ſed *vocabitur*.i. per vocationē & repromiſſionē Dei, erunt tibi filij: non tātum ſecundū lineam carnis, quantum per imitationem fidei. Iſaac enim natus nō lege carnis, quia de vetulo patre, & matre ſterili, cuius genitalia iā marcida ſenio fuerant, ſignificauit non vocādos filios Abrahæ, propter lineam carnis, ſed exemplo Iſaac, ſecūdum promiſſionem

nem Dei. Exponit Apoſtolus, quid ſit hoc. In Iſaac vocabitur tibi ſemẽ, dicens: Id quod dico ſemen vocabitur tibi in Iſaac, ſic eſt intelligẽdum. *Nõ qui filij carnis* Abrahę ſunt: *hi* propterea ſunt *filij Dei: ſed* hi *qui ſunt filij promiſsionis*.i. per repromiſſionem electi: hi *æſtimãtur in ſemine* Abrahæ, imitatores fidei eius: quemadmodũ Iſaac per repromiſſionem natus eſt. Et verè per repromiſſionem. *Nam* hoc *eſt verbum promiſsionis*, factæ de Iſaac, quod verbum locutus eſt angelus ad Abraham determinãs conceptionem filij diu ante promiſſi, dicens. Ego *veniam ſecũdum hoc tempus* .i. poſt reuolutum annum hac eadẽ die: *&* poſtquam aduenero, *erit Sara filius*. Secundum Ambroſium, præmiſſa litera longè ſupra aliter iungitur. Ita. Ego optabam eſſe ſeparatiõ bonorum à Chriſto, quod faciebam pro fratribus meis.i. amore fratrum meorum Iudęorum & zelo legis, quã quia Chriſtianos putabam inuertere, dolebam: nec mirum ſi pro fratribus meis, quia ſunt cognati mei ſecundum carnẽ, & qui eſſe debuiſſent veri Iſraelitæ, & quorum eſt adoptio filiorum Dei.i. qui debebant adoptari in filios Dei, niſi hoc malitia eorũ auerteret: & quibus erat gloria eloquiorum Dei creditorum: & quibus debebatur teſtamentum .i. Euangelium: & quorum erat legiſlatio & obſequium.i. cultus Dei. Et promiſſa debebantur eis. Patres quorum fuerunt illi, ex quibus ſecundum carnem natus eſt Chriſtus. Sed licet hæc promiſſa illis, iniquitate ſua impediente non adepti ſint, non tamen ideò dico quod propterea exciderit verbũ .i. impletio promiſſionis Dei: quoniam ſi non omnes qui ſecundùm carnem Iudæi, tamen quicunque veri Iſraelitæ fuerunt, promiſſionem Dei acceperunt. Sequens litera non mutatur. Non ſolum autem hanc Sara promiſſionem habuit, ſed etiam Rebecca. Conuenienter de Rebecca inducit, in cuius filijs apertum eſt, ex electione tãtum Dei, bonum aliquem fieri. Si enim ex ge-

Gen. 18. 10.

Commentaria in omnes Pauli epiſtolas non putantur eſſe Ambroſij: de quo conſule Poſſeuini apparatum.

A nere non eſt cauſa, quare Iacob magis eligatur quam Eſau, in quorum electione, vel reprobatione nulla parentum, nulla filiorum merita præceſſerũt. Et ideò per Rebeccam apertius probat, ſecundum promiſſionẽ filios Abrahæ fieri, quam per Saram, quæ ſolum electum habuit. Accepit vtiq; repromiſſionem Rebecca, *habens* filios *ex vno* eodemq; *concubitu Iſaac patris noſtri*. Vt ſciatur merita parentũ nõ profuiſſe Iacob, nec no-

B cuiſſe Eſau; determinat eos eſſe generatos de eodem concubitu: ne ſi (vt quidam phyſici volunt) diuerſis temporibus generati eſſent, putarentur parentes eſſe grati Deo, cùm genuerunt Iacob; ingrati, quando genuerunt Eſau. Sicut parentum, ſic etiam merita filiorum excludit, dicẽs. Rebecca vtiq; habuit promiſſionẽ. Nam *dictum eſt ei. Maior ſeruiet minori*. Sed antequam dicat promiſſionem, conuenienter merita filiorum cum meritis parentum excludit: vt conſtet omnem electionem eſſe primum, & principaliter ex gratia Dei

C dicens. Rebecca habuit filios, qui cùm nõdum nati eſſent: per hoc excludit merita filiorum. Sed tamen quia in ventre matris luctati eſſe dicuntur, ne ideò putarentur ibi potuiſſe mereri, hoc determinans ait. Aut *cùm nondum egiſſent aliquid boni vel mali*: pro quo hic deberet eligi, hic reprobari. Ideò priuſquam agerent bonum vel malum, *dictum eſt vt propoſitum*.i. prędeſtinatio *Dei* quã hunc eligebat, alterum reprobabat, *maneret*.i. permanere comprobaretur, *ſecundum electionem* Dei, quæ e-

D lectio *nõ* erat facta *ex operibus*.i. quia benè egiſſet Iacob, *ſed* ſolummodo *ex vocante*.i. ex gratia & beneplacito vocantis Dei. Hoc vtique dictum eſt: quia.i. *quia maior ſeruiet minori*. Non ideò dicitur ſeruire, quod Eſau aliquãdo ſeruierit Iacob, ſed plerumq; dominatus ſit ei, vt qui fortior erat in terra. Et ideò ſic intelligẽdum eſt. Maior ſeruiet .i. vtilis erit minori. Quantò enim Eſau magis perſequebatur Iacob, tantò magis meritum

Maior ſeruiet minori.

patientiæ accreſcebat patienti: & ita A dictum eſt in Geneſi, maior ſeruiet minori. Hoc autē dictum eſt Rebeccæ, antequā pueri naſcerentur, quod dictum eſt ſicut ſcriptum eſt per Malachiam de eiſdem, lōgè poſt eorum deceſſum. Hoc vtique ſcriptum eſt. Ego *dilexi Iacob*, & pro hoc præcipuè elegi eum. *Eſau aūt* quia *odio habui*, reprobaui. Odiū enim Dei nihil aliud eſt, quā ex æquitate gratiam ſubtrahere. Conuenienter ſicut de præcedenti teſtimonium poſuit, vt præceſſiſſe merita eorum excluderet; ita & de ſequenti teſtimonium poſuit, vt oſtendat ſequens meritum Iacob inſufficiens fuiſſe, & penitus per ſe indignum fuiſſe gratia Dei: & ideò cōſtare quod per miſericordiā electus ſit, vt etiā oſtenderet quod Eſau iuſtè negata ſit gratia, quia non eſſet cooperaturus gratiæ. Quæritur cur Iacob electus ſit, & Eſau reprobatus: cū in neutro meritū boni vel mali præceſſerit, quæ cauſa fuerit electionis vnius, & reprobationis alterius? Ad hoc reſpondetur, Iacob electum eſſe per miſericordiam; Eſau reprobatū ſecūdum iuſtitiam. Deus enim cùm primū creauit hominem, multiplici eum inſigniuit gratia: quā quia peccando à ſe repulit, indignum ſe fecit gratia Dei, & exinde Deus nihil homini debuit, ſicq; non eſt relictū homini vnde iuſtè poſſet conqueri, ſi deſtituitur gratia Dei. ¶ Quia ſi iterū quæritur, cum vterq; ex iuſtitia propter originale poſſet reprobari, nihilq; meriti in ambobus repertū ſit: pro quo huic ſic data ſit gratia, huic negata; quare magis Iacob elect⁹ ſit, quam Eſau? Ad hoc reſpōdetur, quia Deus Iacob idoneum, & cooperaturum gratiæ præſciuit. Eſau verò non idoneum, quia non cooperaturum: ideò vni miſericorditer tribuit, ꝙ ab altero iuſtè propter originale alienauit, quod ſatis apertè in Iuda conſideratur, quem licet Deus pro certo periturum cognoſceret, permiſit tamen illi gratiam miraculorum, vt alijs Apoſtolis, cùm iam fur eſſet, & loculos haberet. Non tamen ideò quin ſciret illum irreuocabilem à malo, ſed vt comprobaret nobis per hūc, iuſtè ſe quibuſdam omnem negare gratiam, vt pueris ſtatim ſine baptiſmo morientibus: quibus ideo omnem gratiā denegat, quia ſi tempus haberent operandi, & gratia eis conceſſa eſſet, abuterentur ea, & ſic pro gratia longè grauius punirentur: cui ſi cooperarentur, ſaluarentur. Vt autem hoc Deus notum faceret, dedit quibuſdā gratiā, de quibus non hæſitabat quin abuterentur ea, ſed vt etiam palā oculis haberemus, B iuſtè quibuſdam omnem ſe denegare gratiam. Iterum aliud. Cùm Deus omnia creauit, quædam neceſſaria, vt ortum ſolis & huiuſmodi; quædā voluntaria, vt hominem & angelum conſtituit. Deus autem ſic vnum per miſericordiam eligit, ſicuti alterum per iuſtitiam reprobat: vt tamen voluntariam facultatem in eis non deſtruat: quia etſi multos in hoc ſæculo ſanctos multiplici muniuit gratia, non tamen coegit eos vt ex neceſſitate bonum agerent, nec ad malum ſi vellent declinare poſſent, ſed C adiuuit per gratiam, quia vidit eos gratiæ cooperaturos. Econtrariò nō ita Iudæ ſubtraxit gratiam, vt gratia ſubtracta impelleret eum, vellet, nollet operari iniquitatem: ſed vt appareret, quid per ſe poſſet iniquitas. Si enim gratia data vel negata compellens eſſet ac neceſſaria, iam non eſſet relictum homini meritum ſaluationis vel damnationis. Quandoquidem Iacob nullo merito præcedente eligitur: Eſau ſimiliter ſine meritò reprobatur, *ergo quid dicemus? Nunquid iniquitas eſt apud Deū:* D qui Iacob eligens ſine merito, Eſau reprobat ſimiliter ſine merito? *Abſit* hoc, vt propterea Deus dicatur eſſe iniquus. Verè in electione Iacob & reprobatione Eſau non eſt iniquus Deus: quia hunc eligendo miſericors eſt: hunc reprobando iuſtus eſt. De iuſtitia ſequitur inferius, vbi de Pharaone ſubdit, probat de miſericordia dicens. Verè quia elegit Iacob non eſt iniquus, eſt enim miſericors.

Gen. 25.23.

Malac. 1. 2

Odium Dei quid eſt.

Iacob electus per miſericordiam; Eſau reprobatus ſecundum iuſtitiam.

Pueris ſine baptiſmo morientibus, cur Dominus omnem gratiam denegat.

Miſericordia Dei.

Exod.33 19. *Moyſi.n. dixit* Deus: Eius *cuius miſereor* in præſcientia, *miſerebor* in iuſtificatione. *Et cuius miſerebor* in iuſtificatione, *illi præſtabo miſericordiam* in ſaluatione. Hic ſatis oſtendit omnia eſſe ex miſericordia, q̃a præſcientia, iuſtificatio, ſaluatio, omnia fluũt à fonte miſericordiæ. Quandoquidẽ omnia (ſicut oſtenſum eſt) fiunt per miſericordiam Dei. *Igitur* velle bonum *non* eſt *volentis*, vt aſcribatur ei. *Neque* currere *eſt currentis*.i. operari non eſt operantis, *ſed miſerentis* eſt *Dei*. Neq; velle neque facere bonum poteſt homo, niſi miſericordia Dei per Spiritum ſanctum operetur in eo. Verè miſerentis Dei eſt velle & perficere: quia non miſerentis eſt neque velle neque perficere (hoc eſt reprobare) quod apertè in Pharaone oſtenditur. *Dicit enim ſcriptura Pharaoni* in Geneſi. Conuenienter de Pharaone inducit, cui Deus hãc gratiam propoſuit: vt ſi vellet per doctrinam

Exod.9. 16. Moyſi benè agere poſſet. Certũ quidem Deus habebat Pharaonem nunquam pœnititurum, ſed vt in eo cui gratiam doctrinæ conceſſit, eaq; abuſus eſt planè, nobis oſtenderet gratiam iuſtè, negatam Eſau priuſquam mereretur, & omnibus quibus ita negatur: quia ſi Deus daret gratiam, abuterentur ea, & inde grauius punirẽtur: ideò etiam Deus Pharaoni Doctores adhibuit, vt mala quæ prius in illo latebant, modò aperta fierent: dũ Deo in tot & tantis reſiſteret: & Prophetis & miraculis non acquieſceret. Hoc inquam ſcriptura dicit Pharaoni: *quia in hoc ipſum*: hoc quod in Geneſi cõtinuatur: in hoc ipſum in quo tu eras, id eſt, tu eras in malo, ſed occultus, & in hoc malo *excitaui te*, ſubtrahendo gratiam vt appareres malus ſicut eras. Ideò vtiq; *vt oſtendã in te virtutem meam*. i. ſigna miraculorũ, quę non oſtenderem ſi acquieſceres. Ideò etiã oſtẽdam, *vt nomen meum annuncietur in vniuerſa terra*, propter miracula facta in Aegypto. Vbicunque .n. audiebantur ſigna AEgypti, dicebatur. Magnus eſt Deus Hebræorum. Quandoquidem Deus ex voluntate elegit Iacob, & ex volũtate reprobat Eſau. Ergo palã eſt, quod Deus miſeretur cuius vult: quia videt eum cooperaturum gratiæ, & indurat quem vult: quia videt eum nõ idoneum gratiæ. Indurare Dei, eſt gratiam non accommodare. Quia dixi Deum miſereri huic, & indurare hunc ex voluntate, itaque dicis, & obijcis mihi. *Quid adhuc quæritur* à nobis vt benè agamus: qui reprobati bene agere non poſſumus? Vel ita.

Indurare Dei quid ſit.

B Quid adhuc queritur, id eſt, conqueritur Deus de nobis, ſi offendimus cùm indurati non offendere nõ poſſumus? Non eſt vnde queratur. Vel quid à nobis requirat: quia *quis poteſt reſiſtere voluntati eius?* Vbi nos indurat, videtur non velle nos bene agere, cuius voluntatem impoſſibile eſt mutari. Paulus hęc omnia ideo dicit, quia videbat Romanos in ſapientia mundi nimium gloriari, & ad huiuſmodi quæſtiones ſupra modum inſiſtere: ideo vt magis reprimat eos, ſic totum attribuit gratiæ Dei, vt nihil

C videatur relinquere libertati arbitrij. Quod tamẽ ſatis cõmodè intelligitur, quia nec ipſum initiũ bonũ volendi ex nobis ſolũ eſſe poteſt, ſi non inſpiret gratia Dei. Vnde ſic ait. Tu dicis mihi quid adhuc queritur à nobis, ſed *ô* tu *homo* adhærẽs humanitati: *tu quis es qui reſpondeas Deo*.i. qui ſi Deus myſteriũ huius rei tibi enarrauerit, intelligas illud? Vel tu quis es q̃ reſpondeas .i. qui litiges & diſputes cum Deo, de myſterio huius rei? Nõ

D habes ſuper hoc reſpondere Deo, ſicut nec opus figuli habet de factura ſui contradicere figulo, & eſt apta ſimilitudo: quia quemadmodum figulus de luto, ſic Deus hominem lutũ, & omni pollutione infectũ inuenit. Nõ habes vtique, q̃d reſpõdeas Deo. *Nunquid* .n. *figmentũ dicit ei qui ſe finxit: quid me ſic feciſti* breue vel longum: informe vel formatũ? *An non habet figulus poteſtatem luti*, cuius eſt luti materia? Sic Deus vos omnes in luto ſordidatos originali repperit. *An non* vtique *poteſt ex eadem maſſa* q̃ tota in ſe immunda eſt, *facere aliud*

quidem vas in honorem, quo bibatur: A
aliud verò in contumeliã, in quo ſordi-
da familiæ reponantur? Et ſicut figu-
lus poteſtatem habet in luto hoc vas
facere, ſicut placet honorabile. Hoc
aliud ſicut materia vaſis erat immũ-
da: immunditiæ deſtinare: ſic Deus
omnem maſſam hominis corruptã
propter originale inueniens, ſi partẽ
huius maſſæ mũditiæ deſtinat, miſe-
ricordiæ eſt: ꝙ verò aliã partẽ in im-
munditia ſordeſcere deſerit, æquita-
tis eſt: & contra æquitatẽ reclamare
iniuſtum eſt, ſicut oſtenſum eſt. Si il-
lud ꝙ peccato ſuo ſordidatũ eſt, De⁹ B
ſequendo iuſtitiã in immunditiã de-
ſerat, non habet homo ſuper hoc ꝙ
contradicat Deo. Quid etiam dice-
tur de hoc, ſi Deus quibus non debet
ex miſericordia dat gratiã, & illi ac-
cepta gratia abutũtur, nõne qui hu-
iuſmodi ſunt meritò reprobantur?
Quod æquipollẽter ait. *Si* inquã *Deus*
volens oſtẽdere iram .i. damnationem
impiorum apertã facere hominibus,
ſibi quidem notum erat nunquã eos
gratiæ datę cooperaturos: *volens* etiã
notam facere potentiam ſuam.i. quanta
potentia patientiæ faceret ſuos per- C
ſecutiones impiorum tolerare, per
quod nec in impijs reprobatis Deus
operatur ſine miſericordia, cũ patiẽ-
tiæ meritũ accreſcat ſuis per indura-
tionem malorũ. Volens vtique Deus
oſtendere iram in impijs, potentiam
in electis: *ſuſtinuit in patiẽtia multa*, &
ſecundũ temp⁹, & ſecundũ numerũ
impietatũ. Suſtinuit dico *vaſa iræ* .i.
eos in quibus iuſtè infundẽda eſt ira,
.i. damnatio. Vaſa dico apta *in interi-*
tum.i. in perditionem propter ſolum D
originale, ſi nunquam daretur gratia
qua abuterentur. Suſtinuit ideò, *vt o-*
ſtenderet diuitias gloriæ ſuæ.i. diuitem
gloriam ſuam in vaſa miſericordiæ,
.i. in eos in quos infundenda erat mi-
ſericordia, *quæ* vaſa *præparauit*.i. præ-
deſtinauit Deus *ad* habendam futurã
gloriam. Nec ſolum prędeſtinauit: ſed
quos. i. vaſa miſericordiæ etiã miſſis
prædicatoribus vocauit. Illud quos
ad ſententiam reſpicit, non ad literã.
Vocauit dico *nos* .ſ. & quos nos? id eſt,
non ſolum ex Iudæis, ſed etiam ex genti-
bus: quia quemadmodum Iudęos vo-
cauit, ſic & Gentes. Probat ꝙ vocatio
gentium ex Deo ſit dicens. Verè De⁹
vocauit gentes, ſicut dicit non Oſee,
ſed Domin⁹ in Oſee. Hoc vtiq; dicit.
Vocabo plebem meam, non plebem meam
.i. gentilitatem, quæ modo non plebs
mea dicitur. Vocabo per gratiam, & Oſee.2.21.
faciam plebem meã, *& non dilectam*
gentilitatẽ. Vocabo per gratiã, & fa-
ciam *dilectã*, iuſtificãdo à peccatis: *&*
eandẽ gentilitatem *non conſecutã mi-*
ſericordiã: faciã *conſecutã miſericordiã*
in ſaluatione. In ſignum autem ſal-
uandæ gentilitatis hic Oſee prædica-
turus ſalutem gentium, iuſſus eſt à
Deo ducere vxorem fornicationis
&c. Vocabo vtique gentilitatem, &
hoc erit in loco, vbi dictum eſt, non
plebs mea vos, id eſt, in toto mundo
vbi Iudæi ſolum plebs Dei vocaban-
tur, gentiles verò non ibidem voca-
buntur amodo gentes, ſed vocabun-
tur filij Dei viui, qui vitam æternam
quam habet daturus eſt eis, quos ex
electione vocauit. Vel ita: *in loco*.i.
in Iudæã, *vbi dictum eſt*, non plebs
mea vos: ibi vocabuntur filij Dei:
quia & de Iudæis electi ſunt Apoſto-
li, per quos gentes cõuerſæ ſunt: & in
Iudæa originem primam habuit Ec-
cleſia. Poſtquã vocationem gentium
auctoritate Oſee confirmauit, pro-
bat per Eſaiam ſaluationem Iudæo-
rum, & cõuenienter hoc probat. Gẽ-
tiles .n. improperabant Iudæis, quod
ſemel culpa ſua repulſi & reprobati,
vlterius indigni eſſent ſaluatiõe Dei.
Oſee ſic dicit de gentibus: *Eſaias au-* Eſai.10.22.
tem clamat & affirmat hoc *pro Iſrael*,
.i. pro honorando Iudaico populo,
cui multotiens mala ſua impropera-
uit. Hoc vtique clamat. *Si*, id eſt, licet
fuerit numerus filiorũ Iſrael innume-
rabilis, *tanquam arena maris*, tamen
reliquiæ Iſrael, id eſt, viles & abiecti,
qui nihil in carnalitate legis confi-
dent, huiuſmodi reliquiæ *ſaluæ fient*.
Vel reliquiæ, id eſt, quos Deus ſibi re-
liquit, & idoneos ſaluationi reſerua-
uit, hi ſaluabuntur. Determinat mo-
dũ ſaluationis, ne per legem putarẽt

ſe

ſe ſaluari. Verè ſaluæ fient reliquiæ: nam per *verbum*.i. per doctrinam fidei: quod verbum erat *conſummans*.i. perfectè iuſtificans: quod lex facere non potuit. Erit etiam *abbreuians* & præcepta legis: quæ omnia ad dilectionem Dei & proximi reducet, & ſacrificia: quæ omnia ad vnum ſacrificium corporis Chriſti rediget. Et ne quia legem abbreuiaret, iniuſtum iudicaretur, hoc verbum, ideo addit, *in æquitate:* quia & ſi abbreuiat legem, æquum tamen erit & iuſtum. Quod palam eſt ex eo quod *Dominus faciet* hoc verbum abbreuiatum, ſicut dictum eſt ſecundum ſacrificia & præcepta. Nec ſuper Iudæos ſolũ, ſed etiam *ſuper terram* .i. ſuper gentes. Vel ita. Saluæ fient reliquiæ. Nã per verbum illud de quo dictum eſt: in principio erat verbum &c. (Ioan. 1. 1.) Quod verbum, id eſt, Chriſtus erit conſummans & abbreuians legem in æquitate ſicut dictum eſt: quia Dominus faciet hoc verbum breuiatum, id eſt, ſecundum aſſumptam carnem mortalitatis & paſſibilitatis ab angelis minoratum. (Pſalm. 8.) Iuxta illud. Minoraſti eum paulominus ab angelis. Et hoc verbum faciet ſuper terram .i. quod in natura deitatis erat inuiſibile per aſſumptam carnem hominibus in terra exhibebit viſibile. Verè per verbum breuiatum ſaluæ fient reliquiæ. Nam *niſi Dominus reliquiſſet nobis* hoc *ſemen*, perderemur: Et hoc dico non ſolum ex me, ſed etiam ſicut prædixit Eſaias vaticinans de eodem: (Eſai. 1. 9.) *Niſi Dominus ſabaoth*.i. exercituum tam cœleſtium quam terrenorum *reliquiſſet nobis ſemen*, id eſt, Chriſtum: quem ante tempora ſic conſtituit, & in tempore dedit. Vel ſemen, id eſt, verbum prædicationis, per quod fructificant credentes. Vel niſi Dominus aſcendens reliquiſſet nobis ſemen, id eſt, Apoſtolos: qui in nobis verbum fidei ſeminarent, nos vtique *facti eſſemus ſicut Sodoma* & ſicut *Gomorra*, id eſt, penitus periclitaremur & merito: quia ſimiles fuiſſemus ſpernendo præcepta Dei. Quod ſuperius dixit de vocatione

A Gentium per Oſee, ne Iudæi negarent hoc dictum eſſe de Gentibus, ſed de ſe qui multotiens à Deo recedendo non plebs Dei facti ſunt. Exponit Paulus quomodo de Gentibus hæc (Oſee. 2. 23.) verba tantum agant. Quãdoquidem ſuperius dictum eſt, non plebem meam vocabo plebem meam, *ergo quid dicemus*? Et quomodo hanc auctoritatem accipiemus. Hoc vtiq; in verbis Oſee exponemus, *quod gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam*, id eſt, quæ nec legem habebant, nec bono rationis ſuæ vtebantur: *appræhenderunt* non ex merito, ſed ex gratia ingerente eius *iuſtitiam*: nec carnalem iuſtificationem, ſed *iuſtitiam quæ eſt ex fide*. Partem iterum auctoritatis quã
B Eſaias pro Iſrael protulit: Hanc ſcilicet quod non numeroſitas filiorum Iſrael ſaluaretur; exequitur Apoſtolus ponendo cauſam quare reprobetur dicens. Gentes appræhenderunt iuſtitiam: ſed *Iſrael*, id eſt, Iudaicus populus *ſectando legem* carnalis *iuſtitiæ*, *non peruenit in legem* ſpiritualis *iuſtitiæ*. Sed *quare* non peruenit? Ideò *quia non ex fide* credidit ſe iuſtificari, *ſed* præſumpſit *quaſi ex operibus*
C poſſet iuſtificari. Et quia non ex fide crediderunt ſe poſſe iuſtificari: ideò *offenderunt*, id eſt, offenſionem ſibi fecerunt *in lapidem*, id eſt, in Chriſtũ qui lapis fuit, qui & inimicos contereret, & in quo fundamenta iuſtorum conſiſtent. Lapidem dico *offenſionis*, id eſt, qui lapis per humilitatem quam habuit aptus fuit, in quo offenderent ſuperbi, ſicut ſcriptum (Eſai. 8. 14. 1. Petr. 2.) eſt in Eſaia. *Ecce pono in Sion*.i. in Iudaico populo *lapidem offenſionis*, id
D eſt, Chriſtum, *& petram ſcandali*. Inter lapidem & petram, nulla diſtantia eſt: ſed offenſionem vocat peccata facta in Chriſtum. Scandalum vocat damnationem, ex culpa peccatorum prouenientem. Licet dicã quod Chriſtus lapis offenſionis fuerit Iudæis: tamen non omnes offenderunt in eo: ſed *omnis* de Sion *qui credit in eum* lapidem, *non erubeſcet* ſe credidiſſe.

(·.·)

CAP. X.

CAP. X.

FRATRES *voluntas quidem cordis mei & obſecratio ad Deum fit pro illis in ſalutem. Teſtimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem quidem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiã. Ignorantes enim iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Finis enim legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Moyſes enim* * *ſcripſit: quoniam iuſtitiam quæ ex lege eſt qui fecerit homo, viuet in ea. Quæ autem ex fide eſt, iuſtitia ſic dicit. Ne dixeris in corde tuo quis aſcendet in cælum: id eſt, Chriſtum deducere, aut quis deſcendet in abyſſum: hoc eſt Chriſtum à mortuis reuocare. Sed quid dicit ſcriptura? Propè eſt verbum in ore tuo & in corde tuo. Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus, quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum* * *excitauit à mortuis, ſaluus eris. Corde* * *enim creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Dicit enim ſcriptura. Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Quomodo ergo inuocabunt, in quem nõ crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur? Sicut ſcriptum eſt. Quam ſpecioſi pedes Euangelizantium pacem: Euangelizantium bona. Sed non omnes obediunt Euangelio. Eſaias enim dicit. Domine quis credidit auditui noſtro, ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum* * *Chriſti. Sed dico. Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed dico, nunquid Iſrael non cognouit? Primus Moyſes dicit. Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem inſipientem, in iram vos mittam.*

...q.1.c.1. ...de eiſdem.
De conſecr. ...ſt. 4. ſi ...uis autem ...fin. ...dixit.
...euit. 17.5.
Deut. 30.11.
Deut. 30.14.
...ſuſcitauit.
...autem.
...q.3. nolite. De conſecr. diſtin. 4. baptiſmi vicem. De ſacra unct. cap. unico.
Iohel 2.
Actuum. 2
De pœn. diſt. 3. adhuc perfidi. De hæret. ...cum ex in iuncto. & cap. excommunicamus & §. quia vero.
Eſa 52.7.
Naum 1 15.
Eſa 53 1.
** Dei.*
Pſal. 18.5.
Deut. 32.1.

A *Eſaias autem audet & dicit: Inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant. Ad Iſrael autem dicit. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, ſed contradicentem mihi.*

Eſai. 65.
Eſa. 65. 2.

NE quia modo dixerat Iſrael nõ peruenit in legem iuſtitiæ, ſed offenderunt in Chriſtum, putaretur Apoſtolus Iudæos ideo dicere reprobatos, nec vlterius poſſe ſaluari. Dicit ſe orare pro illis, pro quibus v-
B tique non oraret, ſi apud Deum reprobatos cognoſceret. Vnde ſic ait. Licet Iudæi offenderint in Chriſtum, tamen *fratres voluntas cordis mei fit pro illis*, id eſt, bonam voluntatem habeo ad illos, quos ſi pœniteant confido ſaluandos. Nec ſolum voluntas, ſed etiam *obſecratio fit ad Deum pro illis*, ad habendam illis ſalutem. Ideò vtique obſecro Deum pro illis, quia *teſtimonium illis perhibeo, quod* pro certò *habent æmulationem*, id eſt, dilectionem Dei. Vel æmulationem, id eſt, indignationem aduer-
C ſus ſanctos, zelo Dei, & ſuæ legis. Exiſtimantes enim ſic tuendam eſſe legem ſuam, perſequuntur ſanctos. Habent vtique æmulationem *Dei, ſed non ſecundum ſcientiam.* Non enim ſcienter ſic diligunt legem, vel ſic indignantur pro lege. Inde ait Beatus Petrus. Scio fratres quia per ignorantiam feciſtis &c. Verè non ſecũdum ſcientiam. *Nam ipſi ignorantes iuſtitiam Dei* .i. omnem iuſtificationem ex ſolo Deo eſſe, *& quærentes ſtatue-*
D *re*, id eſt, confirmare *ſuam* iuſtitiam quod per carnalia opera legis iuſtificarentur: quæ vtique iuſtitia nõ Dei, ſed eorum eſſet. Hoc vtique quærentes *non ſunt ſubiecti iuſtitiæ Dei*, id eſt Deo iuſtificanti: ſed potius derogando Deo, iuſtitiam quæ Dei eſt, aſcribebant ſibi. Verè iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Nam Chriſto noluerunt ſubijci, qui *Chriſtus eſt ad iuſtitiam omni credenti*.i. qui omnem credentem iuſtificat. Chriſtus dico, qui eſt finis legis; & ſecundũ impletionẽ eius, & ſecundum hoc quod veniẽte

Act. 3. 17.

Chriſto

Chriſto finita eſt lex illa, & iam per Chriſtum locum habet gratia. Verè Chriſtus eſt ad iuſtitiam, nam lex nõ eſt ad iuſtitiam. *Moyſes.n.* ſic *ſcripſit, quoniam*.i. quod homo qui fecerit *iuſtitiã, quæ eſt ex lege*. i. carnales obſeruantias quas præcipit lex, ipſe *viuet in ea* lege .i. hoc ſolum habebit ex impletione carnalis legis, quod non morietur iudicio legis. Qui enim legem facit, pœnam ſolũmodo euadit, ſed per eam non iuſtificatur. De iuſtitia legis ſic ait. Sed de iuſtitia quæ eſt ex fide, ſic dicit idem Moyſes. *Ne dixeris in corde tuo*, id eſt, nec corde credas, nec ore loquaris hoc: *quis aſcendit in cœlum*? id eſt, ne dubites etiam quoſdam aſcendiſſe in cœlum, & adhuc quoſcunque iuſtos aſcenſuros eſſe. Id enim dicere, quis aſcendit in cœlum, *eſt deducere Chriſtum* de cœlo .i. negare quod Chriſtus in cœlum aſcẽderit. Aut ne dixeris in corde tuo, *quis deſcendit in abyſſum*, id eſt, in infernum? quia *hoc* dicere *eſt reuocare Chriſtum ex mortuis*, quod nec Chriſtus mortuus ad infernum deſcenderit, nec inde Abrahã ſanctoſq; ſuos abſtraxerit, quod vtrunque contra fidem eſt. Hoc ne credideris, ſed hoc quod ſequitur crede. Quid enim dicit ſcriptura per eũdem Moyſem? *Propè eſt verbum in ore tuo*, id eſt, paratum eſt verbum doctrinæ. Vel verbum Dei Chriſtus in ore tuo, vt confitearis, & rationabiliter tuearis illud. *Et* hoc idem verbum, propè eſt etiam *in corde tuo*, vt credas illud. Et *hoc verbum* quod propè eſſe dico, *eſt* verbum *fidei*, id eſt, doctrina habilis ad credendũ. Vel Chriſtus in quem conuenienter credi oportet, *quod* verbum nos *prædicamus*. Hoc.ſ. inde prædicamus, *quia*, id eſt, quod *ſi confitearis Dominum Ieſum in ore tuo, & credideris in corde tuo, quod Deus excitauit illum à mortuis*, & quæcunq; impoſſibilia de eo credas, nec legem naturæ potuiſſe ipſi obſiſtere: ſi hoc inquit confitearis, & credas, non ſolum viues vita præſenti, vt per legẽ, ſed etiam *ſaluus eris* æternaliter. Verè ſi corde credideris, ſaluaberis. *Nã*

Leuit. 18. 3.

Deut. 30. 12

Deut. 30. 14

A *corde creditur ad* habendam *iuſtitiã*, i. iuſtificationem à peccatis. Qui autem iuſtificatus eſt, de ſaluatione ſecurus eſt. Et verè ſi confitearis ore, ſaluaberis. Nam confeſſio *fit ore ad* conſequendam æternam *ſalutem*. Ideò ſalutem (quia maius videtur) poſuit ad confeſſionem oris. Hoc enim confiteri.ſ. Deum, magnum & præcipuum erat in tempore Apoſtoli ſeuiente perſecutione: quo tempore multi ſanè credentes non audebant palam loqui) nec confiteri. Probat ꝙ

B credulitas cordis iuſtificet, ab auctoritate ſcripturæ: nec tamen determinat cuius ſit hęc ſcriptura: ſed in pſalmis multotiens æquè valens inuenitur. Verè corde creditur ad iuſtitiã. Nam ſcriptura dicit. Omnis ſiue Iudæus, ſiue Gẽtilis, qui credit in illum quem Deus excitauit à mortuis, non confundetur .i. non erubeſcet quaſi malè crediderit. Benè dico omnis. Nam non eſt diſtinctio apud Deum: Iudæi & Græci.i. Deus in ſaluatione ſua indifferenter accipit Iudæum vt

C Gentilem, & Gentilem vt Iudæum. Verè apud Deum nulla eſt diſtinctio Iudæi & Gentilis: nam idem eſt Dominus omnium. Qui.n. creauit vnũ; creauit & alterũ. Vnde apparet quod æquam voluntatem habeat ad vtrũque, & ſicut voluntatem, ſic etiã habet potentiam. Nam ipſe eſt diues: & abundanter retribuens in omnes qui inuocant illum. Probat quod cõfeſſio fit ad ſalutem. Reſpondet tamen litera ad proximum. Verè Deus eſt

D diues in omnes qui inuocant illum. Nam omnis quicunq; ſit ille, ſiue Iudæus, ſiue Gentilis, q inuocauerit nomẽ Domini ſaluus erit. Quãdoquidẽ oportet eos inuocare vt ſaluentur: ergo oportet eos primum credere, vt poſtea inuocent: Quomodo.n. inuocabunt illũ in quem non crediderũt? quaſi diceret, quia credent inuocabunt. Aut quomodo credẽt ei quẽ non audierunt? id eſt, quia audient credent. Quomodo autẽ audiẽt ſine prædicante? .i. quia prædicabitur illis audiẽt. Quomodo verò prædicabunt niſi mittãtur? .i quia Deꝰ mittet illos

prædicabunt. Ex omnibus his interrogationibus intendit totum venire ex gratia Dei, à principio vocationis vſque ad ſaluationem eorum. Cùm enim dicit prædicatores à Deo miſſos quos audierunt: & poſt auditum credunt:& deinde inuocant,& ſic ad vltimum ſaluantur: totum innuit referēdum eſſe gratiæ Dei. Verè prædicatores mittuntur à Deo ſicut ſcriptum eſt in Eſaia. Quā ſpecioſi ſunt pedes.i. aduentus Euangelizantium, .i. benè annunciantium pacem inter Deum & hominem. Et Euangelizantium bona.i.humilitatem, caſtitatē, & his ſimilia. Quia ſupra dixerat eò quod audierunt crediderunt: ne putaremus quod ſolum audire ſufficeret ad habendam fidem non operante Spiritu S.interius, ait. Licet dixerim quia audient credent: tamen nō oēs qui audiunt, obediunt Euāgelio. Nec ſolus hoc dico: ſed Eſaias mecū ſentiens dicit hoc. Domine quis credidit auditui noſtro.i.vel his quæ audierunt à nobis, vel his quæ nos audiuimus à te & nūciauimus illis? Per hoc quod ait quis credidit, innuit multos audiſſe: & ſi non omnes, aliquos tamen crediδiſſe. Et quandoquidem aliqui crediderunt: ergo fides habetur ex auditu. i. credunt aliqui, quia audiunt. Non tamen ex omni auditu habetur ſana fides: ſed ex auditu qui fit per verbum.i.ſecundum doctrinam Chriſti, fides eſt ſalubris. Licet pauci crederent auditui noſtro:tamen dico,nunquid non audierūt?quaſi diceret.De hoc quod non crediderunt inexcuſabiles ſunt: quia verbum fidei audierunt. Equidem in omnem terram exiuit ſonus .i. fama eorum prædicatorum. Nec ſolum fama:ſed etiam verba eorum, .i. eadem quæ ipſi prædicabant,audita ſunt in fines terræ:& ita dico terrę quod orbis .i. orbiculatæ terræ. In omni enim parte terræ audita ſunt verba Apoſtolorum. Audierant vtique ſicut probatum eſt. Nec ſolum eos audiſſe dico: ſed dico quod etiam cognouerunt quod interrogatiuè ponit vt magis eos excitet dicens.

Eſa.5.

A Nunquid Iſrael.i. Iudaicus populus non cognouit? Duo ſunt genera cognitionis. Vnum quo ſicuti rem bonam eſſe cognoſcimus, bonum huius rei diligimus & approbamus: & hæc eſt bona cognitio. Alterum quo rem,ſicuti dicitur, ita eſſe videmus, nec contradicere poſſumus: & tamē rem illam non diligimus, ſed (quod ſolum poſſumus) iniquum velle ad illam habemus. Hæc eſt mala cognitio, quam Iudæi in Chriſtum habuerunt. Probat auctoritate Moyſi Iudæos cognouiſſe Chriſtum dicens.

Cognitionis duo ſunt genera.

B Verè Iſrael cognouit. Nam Moyſes primus tempore ſecundū ſcripta:nemo.n.ante eum ſcripſit prophetiam. Per hoc autem quod ait primus, innuit eiuſdem rei multos teſtes eſſe licet non reponat eos. Vel primus. i. præcipuꝰ ſecundū dignitatem. Moyſes inquit primus dicit hoc. Ego adducam vos ô Iudæi ad æmulationem .i. ad inuidiam & indignationem animi,in non gentem.i.contra gentilitatem quæ prius gens mea nō dicebatur: quos voſipſi canes vocabatis. Vel in non gentem.i. contra gentilitatem quam faciam non gentem .i.

C non ſicut genita eſt dimittam eā,ſed faciam nouam creaturam:regeneratam aqua & Spiritu S.Nec ſolum adducam vos vt videatis: ſed etiā mittā vos in iram, vt perſequamini eos. Mittam dico in iram.i.contra gentilitatem inſipientem.i.quæ prius erat inſipiens, quia licet multi Philoſophi gentium ſcientiam haberent de mundanis, tamen inſipientes erant cùm veritatem diuini cultus ignorarent. Per hoc autem quod Iudæi vi-

D dent prophetiam Moyſi completam eſſe, in eo quia inuident gentilibus factis Chriſtianis, idolatriam deſerētibus, & nouam legem ſequentibus, cognoſcunt aduenſſe tempus illud, de quo hoc prædicebat Moyſes, ſed amaritudo eorum non vult acquieſcere verę cognitioni. Moyſes hoc dicit de Iudæis. *Eſaias autem audet & dicit* hoc de ſaluatione Gentium & reprobatione Iudæorum. Audet vtique. Hic enim Eſaias quia manife-

ſtius

Eſaias quare à Iudæis interfectus. ſtius cæteris ſaluationem Gentium Prophetauit, multa pertulit à Iudęis, & ad vltimum interfectus eſt ab eis. Ideò ſic ait: audet, id eſt, nō reformidans: ſed cum audacia dicit hoc. *Eſa.65.1.* *Inuentus ſum à non quærentibus me.* Vbi ait ſe inuentum & non quæſitum, quæ repugnare videntur: oſtendit ex ſola miſericordia Dei gentes inueniſſe ſalutem. Inuentus ſum, inquam à gentibus non quęrentibus me, naturali ratione, quam eis ad intelligēdum me dederam, & *apparui his palam*, id eſt, in manifeſto omnium poſitus. His dico *qui non interrogabant me*, id eſt, cognitionem mei ab aliquo intelligente. Si enim me ſua ratione quęrerent, nec cognoſcere ſufficerēt, opportunum eſſet vt interrogarent ab intelligente, quod ipſi minus intelligerent. Sic ait Eſaias de Gentibus. *Ad Iſrael autem*.i. ad Iudaicum populum dicit hoc. *Tota die*.i. toto tempore per prædicatores. Vel tota illa die qua pependi in cruce, *expandi manus meas*, id eſt, affectiones & opera mea *ad populum* Iudaicum, non credentem. Nec ſolum *non credentem, ſed* etiam *contradicentem* mihi. Expanſio manuum Chriſti in cruce ſignificauit dilectionem, qua ſemper amplexari voluit Iudæos, qua etiam in cruce, ſi pœniterent, paratus erat omnia dimittere. Ecce iterum in Eſaia oſtendit Iudæos cognouiſſe, cùm videant hoc quod dixit impletum eſſe. Oſtendit etiam ſaluationem Gentium, & reprobationem Iudæorum.

CAP. XI.

DICO *ergo: Nunquid repulit Deus populum ſuum? Abſit. Nam & ego Iſraelita ſum ex ſemine Abraham, de tribu Beniamin. Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit. An neſcitis quid dicit ſcriptura in Helia: quēadmodum interpellat Deum * aduerſum Iſrael? Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt, &* ** pro. 3.Reg.19.10.*

A *ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi diuinum reſponſum? Reliqui mihi ſeptem milia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.* *3.Reg.19.18.* *Sic ergo in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ Dei ſaluæ * fient.* ** facta ſunt.* *Si autem gratia iam non ex operibus. Alioquin gratia iam non eſt gratia. Quid ergo? Quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus: electio autem conſecuta eſt: cæteri verò excæcati ſunt, ſicut ſcriptum eſt. Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant, vſq. in hodiernum diem.* *Eſa 6.9. Matt.13.14 Ioan 12.40. Act.28.26.* B *Et Dauid dicit. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem illis.* *Pſal.68.23.* *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua. Dico ergo. Nunquid ſic offenderunt, vt caderent? Abſit. Sed illorum delicto ſalus eſt gentibus, vt illos æmulentur. Quia ſi delictum illorum diuitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentiū: quantò magis plenitudo eorum? Vobis enim dico gentibus.* C *Quandiu quidem ego ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo: ſi quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis. Si enim amiſſio eorum reconciliatio eſt mundi; quæ aſſumptio niſi vita ex mortuis? Quia ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami: quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cùm oleaſter eſſes, inſertus es in illis: & ſocius radicis & pinguedinis oliuæ factus es; noli gloriari aduerſus ramos,* D *quod ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te. Dicis ergo: Fracti ſunt rami, vt ego inſerar. Bene. Propter incredulitatem fracti ſunt. Tu autem fide ſtas. Noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei. In eos quidem qui ceciderunt ſeueritatem, in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate. Alioquin & tu excideris. Sed & illi ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur. Potens eſt enim Deus iterum inſerere illos.*

Nam ſi tu ex naturali exciſus es oleaſtro, & cōtra naturam inſertus es in bonam oliuam, quantò magis hi qui ſecundum naturam inſerentur ſuæ oliuæ? Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc, vt non ſitis vobiſipſis ſapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret: & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, ſicut ſcriptum
Eſa.59.20. *eſt. Veniet ex Sion, qui eripiat & auertat impietatem ab Iacob. Et hoc illis à me teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum. Secundum Euangelium quidem inimici propter vos, ſecundum electionē*
De pœn. diſt.4. Sine pœnitentia. *autem chariſſimi propter patres. Sine pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei. Sicut enim aliquando & vos non credidiſtis Deo, nunc autē miſericordiā conſecuti eſtis, propter incredulitatem illorum; ita & iſti nunc non crediderūt in veſtram miſericordiā, vt & ipſi mi-*
De pœnit. diſtinct. 3. totam. Sap. 7. *ſericordiam conſequantur. Concluſit.n. Deus omnia in incredulitate, vt omniū miſereatur. O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incompræhenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis.n.cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retri-*
Sap.9 13. Eſa.40 13. 1.Cor.2.16. *buetur ei? Quoniā ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

EXPOSITIO CAP. XI.

QVIA dicò populum Iudæorum non credentem, ſed contradicentem: *ergo dico* .i. *nunquid* propterea dicere exiſtimor quod *Deus repulit populum ſuum* Iudaicum quem prius elegerat? *Abſit* hoc vt Deus aliquando repellat populū ſuum. Verè non repulit. *Nam ego Iſraelita ſum*, & multi alij qui non ſumus repulſi. Nec ita Iſraelita, vt aliundè natus in Iudaiſmum tranſierim, ſed ſum *ex ſemine Abrahæ*. Nec iterum de Iſmahele, vel de filijs Ceturæ, ſed *de tribu Beniamin*. Hæc tribus alijs prælata fuit: quia qui de hac tribu fuerunt, non tam ſæpè vt alij ad idolatriam delapſi ſunt. Et quia ego de ſemine Abrahæ non ſum repulſus, ap-

A paret per hoc quod Deus *non repulit plebem ſuam*. Illam vtique voco plebem Dei *quam præſciuit*, id eſt, prædeſtinauit ad ſaluationem. Non vtique modo repulit, quemadmodum olim exiſtimāte Helia omnes præter ſe receſſiſſe à cultu Dei: multi tamen quos ipſe ignorabat, reſeruati ſunt à Deo. Sic modo multos Deus electos habet, quos ignoramus. Pro certo Deus non repulit plebem ſuam: quia *an neſcitis quid ſcriptura dicat in Helia*, id eſt, vbi loquitur de Helia: *quemadmodum* ille *Helias interpellat*
B *Deum* * *aduerſus Iſrael*, id eſt, ad damnationem Iudæorum: dicens hoc in tertio libro regum. *Domine*, * pro.
Achab & Ieſabel *occiderunt Prophetas tuos. Suffoderunt* etiam *altaria tua*. Fideles enim de Iſrael quia non audebant ad adorandum conuenire in Hieruſalem, latenter ideo in ſpeluncis & ſyluis conſtruxerant aras, ibique immolabant: quas aras etiam à fundamentis euerterant idolatræ Iſraelitæ, quoſque immolantes inueniebant, occidebant. Alios (inquit) Prophetas occiderunt: *& ego* 3.Reg 19.10
C *ſolus relictus ſum* in cultu Dei; & adhuc *quærunt animam meam*, vt me cum alijs interficiant. Sic ait Helias. *Sed quid dicit illi diuinum reſponſum?* Hoc vtique: ego *reliqui*, id eſt, reſeruaui *mihi ſeptem milia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal*, id eſt, qui non adorauerunt idola. Non ideo dicit ſeptem milia vt hic numerus determinatus eſſet in illis: quod neque plus neque minus ibi eſſet: ſed quia per ſeptem vniuerſitas deſignatur: ideo etiam certus nume- *Per ſeptenarium numerum vniuerſitas ſignificatur.*
D rus in incerta re ponitur: vt oſtendatur hic numerus electorum Deo eſſe cognitus, etſi ab hominibus ignoretur. Quod de Helia præmiſit, adaptat modo dictis ſuis ita. Quandoquidem in tempore Heliç multi fideles reſeruati fuerant, quos tamen ipſe ignorabat: *ergo*.i. ꝓpter ea per ſimile credendū eſt quod *ſic*.i. per miſericordiā Dei ſicuti tunc. Vel ſic. Quia queadmodū tunc ignorabatur, ſic & modo electos Dei diſcernere nō ſufficimus. *Numerus electorum Deo cognitus.*

Sic inquit nunc vt olim *etiam hoc in tempore* gratiæ, qua cauſa magis credendum eſt Deum miſericorditer ſibi reſeruaſſe electos magis quam olim, cum nõ erat tempus gratiæ. Hoc inquam in tempore *gratiæ ſaluæ factæ ſunt reliquiæ*. i. illi quos Deus ſibi reliquit, idoneosq; ſaluationi præſciuit. Reliquiæ ſaluæ factæ ſunt, & hoc *ſecũdum electionem* Dei, ab æterno præuiſam: quæ electio non fuit propter merita, ſed fuit gratiæ: quia & ꝑ gratiam elegit, & per gratiam ſaluauit. *Si autem* hæc electio eſt *per gratiam*, iã *conſtat quod non* eſt *ex operibus*, pro merentibus illam: *alioquin* ſi propter opera eligerẽtur, iam illud quod vocatur *gratia, non eſſet* pura *gratia*, ſed meritum. Hoc autem conuenienter de gratia inducit, vt nec illi quos De⁹ ſibi reliquit, putẽt ſe electos ex merito: ſicut malos quią malè meruerunt reprobatos: & hæc dicens benè ſeruit intẽtioni. ¶ Summam auctoritatum ſupra poſitarum hic breuiter colligit, vt aperiat quod per illas auctoritates intendebat dicens. Quia ſuperius dixi, ſecundum Eſaiam Iudæos non credentes, ſed contradicentes. Dixi iterum ſecundum eundem reliquias Iudæorum eſſe ſaluatas. Ergo quid ex his dictis quæ ſibi obuiare videntur colligemus? Hoc vtiq; dicemus: q̃a *quod quærebat Iſrael*. i. Iudaicus popul⁹ ſtatuere. ſ. iuſtitiã ſuam, & in ea ſaluari: hoc *non eſt conſecutus*. Iſrael in toto non eſt conſecutus, *ſed electio conſecuta eſt*. i. hi quos Deus elegit de Iſrael conſecuti ſunt ſaluationem. *Cæteri verò* qui non ſunt electi, non ſolum non conſecuti ſunt, ſed etiam *ſunt excæcati*. Et hoc dico *ſicut ſcriptũ eſt* in Eſaia; licet alijs verbis, eodem tamen ſenſu. *Dedit illis* Iudæis *Deus ſpiritũ compunctionis*. ſ. ſpiritum malignum qui pungeret eos, & cogeret malè agere. Vel ſpiritum, .i. voluntatem compunctionis: qua pungerentur inuidendo, & iraſcendo fidelibus. Dedit etiam illis *oculos*, .i. naturalem rationem: ſed ita *vt nõ videant* .i. vt bono rationis priuẽtur. Dedit etiam *aures*. i. eandem rationẽ

Electio non propter merita, ſed ex gratia.

A quaſi quod per ſe non poſſent intelligere: debuerãt audire & addiſcere. *Non audiant* dico, *vſque in hodiernum diem*. Hic dies hodiern⁹ fuit Prophetæ: hodiernus etiã vſq; ad finem mũdi: ſicut illud in balneis: hodie cũ precio, cras ſine precio. *Dicit etiam Dauid* de excæcatione Iudæorum hoc: *fiat menſa eorum* .i. ſcriptura qua debuerant animaduertere bonum: fiat illis *in laqueum*. i. illaqueentur in illa quotidie deterius intelligendo: fiat etiam illis *in captionem*, quia capti ſunt à Romanis: *&* fiat illis *in ſcandalum*. Miſeriã eorum diſperſorum per B mundum vocat ſcãdalum: fiat etiam illis *in retributionẽ*. Cùm captionem & ſcandalum retributionẽ poſſet vocare. Aeternũ tamẽ interitum, quia permanens erit, retributionẽ intelligit. Vel ita menſa eorum. i. hoc quod ſe fellitos & acidos intulerunt Deo, qui de conuerſione eorũ refici volebat, fiat illis in laqueũ. i. illaqueentur ideo obſidione Romanorũ. Cætera non mutãtur. *Et oculi*. i. ratio eorũ *obſcurentur ne videant*, & intelligãt bonum. *Et dorſum eorum*. i. eãdem ratio- C nem qua ſe ad cognitionem Dei erigere debuerũt, illud *incurua* in terrenis, ſemper magis & magis præcipitando in pœnis. ¶ Quia dixi Iudæos excæcatos. *Ergo* nunquid propterea *dico* quod *ſic offenderunt*, *vt caderent* inutiliter, & irrecuperabiliter, quod ſolummodò in eis caſus ſit? Hic intẽdit reprimere gentiles, ne ſe pręferãt Iudæis, licet eos dixit excæcatos: quia caſus eorum eſt recuperabilis, & ſaluationi gentium plurimum vtilis dicens. Abſit hoc vt licet offenderint D irrecuperabiliter, ideo cadant, & inutiliter. Verè non inutiliter, *ſed delicto* .i. per delictum *eorum* .ſ. Iudæorum, *eſt* facta *ſalus gentium*. Niſi enim Iudæi reſpuerent verbum Dei, Apoſtoli non tranſirent ad gentes. Salus vtique facta eſt gentibus, *vt* gẽtes *æmulentur*, i. imitentur *illos* Iudæos, qui fideles fuerunt, & quorum lex firmamentum eſt noui teſtamẽti. Vel ita. Per delictum Iudæorum eſt facta ſalus Gentibus, ita vt Iudæi æmulentur

Pſal. 68. 2.

illos.i.imitentur gentes in hoc Chriſti. Et ſecundũ hoc probat, quod caſ⁹ Iudæorum ſit recuperabilis. *Quia ſi delictum eorum*, pro quo Iudæi repulſi ſunt, *diuitiæ ſunt mundi*.i.cauſa fuit quare gentilitas ditaretur gratia Dei; *quantò magis plenitudo eorum*.i. Iudæi plenariè ſaluati, erunt diuitiæ gentium? Per hoc caſus Iudæorum recuperabilis probatur. Si enim Deus malum Iudæorum vtile fecit gentibus, multò magis credendum eſt, quod bonum eorum longè vtilius faciet gentibus. Delictum eorum ſunt diuitiæ mundi: Et diminutio illorum, .i. Apoſtoli qui de Iudæis electi ſecũdum ſe partem Iudæorum diminuerunt. Hęc inquã diminutio ſunt diuitię gentiũ: Apoſtoli.n.ditauerunt gẽtes verbo Dei. Nõ ideo dicit plenitudo quod omnes ſaluãdi ſint: ſicut nec vniuerſa gẽtilitas electa eſt: ſed quia multi ſaluabuntur. Verè plenitudo Iudæorum ſaluabitur. Nam etiam in tempore excæcationis eorum ſaluabuntur aliqui ex illis. Et hoc *dico vobis gentibus*: quia ſemper *quãdiu quidem ego ſum Apoſtolus gentium*, ad quas ſolummodo miſſus ſum, *honorificabo* tamen *meum miniſterium*: quia cùm officium meum hoc ſolũ exigat prædicare Gentibus, honorificum faciã illud ſupra hoc quòd debeo: laborãdo in Iudęis. Honorificabo dico *ſi quo modo* (quicquid .n. paterer non curarem) *prouocem carnem meam*.i. Iudęos ſecũdum carnẽ mihi propinquos *ad æmulandum* .i. ad imitandum me in fide, *&* vt ſic prouocando *ſaluos faciã* .i. Deus per me ſaluet *aliquos ex illis*. Cauſam reddit quare debeat laborare in eis: & idem videtur ſuperius poſuiſſe, ſed ibi cùm determinatione temporis, vbi ait. Plenitudo quam in finem mundi conſtat fore. Hîc autem ad aliud ponit, & ſine determinatione temporis, dicens. Ideò laborabo ſaluos facere aliquos ex illis. *Nam ſi amiſſio eorum eſt reconciliatio mundi*.i. ſi excæcatio eorũ cauſa fuit, vt gentilitas recõciliaretur Deo: *quæ* .i. qualis dicenda eſt *aſſumptio* Iudęorum in quocũq; tempore *niſi vita ex*

A *mortuis*: Quia ſi Deus per malũ eorũ recõciliauit ſibi mundũ, multò magis credendum eſt quod per aſſumptionem eorũ faciet Deus viuere multos in peccato mortuos: qui exẽplo illorũ prouocati viuent in fide Chriſti. Probat quod genus eorum nõ impediat aſſumptionem eorum, ſed ſola incredulitas, dicens. Benè dico, aſſumptio. Nã bene poſſunt aſſumptionem mereri. *Si.n. delibatio ſancta eſt*, .i. ſi Apoſtoli, & alij q de genere eorũ

B electi ſunt, ſancti ſunt, conſtat quod *etiam maſſa* .i. illa plenitudo Iudæorũ ſalua eſſe poteſt. Si .n. Apoſtolus nihil obfuit genus, nec alijs obeſſe debet. Delibationem dicit ab ea ſimilitudine: quemadmodũ parũ quid guſtatur de cibo, ꝑ quod tota maſſa benè an malè condita ſit, probatur: Sic Apoſtoli delibatio dicebãtur totius maſſæ Iudæorum, in quibus planum erat Iudæis genus nihil obeſſe. Probat iterum idem per aliud. Ideò etiã conſtat eos bene poſſe aſſumi. Nam radix eorum.i. Abraham, Iſaac, & Ia-

C cob, *quod ſi radix* eorum *ſancta* eſt; *rami etiam ſancti* eſſe poſſunt. *Dices* iterum mihi: quod *rami* illi *fracti ſunt*: ꝙ ſi aliqui ex ramis per incredulitatem à radice fracti ſunt: *tu autẽ inſertus es in illis* .i. loco illorum *cùm eſſes oleaſter* .i. ſterilis, & à ſancta radice alienus: *factus* es etiã *ſocius radicis* .i. prophetarum: in quibus radicata eſt fides. *Et* factus es ſocius *pinguedinis* .i. Apoſtolorum: qui pinguedinẽ fidei, & abundantiam S. Spiritus habuerũt.

D Radicis & pinguedinis dico *oliuæ*.i. Iudaici populi: qã Prophetæ & Apoſtoli de Iudæis nati ſunt. Et ſi tu alienus à radice inſertus es, *noli gloriari aduerſus* ſtantes *ramos*, neque te præferre illis, quaſi tu propter meritum ſis eligendus, illi propter genus abijciẽdi. *Quia ſi* tù importunè *gloriaris*, dicetur tibi: Frater *tu non portas radicem, ſed radix* portat *te*: quia in te nullum exemplum boni: in radice verò (vt in Abraham) exemplum totius fidei. Quia modo abſtuli tibi gloriari, aduerſus ſtãtes ramos: *ergo*.i. propterea *dices* mihi: quia aduerſus fractos

glo-

gloriaberis ita. Naturales *rami* per incredulitatem *fracti ſunt, vt ego inſerar* loco eorum. Hoc *bene* eſt, & ſic concedo ait Paulus, ſed illi non propter genus, ſed *propter incredulitatem fracti ſunt. Tu autem ſtas* loco illorũ pro ſola *fide*. Et ideo *noli altum ſapere* .i. ſuperbire contra fractos: *ſed time*, ne ſimiliter frangaris: timendũ vtiq; eſt: *quia ſi Deus nõ pepercit naturalibus ramis*.i. Iudæis; *ne fortè nec parcat tibi*, cui minus debere videtur non naturali: quia tu non naturalis per gratiã inſertus es; ille naturalis propter culpam repulſus eſt. *Ergo vide bonitatem & ſeueritatem Dei. In eos quidem qui ceciderunt*.i. in Iudæos: vide *ſeueritatem. In te autem* qui per miſericordiã inſertus es, *vide bonitatem Dei*. Bonitatem ea lege dico, *ſi* tu *permanſeris in* ea *bonitate*, cooperando acceptæ gratiæ. *Alioquin* ſi non permanſeris, ſicut Iudæus exciſus eſt: ita *tu etiam excideris*: & illi Iudæi ſi non permãſerint: in incredulitate iterum inſerentur: & bene dico inſerentur. *Nã Deus potens eſt iterum inſerere illos* ſicuti olim eoſdem inſeruit. Et verè Deus potens eſt, nam actum huius potentiæ aliquos licet paucos inſerendo hoc tẽpore paulatim exercet: quod æquipollenter ait. Deus vtique poteſt eos inſerere. *Nam ſi tu* Gentilis *exciſus* es *ex oleaſtro*. i. ex infructifera radice: oleaſtro dico *naturali* tibi per longam conſuetudinem. Et ſi *inſertus es* per gratiam *in bonam oliuam*: & hoc *contra naturam*.i. contra conſuetudinem, quæ diuturnitate temporis in naturam tranſierat: *quantò magis hi* Iudæi inſerentur ſuæ oliuæ, *quæ eorum eſt ſecundum naturam?* Si tu nõ naturalis inſertus es propter fidem, non eſt cauſa quare naturales rami non debeant inſeri propter eandem cauſam. ¶ Probauit ſuperius, quod Deus potentiam haberet inſerẽdi illos per actum ſuæ potentiæ, quia reuera inſerẽtur dicens: Verè Iudæi iterum inſerentur. Nã & nunc tempore excæcationis eorũ ſecũdum partem inſeruntur, & ad vltimum omnis Iſrael ſaluus fiet. Quia nũc aliqui inſe-

A runtur concipimus vbi ait: cæcitas ex parte contigit in Iſrael. Si.n. in parte non in toto: quare non dicimus nũc etiam partem eorum reinſeri? Et ô *fratres nolo vos ignorare*, *hoc* contigiſſe.ſ. cæcitatem in Iſrael, vt intrarent gentes: quod vtiq; *myſterium* eſt: quia ſi ordo rei conſideratur, cauſa tamẽ excæcationis Iudęorum, & illuminationis gentiũ, nõ intelligitur. Quam cæcitatem & illuminationem, ideo nolo vos ignorare eſſe myſterium, *vt non ſitis vobiſmetipſis ſapientes*.i. vt nõ

B imputare poſſitis hoc ſapientiæ veſtræ, quæ ſacramentum huius rei intelligere nõ ſufficit. Si enim hęc cauſa non ſub myſterio occultaretur: ſed vobis aperta fieret: præſumendo imputaretis hoc ſapiẽtiæ veſtræ: quæ quia in cognitione hui⁹ myſterij deficit, imbecillitatem ſuam intelligit, & miratur altitudinem diuini conſilij. Hoc inquam nolo vos ignorare: *quia* .i. quod *cæcitas contigit in Iſrael*. Et hoc ex parte: nõ enim omnes excæcati ſunt. Contigiſſe dicit, quãtum ad ignorantiam hominum, quę cau-

C ſas huius myſterij neſcit: cum tamen nihil contingentiæ, nihil fortuitum in prouidentia Dei ſit: qui ſicut omnia, ſic & cauſas omnium nouit. Cæcitas vtiq; contigit in Iſrael, *donec intraret plenitudo gentium*. Illud donec, & temporale eſt & cauſale. Quaſi diceret. Ideò Iudæi excæcati ſunt, vt intraret, & tandiu, donec intraret plenitudo gentium. Nec ſic plenitudo vt ſinguli de gentibus ſaluarẽtur, ſed eo reſpectu quo vix aliqui de gẽ-

Contingen[tiæ] Deo nihil.

D tibus prius ſaluabantur. Dicitur in tempore gratię fuiſſe plenaria ſaluatio gentium. *Et ſic* poſtquam introiſſet plenitudo gentium, *ſaluus fieret omnis Iſrael*: non tamen omnes Hebræi: ſed quicunque eſſent Iſrael videntes Deum. Sententia tamen quorundam eſt oẽs Iudæos in fine mundi ſaluandos. Probat quod Iudæi nũc partim ſaluentur, & in fine plenariè per auctoritatem Eſaiæ dicens: Quia dico Iſrael ſaluum fieri, hoc non ex me: ſed *ſicut ſcriptum eſt*, aſſero. Hoc vtiq; ſcriptum eſt. *Veniet ex Sion*.i. ex

Eſai. 59. 20. Iudaico populo, *qui eripiat* quadam violentia, & multo labore, vt modo fit in tempore excæcationis, qui etiam quadam facilitate auertat quod erit in fine mundi, quando Iudæi vltro properabunt ad ſaluationem. Eripiat dico *& auertat impietatem ab Iacob* .i. à Iudaico populo. Impietatem non dicit hic conſuetam idololatriam, ſed denegare cultum filio Dei, quod Iudæi faciebant, hoc vocat impietatem. Ritus enim eorum poſtquam tempus gratiæ venit, verè idololatria fuit. ¶ Determinauit per quem ſalus fieret Iudæis. Determinat etiam tempus, quando hoc futurum ſit, dicens: *Et hoc teſtamentum*.i. hæc teſtata promiſſio, complebitur *illis à me*: tunc *cùm abſtulero peccata eorum*, eoſque iuſtificauero: quod nunc paulatim fit, & in vltimis diebus plenariè. Nunc quidem eripiuntur ab impietate, & fiunt dilecti. Alij verò qui nolunt eripi, ſunt *inimici*: & hoc *ſecundum Euangelium* .i. propterea quia Euangelio inuident, & detrahunt, per quod gentes conuertũtur. Inimici vtique ſunt. Et hoc *propter vos*.i. ad vtilitatem veſtram. Niſi.n. Iudæi verbum Dei reſpuerent, Apoſtoli vtique non tranſirent ad gentes. Alij ſunt inimici. Alij autem .i. prædeſtinati ſunt *chariſſimi ſecundum electionem*.i. non propter meritũ: ſed quia Deus elegit eos per gratiã. Chariſſimi etiam *propter patres*: non tamen propter meritum patrum, ſed vt impleãtur promiſſiones factæ patribus eorum. Verè ſecũdum electionem, & propter patres. *Nam vocatio Dei*.i. electio eorum: *& dona*.i. impletiones promiſſionum *ſunt ſine pœnitentia*.i. ſine immutatione, quia quẽadmodum promiſit, & elegit, ſic cõplebit: vel ita. Verè chariſſimi ſecundum electionem. Nam dona Dei .i. remiſſio peccatorum: & vocatio Dei .i. inſtructio fidelium, quos poſtquã in baptiſmo iuſtificauit, per Doctores inſtruit: Hæc vtique dona & vocatio Dei ſunt ſine aliquo merito. Nam ſine pœnitentia corporalis afflictionis, quæ meritum pœnitentiæ

Impietas.

A præcelleret apud Deum, ſi dona & vocatio eius fierent ſecundum meritum, Iudæi vtique eliguntur. Nã *ſicut vos* Gẽtiles & quidam Iudæi ante legem vos *aliquando non credidiſtis Deo*: *nunc autem* in tempore gratiæ *conſecuti eſtis miſericordiã* .i. ex miſericordia ſaluationem: & hoc *propter incredulitatem* Iudęorum. Quia enim verbum Dei non receperunt, hoc ad gẽtes tranſmiſit Apoſtolos. Sicut inquit vos olim non credentes, modò conſecuti eſtis miſericordiam; *ita & iſti* Iudæi, *nunc non crediderunt*, euntes

B *in veſtram miſericordiam*.i. nolentes ſaluari, ſicut vos per miſericordiã Dei, ideo non crediderunt: *vt* quemadmodum vos, ſic *etiam ipſi conſequãtur miſericordiam*. Vobis incredulis miſertus eſt Deus, vt hoc ſolummodò imputaretur gratiæ ſuæ, ſic & Iudæis diſpoſuit in incredulitate dimerſis miſereri, vt vterque Iudæus & Gentilis æquè totum referret gratiæ Dei, ſuamq; imbecillitatem cognoſcens, non ſuperbiret. Deus enim videns diabolum & hominem vtrũque cecidiſſe per ſuperbiam, multũ

C exinde ſtuduit præcauere homini à ſuperbia, quare vtrunque Iudæum & Gentilẽ labefactari permiſit in incredulitatem, vt quantò magis infirmitatem ſuã cognoſcerent, tantò amplius miſericordiæ Dei ſeſe ſubijcerent. Verè incredulitas Iudæorũ cauſa eſt vt miſericordiã conſequantur. *Nam Deus concluſit omnia*, nunc Gentiles, nunc Iudæos *in incredulitate*: *vt* omnibus factis incredulis, opportunè *miſereatur omniũ*. Si enim alij vel

D vtrique in fide perſtitiſſent, profectò quod miſericordiæ Dei erat, merito fidei ſuæ aſcriberent. Et cauſas horum quare nunc iſti concludantur, nunc illi, noli inueſtigare, ſed admirare conſilium Dei mecum dicens: *O altitudo iudiciorum Dei*, quibus nunc Iudæi repelluntur, nunc Gentiles inſeruntur. Hæc vtique iudicia ſic alta ſunt, quemadmodum ſapientia & ſcientia Dei. Quod ita ait. O altitudo .i. profunditas *diuitiarum ſapiẽtiæ*, id eſt, diuitijs ſapientiæ & ſcientiæ Dei.

Sapien-

Sapientia & ſcientia Dei diues dicitur ſecundum multam copiam. Alta dicitur, ſecundum inſcrutabilem profunditatem. Sapiētia Dei dicitur qua ſe quantus eſt cognoſcit. Scientia qua quæcunq; ſunt creaturarum nouit. O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, *quam incomprahenſibilia ſunt iudicia eius* .i. nemo ſufficit compræhēdere profunditatem iudiciorum, quæ pertractat apud ſe. Diceret aliquis. Quamdiu apud Deum pertractantur iudicia, verum eſt quod non intelliguntur; ſed in actum deducta, ſatis comprehenduntur. Contra hoc Paulus. Iudicia Dei dum apud Deum pertractantur, ſicut compræhendi nequeunt: ita etiam *viæ eius*.i. operationes ipſorum iudiciorum ſunt *inueſtigabiles*. Probat per Eſaiam, quod præmiſit dicēs. Verè ſapiētia & ſcientia Dei ſunt inueſtigabiles. *Nam quis cognouit ſenſum Domini?* Nemo vtiq; quod Deus ſenſit, cognoſcere potuit. Et verè iudicia & opera iudiciorum ſunt inueſtigabilia. Nam *quis fuit cōſiliarius eius*, cuius conſilio ordinaret ſua? Vel quem in conſilio diſpoſitionis ſuæ admitteret? Nemo vtique. Et ſicut nemini aperuit ſenſum ſuum, ita quæque bona ex miſericordia tribuit. Quis enim dedit illi? potuit quidem aliquis poſt acceptā gratiam in aliquo mereri. Sed *quis dedit illi prior* antequam Deus daret gratiam; & ei ſic danti non gratis dabitur à Deo, ſed *retribuetur* quia promeruit? Hæc ſunt Eſaiæ: quæ autem ſequūtur verba ſunt Pauli. Verè nemo prior dedit illi, *quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*. Per diuerſas præpoſitiones, ex ipſo, per ipſum, in ipſo, notat diſtinctionem perſonarum trinitatis. Per idem pronomen ter repoſitum, notat identitatem ſubſtantiæ dicēs, Ex ipſo.i. ex patre quod principium non eſt ab alio: Et per ipſum .i. per filium: qui à patre principium habet: & per quem pater fecit omnia. Et in ipſo.i. in Spiritu ſancto, qui à patre procedit & filio, qui bonitas Dei dicitur, per quā bonitatem ſubſiſtunt creata. Ex ipſo, inquam, &

Sapientia, & Scientia Dei.

Iſaia 40.13.

Trinitatis breuis & bona declaratio.

A per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: *ipſi* itaque de omnibus debetur *gloria* & gratiarum actio, pro omnibus bonis quæ dat miſericorditer. Et hæc gloria ſit *in ſæcula* .i. æternaliter: *amen* .i. videte vt ita fiat. Poterat hic finiſſe Epiſtolam, ſufficiēter enim vtrumq; populum, ne inter ſe viciſſim ſuperbirent repreſſerat, multasq; rationes inde præmiſerat: Sed quia eis iā non intra ſe contētiosè ſuperbiētibus neceſſaria erat alternata dilectio: Ad-
B monet ideò eos iā à contentione ſedatos ſubſeruire ſibi inuicem, vnūq; ſupportare alterum, vt per huiuſmodi ſubſeruire, coaleſcat in eis & conualeſcat vinculum dilectionis.

CAP. XII.

OBSECRO *itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Et nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouita-*
C *te ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta. Dico enim per gratiā quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere, quā oportet ſapere: ſed ſapere ad ſobrietatem, & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſurā fidei. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli aūt alter alterius membra: habentes autem donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes. Siue prophetiam, ſecūdum ratio-*
D *nem fidei. Siue miniſteriū in miniſtrando. Siue qui docet in doctrina. Qui exhortatur, in exhortando. Qui tribuit, in ſimplicitate. Qui præeſt, in ſollicitudine. Qui miſeretur, in hilaritate. Dilectio, ſine ſimulatione. Odientes malum, adhærentes bono. Charitatem fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicē præuenientes. Sollicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes. Spe gaudētes, in tribulatione patientes. Orationi inſtantes. Neceſſitatibus ſancto-*

De renun. c. li. 6. 89. d. c. 1. de ſum. tri. damnamus.

Amos 5.15. 1. Pet. 2.17.

ſalm 125. ‑eb.13 1. ‑ diſt.in ‑omine. ‑4. q.3. cer‑ ‑m eſt.

rum communicantes. Hoſpitalitatem ſe- A
ctantes. Benedicite perſequentibus vos. Benedicite, & nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Idipſum inuicem ſentientes. Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos. Nulli malum pro malo reddentes. Prouidentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri poteſt quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi vindictā & ego retribuam, dicit Dominus. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potū da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius. Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.

‑rouerb 17. ‑Pet.3. ‑3 q 3. lex. ‑.Cor. 2. ‑.q 3. inter ‑erba. ‑Hebr.12. ‑.q.3. ira ‑pe. ‑Ezech. 9. ‑3. q. 4 ego ‑autem. ‑Deut. 32. ‑Prouerb 25

LITERA ſic iungitur. Quandoquidem ex Deo, & per Deum, & in Deo ſunt omnia. *Itaque fratres obſecro* .i. per omnia ſacra moneo *vos.* Obſecro vtiq; *per miſericordiam Dei* .i. per Apoſtolatum mihi, non quia meruerim; ſed per miſericordiam traditū. Vel obſecro per miſericordiam Dei; ex qua omnia bona eſſe ſuperius probaui: *vt exhibeatis*.i. præparata faciatis, non ſolum animas, ſed etiam *corpora veſtra.* Exhibeatis dico *hoſtiam*. i. mortificatam ſecundum depoſitionem ſordium, & *viuentem* ſecundum poſitionem virtutum. Nec ad tempus viuentem, ſed *ſanctam* .i. in vita virtutum ſanctam & perdurantem, & in hac vita & ſanctitate non lucrum vel laudem mūdi quærētem, ſed *Deo* per omnia *placentem.* ¶ Et ne quia modò dixerat, exhibete corpora veſtra hoſtiā, putaret aliquis affligendum eſſe corpus ſine aliqua temperantia, ideò addit Apoſtolus. Ita dico hoſtiam, vt *obſequium veſtrum* ſit *rationabile*.i. vt cūm diſcretione ieiunetis, vigiletis &cæt. Modò diceret aliquis. Paratus ſum exhibere me Deo, quamdiu nō conturbat me mundus, ſed durum eſt reſiſtere mundo cogēti me. Contra hoc Paulus. Vos vtiq; tales exhibete, *& nolite conformari* .i. conformes fieri *huic ſæculo*, vt in aliquo obtemperetis mundo, blandienti ſeu deterrenti vos. Nolite conformari ſæculo, *ſed reformamini* per baptiſmum, qui prius deformati eſtis per culpā Adę, vel reformamini.i. quotidie innouamini; qui nouam formā iuſtificati accepiſtis. Reformamini dico, proficiendo aſſiduè *in nouitate ſenſus veſtri* .i. ſemper magis ac magis benè operando innouamini, *vt ſic probetis* .i. probabiliter cognoſca-

B tis, *quæ ſit voluntas Dei*, voluntas dico *bona* .i. vtilis facientibus eam, *& beneplacens*, his qui actu experiuntur eam, nec ita in vno benè placēs, vt in alio diſpliceat, ſed in omnibus *perfecta.* Corpora veſtra hoſtiam exhibere Deo illud admoneo, ſine aliqua diſtrictione obedientiæ. Hoc autem quod ſequitur *dico per gratiam*.i. præcipio auctoritate noſtri apoſtolatus. Conſiderandum eſt, quare prædicta ſolum moneat: quæ autem ſequuntur omni auctoritate interdicat: ea enim quæ offenſionem generant, li-

Prælati vltra præcepta non cogant.

C cet prælatum ſubditis vi obedientiæ interdicere: ſed poſtquam legem non violant, non ita cogendi ſunt ad meliora, ſolummodo benè faciant, ſed ex dilectione monendi. Si enim diſtrictione obedientię ad perfectiora cogerentur, magis in hoc damnaret eos prælatus, quam adiuuaret, cùm ſi præceptum nón facerent; damnarentur propter inobedientiam: & ideò potius admonitione trahendi ſunt ad meliora, quàm coactione, quare ſic ait. *Per gratiam* Apoſtolatus *quæ data eſt mihi, dico* & præcipio *omnibus*, & ita omnibus

D quod ſingulis, *qui ſunt inter vos:* hoc .ſ. dico: *non plus* laboretis *ſapere quam oportet ſapere* .i. quam fides ſana exigit: nec vobis penitus interdico ſapere, *ſed* volo vos *ſapere ad ſobrietatem.* Nec iterum vos omnes ad eundem terminum volo de ſapientia laborare, vt non ſatis ſit vobis, niſi omnes æquo modo ſapiatis, & ideò *vnicuique* ſufficiat ſapere, *ſicut Deus diuiſim dedit ſingulis menſuram*

Sapiendum quomodò & quibus ſobriis.

fidei

fidei.i.dona ſua menſurata, ſecūdum modum & opportunitatem fidei veſtræ. Ideò Romanos à nimietate ſapientiæ reptimit, quia ipſi ſupra modum inueſtigabant cauſas myſteriorum Dei. Hoc aūt quod Deus nemini totum ſapere dedit, ſed per partes ſingulis diuiſit, multū valet ad hoc, vt ſibi ſubſeruiant, & vt alter alteri viciſſim ſeſe contemperent. Cùm enim vnus ignorat, quod alter ſapit, & econuerſo: in diuerſitate acceptarum gratiarum ſubſeruit alter alteri, de quo congruam ſimilitudinem ſuppoſuit: *quia quemadmodum diuerſa mēbra in vno corpore diuerſos* * *ſenſus habentia:* pes manui ſubſeruit: dū portat manum ad tangendum quod cupit, manus pedi: dum pedem veſtit. *Sic & nos diuerſa membra ſumus, vnum corpus Eccleſia* efficientia. Sicut enim ab eadem anima diuerſa mēbra in eodem corpore ſenſificantur: ita nos in corpore Eccleſiæ per eundem ſpiritum omnes viuificamur. Litera ſic iungitur; Deus vtiq; dona ſua diuiſim dedit. Nam ſicut in vno corpore habemus quidem multa membra, ſed non omnia membra habent eundem actum: ita nos multi vnum corpus ſumus in capite Chriſto; ſed ſinguli ſumus membra: *ita quod alter alterius*, id eſt, vt hic oculus ſubſeruiat illi pedi, & ſic in cæteris, quæ contemperantia ſubſeruitionis plurimum eſt idonea ad cuſtodiam humilitatis & vnionis. Singuli *ſumus* alter alterius *membra:* igitur, i. propterea quia voluit nos Deus ita viciſſim ſubſeruire, ſumus habentes donationes differentes: vt hic prophetiam, hic doctrinam &c. Si enim ſinguli oēs donationes haberent, non eſſet vnde alter alteri ſubſeruiret, vel neceſſarius eſſet, & ſic alter in alterū ſuperbiret, non relicto vnde vnus alteri ſe contemperaret. *Habentes* dico *differentes donationes:* & hoc *ſecundum gratiam* .i. per Spiritū ſanctum, *quæ* gratia *data eſt nobis* per gratiam non recompenſata per meritum. Donationes dico, vt *ſiue* habeamus *prophetiam* .i. certam de futuris co-

* Actu.

A gnitionem, vel quorumlibet ſecretorum reuelationem, habentes dico prophetiam & hoc *ſecundum rationem fidei.* Nō determinat cuius fidei, vel noſtræ vel auditorum, & ad vtrumq; referri poteſt ita. Secundum rationem fidei noſtræ, quia Deus ſecundum quod videt conueniens eſſe, & modum fidei noſtrę, vel reuelat ſecreta, vel prænunciat futura: vel ſecundum rationem fidei auditorum, quia quemadmodum Deus vídet fidem & capacitatem audientium, tātum dat prædicatoribus, vt reuelent

B eis vel annuncient. Nos vtiq; habentes prophetiam ſecundum rationem fidei: vel noſtræ, vel auditorū ſimus alter alterius membra. *Siue* habemus *miniſterium* adminiſtrandi fratribus temporalia: debemus alter alterius eſſe membra *in miniſtrando*, ſicut nobis creditū eſt. *Siue* ille *qui docet*, docere dicit, quod & ſcientiam docēdi, & gratiam ſermonis habeat, qui, inquam, docet, ſit membrum alterius *in doctrina.* Ille verò *qui exhortatur*, ſit membrum alterius *in exhortando.*

C Docere eſt ſapienti minus ſcientem, ſed exhortari poteſt & animare ad bonū, minus ſciens longè ſe prudentiorē, vt quilibet ruſticus poſſet quidē exhortari ad bellum fortē militē, cuius tamen belli peritiam ruſticus ignoraret. *Qui* aūt *tribuit*, tribuat *in ſimplicitate*, i. non ſpe recipiendi, non amore terrenę laudis, ſed ꝓ ſola dilectione proximi. Ille verò *qui praeſt*, pręſit *in ſollicitudine*. i. omni vigilātia curā ſubditorum gerat. *Qui* habet ꝙ eroget, *ſimpliciter* tribuat. Qui verò nō habet ꝙ tribuat, miſereatur tamē

D animo: & ille ꝙ *miſeretur*, faciat hoc *in hilaritate*. i. nō coactꝰ præcepto legis, ſed feruens ſpiritu dilectionis. Et quia vt hoc modo ſibi inuicē ſubſeruiēdo, alter alteri ſe contemperarēt, vidit neceſſariam eſſe dilectionem: ſubiungit de illa dicens, vt his modis alter alterius mēbrum fiat, ſit in vobis dilectio: & hoc *ſine ſimulatione*, vt & foris ſe oſtendat, & intus ardeat dilectio. Nec ita diligatis, vt malo proximi adhæreatis, ſed *odientes ma-*

Docere Exhortari, quorum ſit.

lum

lum eius, *bono* vero proximi ſitis *adhærentes*.i.cooperantes. Nec ſufficiat in vobiſipſis habere dilectionem: ſed etiam *diligentes charitatem fraternitatis*.i.bonæ dilectionis eſſe in fratribus veſtris: charitatem dico *inuicem* habitam, quod alter in alterum operetur charitatem: vel ita. Sicut vos proximos diligere volo: ita volo vos eſſe diligentes charitatem fraternitatis, recompēſatam inuicem: quod ſi proximi aliqua opera charitatis recompenſant vobis, libenter ſuſcipite. Erant enim quidam qui benè faciebant proximis: ſed ne remunerationem huius meriti perderent, nolebant recipere aliquid inuicem à proximis: & vt dilectio veſtra incrementum ſemper habeat, ſitis *honore præuenientes inuicem*.i. alter alterum, vt qui citius poteſt aſſurgat alij: amplectatur proximum omni genere dilectionis: vtque bonum fraternitatis accreſcat in vobis: eſtote *non pigri ſollicitudine*, vt omni vigilantia ſollicitus ſit alter alterius leuare neceſſitatem. Hāc ſollicitudinem ſuperius præcepit prælatis, quam hic fratribus ex quadam paritate cōmendat. Quia ſi non habent quod ſollicitè tribuāt: ſint tamen *feruentes ſpiritu* .i. charitas ardeat in animo eorum, licet nō habeant poſſibilitatem operandi. Et ne contemplatores malum putarent à culmine contemplationis condeſcendere neceſſitatibus proximi: ait Paulus. In his omnibus ſciatis nos eſſe *ſeruientes Domino*. Deus enim hoc genus ſeruitutis multum diligit. Cumque ſic diligentes in cura proximi ſtudueritis, ne expectetis præſentem mercedem, ſed eſtote *gaudentes ſpe* futuræ remunerationis. ¶ Oſtenſo quomodo ſe debeāt exhibere bonis, determinat, quomodo ſe habeāt contra malos, dicens. Nè autem ſpe futura fruſtremini: eſtote *patientes in tribulatione* .i. patienter ſuſtinete quęcunq; pro Chriſto vos pati oportuerit. Vt autem in patientia perſeueretis, eſtote *inſtantes orationi*: quia ſi in omnibus oratio commoda eſt, multò magis ad præferēdum paſſio-

A nes, quæ adeo carni repugnant, eſt neceſſaria. Si verò non adeò ingruāt vobis tribulationes, eſtote ſaltem *cōmunicantes neceſſitatibus ſanctorum*, vt indigentijs horum qui patiuntur, vos & veſtra cōmunia faciatis. Nec ſolum communicantes, ſed etiam *ſectantes hoſpitalitatē*, vt ſanctos quos impij perſequūtur, vos intimidi hoſpitio recipientes, curam eorum habeatis. Patimini quidem tribulantes vos, nec hoc ſolum, ſed etiam *benedicite perſequentibus vos*: nec ſemel, ſed aſſiduè *benedicite*: nec vt reſpectu

B patientiæ veſtræ benedicatis, & conſideratione crudelitatis eorum maledicatis, ſed *nunquam velitis maledicere*. Vt autem dilectio integra ſit, debetis *congaudere gaudentibus*, & hoc de ſpiritualibus bonis haud dubium eſt, & de temporalibus quantum ratio admittit. Debetis etiam *flere cum flentibus*, ſi pœnitentia ductus affligitur: ſi etiam nimis vehementi dolore carnis anguſtiatur, in quo tamen dolore modus eſt habendus. Vt autem verè lugeatis cum lugentibus, eſtote *ſentientes idipſum*, vt non tan-

C tum vultu, ſed corde interius affligamini, & hoc inuicem hic illi, ille iſti, vt autem idipſum ſentiatis, eſtote *non alta ſapientes*.i. non ſuperbientes, *ſed conſentientes humilibus* .i. idem ſentite cum abiectis, & vt noueritis conſentire humilibus, *nolite eſſe prudentes* .i. prouiſores eorum, quæ expediunt ſolummodo *apud voſmetipſos*: ſed etiam prouidete alijs, vos dico *non reddentes alicui malū pro malo*. Prudentes, inquit, eſtote *non tantum prouidentes, quæ bona ſunt coram Deo:*

D *ſed etiam coram hominibus omnibus*, tam fidelibus quam infidelibus. Non enim ſufficit teſtimoniū conſcientię noſtræ ſolum, niſi & extraneorum teſtimonia conueniant. Quare quæ laudis ſunt, & apud Deum & apud homines, ea vtique gerenda ſunt. Vt autē bona veſtra omnibus placeant, ſitis *habentes pacem cum omnibus hominibus ſi fieri poteſt*, vt & ipſi velint habere pacem vobiſcum, quod ſi nolunt, fiat pax illa: quod.i. *quantum ex*

vobis eſt. Vel ita habete pacem cum omnibus ſi fieri poteſt, vt caro veſtra diligat affligentes ſe, quod tamen ex vobis eſt, quia ſi vultis ex ratione poteſtis omnes diligere. Quam pacem vt integram ſeruetis: *non ſitis defendentes voſmetipſos*, ſi mala inferunt vobis, vos dico ſi hoc feceritis, tunc *chariſſimi.* Ne, inquam, defendatis vos, *ſed* æquanimiter ſuſtinendo, *date locum iræ* perſequentium: vt liceat ſæuire quomodo volunt: vel ita. Patiendo malos date locum iræ Dei: Deus enim ſic propoſuit vlciſci de impijs, vt ad libitum corũ exerceant iniquitatem ſuam, vt nulla miſeria damnationi eorum deeſſe queat. Debetis dare locum iræ: vel hoc, vel illo modo. *Nam ſcriptum eſt* in Salomone dicente Domino: *Mihi* reſeruate *vindictam, & ego retribuam* impijs. Sic autem faciendum eſt, quia hæc *dicit Dominus.* Nec ſolum non defendatis vos ab impijs: ſed etiã diligite illos, & benefacite illis. Quod ſic ait: *Si inimicus tuus eſurierit, ciba illum. Si ſitit, da illi potum. Nam hoc faciens, congeres ſuper caput*.i. ſuper mẽtem eius *carbones ignis* .i. vel feruorẽ dilectionis: quia admirando patientiam tuam, diligat & imitetur bonũ tuum. Vel carbones ignis .i. ignitam pęnitentiam: quia videns conſtantiã tuã, ardẽter pœnitebit vt tibi aſſimilari mereatur, vtq; ſuper mentẽ inimici huiuſmodi carbones ingeras, *noli* per impatiẽtiam tuã *vinci à malo* illius, *ſed vince malũ* inimici ſuperando illud *in bono* in deficiẽtis patiẽtiæ.

Ezech. 9. ſecundum aliam literam & Deut.32 35 Prou.25.21.

CAP. XIII.

Sap.6.4. De cen ſi. omni.

OMNIS *anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaq; qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autẽ reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirũt. Nam principes nõ ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudẽ ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonũ. Si aũt * malum feceris, time. Non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui male agit.*

11. q.1. magnum 23. q.5. prodeſt de malo ſolute. 23. q.1. quid culpatur. 11 q.1 qui reſiſtit.

** Male. 23.q.ſi.§.1. & q.5 non ſolum.*

A

Ideoq; neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideò enim & tributa præſtatis. Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Reddite ergo omnibus debita. Cui tributum tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam non adulterabis.

Mat.22.21. 23.q.5.ſi in morte.

Deut.5.18.

B

Non occides. Non furaberis. Non falſum teſtimonium dices. Non concupiſces, et ſi quod eſt aliud mandatum in hoc verbo inſtauratur. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis eſt dilectio. Et hoc ſcientes tempus, quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quam cùm credidimus. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Abyciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: ſic vt in die honeſtè ambulemus. Non in comeſſationibus & ebrietatibus. Non in cubilibus & impudicitijs.

Leuit.19.18. Mat.22.39.

Luc. 21. 34. 44.d.§.1.

C

*Non in contentione & æmulatione: ſed * induimini Dominum Ieſum Chriſtum. Et carnis curam ne feceritis in deſiderijs.*

** Induite. Gal.5.16. 1 Pet.2.12.*

POSTQVAM docuit quomodo viciſſim inter ſe agendum eſt ſubditis, docet illos quiddam maius debere prælatis: etiam infidelibus, ſalua tamen integritate fidei. Erant enim qui crederent ſe fidelibus Dominis nihil iam debere, quia fratres eorum erant in fide. Infidelibus autem Dominis penitus omnem ſeruitutem negabant; abſurdum iudicantes, vt qui fidelis eſſet, infideli ſubijceretur.

D

Litera ſic iungitur. Hæc quæ prædicta ſunt, viciſſim ſibi debent ſubditi. Sed quidam maius, ſcilicet, ſubiectionem debent principibus: & ideò *omnis anima ſubdita ſit poteſtatibus ſublimioribus*.i. ſecundum voluntatem Dei ſublimatis. Ideò per animam quæ pars eſt hominis, totum hominem aſſignauit, vt oſtendat nõ ſolum corpore, ſed & etiam voluntate ſeruiendum eſſe principibus.

Per animã totus homo nonnunquã accipitur.

Verè

Vere omnis homo debet ſubdi po- A teſtatibus. Nam *non eſt* aliqua *poteſtas*, bona, ſeu mala, *niſi à Deo*, nec ſic à Deo, vt hoc nolens permittat: quia *quæcunque ſunt à Deo, ordinata ſunt* .i. ordinabiliter diſpoſita, non fortuito caſu ruentia. Quandoquidem & poteſtas & omnia à Deo ſunt ordinata: *itaque qui reſiſtit poteſtati, reſiſtit ordinationi Dei*.i. Deo poteſtatem hanc ordinanti. Nec ſic reſiſtere leue putetis, quia *qui* ſic *reſiſtunt*, per huiuſmodi reſiſtere *acquirunt ipſi ſibi damnationem* .i. hæc ſola cauſa ſufficit ad damnationem eorum. Nō eſt vtiq; reſiſtendum principi. *Nam principes non ſunt timori boni operis* .i. qui benè operatur non eſt quare timeat principem: quia etiamſi pro bono opere infeſtus eſt ei, cumque perſequitur, auget virtutem eius & meritum. Quare benè operanti non eſt timori, *ſed* eſt timori *mali* operis .i. qui malè operatur, ille vtique timere poteſt principem. Nunc ex præmiſſis cōſilium colligens ait. Princeps non eſt timendus bonis: quod ſi tu ſimiliter *vis non timere poteſtatem, fac bonū, &* bonum faciens *habebis laudem ex illa* quæcunq; ſit, bona vel mala: quia ſi bona eſt, de bono laudabit te, ſi verò mala, perſequetur te benè operantem, & ex virtute patientiæ laudaberis. Verè laudem habebis ex ea. *Nam* hic idem princeps *miniſter Dei eſt tibi in bonum*.i. ad vtilitatem ſi benè feceris; *ſed ſi malè feceris, time eum.* Timendus vtique eſt malè facienti: nam hic iudex *non ſine cauſa portat gladium.* Verè non ſine cauſa: nam hic miniſter Dei eſt: *vindex ei* .i. ad damnum eius *qui malum agit:* vindex dic *in iram*.i. in vindictam Dei faciēdam: vel vindex in iram.i. in ſignum futuræ vltionis, quam animaduertunt per temporalem vltionem quā vidēt. Quandoquidem hic princeps miniſter Dei eſt, *ideò eſtote ſubditi* animo, huic *neceſſitati* .i. principi, cui velitis nolitis ſubijciemini, vt illud cupias quodcunque neceſſe eſt. Subditi, inquam, eſtote, *non ſolùm propter iram* principis vitandam, *ſed etiam propter conſcientiam* veſtram in puritate conſeruandam, quia niſi animo ſubijceremini principi, polluta eſſet conſcientia veſtra, obuians diuinæ ordinationi. Debetis vtique ſubditi eſſe principi: *nam ideò* .i. in ſignum huius ſubiectionis, *præſtatis* vos *tributa*, & cętera debita: vos dico in hoc ipſum quod tributa præſtatis, poteſtatibus ſeruiētes Deo: *nam* ipſi principes *miniſtri ſunt Dei* .i. miniſtrant Deo per accepta tributa, quę dant eis vires & poteſtatem operandi quod
B Deus diſponit. Vel ita, vos præſtatis tributa & benè facitis. Nam hi principes ſunt miniſtri Dei *ſeruientes* .i. quos Deus conſtituit ſeruire ſibi *in hoc ipſum*, in tributis quæ à vobis accipiūt. Cùm enim Deus primum regem conſtituit Saulem, dixit eum nō vlterius de labore ſuo victurum, ſed de laboribus ſubditorum. Et quia vel vos in hoc ipſum quod tributa ſoluitis, Deo ſeruitis, vel principes in hoc ipſum Deo ſeruiunt, ergo omnibus principibus reddite debita. *Cui* principi debetis *tributum*, reddite *tributum. Cui* debetis *vectigal*, reddite *vectigal*.
C Tributum dicitur, vt obſonia illa quæ domi ſoluebantur. Vectigal quod ſemper ad domos dominorū vehebatur, vt eſt hodie cēſus. *Cui* debetis *honorem* ſolùm, impendite *honorem. Cui timorem*, exhibete *timorē*, & omnem reuerentiam. Vt breuiter omnia colligam: vniuerſaliter præcipio: *nemini quicquam debeatis*, neq; tributum, neque vectigal, neq; aliud, *niſi vt diligatis inuicem*, quia volo vos ſemper debitores eſſe dilectionis: ita quod nunquam à dilectione ceſſetis: ideò vos volo ſemper diligere inuicem:
D *quia qui diligit proximū, legem impleuit.* Et verè legem impleuit: *nam non adulterabis: non occides: non furaberis: non falſum teſtimonium dices: non concupiſces: et ſi quod eſt aliud mandatum in lege, inſtauratur* .i. impletur *hoc verbo. Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Verè in dilectione proximi impletur omne mandatum legis. Nam *dilectio proximi, malum non operatur.* Qui enim diligit proximum,

Tributum quid dicitur.
Vectigal quid dicitur.
Exo.20.14.
Deut.5.18.
Leu.19.18.
Mat.22.39.
Mat.12.31.

mum, non adulterabit cum vxore eius. Non occidet eum. Non furabitur res eius &c. Et quandoquidem dilectio próximi malum non operatur. Ergo *dilectio eſt plenitudo legis:* qui enim malum non operatut, legem impleuit. Scimus vtiq; quia dilectio malum non operatur: nec hoc ſolum ſcimus de ea, ſed hoc etiam *ſcientes* ſumus de dilectione, quod facit nos de ſomno ſurgere, bonumque operari. Vis tamen continuationis & ſumma ſententiæ pendet ad illud quod ſequitur. Abijciamus ergo opera tenebrarum. Sed præmittit quaſdã rationes, vnde opportunius inferat dicẽs: Dilectionem non operari malum ſcimus: etiam hoc de dilectione ſcientes: *quia* .i. quod *hora eſt*, quaſi diceret, tempus eſt: ſed ideò per horam ſignificauit illud tempus, vt oſtendat breue eſſe & citò tranſiens, & niſi in eò pęniteamus irrecuperabile. Scimus vtique quia hora eſt *iam* .i. amodo ex quo per fidem iuſtificati ſumus *ſurgere nos de ſomno* .i. de calamitate corporis, quæ ad benè operandum pigros nos facit. Surgere dicit quaſi bonis operibus omni ſtudio inuigilare. Sunt enim quidam qui poſtquam iuſtificati ſunt, cùm feruere deberent in labore bonæ operationis, torpent & negligũt, quaſi ſecuti ex iuſtificatione: & quia continent ſe à criminalibus. Verè de ſomno ſurgere debemus: nam *credidimus* .i. fidem accepimus, quæ fides propinquos nos fecit ſaluationi: ſed nunc per meritum eorum quæ poſt acceptam fidem operati ſumus, *propior eſt noſtra ſalus* quam olim eſſet cùm ſolum credidimus.i. cùm gratia ſola eſſet in nobis, & adhuc nullum meritum. Vel ita. Nunc eſt propior ſecũdum tempus noſtra ſalus .i. dies noſtræ ſaluationis, quam eſſet olim cùm primum credidimus. Quotidie enim magis ac magis, futuro iudicio propinquamus, in quo remunerabimur. Verè nunc propè eſt noſtra ſalus: nam *nox*.i. ignorantia in infidelitate habitâ *præceſſit*, & ideò cauendum eſt, ne in hanc noctem recidamus. Nox, inquit, præceſſit, ſed *dies* ſaluationis noſtræ per præmiſſos radios, vt per fidem, ſpem, dilectionem, & cætera *appropinquauit*.i. propè eſſe intelligitur. Virtutes enim quæ habentur in præſenti, radij ſunt futuræ iocunditatis. Et quandoquidem nox eſſe deſijt, & dies appropinquauit. *Ergo abijciamus opera tenebrarum*.i. quæ operati ſumus dum in ignorantia eſſemus. Vel opera tenebrarum .i. digna tenebris, & digna non videri, ſed ſemper occultari. Abijciamus, inquit, hæc opera, *& induamus* nos *opera lucis* .i. veræ cognitionis, vel opera digna luce & manifeſtatione, quę opera ſunt arma, quibus & fidem noſtram tuemur, & inſurgentia vitia ſuperamus, *vt* induti armis lucis, *honeſtè ambulemus* .i. de bono in melius proficiamus, *ſicut* qui poſiti ſunt *in die*.i. in cognitione veritatis. Poſitos enim in die decet opera noctis abijcere, & arma lucis aſſumere. Nos dico ſic ambulemus in die, *non* remanentes *in commeſſationibus* .i. in publicorum conuiuiorum conuenticulis, & *non* manentes *in ebrietatibus* vt nimiæ potationi incumbamus. *Non* etiam *in cubilibus*, ad quæ cubilia de nimietate ſaturitatis & potationis itur, ibique ſuperflua quies habetur. Et *non* manentes *in impudicitijs*.i. in delectatione libidinis. Qui enim ebrius ad cubile deſcendit, conſequenter vrgetur facibus libidinis: & *non* manentes *in contentione*. Intemperantia enim potus & libidinis frequenter iurgia concitat, *&* ne ſitis in *æmulatione*.i. in inuidia. Quidam qui non audet contendere, quod poteſt, inuidet proximo. In his itaque non remaneatis: *ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum* .i. veſtite nuditatem veſtram fide Chriſti & virtutibus quæ ſuper hanc fidem ædificantur. Homo enim propter peccatum de paradiſo nudus eiectus eſt, ſed nuditas iſta velari debet ornamento fidei, cæterarumque virtutum. Et vos induti Dominum Ieſum Chriſtum, *ne feceritis* .i. non facietis *curã carnis*. Nec curam quam neceſſi-

Galat.5.14. Iacob.2.8. Gen.3.16. 1.Pet.2.12.

neceſſitas poſtulat prohibeo; ſed ne feceritis curam carnis *in deſiderÿs*, vt deſideria carnis ſectemini.

CAP. XIV.

De conſec. diſt. 5. non medio-criter.

*INfirmum autem in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum. Alius enim credit ſe manducare omnia. Qui autem infirmus eſt, olus manducet. Is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet. Deus enim illum aſſumpſit. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat aut cadit. Stabit autem. Potens eſt enim Deus ſtatuere illum. Nam alius iudicat diem inter diem, alius autem iudicat omnem diem. Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. Qui ſapit diem, Domino ſapit: & qui manducat, Domino manducat. Gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo. Nemo enim noſtrum ſibi viuit, & nemo ſibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus: ſiue morimur, Domino morimur. Siue ergo viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. In hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit: vt & viuorum & mortuorum dominetur. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal * Chriſti. Scriptum eſt enim. Viuo ego, dicit Dominus: quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Itaq. vnuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo. Non ergo amplius inuicem iudicemus: ſed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel ſcandalum. Scio & confido in Domino Ieſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei qui exiſtimat quid cõmune ſit eſſe, illi commune eſt. Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur, iam non ſecundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illũ perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum. Non eſt enim regnum Dei eſca & potus: ſed iuſtitia & pax, & gaudium, in Spiritu ſancto. Qui enim in hoc ſeruit Chriſto, placet Deo,*

Iacob. 4. 12. 2. q. 1. multi. in fi. & c. Deus in fi. 30. q. 5. nullam an. 76. di. vtinam.

Iacob. 4. De pœ. & re. cũ ex ore. * Dei. Eſa. 45. 23. Phil. 2. 10. 23. q. 4. ſi quis à Catholica.

A *& probatus eſt hominibus. Itaque quæ pacis ſunt ſectemur: & quæ ædificationis ſunt, in inuicem cuſtodiamus. Noli propter eſcã deſtruere opus Dei. Omnia quidem ſunt munda, ſed malũ eſt homini qui per offendiculum manducat. Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur aut ſcandalizatur, aut infirmatur. Tu fidem quam habes penes temetipſum, habe coram Deo. Beatus qui non iudicat ſemetipſum in eo quod probat. Qui aũt diſcernit, ſi manducauerit damnatus eſt, quia non ex fide. Omne autem quod nõ eſt ex fide, peccatum eſt.* B

28. q. 1. ca. 1. 1. q. 1. ſanas 28. q. 1. §. 1. & cap. ſic enim in p in. de præſcript. c. ſi de eſt ſup. literas.

QVIA Romani graui inter ſe diſcordia diſceptabant, dicentes: hi qui de Iudaiſmo conuerſi erãt, quoſdam cibos eſſe immundos, nec eis vti debere. Calumniabantur etiam Iudæi gentilibus, quia comederent idolotica: dicentes eos adhuc inhærere ritibus gentilitatis. Econtrariò gentiles ſcientes omnes cibos mundos, vtebantur illis, accuſantes Iudæos quod non haberẽt integram fidem, quia in hunc modum confligebant. C Apoſtolus volens eos reuocare ad pacem, inſtruit eos non facere ſcandalum fratribus inter ſe, nec de conſcientiis alter alterum iudicare. Scandalum faciebat ille, qui propter incitandã iram proximi comedebat quod proximum offendebat: vel eum ſub incredulitate comedere faciebat, quod immundum putabat. Iudicare de conſcientijs erat, cũ Iudæus credens quædam immunda, damnaret gentilem, dicens eum ideò vti idoloticis, quia adhuc idolis D adhæreret. Litera ſic iũgitur. Curam carnis ne feceritis: ſed hoc facite. *Infirmum in fide*. i. eum qui non habet firmam fidem, credendo quaſdam creaturas Dei immundas: & hic erat Iudæus, illum nolite ſcãdalizare vos qui firmi eſtis in fide, ſed *aſſumite* eũ. Aſſumere eſt condeſcẽdere infirmitati eius: abſtinere à quibus abſtinet, & ſic alliciẽdo eum paulatim de integritate fidei doceat, donec ad perfectionem veniat. Hic ſcandalum remouit.

Aſſumere eſt condeſcendere.

mouit. Aſſumite infirmum *non re-* A manentes *in diſceptationibus cogitationum* eius, ſcilicet. infirmi .i. ne diſcepteris iudicantes aliquem de conſcientia cordis, quæ ſoli Deo cognita eſt & non vobis. Verè infirmus debet aſſumi. *Nam alius* eſt perfectus qui aſſumere & docere eum poteſt. Alius autem eſt infirmus qui aſſumptione indiget. Quod ſic ait: Alius *ſe credit poſſe manducare omnia*, ſciens omnia eſſe munda, & hic eſt fide firmus. Alius autem eſt infirmus putãs ſe non poſſe omnia manducare. Hic autem *qui infirmus eſt*, nolẽs vti carnibus gentilium, *manducet*.i. permittatur manducare *holus* .i. ſi velit abſtinere: vtique bonum eſt, nec inquietetur. ¶ Hic incipit compeſcere Romanos, ne iudicent de conſcientijs. Qui non vult manducare, permittatur abſtinere. *Is* autem *qui mãducat*, ſciens omnes cibos eſſe mundos, *non ſpernat non manducantem* .i. gentilis comedens, non contemnat Iudæum abſtinentem, arguens eum de imperfectione fidei. *Et ille qui non manducat*.i. Iudæus, *non iudicet*.i. non damnet *manducantem* gẽtilem. Non debet alter alterum ſpernere ſeu iudicare: *nam Deus aſſumpſit illum* .i. vtrumque: & manducantem, & non manducantem. Aſſumpſit dico per fidem quam iam habent vt ſeruos. Et quandoquidem à Deo aſſumpti ſunt facti ſerui eius: *tu quis es qui iudices ſeruum alienum?* Nec leges mũdi hoc patiuntur, vt ſeruus ab alio, quam à Domino ſuo iudicetur. Non vtiq; iudicare debes alienum ſeruũ: quia ſeruus ille *ſtat* benè operando reſeruatus *Domino* .i. iudicio Domini ſui, *aut* peccando *cadit* à Domino ſuo iudicandus. Si etiam planè noueris eum cecidiſſe, ne tamẽ iudices eum: quia cras poteſt pœnitendo eſſe melior te, & de omnibus bona ſemper ſuſpitio tenẽda eſt. Quia ſi etiam cecidit: ſtabit autem fortaſſis cras .i. fortis apparebit in bono. Verè quod ſtabit ſuſpicandum eſt de eo: *nã Deus* cui ſeruus eſt, *potens eſt* iterum *ſtatuere eum*. Quia Domini ſolum eſt

Bonus quilibet præſumitur.

iudicare ſeruum, tu non debes iudicare eum, præterea ideò ne damnes eũ. Nã quod facit, ex iudicio & ſana intentione animi facit. Quod ſic ait. *Alius* ſeu Iudæus ſeu gentilis *iudicat diem inter diem* .i. vno die abſtinendum, alio non. *Alius autem iudicat omnem diem* in abſtinentia obſeruandum: & quicunque iudicat abſtinendum ſanè ſentit: & inde laudandus eſt non damnandus. Qui iudicat abſtinendum, ſiue hic ſiue ille, ſanè ſentit: & volo vt *vnuſquiſque abundet in* B *ſuo ſenſu* .i. in eo quod ſapienter ſentit, & operatur: vt ſi modo benè abſtinet, poſtmodum melius abſtineat, & cætera bona ſectetur. Notandum eſt quod ſi abſtinere eos malum eſſet, nollet eos Apoſtolus abundare in hoc ſenſu: ideò vtique opto, vt in hoc ſenſu abundent: *quia qui ſapit diem* .i. qui in abſtinentia obſeruat diem, *ſapit* hoc *Domino* .i. ad honorẽ Domini: *& qui manducat, manducat* ſimiliter *Domino. Nam manducans agit gratias Deo:* & pro ſano intellectu habito de creaturis Dei, & quia ſuſtentatur his beneficijs. C *Et ille qui non manducat, non manducat Domino*.i. ieiunat ad honorem Dei, *& gratias* iterum *agit Domino* pro abſtinentia ſibi collata: & per hoc ſatis oſtenditur vtrumque ſanè intelligere, neutrumque pro hoc debere damnari. Vel illud ſuperius aliter legitur. Ne iudices alienum ſeruum: nam alius .i. homo iudicat diem inter diem .i. de præſenti ſolum. Alius .i. Deus iudicat omnem diem, ſic de futuro vt de præſenti. Et cum homo ſanè iudicet de præſenti, volo vt vnuſquiſque hominum abundet in ſuo ſenſu bo- D no: cætera non mutantur. Vterque manducans & abſtinens gratias agit Deo, & iuſtè. *Nam nemo noſtrum viuit ſibi* .i. nemo debet quærere gloriã ſuam dum viuit: *& nemo* iuſtorum *moritur* ſimiliter *ſibi*. Verè nec viuimus nec morimur nobis, nam Domino: *ſiue enim viuimus Domino*.i. ad honorem Domini viuimus: *ſiue morimur, Domino morimur*. Et quia viuim⁹ & morimur Domino, ergo *ſumus*

Viuit ſibi nemo.

Regnum Dei non eſt eſca & potus.

& potus non eſt regnum Dei .i. vti hac eſca & hoc potu, non dat regnum Dei, nec tollit ſi abſtineas ab his. Hæc non dant regnum Dei. *Sed iuſtitia* .i. æquitas ſeruata ad proximum vt in nullo eum offendamus: & *pax*.i. concordia ex ſeruata æquitate veniens. Et *gaudium:* quod alter in dilectione congaudere alteri: quod gaudium in pace nutritum eſt *in Spiritu Sancto*, id eſt, ſecundum quod dictat Spiritus ſanctus. Hæc, inquam, ſunt regnũ Dei: nam in his ſeruitur Chriſto. *Qui* autem *in his* .i. pace, iuſtitia, & gaudio, *ſeruit Chriſto, hic placet Deo: & probatus eſt hominibus* .i. hæc ſeruitus probabilis iudicatur ab omnibus: nec eſt ſicut tua comeſtio, in qua offenditur proximus. Ideò prius ait, ſeruit Chriſto, dehinc placet Deo: quia Chriſtus legem pacis & iuſtitiæ dedit hominibus: qui niſi per Chriſtum placere non poſſunt Deo. Quãdoquidem ſeruitus pacis placet Deo, & ab hominibus approbatur. *Itaque ſectemur ea quæ pacis ſunt:* non litigemus cum proximo, ſed etiam ſectemur ea quæ ſunt *ædificationis:* & hoc *inuicem*, vt tu ædifices illum in tuo bono, & ille te in ſuo. Quod hic ait ædificationis, idem eſt quod ait ſuperius, infirmum aſſumite. Sectemur ea quæ ſunt ædificationis, non ea quæ ſunt deſtructionis. quod ſic ait. *Noli propter eſcam tuam qua proximus offenditur deſtruere* in eo *opus Dei*, id eſt, fidem quam iam operatus eſt in eo Deus. Si enim nimia diſtrictione cogas eum, hoc tantillum boni quod habet, deſeret. Quare magis eſt nutrienda infirmitas eius, quam nimia aſperitate cogenda: quod Petrus idoneè ſatis obſeruabat: cùm Iudæos quos ad fidem Chriſti conuerterat, adhuc circumcidi, & in quibuſdam legalibus permittebat: de quibus ſi intemperanter cogeret eos, citius quod ab eo acceperant dimitterent, quam ita repentinè ad perfectionem aſcenderent. Sciebat enim eos paulatim poſſe & debere ad perfectionem adduci; ſicut factum eſt. Noli propter eſcám de-

Correctio non debet eſſe rigida.

A ſtruere fidem proximi: non quod e[...]ca immunda ſit, *omnia* quidem *munda ſunt*, *ſed* tamen *malum eſt homini, qui manducat per offendiculum*, intendens offendere proximum. Nec ſolum vt caueas ab offenſione proximi debes abſtinere ab his: ſed etiam ab omni carne & ab omni potu in quo frater offenditur. Quod ita ait. *Bonum eſt tibi non manducare carnem, nec bibere vinum: neque* aliquid *in quo frater tuus offenditur* ſe peccando: vel offenditur à te: & *ſcandalizatur* contriſtando, *aut infirmatur* in fide

B aliquantulum hæſitando. Ne offendas proximum debes abſtinere ab his. *Tu* quidem *habes fidem* ſanam *penes temetipſum:* habe illam *coram Deo*, id eſt, ſufficit tibi vt Deus intelligat fidem tuam, non oportet vt coram abſtinente qui offenditur facias opus eius fidei: ideò penes temetipſum fidem hanc habeas, non coram abſtinente: nam *beatus* eſt ille *qui non iudicat*, id eſt, qui non damnat *ſemetipſum, in eo quod probat*, id eſt, quod probabiliter verum eſſe credit. Sed ſi tu vteris cibis quibus licet vti ad of-

C fenſionem proximi, in eo quod probas iudicas te reum offenſionis factę in fratrem. Ille qui in eo quod probat ſe non damnat beatus eſt, *ſed* ille *qui diſcernit* cibos à cibis, dicens hos mundos, illos immundos, hic *ſi* in hac dubietate *manducauerit damnatus eſt:* non quia cibus immundus ſit, ſed *quia non* comedit *ex fide* vt crederet eſſe munda. Vere quia non ex fide damnatus eſt: *nam omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.*

CAP. XV.

D *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. Vnuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt. Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me.* Pſal. 68. 10. *Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad*

noſtram doctrinam ſcripta ſunt: vt per
patientiam & conſolationem ſcriptura-
rum, ſpem habeamus. Deus autem pa-
tientiæ, & ſolatij det vobis idipſum ſa-
pere in alterutrum ſecundũ Ieſum Chri
ſtum, vt vnanimes vno ore honorifice-
tis Deum, & patrem Domini noſtri Ieſu
Chriſti. Propter quod ſuſcipite inuicem,
ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in hono-
rem Dei. Dico enim Chriſtum Ieſum mi-
niſtrum fuiſſe circumciſionis, propter
veritatem Dei, ad confirmandas pro-
miſſiones patrum: gentes autem ſuper
miſericordia honorare Deum, ſicut ſcri-
2.Reg 22. 50. ptum eſt. Propterea confitebor tibi in
gentibus Domine: & nomini tuo canta-
Pſal 17.50. bo. Et iterum dicit: Lætamini gẽtes cum
Pſal.116.1. plebe eius. Et iterum: Laudate omnes
gentes Dominum, & magnificate eum
Eſai.11.10 omnes populi. Et rurſus Eſaias ait. Erit
radix Ieſſe, & qui exurget regere gen-
tes, in eum gentes ſperabunt. Deus au-
tem ſpei repleat vos omni gaudio, & pa-
ce in credendo; vt abundetis in ſpe &
virtute Spiritus ſancti. Certus ſum au-
tem fratres mei & ego ipſe de vobis,
quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione,
repleti omni ſcientia, ita vt poſſitis al-
terutrum monere. Audacius autem
ſcripſi vobis fratres ex parte, tanquam
in memoriam vos reducens, propter
gratiam quæ data eſt mihi à Deo, vt
ſim miniſter Chriſti Ieſu in gentibus,
ſanctificans Euangelium Dei, vt fiat ob-
latio gentium accepta & ſanctificata
in Spiritu ſancto. Habeo igitur gloriam
in Chriſto Ieſu ad Deum. Non enim au-
deo aliquid loqui eorum, quæ per me non
efficit Chriſtus in obedientiam gen-
tium, in verbo & factis, & in virtute
ſignorum & prodigiorum, in virtute
Spiritus ſancti: ita vt ab Hieruſalem
per circuitum vſque ad Illyricum re-
pleuerim Euangelium Chriſti. Sic au-
tem hoc prædicaui Euangelium, non
vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper
alienum fundamentum ædificarem, ſed
Eſai.52.15. ſicut ſcriptum eſt: Quoniam quibus
non eſt annunciatum de eo, videbunt:
* al. non habet de eo. & qui non audierunt, de eo * intelli-
gent. Propter quod & impediebar plu-
rimum venire ad vos, & prohibitus
ſum vſque adhuc. Nunc verò vlterius

A locum non habens in his regionibus, cu-
piditatem autem habens veniendi ad
vos, ex multis iam præcedentibus an-
nis. Sed cum in Hiſpaniam proficiſci cœ-
pero, ſpero quod præteriens videam vos:
& à vobis deducar illuc, ſi vobis pri-
mum ex parte fruitus fuero. Nunc igi- 12 q. 2. beatus.
tur proficiſcar in Hieruſalem miniſtra-
re ſanctis. Probauerunt enim Mace-
donia & Achaia collationem * ali- * al. collectionem.
quam facere in pauperes ſanctorum
qui ſunt in Hieruſalem. Placuit enim
eis, & debitores ſunt eorum. Nam ſi
ſpiritualium eorum participes facti
B ſunt gentiles, debent & in carnalibus
miniſtrare eis. Hoc igitur cum conſum-
mauero, & aſſignauero eis fructum
hunc, per vos proficiſcar in Hiſpaniam.
Scio * autem quoniam veniens ad vos, * al. ſciens.
in abundantia benedictionis Chriſti ve-
niam. Obſecro ergo vos fratres per Do-
minum noſtrum Ieſum Chriſtum, &
per charitatem Spiritus ſancti, vt ad-
iuuetis me in orationibus veſtris ad
Deum, vt liberer ab infidelibus, qui
ſunt in Iudæa, & obſequij mei oblatio
accepta fiat in Hieruſalem * ſanctis, vt * al. Hieroſolymis.
veniam ad vos in gaudio per volunta-
C tem Dei, & refrigerer vobiſcum. Deus
autem pacis ſit cum omnibus vobis.
Amen.

AD hoc diceret ille, qui ſanæ fi-
dei eſſet. Si ego, quod vtique tu
fateris, ſanę fidei ſum, omnia munda
credens; hic autem infirmatur in fi-
de: iuſtior cauſa videtur, vt infirmus
firmum ſequeretur, quam ego fir-
mus ſequerer infirmitatem illius.
Non ſic eſt ait Paulus. Sed licet tu ſa-
næ fidei ſis, hic autem infirmæ: *tamen*
nos firmiores debemus ſuſtinere: & qua-
D dam participatione *imbecillitates in-*
firmorum ad melius enutrire, *& non*
debemus *nobis placere* in omnibus.
Nobis non vtique placeamus, ſed
vnuſquiſque placeat proximo ſuo; &
hoc *in bono:* quia ad ædificationem
proximi, qui ſecundum charitatem
ædificandus eſt. Nobis non vtiq; pla-
ceamus: *etenim Chriſtus* (quẽ per om-
nia ſequi debemus) *non placuit ſibi* .i.
non conſenſit infirmæ carni; *ſed ſicut*

ſcriptum

ſcriptum eſt in pſalmo : ait Chriſtus Pſal. 68. 10. ad patrem : *Improperia improperantium tibi* quadam mole *ceciderunt ſuper me :* & in morte depreſſerunt me. Quaſi diceret : quia eieci de templo vendentes & emẽtes, in quo tibi improperabant, ideo adiudicauerũt me morti. Quid inde diceret aliquis, ſi ita ſcriptum eſt? Multum vtique, *quia quæcunque ſcripta ſunt* de Chriſto, *ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt : vt per* doctrinam habeamus *patientiam, &* in patientia habeamus *conſolationem ſcripturarum*, quæ plurimum vtilis eſt patientibus : & vt per patientiam & hanc conſolationem *habeamus ſpẽ* futuræ retributionis. Et quia merita veſtra & doctrinam meam inſufficientia video ad hæc obtinenda, opto vt *Deus* dator *patientiæ & ſolatij, det vobis ſapere idipſum*, vt omnes veram cognitionem habeatis & hoc *in alterutrum :* vt quod ſane ſentit iſte, ſentiat & ille è conuerſo. Sapere dico ſecundum, id eſt, *per Ieſum Chriſtum : vt* vos *vnanimes vno ore*, & vna voluntate & eadem confeſſione *honorificetis Deum & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Non quod Deus & Pater diuerſos ſignificent, ſed in eodem diuerſas cauſas aſſignat : dicens eum honorificãdum : tum quia Deus eſt, tum quia Pater eſt Domini Ieſu Chriſti per quẽ omne bonũ prouenit nobis. *Propter quod* .i. vt idipſum ſapiatis, & eodem animo, vnaq; cõfeſſione Deum honorificetis: *Suſcipite* vos *inuicem*: vt alter alterũ omni benignitate ſuſcipiat: ad inſtruendum ſupportãtes vos in alterutrum. Suſcipite dico, *ſicut & Chriſtus in* magna altitudine *ſuſcepit vos.* Suſcepit vtique *in honorem.* Honor maximus fuit remittere peccata : quẽ honorem augmentabis, reddẽdo incorruptionem. Honorem dico *Dei* .i. à ſolo Deo datum. Deus enim per gratiam dat, & dabit hunc honorem, ad quem honorandum deficiunt merita noſtra. Probat quod ait: Suſcepit vos Romanos : nam Iudæos & gentiles, & primum de Iudæis ait. Verè Chriſtus ſuſcepit vos ô Iudęi. Nam

A ego *dico* (cui credi oportet) *Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis*, id eſt, Iudæorum. Chriſtus enim miniſter fuit, & quaſi Apoſtolus Iudæorum, quibus in propria perſona prædicauit. Hoc autẽ fuit non ex merito Iudæorum, ſed *propter veritatem Dei*, .i. propter promiſſa Dei. Ideo propter promiſſa *ad confirmandas* .i. vt per ipſum actũ confirmarẽtur *promiſſiones patrũ*.i. factæ patribus eorum. Vel ita. Chriſtus miniſter fuit propter veritatem Dei .i. propter completionem promiſſorũ Dei: & ad confirmandas B per veritatem facti promiſſiones patrũ .i. quas fecerant patres .i. Prophetæ, patres Iudæorum. Deus enim & per ſeipſum promiſerat, vt Abrahæ & frequentius per Prophetas. Probauit Deum ſuſcepiſſe Iudæos, ad quod probandum nullam induxit authoritatem, quia quaſi omnibus patens erat. Probat idem de gentibus per authoritates, quia dubietas quibuſdam inde erat dicens. De Iudæis hoc dico. Dico etiam quod *gentes* debent *honorare Deum*, *ſuper* .i. de *miſericordia* ſibi facta. Et hoc dico *ſicut ſcriptũ eſt* in pſalmo. Illud propterea in ordine Pſal. 17. 50. C pſalmi vim habet; vox filii ad patrem. O Domine Pater ego *confitebor tibi in gentibus*, id eſt, gentes faciam confiteri nomini tuo. Nec ſolum confitebor : ſed etiam *cantabo* & exultabo *nomini tuo.* Et iterum dicit ſcriptura per Eſaiam. O vos *gentes lætamini cum plebe eius*, id eſt, Iſai. 11. 10. cum Iudæis, qui dicebantur peculiaris populus Dei, quas gentes fruſtra Eſaias inuitaret ad lætitiam, niſi conſideraret earum ſuſceptionem. D *Et iterum* Dauid de gentibus. *Omnes gentes*, id eſt, ſinguli de gentibus *laudate Dominum :* nec ſolum lauda- Pſal. 116. 1. te, ſed etiam *magnum oſtendite eum* operibus bonis, *omnes populi*, qui in ſingulis gẽtibus eſtis. *Et rurſus* de eodem *ait Eſaias. Ieſſe* Pater Dauid *erit* Iſai. 11 10. *radix* eius originis, de qua naſcetur Chriſtus *qui exurget regere gentes : & in eo* rege *ſperabunt gentes.* Exurrexit Chriſtus : quia ſolus immunis à peccato inter omnes. Surrexit altius

tertia die reſumpta incorruptione: cùm Deus pater dedit omne iudiciũ huic filio regi. Moneo vt vos ſuſcipiatis inuicem, ſed quia nec viribus veſtris, nec doctrina mea, hoc perficere poteſtis: precor vt *Deus ſpei* in quem ſpero, & vos ſperare debetis: *repleat vos omni gaudio*, id eſt, perfectione dilectionis: quod gaudium vt digni ſitis habere, repleat vos *pace*, id eſt, omni concordia. Pace dico reformata *in credendo*, id eſt, in vna eademque integritate fidei, *vt* eadem
B fides faciat pacem in vobis. Pax verò nutriat gaudium: repleat dico fide, pace, & gaudio: *vt abundetis in ſpe*, id eſt, vt quanto melius agetis, firmius & abundantius ſperetis: & ne ſpes veſtra perturbetur: Abundetis *in virtute ſpiritus ſancti*, id eſt, ſpiritus ſanctus copioſas vires miniſtret vobis, perſeuerandi in bono. ¶ Paulus incipit hîc conuenire quoſdam Romanos: laudans eos de integritate fidei, de plenitudine dilectionis, & omnis ſcientiæ. Sed tamen aliquã tulum tangit eos: quia non corre-
C xerant imperfectionem errantium fratrum, cùm benè poſſent, quia ſapientes: cum deberent, quia eos diligerent: cùm etiam neceſſe hoc eſſet, quia Paulus intentus alijs, non ſufficienter vacare poſſet correctioni Romanorum. quaſi diceret. Conſcientia veſtra certa eſt de integritate fidei eorum. Similiter etiam *ego* ipſe *certus ſum, fratres mei, de vobis, quoniam ipſi pleni eſtis fide & dilectione*. Nec litigatis cum fratribus veſtris: *repleti omni ſcientia; ita vt poſ-*
D *ſitis monere alterutrum*, id eſt, inſtruere infirmam fidem aliorum. Et licet pleni ſitis dilectione & ſcientia: tamen *audacius*, id eſt, cum aliquantula audacia *ſcripſi vobis fratres ex parte*, id eſt, ſecundum eam partem, qua aliquantulum imperfecte agendo, litigia fratrum non compeſcuiſtis. Scripſi quidem non vos docens, quos ſapientes ſcio, ſed *tanquam reducens vos in memoriam* eorum quæ credo vos ſcire, ſed non ſatis eorum reminiſcimini. Dicerent illi quia

A perfectos nos fateris, quare nos redarguis? Audacter ait Paulus *propter gratiam*, id eſt, propter dignitatem Apoſtolatus, *quæ data eſt mihi à Deo:* & hoc magiſterium meum cogit me vt vos ſic admoneam. Data eſt mihi gratia ideo, *vt ſim miniſter Ieſu Chriſti in gentibus*, id eſt, per miniſterium meũ gentes ſubiiciam Chriſto, *ſanctificans Euangelium Dei:* quod ſanctifico dum idem operor, quod prædico. Sanctificans ideo, *vt fiat accepta* Deo *oblatio gentium*, id eſt, ego offerens gẽtes acceptus ſim Deo, vel vt gentes oblatæ acceptæ ſint Deo. Oblatio dico accepta, & *ſanctificata in ſpiritu ſancto*, quia per impoſitionem manus do ſpiritum ſanctum: quod pſeudo doctores facere nequeunt. Et quia ſanctifico Euangelium: igitur *habeo gloriam*, id eſt, glorior multum in apoſtolatu meo. Gloriam dico referendam non ad me, ſed *ad Deum:* & hoc *in Chriſto Ieſu*, id eſt, per Chriſtum, qui me conſecrauit Apoſtolum: ideo habeo gloriam: *quia non audeo loqui aliquid eorum, quæ Chriſtus non efficit per me* miniſtrum, vt faciunt pſeudo, qui dicunt ſe feciſſe quæ nunquam fecerunt. Ea non loquor quæ per me non efficit Deus, ſed loquor ea quæ per me Chriſtus efficit, *in obedientiam gentium*, id eſt, vt vel ego obediam ipſi in gentibus, vel gentes per me obediant ei. Efficit dico per me *verbo*. Chriſtus enim loquitur in me. Efficit *etiam factis* .i. in operibus meis: quia quod bene loquor, operor. Efficit dico *in virtute ſignorum & prodigiorum*, ad quæ facienda dat mihi virtutem. Signa vocat: vt depulſiones morborum, Prodigia, ſuſcitare mortuos. Prodigiorum dico factorum in virtute *Spiritus ſancti*. Vel efficit Chriſtus per me in virtute Spiritus ſancti, quem per manus meas diſtribuit. *Sic*, inquam, efficit, *vt ego repleuerim*, id eſt, plenarie prædicauerim *Euangelium Chriſti*, incipiendo *ab Hieruſalem vſque ad Illyricum* mare: nec recta via, ſed *per circuitum*, id eſt, ſingula loca circumeundo.

Quid ſigna, quæve prodigia.

eundo. *Sic autem prædicaui Euangelium, non in Iudæa vbi Chriſtus nominatus eſt, ne ædificarem ſuper alienũ fundamentum,* id eſt, ſuper fidem quam alij Apoſtoli prædicauerant. Nec tamen hæc cauſa fuit quare ibi nõ prædicauerit; ſed quia Deus ad gentes eum direxit, ne ædificarem dico ſic: *ſed ſicut ſcriptum eſt* in Eſaia: *Gentes quibus non eſt annunciatum, de eo, videbunt* Deum; *& qui nec* etiam *audierunt, intelligent.* (Iſai. 52. 15.) *Propter quod* quia rudibus & quaſi lapideis prædicabam, *plurimum impediebar venire ad vos*, ô Romani, quare neceſſe eſſet: vt vos qui ſani eratis, infirmos ædificaretis. Olim impediebar, *ſed nunc vlterius non habens locum in his regionibus,* quia omnes conuerſi ſunt. *Habens autem cupiditatem veniendi ad vos: ex multis iam præcedentibus annis*, in quo notare poteſtis quantam diligẽtiam habeam ad vos. *Cùm ego proficiſci cepero in Hiſpaniam: ſpero* quod *videam* vos, præteriens per vos. Non enim cauſa eſt, quare remorer vobiſcum qui fideles eſtis. Videam vos dico: *& deducar illuc à vobis, ſi* tamen *fruitus prius fuero vobis ex parte*, id eſt aliquando remorando vobiſcum: quia hîc vlterius locum non habeo, & ad vos tranſire cupio. Igitur quod prius faciendum eſt operabor, ſcilicet ibo Hieruſalem miniſtrare ſanctis. Quando Petrus & qui cum eo erant Paulo & Barnabæ dextras dedere ſocietatis, iniunxerunt eis, vt in Eccleſijs gentium collectiones facerent, vnde miniſtrarent ſanctis in Hieruſalem, quibus infideles omnia abſtulerant. (Galat. 2. 9.) *Vadam miniſtrare ſanctis; quia Macedonia & Achaia,* id eſt, Eccleſiæ eorum probum iudicauerunt *facere aliquam collectionem in pauperes ſanctorum* deferendam, id eſt, in pauperes ſanctos, *qui ſunt Hieruſalem*. Probauerunt quidem hoc non à nobis coacti, ſed *quia ita placuit eis*: & ſi non placeret, *debitores* tamen *ſunt eorum*, & ex debito facere oporteret. Verè debitores ſunt eorum. *Nam ſi gentiles facti ſunt participes ſpiritualium* bonorum *eorum* ſanctorum, quia ſancti illi ſpiritualia gentibus miniſtrauerunt: *debent etiam* gentes *miniſtrare ſanctis in carnalibus.* Quandoquidem hoc mihi prius faciendum reſtat. *Igitur cùm hoc conſummauero: & cùm aſſignauero*, id eſt, ſub ſigillo *eis* reddidero *fructum hunc, proficiſcar in Hiſpaniam* tranſiens *per vos. Scio autem quoniam veniens* longo deſiderio actus, veniam *ad vos in abundantia benedictionis Chriſti*, id eſt, benedictionem Chriſti faciam abundare in vobis, impertiens illud gratię Dei quod deeſt, & quia nunc iturus ſum Hieruſalem: *Igitur obſecro vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt adiuuetis me in orationibus* fuſis pro me *ad Deum: vt* hoc adiutorio *liberer ab infidelibus qui ſunt in Iudæa: & vt* ita *oblatio obſequij mei*, id eſt, in qua obſequor, *fiat accepta ſanctis in Hieroſolyma*, ſine diminutione illis præſentata: *vt* hoc proſperè completo, *veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei*, id eſt, ſicut Deus diſpoſuerit: *& refrigerer vobiſcũ* perficiens in vobis quod imperfectum inuenero. Sed quia ad hoc neque per vos neq; per me ſufficitis: *Deus pacis ſit* faciens pacem *cum omnibus vobis. Amen.*

CAP. XVI.

C*ommendo autem vobis Pheben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ quæ eſt Cenchris: vt eam ſuſcipiatis in Domino dignè * ſanctis: & aſſiſtatis ei in quocunque negocio veſtri indiguerit. Etenim ipſa quoque aſtitit multis, & mihiipſi. Salutate Priſcam & Aquilam adiutores meos in Chriſto Ieſu (qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt: quibus non ſolum ego gratias ago, ſed & cunctæ Eccleſiæ gentium) & domeſticam Eccleſiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi: qui eſt primitiuus Eccleſiæ Aſiæ in Chriſto Ieſu. Salutate Mariam, quæ multũ laborauit in vobis. Salutate*

*Al. ſatis.

*Andronicum, & Iuliam cognatos & concaptiuos meos, qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & ante me fuerunt in Chriſto Ieſu. Salutate Ampliatum dilectiſſimum mihi in Domino. Salutate Vrbanũ adiutorem noſtrum in Chriſto Ieſu: & Stachem dilectum meũ. Salutate Appellen probum in Chriſto. Salutate eos qui ſunt ex Ariſtoboli domo. Salutate Herodianum cognatum meum. Salutate eos qui ſunt ex Narciſci domo, qui ſunt in Domino. Salutate Triphenam & Triphoſam, quæ laborant in Domino. Salutate Perſidam chariſſimam, quæ multum laborauit in Domino. Salutate Rufum electum in Domino, & matrem eius, & meam. Salutate Aſincretum & Phegontiam, Hermen, Patrobam, Herman, & qui cum eis ſunt fratres. Salutate Philologum & Iuliam, & Nereum & ſororem eius, & Olimpiadem: & omnes qui cum eis ſunt ſanctos. Salutate inuicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti. Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis faciunt, & declinate ab illis. Huiuſmodi enim Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo vẽtri, & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium. Veſtra enim obedientia in omni loco diuulgata eſt. Gaudeo igitur in vobis: ſed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo. Deus autem pacis conterat ſatanam * ſub pedibus veſtris velociter. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum. Salutat vos Timotheus adiutor * meus: & Lucas * & Iaſon, & Soſipater cognati mei. Saluto vos ego tertius, qui ſcripſi Epiſtolam hanc in Domino. Salutat vos Gaius, hoſpes meus, & vniuerſa Eccleſia. Salutat vos Eraſtus arcarius ciuitatis, & Quartus, frater. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis, amen. Ei autem qui potens eſt vos confirmare, iuxta Euangelium meum, & prædicationem Ieſu Chriſti ſecundũ reuelationem myſterij temporibus æternis taciti (quod nũc patefactum eſt per ſcripturas prophetarum ſecundum præceptum æterni Dei: ad obeditionem fidei) in cunctis gentibus cogniti, ſoli ſapiẽti Deo* A *per Ieſum Chriſtum, cui honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

* Al. Satan.

* Al. habet frater.

* Al. Luci⁹.

Finita Epiſtola, inſerit ſalutatiões ſuas, dicens. Cùm his quæ ſuperi⁹ commendaui, *commendo* etiam *vobis Pheben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ* .i. quæ miniſtrat neceſſaria cuidã Eccleſiæ, quam conſtituit *Cenchris*. Hoc inquam de ea cõmendo, *vt ſuſcipiatis eam in Domino dignè ſanctis*.i. vel quomodo vos ſanctos decet eã ſuſcipere: vel quomodo ea ſancta ſuſcipiẽda eſt: *& ei ſuſceptę* B *aſſiſtatis in quocunq; negocio indiguerit veſtri*. Per hanc Pheben euntem Romã, dicitur Apoſtolus miſiſſe ſuam Epiſtolã: quam ideo cõmẽdat, vt Romani audita authoritate eius, acquieſcant ei in omnib⁹, quæ benè ſuadebit. Aſſiſtẽdum eſt ei: *etenim ipſa aſſiſtit multis ſanctis, & mihiipſi* miniſtrãdo. *Salutate* etiam *Priſcam & Aquilã, adiutores meos in Chriſto Ieſu*. Vel ſalutate in Chriſto, *qui* vterq; *ſuppoſuerunt ſuas ceruices pro anima mea*. Hi Paulo in multis periculis & carceri- C bus ſubuenerunt. *Quibus non ego ſolus gratias ago: ſed etiam cũctæ Eccleſiæ gentium*, qui modo non haberent Apoſtolũ ſuũ, niſi per adiutoriũ iſtorũ. *Salutate & domeſticam Eccleſiam*. i. familiam eorum. *Salutate Epænetum dilectum mihi, qui eſt primitiuus Aſiæ in Chriſto*. Hic primus de Aſia fidem accepit à Paulo. *Salutate & Mariam, quæ multum laborauit in vobis*, ab errore reuocando vos. Hęc Maria dicitur nũciaſſe Apoſtolo diſſenſionem D Romanorum: qua occaſione ſcripſit eis hanc epiſtolam. Et hæc Romã redierat, & ideo dicit eam laboraſſe. *Salutate Andronicum & Iuliam, cognatos meos*, in genere Iudæorum: *& cõcaptiuos meos*, qui ſæpè mecum capti fuerunt, *qui ſunt nobiles in Apoſtolis*. Hi de ſeptuaginta duobus fuiſſe creduntur: *qui & ante me fuerunt in Chriſto*, qui prius Paulo ad fidem cõuerſi ſunt. *Salutate Appellen & Probum in Chriſto. Salutate eos qui ſunt ex domo Ariſtoboli*.i. familiam quia fidelis eſt. Dominum nequaquã, quia

intiđecitatis eſt reus. *Salutate eos qui ſunt ex domo Narciſſi*, nec omnes, ſed eos *qui ſunt* in fide *in Domino*. Aliqui .n. ex eius familia adhærent Dño ſuo in infidelitate. *Salutate Rufum electũ in Domino, & matrem eius, ac meã*. Eius ſecundum carnem meam ſecũdum beneficiũ. Et vt finẽ faciã. *Salutate vos inuicem* ex parte mea *in oſculo ſancto*, .i. alter alteri dicat. Aut ex parte Pauli, oſculantes ſe in oſculo pacis in loco eius. Sicut ego ſic *omnes Eccleſiæ Chriſti ſalutant vos*. Ideo Paulus ex nomine probatas ſalutauit perſonas, ne cũ modo ſuadet Romanis à pſeudo declinare: fortè poſſent de aliquo horum dubitare quos ſalutauit. *Vos autem fratres* ſalutatos *rogo vt obſeruetis* .i. vt callide cuſtodiatis vos ab eis *qui faciunt diſſenſiones, &* etiam *offendicula*, prçcipitando in peccatum. Docentes quod *præter doctrinam* eſt, *quam* vos à me *didiciſtis*: & vt vos obſeruetis, *declinando* penit⁹ ſeparamini *ab illis: quia qui eiuſmodi ſunt non ſeruiunt Chriſto Domino noſtro, ſed ſuo ventri*. Quærunt.n. quæ ſua ſunt, nõ quæ Ieſu Chriſti. *Et hi tales ſeducunt corda innocentium*.i. ſimpliciũ, *per dulces ſermones* .i. ſeductorios: *&* per *ſimulatas benedictiones*. Debetis declinare ab his: nam *obedientia veſtra* & bonum eius *diuulgata eſt in omnẽ locum*: & *propterea gaudio* in *vobis*. *Sed* tamen *volo vos ſapientes* & aſtutos *eſſe in bono, & in malo ſimplices*, vt malitia pueri ſitis. Licet dixerim vos ſapientes: tamen quia ſapientia veſtra parum ex ſe ſola poteſt, precor vt *Deus pacis conterat Satanam*, & membra eius *ſub pedibus veſtris* proſtrata, & hoc *velociter*. His dictis ſalutat eos Paulus, dicens: *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit vobiſcum*. *Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lucas, & Iaſon, & Soſipater*: vel pater Soſij, *qui ſunt cognati mei*. *Saluto vos ego Tertius: qui ſcripſi Epiſtolam in Domino*. Hic Tertius erat notarius Apoſtoli, qui ſalutationibus aliorum ſuam inſeruit. Ad ſalutationes ſuas reuertitur Paulus, & ait. *Salutat vos Gaius hoſpes meus, & vniuerſa Eccleſia* .i. fa-

A milia eius. *Salutat vos Eraſtus, arcarius*.i. theſaurarius ciuitatis, *& Quartus frater*. Omnes iſti ſic dicentes. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis*. De omnibus autem bonis veſtris ſit Deo honor, & gloria. *Ei* dico *qui potens eſt confirmare vos, iuxta Euangelium meum*. i. ſicut ego prædico vobis, *&* iuxta *prædicationem Ieſu Chriſti*, cuius prædicatio eadem eſt cum meo Euangelio. Euãgelij dico & prædicationis habiti *ſecundum reuelationem myſterij*. Myſte-
B rium vocat ſaluationem hominum: quæ occulta fuit ſemper ante aduentum Chriſti, ſed per eũ reuelata. Myſterij dico *taciti tẽporibus æternis* ante Chriſtum: *quod* myſterium *nunc* in tempore gratiæ *patefactum eſt per ſcripturas prophetarum*: nunc tandem intellectas per Chriſtum. Patefactum dico *ſecundum præceptum æterni Dei*, cui ab æterno hoc in patulo erat: Patefactum ideo *ad obeditionem fidei in cunctis gentibus*, id eſt, vt cunctæ gentes obediant fidei. Quia ſi quærere
C velis quare olim tacitum nunc reuelatum, fruſtra hoc inquiris: quia myſterij dico cogniti *ſoli ſapiẽti Deo*: qui ſolus ſemper cauſam eius ſapuit. Patefactum dico *per Ieſum Chriſtum*. *Cui* Chriſto.ſ. qui potens eſt, ſit *honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen*.

PROLOGVS IN PRIMAM EPISTOLAM ad Corinthios.

D EPISTOLA prima ad Corinthios multas cauſas diuerſaſque complectitur. Quarum partem relatione fratrum cognouit Apoſtolus. Partim ipſorũ Corinthiorũ ſunt literis indicatæ. Nonnullas verò pro officij ſui cura aut ordinat aut emendat, & varijs curationib⁹ medetur diuerſa infirmitate languentibus. Nam apud eos primum curatur diſſenſionis vitium, quod multi pſeudo-Apoſtolorum intulerunt, vnitatem ſcindentes Eccleſiæ, vt proprij nominis facerent ſectatores, ꝙ his exprobrat

verbis Apoſtolus. *Hoc autem dico quod* A
vnuſquiſq; veſtrum dicit. Ego quidem
1.Cor.1.12 *ſum Pauli: ego autē Apollo: ego verò Ce-*
phe: ego autem Chriſti. Et ob hoc qui-
dem horum ſe dicit facere nominū
mentionem: vt multò magis erubeſ-
cant id ſe facere ſub falſorum Apo-
ſtolorum nominibus: quod etiam ſi
ſub Pauli & Petri fieret nomine, diſ-
2. pliceret. *Secunda* cauſa eius induci-
tur, qui paternæ oblitus reuerentiæ,
vxorem ſibi nō erubuit facere de no-
uerca. Quod facinus licet fornicatio-
nem appellauerit Apoſtolus, tamen
ita condemnauit, vt in vltionem fa-
cti auctorem talis operis diabolo iu- B
dicauerit deputandum: Impoſita iu-
3. diciorum & litium tertia quæſtione.
4. *Quarto* loco matrimoniorum iura
5. tractantur his. *Quinto* loco virgini-
tatis conſilium velut è vicino cōiun-
6. gitur. *Sexto* loco de eſcarum licentia
7. diſputatur. *Septimo* atque octauo lo-
8. cò de attundendo viris, & mulieri-
bus velando capite, àc ſacramento-
9. rum communione præcipitur. *Nono*
loco æmulatio quæ diuerſitate do-
norum ſpiritualium naſcebatur, ſub
exemplo membrorū & corporis ca- C
10. ſtigatur. *Decimo* reſurrectionis ſpes
multis & argumentis & rationibus
11. approbatur. *Vltimo* de colligendis ad
neceſſitatem ſanctorū nomine cha-
ritatis cura vel ædificatio cultui im-
ponitur. Interſeruntur his pauca quę
aut (vt quibuſdam videtur) pendēt ex
ſuperioribus, aut habent, licet pro-
prias, tamen paruulas actiones.

ARGVMENTVM ALIVD.

Corinthij qui fuerint.

Corinthij ſunt Achaici: & hi ſimiliter ab Apoſtolo audierunt verbum veritatis, & ſubuerſi ſunt multifariè à falſis Apoſtolis. Quidam à Philoſophiæ verboſa eloquentia. Alij ſecta legis Iudaicæ inducti ſunt. Hos reuocat Apoſtolus ad veram fidem, & Euangelicam ſapientiam: ſcribens eis ab Epheſo per Timotheum diſcipulum ſuum. D

ARGVMENTVM B. BRVnonis in eandem.

PAVLVS prædicauerat Corinthijs, & eos ad fidē conuerterat: apud quos per annum & dimidium (ſicut credimus) commoratus eſt. Videns quod diu & in multis conſulendum eſſet Corinthijs, quia nimis adhærebant carnalitati. Quādiu autem Paulus præſens fuit, adhæſerūt cum ſimplicitate præceptis eius: quibus ipſe quaſi ſimplicibus, ſimpliciter prædicauerat, ſciens carnalitati eorum potius obeſſe myſteria fidei, ſi eis reuelarentur quam prodeſſe: & ideo bonum iudicauit ſimplicitatem eorum magis in ſimplicibus fouendam eſſe, quam in altitudine myſteriorū Dei (de quibus potius hæſitarent quā crederent) corrumpendam. Sed Paulo à Corinthijs reuerſo, introierūt in eos pſeudodoctores, qui bonam ſimplicitatem prioris doctrinæ inuerterēt: quorum doctrina quia in mundanis rationibus verſabatur, quæ penitus ſpirituali doctrinæ cōtradiceret; cœpit magis allicere, & ad perſuadendū ſibi adducere Corinthios: quia magis mundo adhærebant, quam Deo: & deſtruere in eis calliditate humanæ rationis, quod Paulus ædificauerat, ſequendo ſimplicitatem fidei. Corinthij autem declinantes ab inſtructione Pauli, præcipitati ſunt in multos errores, vt æſtimarent merita baptizantium, prodeſſe baptizatis quanto maiora eſſent, & nocere ſi minora fuiſſent. Et hoc modo homini tribuebant, quod ſolius Dei erat. ſ. dimittere peccata. Qua de re fiebat, vt qui à digniore baptizatus erat, iudicaret minus ſe dignum eum, qui à minus digno baptizat⁹ eſſet: in hoc vtique derogando Deo errabant: etiam in eo, quia corpus Domini paululum diſcernebant ab alijs cibis. Iterū in eo quia viri velato capite, mulieres diſcooperto orarent. Erat etiā alius error: quia futurā reſurrectionem non (ſicut Paulus prædicauerat)

Corinthiorum errores erant multiplices.

credebant. Accuſabātur etiam inde, quia audiebatur inter eos fornicatio, quam nec paterentur gentiles. Quidam enim eorum nouercam ſuā duxerat in vxorem: quem nec corrigendo emendauerant, nec participationem Eccleſiæ huic tam facinoroſo interdixerant: ſed per illicitam patientiā huic inceſtui cōſentire videbantur. Quibus erroribus cognitis, Paulus per Soſthenē miſſum ſibi cū Epiſtola à fratribus, qui erant Cloes, (Clou.) qui locus in Archiepiſcopatu Corinthiorum claudebatur, ſcripſit ad eos hanc Epiſtolam: in qua agit de Corinthiis errantibus: errores eorum enumerando, eoſdemq; congruis rationibus improbando; ea vtiq; intentione, vt ab his vitiis eos retrahat.

EPISTOLA B. PAVLI AD CORINTHIOS PRIMA.

CAP. I.

PAVLVS *vocatus Apoſtolus Chriſti Ieſu per voluntatem Dei, & Soſthenes frater Eccleſiæ Dei, q̄ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Ieſu vocatis ſanctis, cum omnibus qui inuocāt nomē Domini noſtri Ieſu Chriſti: in omni loco ipſorum & noſtro.* (Infra 14.) *Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu: quia in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia: ſicut teſtimonium Chriſti cōfirmatum eſt in vobis; ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia: expectantibus reuelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui confirmabit vos vſque in finem ſine crimine, in die aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti.* (Infra 10; 1.Theſ.5 24) *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatē filij eius Ieſu Chriſti Domini noſtri. Obſecro autem vos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & nō ſint in vobis ſchiſmata. Sitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcien-*

A *tia. Significatum eſt enim mihi de vobis fratres mei, ab his qui ſunt Cloes, quia contentiones ſunt inter vos. Hoc autem dico, quod vnuſquiſque veſtrum dicit. Ego quidem ſum Pauli, Ego autem Appollo, Ego verò Cephæ, Ego autem Chriſti. Diuiſus eſt Chriſtus?* (Act.18.24) *Nunquid Paulus Crucifixus eſt pro vobis? Aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Gratias ago Deo meo quòd neminem veſtrum baptizaui, niſi Criſpum & Gaium, ne quis dicat quod in nomine meo baptizati eſtis. Baptizaui autem &*
B *Stephanæ domum: cæterùm neſcio ſi quem alium veſtrum baptizauerim. Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare: non in ſapientia verbi, vt non euacuetur crux Chriſti. Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, his autem qui ſalui fiunt, id eſt, nobis virtus Dei eſt. Scriptum eſt enim.* (Eſa. 29.14.) *Perdam ſapientiam ſapientium; & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi inquiſitor huius ſeculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Nam quia in Dei*
C *ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Quoniam & Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt.* (38.di.ſi iuxta. l. 56.di. naſci.) *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum: Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* (de preb. cap.pe.) *Quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum eſt Dei, fortius*
D *eſt hominibus. Videte enim vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio; vt quemadmodum*

2.Cor.10.17 Hier.9.22.

ſcriptum eſt, Qui gloriatur, in Domino *glorietur.* A

PAulus &c. Quia auctoritate opus erat ad premendam Corinthiorum ſuperbiam, nomen authoritatis ponit, dicens. *Paulus*, quod vtiq; nomen vbique notum eſt. Paulus dico, *vocatus* à Deo. i. *Apoſtolus* diuina vocatione conſtitutus. Vel vocatus ab omnibus: quia iam omnes nôſcũt eũ eſſe Apoſtolum. Apoſtolus dico. i. legatus *Chriſti Ieſu*. i. non ſe præſumptuosè ingerens vt pſeudo, ſed legatus Chriſti Ieſu: nec à Chriſto miſſus per exercendæ iræ opportunitatem, vt Saul: ſed *per volũtatem* i. per beneplacitum Dei. Paulus vtiq; *& cum eo Soſthenes frater*: non quia Soſthenes in hac epiſtola quicquã ſcripſerit: ſed vt Paulus per hoc oſtendat, omnes errores ſe cognoſcere: quia qui de eiſdem erat, & inter eos conuerſabatur, ei nũciauerat: ideò etiam vt oſtendat Soſthenem errores eorum nunciaſſe ſibi, non malo animo contra eos habito, ſed deſiderio correctionis eorũ. Paulus, inquam, & Soſthenes frater, ſcribunt *Eccleſiæ* Dei, *quæ eſt Corinthi.* Eccleſiæ dico *ſanctificatis*. i. à peccatis in baptiſmo iuſtificatis. Et hoc totum *in Chriſto Ieſu*, non per meritum baptizantium, quia Eccleſia collectiuum nomen eſt, ſatis congruè iungitur plurali, vt dicamus Eccleſiæ ſanctificatis: nec ſolum per Chriſtũ ſanctificatis, ſed per gratiam eiuſdem *vocatis ſanctis*. i. ad hoc, vt ſanctificarentur vt totum, & ſanctificatio ad vocationem; ipſaque ſanctificatio ex Deo eſſe cognôſcatur: & omne meritum baptizati & baptizatoris excludatur. Paulus ſcribit Eccleſiæ Corinthiorum *cum omnibus*. i. & omnibus Eccleſijs, in eiſdem erroribus detentis. Omnibus, dico, *qui inuocant nomen* Domini *noſtri Ieſu Chriſti*, quẽ in eo quem inuocãt, confitentur, ſolum eſſe iuſtificantem. Nec omnibus Eccleſijs dico per mundum, ſed his quæ ſunt *in omni loco ipſorum* Corinthiorum. i. omni Eccleſiæ metropoli Corinthiorum ſuppoſitæ, & in eundem errorem lapſæ, quæ Eccleſię & ſi

Eccleſia collectiuum nomen eſt.

locus ipſorum Corinthiorum ſunt, quia eis præferuntur *noſtro* etiã lòco, quia ſic eas Corinthiis ſuppono: vt tamen prouidentiã meã illis ſemper adhibeã, quemadmodũ Corinthijs. Hoc ideo Paulus ait, ne Corinthii dicerẽt: de nobis tantũ habes iudicare, nos vero de ſubditis. Cuius moris adhuc tenetur regula: qa ſummus pontifex, & ſi Eccleſias Eccleſijs ſubiecerit, de omnium tamẽ errore diſcutit, ſed ex iure mediantibus metropolitanis. Paulus & Soſthenes ſcribunt hoc Corinthijs: *gratia* ſit *vobis & pax.*

Pontifex Romanus Paſtor eſt omnium per orbem Eccleſiarum, quas mediantibus alijs gubernat.

B Cùm inter Corinthios quidã eſſent, qui gratiam ſibi datam in baptiſmo cuſtodiſſent integram, bene agendo: quibus vtiq; remiſſio non erat optãda, quam iam acceperãt, & acceptam firmè tenuerãt. Cùm verò inter eoſdem alij eſſent, qui gratiam acceptã errando adnihilauerant; & his iterata remiſſio eſſet neceſſaria: pro hac diuerſitate perfectorum & imperfectorũ, diuerſo modo optanda eſt hęc gratia: vt dicamus vobis, qui iterum peccaſtis, ſit ſecunda gratia. i. iterato C remittantur peccata: vobis autẽ qui acceptã iuſtificationẽ nõ irritã feciſtis peccãdo, ſit gratia. i. acceptæ iuſtificationis perſeuerãs cuſtodia. Sic de pace: peccatoribꝰ ſit pax animi reſtituta: nõ peccãtibus tranquillitas animi perſeueret. Gratia inquã & pax ſit vobis *à* Deo *patre noſtro, &* Domino *Ieſu Chriſto*, à quo ſolo credite eſſe oẽm iuſtificationẽ: excluſo omni merito baptizatoris: quia de Corinthiis quidam erant perſeuerãtes in doctrina D Pauli, nõ cõmunicãtes errori aliorũ: primũ ſeparatim loquitur iſtis: vt audito quod bonũ ſuum tantę auctoritatis ſit apud Apoſtolum, magis animẽtur ad bonũ: ideo & vt ꝑ hoc magis incumbãt, correctioni errãtium fratrũ: & vt errãtes abſq; reclamatione obediant iſtis, cũ audierint perfectionẽ eorũ tãti eſſe apud Apoſtolũ. Vnde ſic ait. *Gratias ago* Deo *meo*. i. quẽ meum facio, nõ detrahẽdo ei, quemadmodum pſeudo, qui dicũt merita baptizãtis nocere vel prodeſſe baptizatis. Gratias vtiq; ago Deo meo *pro*

vobis ſemper.i. in omni oratione mea. Ago inquā gratias *in gratia*.i. in cōſideratione gratiæ Dei, perſeuerātis in vobis: *qua* gratia *data eſt vobis in Chriſto Ieſu*.i. per Chriſtū Ieſum: qui homini reconciliato Deo miniſtrat hāc gratiā. De hoc vtiq; gratias ago: *quia* .i. quòd *facti eſtis diuites in omnibus*: quia & ſingulas gratias, & oēs copioſe habetis. Facti dico *in illo*.i. per Chriſtū, cui⁹ ſola miſericordia dat gratiā. *In* omnibus dico.ſ.in *omni verbo*.i. in omni doctrina ſpiritualium, mediocriū, & ſimplicium: diuitēs *etiā in omni ſcientia* literali, morali, & allegorica: ita diuites in omnib⁹, *ſicut teſtimoniū Chriſti*.i. doctrina de Chriſto atteſtata vobis per ſcripturas, ſicut inquā hoc teſtimoniū *cōfirmatū eſt*.i. firmiter perſeuerat *in vobis*. Ad quē modū .n. firmam tenuiſtis fidem Chriſt, ad eum modū ditauit vos Deus ſuis gratijs: cuius rei confirmatio veſtra cauſa & ſimilitudo fuit. Ita vtique teſtimonium Chriſti cōfirmatum in vobis, *vt nihil deſit vobis in vlla gratia*.i. vt omnē gratiā tā firmiter teneatis, quāta firmitate vobis tradita eſt. Vobis dico *expectātibus reuelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti*.i. propter ſecuritatē quā ex conſeruata iuſtificatione habetis, ſecurè prǽſtolamini diem veſtræ diſſolutionis in qua reuelabitur vobis. Dū.n. viuimus, anima noſtra circūſepta carne, nequit intueri diuinam eſſentiam, quā plenius intuebitur dum à mole carnis liberabitur. quā reuelationem qui bene agit, ſecurè expectat: qui verò malè, poti⁹ fugere hāc videtur quam expectare. Vos vtiq; Chriſtū expectatis *qui* quēadmodum *vos* confirmauit in præterito: ſic etiam *cōfirmabit* cōtinuè *vſq; in finē*.i. vſq; in diem diſſolutionis veſtræ. Nec ita dico cōfirmabit, vt à venialibus vos cohibere poſſitis, ſed cōfirmabit *ſine crimine*.i. immunes factos à capitalibus. In finē dico.ſ. *vſque in diē aduētus Domini noſtri Ieſu Chriſti*, qui vnicuiq; iuſto aduenit, in diſſolutione ſuſcipiens animā eius trāſferendam. Ideò ſic determinauit ſine crimine: ne ſi forte viderēt eos in ve-

A nialibus cadere, inſultarēt & dicerēt. Ecce nunc apparet iuſtitia eorū, quos Paulus tanti faciebat. Verè de cætero confirmabit: nam hoc promiſit dicens. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad cōſummationem ſeculi. *Deus* vtiq; qui promiſit *fidelis* eſt & mentiri non poteſt: vnde confido: quia cōfirmabit: confido etiā ideo: quia *per quem Deū vocati eſtis*: qui ſi vos dū in peccato eſſetis, per miſericordiā vocauit, credēdum eſt vtiq; quod iam iuſtificatos & iam promerentes confirmet de cætero. Per quē vtiq; vocati eſtis in habendam ſocietatem *filij eius*.i. vt pro modo veſtro in iuſtitia cū filio eius permaneatis. Nec adoptiui filii dico, ſed *Ieſu Chriſti* noſtri proprij & conſubſtantialis. ¶ Poſtquā perfectos in bono ſuo corroborauit, conuertit ſermonē ad eos qui peccauerant in prædictis dicens. *Vos* perfectos de cōfirmatione veſtri laudo: ſed vos q̃ erratis *obſecro*.i. omni diſtrictione cōiuro *per nomē Domini noſtri Ieſu Chriſti*: quos tamen *fratres* appello, licet erraueritis. Ideò fratres eos vocat, ne ſi nō fratres eos appellaret, prę nimietate peccati deſperarent. Obſecro, inquā, vos *vt oēs dicatis idipſum*.i. vt oēs cōfiteamini ſolum Deū poſſe peccata dimittere: *&* hoc dicēdo *non ſint in vobis ſchiſmata*, .i. aliquæ ſciſſuræ infidelitatis. Schiſmata nō ſint: *ſed ſitis perfecti in eodem ſenſu*.i. in eadē voluntate, *& in eadem ſciētia*, vt idē & velitis & ſciatis. ſunt .n. qui idē volunt, nec tamē idē ſciūt. Sūt alii quorū diuerſa eſt voluntas, & tamen eſt eadē ſcientia. Propterea ſic vos obſecro: *quia ſignificatum eſt mihi* per literas *de vobis fratres* mei: ꝙ per eam prædicta repetit. Significatū eſt vtiq; *ab his qui ſunt Cloes*. *quia*.i. quòd *cōtentiones ſunt inter vos*.i. quòd alter cōtendat in alterum. Cloes nomē eſt loci in archiepiſcopatu Corinthiorum. Vnde hęc cōtentio mādata fuerat ipſi per Soſthenem. Quod nomē hic ideò ponit, ne errorē ſuum diſſimulare velint Corinthii. Scientes ꝙ Paulus ab eiſdē, qui inter eos cōuerſantur, hoc agnouerit. Nec ſolū quod

Matt.28.20.

Cloes nomē loci in Archiepiſcopatu Corinthiorum.

B — C — D

cōtendatis noui, ſed etiã verba ipſius cōtētionis. *Hoc autē dico, ꝙ dicit vnuſquiſq; veſtrū*, præferens ſe de baptizatore ſuo alter in alterum. Hoc vtique dicit: ego quidē longè maiori iuſtitia diſcretus ab illo, qui inferiorem habuit, baptizatorē. *Ego quidē ſum Pauli. Ego autē* Apollo: qui erat Archiepiſcopus Corinthiorū. *Ego vero Cephæ*.i. Petri. Non ideo hæc nomina ponit: ꝙ de his gloriarentur: cum nec Petrum vidiſſent; ſed ideo, quia ſi nomina illorū pſeudo, de quibus gloriabantur reponeret, dicerent Paulus quia inuidet iſtis: nollet nos gloriari de nominibus eorū, ſed bonū iudicaret: ſi de nomine ſuo ſociorūq; gloriaremur. Ad hoc remouendum poſuit Paulus nomē ſuū & Petri: oſtendēs quod ſuo nomine nollet eos gloriari. Quod ſi non de nomine Pauli, multò minus gloriandū eſt de pſeudo doctoribus. Infideles hoc dicunt. Ego Pauli, Ego Cephæ. Sed fidelis dicit: *ego ſum Chriſti*, cuius gratia ſola iuſtificat. Et quia hic dicit ſe eſſe Pauli; hic alteri⁹, *ergo Chriſtus diuiſus eſt*, & iã non vnus ſed multi Chriſti ſunt. Quiſq; enim baptizatorē ſuū facit Chriſtum, dū dimittere peccata, quod Chriſti ſolū eſt, attribuit illi. Vel ita. Chriſt⁹ diuiſus eſt, quia diuiſim dat munera gratiæ ſuæ, dū minus per iſtū, magis per illū iuſtificat. Vel quia ſic malè dicēdo erratis, propterea Chriſt⁹ diuiſus, ſeparatus eſt à vobis. Vos Chriſtū diuiditis, faciendo quiſq; ſuū Chriſtū. Vel creditis Chriſtū diuiſim dare gratiã. ſed nunquid Paulus, quē aliqui in vobis Chriſtū ſuū faciunt: vel propter cui⁹ meritū creditis Chriſtū melius dare vni quã alii? Sed *nūq̄d Paul⁹ crucifixus eſt pro vobis?* Hoc vtiq; negare nō poteſtis, q̄n per Chriſtū redēpti ſitis, quē Paulus nō attigit. *Aut nūq̄d in nomine Pauli baptizati eſtis?* Si vtique verba baptiſmi ſolerter attēderitis, quibus Deo ſoli confitemini; intelligeretis omnem iuſtificationem eſſe ex Deo: & quãdoquidē hoc bonum baptiſmi vobis errãtibus fit in malū: ideo quia hoc bonum non feci, *gratias ago Deo meo quod neminem veſtrum baptizaui*

Apollo fuit Archiepiſcopus Corinthiorum.

A *niſi Chriſpum & Gaiū*: propterea nolo aliquos baptizaſſe: ne dicat aliquis ꝙ in nomine meo baptizati eſtis: cùm Criſpo & Gaio baptizaui *eſt domum*.i. familiam *Stephanæ*. De his recordor: ſed *neſcio ſi* fortè *aliquem alium baptizauerim*. Ideo tam paucos baptizaui, *quia Chriſtus non miſit me baptizare*. In hoc multum humiliat miniſteriū baptizandi, vbi dicit ſe non eſſe miſſum ad hoc, quod etiã facere poſſunt quilibet infideles, ſi neceſſitas popoſcerit. In quo tamen Corinthij viciſſim ſe præferebant alter alteri. Dicit

B hic ſacramentum Eccleſiæ ideo tempore neceſſitatis conceſſum eſſe, etiã infideli: quia eſt illud, ſine quo nemo poteſt ſaluari. Sed alia ſacramenta ꝑmiſſa ſunt ideo ſolis miniſtris, quia ſi ad ſalutē proſint: nō ſunt tamen ea ſine quibus homo nequeat ſaluari: quia ſola fides baptiſmatis (ſi integrè ſeruata ſit) ad ſalutem ſufficit. Hic de baptiſmo finē facit, & de prædicatione ſua ſermonē incipit, dicens. Chriſtus non miſit me baptizare, *ſed Euā-*

C *gelizare*. Prędicare quidem miſit me, *non in ſapientia verbi*.i. non in verboſa ſapientia mundi: & hoc ideo, *vt nō euacuetur crux Chriſti*. Si .n. rationes humanæ ſapiētiæ ſequerer, quę penitus deſtruunt immortalē mori poſſe, mortuū iterū viuere: iã penitus comprobaretur Chriſtū nō guſtaſſe mortē crucis: & ſic deſtrueretur precium totius ſalutis: quare nō in verboſa ſapiētia mūdi miſſus ſum, ſecūdū quas rationes facilè euácuari poteſt crux

D Chriſti. Verè ſi ſequerer ſapiētiã mūdi, euacuaretur crux Chriſti. *Nã verbū*.i. prędicatio *crucis pereuntibus*.i. ſapientibus mūdi, qui ideo pereūtes dicuntur: quia ſapientia eorū cito peribit & deſtruetur. Vel quia propter hãc ſapientiã peribunt & dãnabūtur. Verbū vtiq; crucis ſapientibus *quidē* huius mūdi *ſtultitia eſt*: quia humana ratio neminē cogit vt Chriſt⁹ qui immortalis erat in natura mori potuerit: qui mortu⁹ iterū vixerit. *Pereūtib⁹* quidē eſt ſtultitia: *ſed his qui ſalui fiūt*, id eſt, nobis, qui à verboſa ſapientia declinamus, nobis vtique verbum

Sacramentorū quorū qui miniſtri.

Sapientes mundi pereuntes dicuntur.

crucis

crucis eſt *virtus Dei*. Cōſiderantes.n. A per tantam debilitatem (vti per mortē) ſuperari antiquū hoſtē: cuius fortitudo in omne genus hominū præualuerat, miramur in hoc magis virtutē Dei: vbi per debilitatē deſtruxit fortitudinē: Quia ſi per apertam fortitudinem minorē extingueret potētiā, verè non in ſapientia verbi miſiſſet me Deus: ſic *enim ſcriptum* eſt in Abdia Ego *perdam* (ait Dominus) *ſapientiam ſapientium*: ſiue quia deſtruā illam, ſiue quia damnabo illos: propterea adhæſerunt humanæ ſapiētiæ. Nec ſolū ſapientiam perdam: ſed etiam *prudentiā*.i. prouidentiā qua callidè ſciunt præmunire ſentētias ſuas, ne aliqua impugnatione frāgantur. Quidam .n. habent ſapientiam artis, qui tamen neſciunt ſe ſatis pręmunire contra cauillationes obijcientis. Illam vtiq; prudētiam *reprobabo*: quia neminem de huius mundi prudentibus in miniſterio meæ prædicationis aſſumam, vel iungitur ibi vbi ait pereuntibus. Verè pereuntes. nam ſcriptum eſt. Perdam ſapiētiam ſapientiū. & verè huiuſmodi prudentes reprobati ſunt: Hæc ſunt verba Apoſtoli. Nam *vbi* eſt *ſapiens*.i. logicus ille qui in argumentatione ſua confidit: & *vbi* eſt *ſcriba*.i. ethicus qui de moribus agit: Et *vbi conquiſitor huius ſeculi*.i. phyſicus, qui naturas omnium rerū conquirit? Si logicus ille dicat ſi peperit, cum viro concubuit, mentitur: quia Maria ſine coitu virili de Spiritu ſancto concepit. Si ethicus de moribus: de cultura idolorum doceat, repellitur: quia noui mores, nouus cultus inductus eſt. Si iterum phyſicus dicat repugnare naturæ, vt virgo pariat, mortuus viuat, mendacij reus eſt. Quandoquidem & ſapiēs, & ſcriba, & phyſicus repelluntur: nōne per hoc palam eſt, quod *Deus fecit*.i. comprobauit eſſe *ſtultam ſapiētiam huius mundi*: ideo Deus ſapientiam huius mundi repellit: *nam* ſic *placuit Deo*. & cū audias hoc placere Deo, cauſam huius ne quiſieris. Placuit vtiq; Deo *per ſtultitiā prædicationis*.i. & per ſtultam rem prædicatā, & per ſtultos prędicatores *ſaluos facere credentes* in ſe: ideò per ſtultitiam placuit ei ſaluare credētes, *quia mūdus*.i. homines mūdi *non cognouerunt Deū* per carnalem *ſapientiam*. Quod ſi aliqui philoſophi intellexerunt eſſe vnum Deum, qui omnia creaſſet, nō tamē hoc cognouerunt in ſapientia Dei.i. vt intelligerent cōſilium Dei: quo ordine diſponebat ſaluare perditum hominē per incarnationem verbi, & cætera. Vel ita, quod mundus non cognouit Deū per ſuam ſapientiam. Hoc fuit in ſapientia Dei.i. ita placuit ſapiētiæ Dei: B vt mundanæ non admiſceret ſuam. Verè per ſtultitiam ſaluauit credentes: nam & res prædicata ſtulta fuit: & prędicatores ſtulti. Verè per rem ſtultam prædicatam, *nam* quoniam *Iudæi* qui iā per ſigna Deū vt in Aegypto cognouerant, *petunt* adhuc *ſigna*, ad comprobādum eſſe verū de Chriſto quod prædicatur: *& græci*.i. gentiles qui Deum ignorant, *quærūt ſapiētiā*.i. volunt ſibi per mundanas rationes approbari quod de Chriſto dicitur. *Nos autē* vt ſatisfaciamus Iudæis, C *prædicamus Chriſtū virtutem Dei*, quia Iudæi virtutem miraculorum requirunt. Græcis vero quærentibus ſapiētiā, prędicamus *Chriſtū eſſe ſapientiam Dei*. quod vtrumq; electis quidem Iudæis & gręcis virtus eſt & ſapiētia, ſed *reprobatis ſcandalum* eſt *& ſtultitia*. Et ideo diximus per ſtultam rem ſaluos fieri credentes. Nūc literam exponamus. Verè per ſtultitiam Deus ſaluat credentes: quoniam Iudæi quidē petunt ſigna, qui per miracula Deū cognoſcere D conſueuerunt. Et gręci mūdanam quærunt ſapientiam, quia aliud nō intelligunt. Nos autem ſtulti prędicamus rem ſtultam .ſ. Chriſtum crucifixum, *Iudæis quidē ſcādalū*, quia improperatur eis quòd regē ſuū crucifixerunt. *Gentibus autem ſtultitiam*, quia intelligere neſciūt, qua ratione quem Deū dicimus, eundē mortuum fuiſſe dicamus. Iudæis quidem & gręcis reprobatis ſcandalum eſt & ſtultitia: ſed *ipſis Iudæis atq; græcis vocatis*.i. à Deo electis, prædicamus *Chriſtum virtutē Dei*: quod Deus maius miraculum

Abdia 1.8.
Iſai. 29.14.

culum operari non potuit, quàm per mortē deſtruere mortē. Prædicamus etiā Chriſtū ſapientiā Dei: quia maior ſapientia nequit inueniri quā per humilitatem ſuperbiā: & per debilitatē deſtruere fortitudinē. Verè Chriſtus eſt ſapientia Dei. *Nam* illud *Dei, quod eſt ſtultū* ſecundùm ęſtimationē hominū, *ſapientius eſt hominibus.* Vel quia homines tantā ſapiētiā capere, vel tā ſapienter operari nequeunt. Et verè Chriſtus eſt virtus Dei. Nam illud Dei, *quod eſt infirmū*, vel ſtultū ſecundū ęſtimationē hominū, *ſapiētius eſt hominibus.* Vel quia homines tantā ſapientiā capere, vel tàm ſapienter operari nequeunt. Et verè Chriſt⁹ eſt virtus Dei. Nā illud Dei, quod eſt infirmū ſecūdum carnales, hoc eſt fortius hominibus Vel quia intelligere virtutem hanc neſciunt. Vel quia tāta fortitudine nihil facere queūt. Vel aliter ſuperior litera iungitur ita. Ideò mundus non cognouit Deum per ſapientiam: quoniam Iudæi petunt ſigna, & græci ſapientiam: nos vero prædicamus Chriſtum crucifixū: Iudæis quidem non ſignum, ſed ſcandalum: græcis autem vel gentibus nō ſapientiā, ſed ſtultitiā. Et quia in cruce Chriſti nec virtutem nec ſapientiam mundus intelligit: ideo Deum non cognouit. Et eſt ibi finis ſententiæ. Sed licet reprobis Iudæis atq; gręcis Chriſti crux ſcandalum ſit & ſtultitia: tamen ipſis Iudæis vocatis atq; græcis Chriſtus eſt Dei virtus & Dei ſapientia. Sequens litera non mutatur: probauit ex parte quod per ſtultitiam: nam per ſtultam rem prædicatam ſaluarentur credentes. probat nunc aliam partem ſcilicet, quòd per ſtultos prædicatores ſaluauerit Deus credentes dicens. Verè per ſtultitiam ſaluauit Deus credentes. *Videte enim vocationē*. i. vocatores veſtros per quos ad fidem vocati eſtis. Hoc, inquam, videte de eis: *quia non multi ſapientes*, & cætera. *ſed quæ ſtulta ſunt elegit Deus* in miniſterio vocationis veſtræ. Vel ita iungitur ad proximū. Verè illud Dei quod ſtultum & infirmum eſt, ſapientius & fortius eſt ho-

A minibus. Nam modo videte vocatores veſtros, inuenietis eos ſtultos & infirmos. Et ſecundùm hanc continuationem illud procedens .i. quod ſtultum & infirmum eſt Dei, ſapientius & fortius eſt hominibus: reſpicit ad comprobandū prædicatores ſtultos fuiſſe: ſicut in præcedenti voluit ad hoc oſtendēdum, quod res prædicata fuerit ſtulta. In ſequenti etiam notatur effectus huius ſtultitiæ & inſipiētiæ. Videte inquam vocationem veſtram .i. per quos vocati eſtis *fratres:* quia in eis *non ſunt multi ſapientes ſecundùm carnem*.i. carnalē ſapientiam: *non* ſunt *multi potentes* ſecundum carnem: *nō multi nobiles*, ſecundum carnis generoſitatem. Dicunt ſancti ideo Paulum dixiſſe, non multi, quia ipſe fuit ſecularium literarū perfectus: Terrenarum opum diues: Romana parentela conſpicuus. Vocatores vtiq; veſtri, nec ſapientes nec nobiles, *ſed Deus elegit ea quæ ſtulta ſunt mundi*, i. quæ mundus ſtulta reputat, *vt* per hæc Deus ſtulta *confundat* .i. erubeſcere faciat *ſapiētes* mundi, videntes ſe non poſſe reſiſtere argumentis ſuis ſtultis prædicatoribus Dei. *Elegit etiam Deus infirma mundi:* eos ſcilicet qui nullius potentiæ erāt in mundo: *vt* per hæc infirma *cōfundat fortia* .i. potentes mundi erubeſcere faciat. *Et ignobilia mundi*.i. eos qui de genere ſuo non poſſent gloriari: *& contemptibilia*.i. eos, in quibus nec aliqua perſonarū reuerētia. Hæc *elegit Deus*, & (vt ſingula enumerem) *& ea quæ nō ſunt*.i. quæ nulla eſſe mūdo videbātur, hæc elegit Deus, *vt* per *ea quæ* non ſunt *deſtrueret ea quæ ſunt*, .i. quæ bona mūdi eſſe vidētur. Et hoc totū ſic ideo fecit Deus: *vt omnis caro nō glorietur*.i. vt omni carni cōueniat nō gloriari *in cōſpectu ei⁹*.ſ. quia ſi prędicatores abiectionē ſui cōſiderarēt: vel gentes eos cōuerſę intelligerent, nihil ſibi, ſed totum referendum eſſe gratiæ Dei. Vel ita. Vt eius nō ſic obliquetur. Nō glorietur omnis caro in cōſpectu eius Dei i. cōſiderās virtutē Dei & infirmitatē ſuā nec prędicator ſibi nec ſubditi aſcribent aliquid magiſtris,

Pauli laudes.

B

C

D

giſtris,ſed totum gratię Dei.Sed licet prædicatores ſtulti eſſent & infirmi, *vos* tamen nihil minus propter hoc habuiſtis: *eſtis* enim *in Chriſto Ieſu* fideles facti. Et cum tanta infirmitas prædicatorum appareat, vos tamen nihil minus habetis: conſtat per hoc totũ eſſe ex ipſo Deo: & nihil ex merito doctorum. ¶ Hic optimè conſideratur effectus ſtultitiæ & infirmitatis. Vos, inquã, eſtis in Chriſto Ieſu: *qui* Chriſtus *factus eſt nobis ſapientia à Deo,* quia Deus per Chriſtum inſtruens nos, effecit nos ſapientes miniſteriorum Dei; & vt ſapientes efficeret, factus eſt nobis *iuſtitia,* faciens nos viuere iu iuſtitia virtutum. Vt autẽ iniuſtitia viueremus, factus eſt nobis *ſanctificatio.* Sanctificauit enim nos remittendo peccata: & vt ſanctificaret, factus eſt *redẽptio* .i. dedit preciũ ſanguinis ſui, quo nos redimeret, vt redẽptos ſanctificaret: ſanctificatos in iuſtitia virtutum confirmaret, & in iuſtitia manentibus ſapientiam daret. Hæc omnia factus eſt nobis: vt quicunq; gloriatur: glorietur non in ſe, vel in doctoribus, ſed in Deo: ad *quem modũ ſcriptum eſt* in Hieremia ſic. *In hoc glorietur qui gloriatur ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus.* Hier.9.22.

CAP. II.

E*T ego cùm veniſſem ad vos fratres, veni non in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ, annucians vobis teſtimonium Chriſti. Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos: & ſermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtẽſione ſpiritus & virtutis: vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Sapientiam verò non huius ſæculi, neque principum huius ſæculi, qui deſtruuntur, ſed loquimur Dei ſapientiam in* A *myſterio, quæ abſcondita eſt; quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram, quam nemo principum huius ſæculi cognouit. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Sed ſicut ſcriptum eſt. Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt illum.* Eſai.64.4. *Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim ſcit hominum, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus ho-* B *minis qui in ipſo eſt? Itaque & quæ Dei ſunt nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei. Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei.* De conſe. diſt 4. ſi. ut in ſacramentis. *Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia & ipſe à ne-* C *mine iudicatur, ſicut ſcriptum eſt: Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis inſtruxit eum? Nos autem ſenſum Chriſti habemus.* Iſai.40.31. Sap.9.13. Rom.11 34.

DIXI quod vocatores veſtri ſtulti & contemptibiles fuerunt: & quemadmodum illi, ſic *ego ipſe cum veniſſem ad vos ò fratres, non veni per ſublimitatem ſermonis,* id eſt, laborans artificioſè loqui: & vti glorioſis verbis: cum vtique propter inſipientiam non dimiſi: aut non veni D per ſublimitatem *ſapientiæ:* vt per mundanam ſapientiam vobis prædicarem. Sunt enim quidam qui ſublimes quidem ſermones habent, nec tamen tantam ſapientiam artis. Iterum quidã ſciunt præcepta artis, non tamen ſatis habentes artificij locutionis. Ego, inquam, per ſublimitatem ſermonis aut ſapientiæ non veni *annuncians vobis Chriſtum:* & hoc per teſtimonium: quia quod de Chriſto dicebã, ſic teſtificatũ in prophetis oſtendebam. Verè non in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ prædicaui,

non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, cum vtique multa ſcirem, *niſi Chriſtum Ieſum: & hunc* ſecundùm ſtultitiam gentium & infirmitatem Iudæorum *crucifixum*. Nõ enim prætuli me aliis prædicatoribus, pro ſapientia mundi quam habueram: ſed eandem ſtultitiam .i. crucem Chriſti prædicaui, quemadmodum illi: per ſublimitatem ſermonis & ſapientiæ non veni: nec etiam per reuerẽtiam perſonæ: ſed *ego fui apud vos in infirmitate* .i. in *multa* tribulatione: & propter hanc infirmitatem fui *in timore* Dei & tremore corporis. Et licet hæc omnia paterer: tamẽ *ſermo meus* quẽ habebam in priuatis: *& prædicatio mea* in publico habita *non fuit in perſuaſibilibus verbis humanæ ſapientiæ* .i. non tantum ſtudui appoſitè loqui ad perſuadendum: *ſed* fuit prædicatio mea *in oſtenſione ſpiritus* .i. vt Spiritus ſanctus cõprobaretur loqui per me. *Et* in oſtenſione *virtutis* .i. miraculorum Dei: & ideo in ſpiritu & virtute Dei ſolum: *vt fides veſtra*, quam vobis miniſtraui, *non ſit in ſapientia hominum*, *ſed* conſtet *in virtute Dei.* Et licet nihil me iudicauerim ſcire apud vos: tamen nos *ſapientiam loquimur*, ſed *inter perfectos*: vobis autem quia imperfecti eratis, loqui non potui. Sed licet non loqueremur eam vobis: tamen habemus ſapientiam, nec carnalem ſed ſpiritualẽ, quæ longè dignior eſt carnali cui adhæretis. Quod ſic ait. *Sapientiam quidem* habemus, ſed *non* eam quæ ſit *huius ſæculi* .i. carnalium. *Neque* etiã eam quę ſit *principum huius ſæculi* .i. vel philoſophorum: vel malignorum ſpirituum, qui principantur hominibus mundi, *qui* principes *deſtruuntur*, & ſecundum doctrinam & ſecundùm hoc quòd propter falſam doctrinam damnantur. Sapientiam huius ſæculi non loquimur, *ſed loquimur ſapientiam Dei*, exiſtentem *in myſterio.* Sapientiam Dei hic vocat illud conſilium, quo Deus per incarnationem filij humanum genus ſaluare diſpoſuit. Sapientiam hanc loquimur latẽtem in myſterio: nec ita, vt quicun-

A que poſſint eam animaduertere, vt myſterium baptiſmi, & quędam alia: *ſed quæ abſcondita eſt*, & nemini niſi paucis per Spiritum S. reuelata. *Quã* ſapiẽtiam *Deus prædeſtinauit ante ſæcula* .i. Deus ab æterno ſic futurã præordinauit, *in gloriã noſtram* .i. omniũ fidelium, vt omnes per hanc habeamus æternã gloriam. Vel ita in gloriam noſtram .i. prędicatorũ, qui miniſtramus hanc ſapientiam. Conueniens quidem fuit, vt nos qui miniſtram⁹ alijs, copioſius alijs de hac ſapientia intelligeremus: quia *ſapientiã*

B *nemo principum huius ſæculi* .i. philoſophorũ vel dæmonũ *cognouit*. Verè principes non cognouerunt: *Nam ſi cognouiſſent, nunquã crucifixiſſent*: diaboli qui hoc poſuerunt in cor Iudæ, vt traderet eum: vel in corda Iudæorum, vt crucifigerent Ieſum. Nunquã vtiq; crucifixiſſent, quẽ per hanc crucifixionem ſcirent eſſe *Dominum gloriæ.* Si cognouiſſent, non crucifixiſſent. Sed non cognouerũt, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia. Hoc, inquam, ſcriptum eſt, *quod oculus non vidit.* Illud quod de litera Pauli eſt: & non Eſaiæ

C ſic dicentis: oculus .i. ſenſualis homo non per ſe vidit: *& auris* .i. idem ſenſualis quod per ſe intelligere non potuit, ab alio docente *non audiuit: nec etiam in cor* .i. in ipſam rationem hominis .i. humaniter ſapientis, *aſcẽdit:* quia ſi homo intelligeret, tunc vtiq; quod non intelligens vile credit, aſcẽderet in eo, & magnum eſſe crederet. Hæc inquam, nec vidit nec audiuit quæ .i. *quanta* & quam digna *Deus præparauit his qui diligunt eum.* Vel illud quod nomẽ eſſe legatur ſic. Scriptum eſt hic, quia illud quod oculus

D non vidit, & cætera: eſt illa quæ præparauit Deus diligẽtibus ſe. Et eſt ſatis bona relatio. Diceret aliquis. Si in cor hominis hoc non aſcendit, quomodo ergo tu noſti? Ad hoc Paulus. Nemo quidẽ huius ſæculi cognouit: *ſed nobis* qui iam mundum exuimus, *reuelauit* hoc *Deus per ſpiritum ſuum.* Spiritus enim Dei docuit, in quo humana ſapientia penitus deficit. Credendum eſt vtiq; quod per ſpiritum

Scrutatur quomodo ſpiritus.

ſuum reuelauerit nobis Deus: *nam ſpiritus Dei ſcrutatur omnia:* nō quod ipſe ignotum quid habeat: quare eū ſcrutari oporteat, ſed quia aperit nobis omnia quę maximo ſcrutinio ſūt inueſtigāda. Aperit etiam nobis *profunda Dei* .i. altiora & occultiora eſſentiæ Dei: vt illud quomodo Trinitas in vnitate, vnitas in Trinitate maneat: probat quod dixit à minori & à ſimili ita. Verè ſpiritus Dei tantum ſcrutari poteſt ea quæ ſunt Dei. Nam *ſpiritus hominis* tantum *nouit ea quæ in ipſo homine ſunt:* & ſi ſolus ſpiritus hominis nouit ea quæ ſunt eius hominis, per ſimile & à maiori conſtat, quod ſpiritus Dei ſolus ſcrutetur ea quæ ſunt Dei. Quod ſic ait, Spiritus, inquam, ſcrutatur profunda Dei. Nā quis hominū ſcit ea quæ ſunt hominis alterius, niſi ſpiritus eiuſdem hominis qui eſt in ipſo? Nemo vtiq;. Et quādoquidem nemo cognoſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus eiuſdē: Ita ſimili ratione, & *ea quæ Dei ſunt, nemo cognouit niſi ſpiritus Dei*, qui nobis reuelauit ſapientiā Dei. Dixerat quidem Deum reuelaſſe ſibi per ſpiritū: ſed nondū dixerat eos accepiſſe ſpiritum illum, de quo ſubiungit. Nobis non tantum reuelauit per ſpiritum ſuum Deus: ſed etiam *nos accepimus ſpiritum non huius mundi, ſed ſpiritum qui eſt ex Deo: vt* per eum ſpiritū *ſciamus* myſteria Dei: *quæ* per gratiā *donata ſunt nobis à Deo, quæ* etiam *loquimur* & manifeſtamus: *non in doctis verbis humanæ ſapientiæ* hærendo: *ſed* loquimur hæc *in doctrina ſpiritus* .i. ſecundùm quod dictat Spiritus ſanctus, & docet nos. Nec quibuſcunque loquimur hæc myſteria: ſed tantum *ſpiritualibus*, nos dico *comparantes* .i. æquo examine trutinantes *ſpiritualia* ſpiritualibus: quia ſi ſpiritualem auditorem habemus, ſpiritualia ipſi damus; ſi carnalem, reticemus. Spiritualis ſpiritualia percipit. ſed homo *animalis* qui ſenſualitate ſola viget, vt aliud animal, non ratione: hic, inquam, *non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* Propterea non percipit, *quia ſtultitia eſt illi* .i. quia quod ſpiritus do-

A cet, ſtultum reputat adhærens carnalitati: & quia ſtultitia eſt illi: ideò *non poteſt intelligere* quę ſunt ſpiritus Dei. Animalis vtiq; non poteſt intelligere, *quia examinatur* .i. comprobatur animalitas eius: & de impietate ſua conuincitur *ſpiritualiter* .i. per ſpiritualia illa quæ ipſi concedūtur. Deus enim quibuſdā dat quaſdam gratias: ſciens eos pro certo gratiæ non cooperaturos: ſed hoc facit vt manifeſta ſit impiorum iuſta damnatio. Vel ita vt imperſonale ſit, examinatur. Animalis ideo homo nō percipit ea quæ

B ſunt ſpiritus: quia examinatur. i. fit examinatio & approbata cognitio eorum ſpiritualiter viuendo. Hi autem qui carnaliter viuunt, intelligere nequeunt. Animalis non percipit: ſed *ſpiritualis iudicat omnia* .i. diſcernit eligendo bona, reprobando mala. *Et ipſe* ſpiritualis *iudicatur à nemine* animali. Carnalis enim nequit animaduertere cauſam, quare ſpiritualis hoc eligat, alterū reijciat. Verè ſpiritualis non iudicatur à carnali. Nam ſpiritualis habet ſenſum Chriſti: quē carnalis cognoſcere nequit.

C Quod ita ait. *Quis* animalis *cognouit ſenſum* .i. ſapientiam *Domini:* vt nouerit diſpoſitiones eius. Aut *quis inſtruat eum* quid faciendū ipſi ſit: quid non faciendum? Animalis vtiq; ſenſum Domini non cognouit, *ſed nos* per ſpiritum quem accepimus, *habemus ſenſum Chriſti:* & ideò à nemine carnali poſſumus iudicari.

CAP. III.

E*T ego fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tanquam paruulis in Chriſto lac*

D *vobis potum dedi, non eſcam. Nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis. Adhuc enim carnales eſtis. Cùm.n. ſit inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominē ambulatis? Cùm enim quis dicat, ego quidem ſum Pauli; alius autem ego Apollo, nonne homines eſtis? Quid igitur eſt Apollo? Quid verò Paulus? Miniſtri eius, cui credidiſtis. Et vnicuique ſicut Domi-*

15.q.2 quadam lex §. quod ſcripſi.

nus

19. diſt. in ſecundum.

nus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit: ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incremẽtum dat, Deus. Qui autem plantat & qui rigat, vnum ſunt. Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet, ſecũdum ſuum laborem. Dei enim ſumus adiutores. Dei agricultura eſtis. Dei ædificatio eſtis. Secundum gratiam Dei quæ data eſt mihi: vt ſapiens architectus fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat. Vnuſquiſque autem videat, quomodo ſuperædificet. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Si quis autem ſuperædificat ſupra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides precioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit: quia in igne reuelabitur: & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Neſcitis quia templum Dei *eſtis, & ſpiritus* Dei *habitat in vobis? Si quis autem templum* Dei *violauerit, diſperdet illum* Deus. *Templum enim* Dei *ſanctum eſt, quod eſtis vos. Nemo vos ſeducat. Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat vt ſit ſapiens. Sapientia enim huius mundi ſtultitia eſt apud* Deum. *Scriptum eſt enim. Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum. Et iterum.* Dominus *nouit cogitationes ſapientium, quoniam vanæ ſunt. Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura. Omnia enim veſtra ſunt: vos autem Chriſti; Chriſtus autem* Dei.

De præſ. non bap. c. ſi. de ſumma tri. c. vnico in cle. De pe. diſt. 2 ſi enim. ver liberi arbitrij.

infra 6. 2. Cor. 6. 16

32. q. 4. in eo. 28. diſcernimus.

Iob. 5. 13.

Pſal. 93. 11.

23. q. 7. quod autem in ſi.

LICET fratres ſpirituales ſimus ſicut oſtenſum eſt: & ſpiritualia doceamus: tamen *ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus* locutus ſum: & quia carnales eratis, *dedi vobis tanquam paruulis in Chriſto*, id eſt, teneris in fi-

A de Chriſti *lac potum*. Per lac ſignificat dulcedinem doctrinæ: per potum facilitatem. Dedi vobis lac, *non eſcam*, id eſt, illam doctrinam in ſimplicitate veſtra ruminare, quæ potius erat facilitate nutrienda, quam difficultate premenda. Ideò ſpiritualia non dedi: quia *nondum capere poteratis: ſed necdum quidem poteſtis*, licet de nouis doctoribus modo gloriemini. Verè nondum poteſtis. *Nam adhuc carnales eſtis.* Et verè carnales. *Nam cum modo ſit inter vos zelus*, id eſt, inuidia animi, *& contentio in* verbis, *nonne carnales eſtis? &* nonne *ambulatis*

B *ſecundum hominem*, id eſt, ſecundum carnalem doctrinam eorum hominum quos ſequimini? Verè carnales eſtis & ſecundum hominem ambulatis: *quia cùm aliquis* veſtrûm *dicat, ego quidem ſum Pauli: alius autem* dicat, *ego ſum Apollo: nonne homines eſtis*, id eſt, nonne ſecundùm hominem ſapitis? Quia dicitis ego Pauli, ego Apollo: Igitur dicite mihi quid eſt Apollo: quid verò Paulus? & quid eos conferre vobis creditis? Hoc verè de eis ſentire poteſtis: quia *mini-*

C *ſtri* ſunt *eius*, *cui* vos *credidiſtis*. Et nihil aliud ſunt, niſi quod ex præcepto Dei miniſtrant vobis, quæ Dei ſunt, licet diuerſo modo. Quia *ſicut Dominus dedit vnicuique* noſtrum, ad eum modum *ego plantaui*, id eſt, euangelizaui, & ad fidem vos traxi: *Apollo* verò *rigauit*, id eſt, baptizauit, vos iam per me credentes: ſed *Deus* ſolus *dedit incrementum* bonorum per ſpiritum ſuum. Sequitur metaphoram plantatæ arboris, quam alius rigat, alius plantat, & Deus ſolus incrementum dat. Et quia ſolius Dei eſt incrementum dare; *itaque neque*

D *ille qui plantat eſt aliquid*, quantum ad donum fidei, *neque* ille *qui rigat*, aliquid eſt in remittendis peccatis, *ſed Deus* totum eſt *qui* ſolus *dat incrementum* fidei, & ſequentis iuſtitiæ. Diceret aduerſarius: licet miniſtri ſint Dei, tamen diuerſi ſunt in meritis, & merita credo aliquid conferre mihi. Contra hoc Paulus licet alter dignior, alter minus; tamen

qui

qui plantat & qui rigat vnum,& indifferentes *ſunt* in adminiſtrando, ſolùmodo donum Dei diſpenſant: quod nec augeri poteſt, nec minui, bonis maliſve meritis eorum, licet qui plãtat & qui rigat indifferẽtes ſint: in eo quòd miniſtri ſunt Chriſti. In eo tamen differunt, quod *vnuſquiſq; accipiet propriam mercedem*, menſuratam ſibi *ſecũdum ſuũ laborem*.i. pro modo quo in opere Dei laborauit. Plus .n. ei debetur, qui plus meretur. Et hoc benè ad intentionẽ. Vbi enim oſtendit ſe magis aliis in fide Corinthiorũ promereri, & de ſe gloriandũ nõ eſſe ſubditis, dicit. Lõgè minus in his qui minus merentur gloriandum, & nihil penitus eſſe oſtẽdit. Reuertamur ad literam. Verè ſecũdum proprium laborem accipiet mercedẽ: nos enim in vobis Deum plus aliis adiuuimus, & ideò plus aliis remunerabimur ꝙ ita ait. Nos *ſumus adiutores Dei*.i. operarii: & vt ſerui miniſtrãdo præceptis Domini adiuuimus Deum in vobis, miniſtrando fidem eius ſicut ipſe nobis diſpoſuit. Verè Deum adiuuimus in vobis. *Nã* vos *eſtis agricultura* Dei .i. cultus agri: à quibus iam eradicatæ ſunt ſpinæ peccatorum. Eſtis, inquã, agricultura per ablationem malorũ; *& eſtis ædificatio Dei*, per poſitionem virtutum, quia ſuper fidem veſtram Deus iam alias virtutes ædificauit. Et quod eſtis agricultura & ædificatio Dei, hoc eſt per me. *Ego*.n. *poſui fundamentum*.i. fidem ſuper quã fundãtur aliæ virtutes. Poſui vtique *vt architectus*.i princeps tecti, quia & ſi alios coadiutores in vobis habui, ego tamen princeps ibi fui. Architectus dico *ſapiens*.i. cũ diſcretione ſingulis, ꝙ capacitati eorũ ſufficere poterat, impertiens. Hoc aũt feci *ſecũdum gratiã Dei*: fundare enim vos in fide nõ poſſem, niſi operaretur mecum gratia Dei, ad quã habendam non præmiſi meritum, ſed *quæ* ex miſericordia *data eſt mihi*. Ego ꝙ ad me pertinuit, ſanũ fundamentũ poſui: ſed alius cuius eſt ædificare ſuper hoc fundamentũ, videat quid ſuperędificet. Alius .n. eſt qui ædificat ſuper hoc fũdamẽtum,

A quaſi diceret: quod meum fuit fundamentum, poſui; quod veſtrum eſt, videte vt benè ſuperędificetis. Ille ſuperædificare dicitur, qui vel virtutes ædificat, vel ſi peccat, non ita tamen vt fundamentum deſtruat: quod deſtruitur per criminalia, niſi per aptã pęnitentiam deleãtur. Deſtruitur etiam per venialia, quę non ſolũ ex neceſſitate habemus, cùm etiam iuſtus ſepties cadat in die. Sed per ea venialia, quę ex voluntate, & impęnitentes in eis conſentiẽdo admittimus. Ego

Superædificare quis dicitur.

Prou. 24 16.

B quidem prouidè poſui fundamentũ. *Videat autem vnuſquiſq; veſtrum quomodo ædificet ſuper hoc fundamentum*: arbitrio enim veſtro iã per acceptã gratiam confortato relinquitur hoc opus. ¶ Notandum eſt quod ſuperædificare dicuntur hi ſolùm, quorum culpis non deſtruitur fundamẽtum: Qui enim deſtruit, potius dicenda eſt euerſio peccati, quam ſuperædificatio. Videndum vtiq; eſt vobis de ſuperædificatione ne varietur. Nam de fundamẽto ſecuros vos reddo, quia

C vnum eſt. *Nemo enim poteſt fundare aliud fundamentum* quod ſit *præter id quod poſitum eſt* à me. *quod* fundamẽtum .i. fides *eſt Chriſtus Ieſus*. Fides enim tua de Chriſto (iuxta Auguſtinũ) Chriſtus eſt in corde tuo. Si quid enim aliud præter fidem ponitur, euerſio fundamenti, non fundamentum eſt. Fundamentum quidem vnũ eſt, & aliud eſſe nequit, ſed ſuperædificationes ſunt diuerſæ: quia alius aurum, aut argentum, alius fœnum vel ſtipulam ſuperædificat. Quod ita ait.

D *Si quis autem ſuperædificat ſupra hoc fundamentum*.i. fidem, *aurum, argentum, lapides precioſos*: per hæc tria, virtutes, ſed diſcretæ intelliguntur. *Vel ligna, fœnum, ſtipulam*, per hæc tria diſcreta mala: quæ tamen fundamẽtum non deſtruant, accipiuntur. Hęc autem omnia per ignem (ſicut proxime ſubiunget) probabuntur. Per aurum perfecta iuſtitia: vt eorum nihil penitus purgandum ſit, qui vtiq; per ignem tranſituri ſunt: non vt ibi aliqua acerbitate detineãtur, ſed ſicut puriſſimum aurum igni adhibitũ,

non ſolum nullum patitur detrimẽtum, ſed per hoc maiori nitore fit ſplẽdidius: Sic perfecti, ignis vtiq; læſionem non ſentiũt: ſed probabiliores agilitate virtutum ab hoc igne facillimè emergunt. Per argentum ſignificantur iuſti: in quibus tamen aliqua leuia purganda ſunt: quia velut argentum in igne poſitum decoloratur: qui color arte artificis poſt ignem redditur; ſic illi ignem quidẽ patiẽtur, ſed leuiter, quia leuia commiſerunt. Per lapides precioſos ſignantur iuſti, licet premantur aliquot venialibus; magis tamen adhæſerunt iuſtitiæ, & ideo patientur quidem in igne magis his prædictis: quemadmodum lapides precioſi plus detrimenti per ignem ſentiunt, quam argẽtum. Pluraliter ideò lapides dixit: quia in hoc gradu diuerſi erunt, & ſecundum diuerſitatem meritorũ ſentient. Per hæc tria, genus perfectorũ. Per tria quę ſequuntur, ſignantur imperfecti. Per ligna accipiuntur hi qui in mundo quidem remanent. Vxores, filios, & poſſeſſiones habẽt: quos pẽſare oportet, quæ vxoris ſunt, & filiorum, & ideo plurimum laborare. Nec orationibus Eccleſiæ propter hoc quomodo deberent, poſſunt intereſſe. Hi tamen, quia non ſic diligunt mundum, vt eum Deo præponant, ſaluabuntur quidem, ſed tamẽ diu per ignem punientur: quemadmodum lignum longa materia eſt ignis, & multo ſpatio comburitur. Per fœnum ſignantur illi, qui aliquã diu quidem affliguntur per ignem, ſed velut fœnum, quod cito in igne deficit, cito euadent. Per ſtipulam vero quæ propter ariditatem citius fœno comburitur, ſignãtur hi, quorum pœna compendioſa erit in tranſitu ignis. Si quis autem ædificat hæc vel hæc, *opus vniuſcuiuſq.*, ſeu ſit aurum, ſeu lignum, vel quodcunq; aliud, *manifeſtum erit*. Et hoc probat. *Nam dies Domini declarabit* hoc opus. Diẽ Domini vocat ab hora diſſolutionis vniuſcuiuſque vſque ad iudicium. Ex quo enim anima ſeparatur à corpore, dies Domini eſt in eo, quia nihil

Dies Domini & hominis.

A iam operari poteſt præter voluntatem Dei: ſed dum homo viuit dies hominis eſt, & non Dei: Quia operatur homo quod ſibi placet: bonum, vel malum, ex libertate arbitrij. Verè dies Domini declarabit. *Nam in igne reuelabitur* .i. palam fiet opus eius. Hunc ignem continuum dicit ſicut diem. In morte enim hominis paratus eſt diabolus cum igne & tortoribus ſuis. Et ſi quid purgãdum eſt purgat per adhibitum ignem. Si verò nihil purgationis eſt opus (vt in beato Martino) ipſa euaſio ignis reuelat B bonitatem ſui operis, vt in eo quem torquet non fuiſſe aliquid ſordis. Sed quia nondum planè poteſt hoc videri, in igne purgatorio ſingulis ſingulorum opera reuelabũtur. Verè *opus cuiuſq. reuelabitur* in *igne*. Nam ignis ille probabit, quale ſit opus vniuſcuiuſque. Seu ſit aurum, ſeu lignum, vel quodcunque ſit. Verè ignis probabit ſingulorum opus. Nam eſt & bonum opus & malum: bonum vtiq;. *Si enim opus alicuius, quod ædificauit* ſuper fundamentum *manſerit* illæſum, hic vtiq; *accipiet mercedem* ſuperædifica- C ti boni. Malum opus probabit ignis. Nam *ſi opus alicuius arſerit* .i. ardere poſſe iuuentum fuerit, vt lignum, fęnum, ſtipula, hic vtique *patietur detrimentum* & affligetur per violentiam ignis. Sed licet patiatur detrimentum, *tamen ipſe ſaluus erit*. Sic tamen dico ſaluum quaſi per ignem tranſiturum. Prius enim quod dulce committere fuit, puniri oportet per amaritudinem ignis. ¶ Determinauit modo diſcretiones operum, quæ non deſtruunt fundamentum, dicẽs omnes ſaluandos, qui illud non de- D ſtruunt: nunc ſubiungit de operibus his, quæ deſtruunt fundamentum, & theſaurizant æternum interitum, dicens. *Si quis* non deſtruit fundamentum ſaluabitur, ſi quis autem *violauerit templum Dei, diſperdetur*. Sed vt compungat eos, pręmittit interrogationem hanc dicens. *An neſcitis quia vos eſtis tẽplum Dei*: Deus autem ſanctificat vos vt ſitis ſibi templum. *Et* ita dico templum, quod *ſpiritus Dei*

gnis emendatorius.

omni

omni aſſiduitate *habitat in vobis. Si quis aũt violauerit ſe templum Dei,* deſtruendo fundamentum fidei, vel in ſe per criminalia, vel in auditoribus docẽdo falſa, illum vtiq; diſperdet Deus in æternum interitum. Et merito qui violat, diſperdetur. *Nam templum Dei ſanctum eſt,* & violari nõ debet, *quod templum vos eſtis.* Et quia templum Dei eſtis: propterea videte ne aliquis pſeudo-doctorum ſeducat vos per falſam doctrinam. vel nemo noſtrum ſeducat ſeipſum deſtruendo fundamentum fidei. *Nemo,* inquã, *ſeducat ſe: ſed ſi quis* manens *inter vos videtur* ſibi *eſſe ſapiens in hoc ſæculo* .i. de ſæculari ſcientia: *fiat ſtultus* .i. credat & confiteatur ſe eſſe ſtultum: vt ſic mereatur eſſe vere ſapiens: verè neceſſe eſt eum ſtultum fieri vt fiat ſapiens. Nam *ſapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum*, Et verè ſtultitia eſt apud Deum. Nam ſcriptum eſt in Iob de mundana ſapientia ſic loquente Deo. *Sapientes mũdi* ego *comprehendam* .i. concludam *in* ipſa *aſtutia eorũ* .i. in eo in quo ſe magis aſtutos intelligũt nec reſiſtere poterũt. Et iterum de mundi ſapientia ſcribitur in Pſalmo. *Dominus nouit cogitationes* ſapientium. Noſtra translatio habet *hominum* .i. humaniter ſapientium. Hoc nouit de illis, *quoniam vanæ ſunt.* Quandoquidem hominis ſapientia probatur eſſe ſtultitia: *itaque nemo* veſtrum vlterius *glorietur in hominibus* .i. in his doctoribus, de quibus propter humanam ſapientiam gloriamini. Probat non eſſe gloriandum in his; tum quia ſerui eorũ ſunt, qui eis prædicãt: etiam ipſe idem. De re autem inferiori vel æquali gloriari non licet, ſed ſolummodo de maiori ſe; tum ideo, quia ſi de Paulo & Cepha non eſt gloriandum; multò minus de illis carnalibus, quos conſtat longe eſſe inferiores iſtis. Vnde ait. Non eſt gloriandum vobis in hominibus: *nam omnia veſtra ſunt* .i. ſeruituti veſtræ deputata; *ſiue* etiam ſit *Paulus, ſiue Apollo, ſiue* caput eorum *Cephas* .i. Petrus, *ſiue mũdus* veſter eſt: ſeruit enim vobis: & ſi miniſtrat ne-

Iob 5. 13.

Pſal. 93. 11

A ceſſaria, & ſi aſpera quęlibet ad meritum iuſtitiæ veſtræ inferat, *ſiue vita* veſtra eſt. Nam vt de male actis pęniteamini, & poſt bene agẽdo promereamini; præſens vita conceditur vobis, *ſiue mors* veſtra eſt. Vtile enim eſt amplecti mortẽ pro Chriſto, ſi ſe ingeſſerit: *ſiue præſentia, ſiue futura* bona, vel mala. Veſtra ſunt verè hæc prædicta: nam *omnia veſtra ſunt, vos autem* ſolũmodò *Chriſti* eſtis, in quo ſolo gloriari debetis. *Chriſtus autẽ* eſt *Dei*, nõ quòd Chriſtus ab eo differat in ſubſtantia, ſed quia per mediãtem

B Chriſtum reducimur ad Deum. Cephas caput, Simon obediens: Bariona filius columbæ dicitur. Quia autẽ hoc nomẽ Cephas mutauit ei Deus, & vocauit Petrum; inde conſuetum eſt mutare nomina Apoſtolicorum.

Bariona filius colũba dicitur.

CAP. IV.

SIc *nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpẽſatores miniſteriorum* * *Dei. Hic iã quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur?*

C *Mihi autem pro minimo eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Sed neq; meipſum iudico. Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Qui aũt iudicat me Dominus eſt. Itaq; nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarũ, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuiq; à Deo. Hæc autem fratres transfiguraui in me, & Apollo, propter vos: vt in nobis diſcatis, ne ſupra quam ſcriptum eſt, vnus aduerſus alterum* * *inſletur pro alio. Quis enim te diſcernit? Quid aũt habes quod*

D *nõ accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Iam ſaturati eſtis, iam diuites facti eſtis. Sine nobis regnatis. Et vtinam regnetis, vt & nos vobiſcũ regnemus. Puto enim quod Deus nos Apoſtolos nouiſſimos oſtẽdit, tanquã morti deſtinatos: quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & angelis, & hominibus. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto. Nos infirmi, vos*

* myſteriorum.

6. q. 1. bcũs.

De pe. di. 9. a lhuc perſidis inſtant in fine. 11. q. 1. ſacerdotibus in fine.

* alium.

De pe. di. 2. Apoſtolus.

ego Pauli, non ideo ſic feci quod de nobis gloriaremini: ſed ô *fratres ego transfiguraui* .i. tranſtuli hæc *in me*, figuratiuè loquens: dum nomina noſtra illis pſeudo attribuebam. Hæc vtiq; transfiguraui in me *& in Apollo*, & hoc *propter vos* inſinuãdos; *vt vos diſcatis in nobis*, ne vnus infletur aduerſus alterum pro ſe facto alio.i. digniori quã alter ſit per meritum ſui baptizatoris. Vel pro alio.i. pro iuſtiori doctore quem habuit. Ne inflemini dico agentes quod ſupra. Scriptum eſt ſuperius, vt qui gloriatur, non in merito hominis, ſed in Domino glorietur: non debes inflari aduerſus alterum: quis enim eſt qui te diſcernit ab alio, ſciens merita ſingulorum? Stultus vtiq; eſt, qui te diſcernere præſumit. Iterum non debes inflari: quia *quid habes* tu ab illo doctore de quo gloriaris *quod non accepiſti* à me? Magis vtiq; à me accepiſti, quià fidem, quam ab illo. Iterum non debes inflari: quia *ſi accepiſti* à me: *quid de* alio *gloriaris quaſi non acceperis* à me quod ab illo? magis vtique à me. Vel aliter. Noli inflari quia quis eſt qui te diſcernit à maſſa perditorum in Adam, vt faciat te vas in honorẽ, niſi Deus ſolus? Nemo vtiq; iterum ne infleris: quia quid habes tu boni ab aliquo, quod non accepiſti à Deo? Deus totius boni eſt largitor: iterum non debes inflari: quia ſi tu accepiſti aliquid à Deo: quid gloriaris inde: aſcribens hoc merito hominis, quaſi non acceperis illud à Deo? Dico ne gloriemini: ſed malè dico: quia vos merito debetis gloriari: *iam* enim *eſtis ſaturati* .i. ſatis habetis bona in vobis: *iam* etiam *facti eſtis diuites*, habentes quod diuidatis ſingulis: *etiam regnatis* .i. vos ipſos bene regitis ſine nobis. Hæc omnia ironicè, ſed amodò ſerio. Regnatis dico *(& vtinam* in veritate *regnetis.)* Hoc enim cuperem, vt regimine noſtro non indigeretis: ita regnetis *vt & nos regnemus vobiſcum* .i. vt vos in regno illo dignitate vitæ nos præcederetis. Mallem certè vos præire: & me ſequi, quàm conuerſo: quia de me certior

A ſum quam de vobis. Iterum ironicè: vos vtiq; regnatis, nos minimè: quià *puto quod* vos equidem putatis: hoc ſcilicet quod *Deus oſtendit nos nouiſſimos*.i. deteriores & nullius dignitatis Apoſtolos. Nos dico *tanquam deſtinatos morti* .i. quià adeo affligimur pro Chriſto, vt ſolummodo ad mortem nati videamur: propterea vobis in mundo florentibus, contemptui ſumus. Ideò etiam quia *ſpectaculum facti ſumus* huic *mundo*: conueniunt enim omnes ad oppreſſionem noſtri, & mala noſtra ludus eſt eorum.

B Huic mundo dico: nam *& angelis* malis; qui gaudent de afflictione noſtri, *& hominibus*. Et ideò nos reputamur ſtulti: ſed hanc ſtultitiam bonum eſſet imitari: quia *propter Chriſtum nos ſtulti: vos autem prudentes in Chriſto:* quod vtique nec eſtis, nec eſſe debetis. *Nos infirmi* & imbecilles mundo, *vos autem fortes &* de potentia mundi gloriantes. *Vos nobiles, nos autem ignobiles*. Vel aliter: vt ſine ironia legatur. Vellem nos regnare vobiſcum: nam certus ſum, quòd reuera regnabimus: puto enim: & hoc vtique

C confido quòd Deus oſtendit nos nouiſſimos Apoſtolos .i. ſimiles nouiſſimis .i. Enoch & Heliæ: quià tanta patimur modo in principio eccleſiæ, quanta illi paſſuri ſunt ab Antichriſto in fine. Vnde idem Paulus ait. Nos ſumus in quos fines ſæculorum deuenerunt. Quare etiam Nerò dictus eſt Antichriſtus, quia quemadmodum iſte Enoch & Heliam; ſic ille Petrum & Paulum interfecit. Verè nouiſſimi ſumus: nam deſtinati morti: nam ſpectaculum mundo. Et cætera ſimiliter exponantur, ſed ironicè. Nos ſtulti, vos prudentes: vos

D fortes, nos debiles, hîc eadem ironia. Nec ſolum præmiſſa mala patimur, ſed à principio prædicationis noſtræ *vſque in hanc horam, & eſurimus & ſitimus: & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus*, de loco ad locum fugati: *& laboramus operantes manibus noſtris*, vnde victum habeamus. *Maledicimur* ab impiis, *& nos benedicimus* illos. *Patimur perſe-*

1. Cor. 10 11.

Nero cur Antichriſtus dictus.

cutionem, & ſuſtinemus alacriter. *Blaſphemamur, & obſecramus* impios: ne blaſphement: vel Deum, vt ignoſcat blaſphemantibus. Et adeo ſæuiunt in nos, *quod facti ſumus tanquam purgamenta huius mundi.* Videtur enim illis quòd mundus de nobis polluatur, & per interitum noſtrum purgetur. Facti ſumus vtique *periſpema*.i. purgatio *omnium:* quia iam omnes purgarentur ſi non eſſemus: ſed de nobis polluuntur. Periſpema dicitur purgamentum pomi, vel ſpuma ferri ſecundùm Ambroſium: tales facti ſumus à principio mundi *vſque adhuc.*

Periſpema quid?

¶ Quia aſperè locutus fuerat Corinthijs, incipit eis iterum blandiri, dicens: licet ironicè dixerim vos prudentes, fortes, & nobiles, tamen *non ſcribo hæc vt confundam vos*, & erubeſcere faciam: *ſed moneo vos* nunc blādè, nunc aſperè: *vt* meos *cariſſimos filios.* Vere filios, *nam ſi habeatis decem millia pædagogorum* .i. magiſtrorum (etiam fidelium *in Chriſto*) *tamen non* habetis *multos patres*, ſecundùm fidē: verè non multos, nam me ſolum. *Ego enim genui vos in Chriſto Ieſu, per Euangelium meum.* Et quandoquidem ego pater, vos filij. Ergo *rogo vos fratres eſtote mei imitatores*, vt filij patris. *Ideò* enim quia filij eſtis: & vt imitatores ſitis: *miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius meus chariſſimus & fidelis in Domino*, & huic acquieſcite. Miſi ideò vt ſit, *qui vos commonefaciat vias meas:* vt ſicut ego, ſic & vos, in omni iuſtitia ambuletis: *quæ* viæ *ſunt* inſiſtendę: quia ſunt *in Chriſto Ieſu*, & omnis Eccleſia ſequitur eas. Quod ita ait: ſicut ego doceo vbiq;, nec paſſim in agris: ſed in omni Eccleſia. Per hunc Timotheum dicitur Apoſtolus miſiſſe hanc Epiſtolam Corinthijs: locutus eſt ſuperius de baptizatoribus illis, & ſatis probauit non vnum præferendum eſſe alteri. Cauſatus eſt etiam illos de mundana ſapientia: quod nimiæ laudis eſſet apud illos, & de contemptu ſuo: nunc autem tranſit ad illud, de fornicatore quodam, qui nouercam ſuā duxerat vxorem: quem ipſi nec à communione Eccleſiæ ſe-

A iunxerant, nec de peccato fratris cōdoluerant, ſed potius inflabantur inde dicentes: quod ſi à bono baptizatus eſſet, nunquam in tantam peccati foueam rueret, quemadmodum apparebat, in quibus ne ſimiliter peccarent, operabatur iuſtitia baptizatoris. Litera ſic iungitur. Ego ſollicitus de vobis vt pater de filijs: mitto ad vos Timotheum: ſed *quidam de vobis ſunt inflati.* & fortaſſe propter ſuperbiam ſuam non eum audituri, ideò de ſuperbia hic tangit eos: vt in omni humilitate inueniat eos obediſſe

B Timotheo. Inflati vtique eſtis: ſic *tanquam* ego *non ſim venturus ad vos:* nec aduentum meum reueremini, quem vtique vereri vos oportet, niſi voſipſos correxeritis. Fortaſsè creditis me non venturum: quia modo mitto Timotheum: ſed ſcitote quia *cito veniam ad vos:* quod tamen iuris non eſt, & ideò determino, *ſi Dominus voluerit*, cuius voluntati contraire non licet. Veniam vtique *&* tunc *cognoſcam* .i. approbabo iuxta illud:

C nouit Dominus qui ſunt eius. Cognoſcam vtique non *ſermonem eorum* .i. non curialitatem & artificium ſermonis: cui adhęrent hi *qui* per huiuſmodi ſermonem *inflati ſunt: ſed* cognoſcam & laudabo in vobis *virtutem* .i. humilitatem: patientiam &c. Hæc enim laudari debent, non ſublimitas ſermonis: ideò cognoſcā virtutem & non ſermonem: *quoniam non in ſermone* huius mundi *eſt* .i. acquiritur *regnum Dei: ſed in virtute* integræ fidei, & boni operis. Et quod

D duo vobis propoſui; ſermonem, quē reprobo; virtutem, quam approbo: *Quid vultis* .i. quid horum eligitis? *veniam ad vos in virga*.i. in aſperitate correctionis; *an* veniam ad vos *in charitate* .i. in lenitate? *Et* adeo quod in *ſpiritu manſuetudinis*.i. quaſi aſſuetus manui & gaudens deſeruire vobis? Si in ſermone inuenero, veniam in virga; ſi in virtute, veniam in ſpiritu charitatis. Videtur vbi ait, in virga an in charitate, per hoc innuere, quaſi correctio non ſit ex charitate, ſi aſpera eſt; quod vtique falſum eſt:

ſed

ſed dicit hoc ſecundũ infirmitatem eorum, qui totum iudicabant eſſe ex ira, quod volũtati carnis contraibat.

CAP. V.

Coloſ. 2.5.

24.q.1. audiuimus. §. in quibus.

Galat. 5.9.

De cæle. miſ. ca. ſi. 1 q 1. ſi inquit. De diuor. gaudemus.

** ſi quis.*

** non habet eſt. 45. diſ. ſed illud.*

O*Mnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gẽtes: ita vt vxorem patris ſui aliquis habeat. Et vos inflati eſtis: & non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit. Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui vt præſens eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini Ieſu, tradere huiuſmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Non eſt bona gloriatio veſtra. Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Expurgate vetus fermẽtum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azimi. Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur: non in fermento veteri, neq. in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azimis ſinceritatis & veritatis. Scripſi vobis in epiſtola: ne commiſceamini fornicarijs. Non vtique fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis ſeruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiſſe. Nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri. Sed is * qui frater nominatur inter vos, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax: cum huiuſmodi nec cibum ſumere. Quid enim mihi eſt * de his qui foris ſunt iudicare? Nonne de his qui intus ſunt vos iudicatis? Nam eos qui foris ſunt Deus iudicabit. Auferte malum ex vobis ipſis.*

Hic ſatis innuit, quod infamia criminis ad damnationem ſufficiat, etiam ſi non ſit accuſator.

VTique veniendum eſt ad vos in virga, quoniã *auditur inter vos* eſſe *fornicatio.* Auditur vtique *omnino* .i. ſecundum infamiam omnium: de quo, quia omnes infamãt vos: (fama etiam hoc attulit ad me) nõ eſt expectandus accuſator. Nec quę patienda ſit: ſed *talis* fornicatio, *qualis nec* audi-
A tur *inter gentes* .i. inter gentiles primæ geniture adhuc adhærentes. Auditur, *ita vt aliquis de vobis habeat vxorem patris ſui* .i. nouercam ſuam duxerit vxorem. Dicerent illi. Quid ad nos? Multũ ait Paulus: quia enim frater peccauit, *vos* inde *inflati eſtis* ſuperbientes, quaſi melius illo per baptiſmum iuſtificati: quia non ſimiliter corruiſtis. Nec ſolum inflati, ſed etiam *nec habuiſtis luctum* condolendo caſui fratris, *magis* .i. quod eligendum eſſet vobis non inflari. Nec hoc curæ habuiſtis, *vt tollatur de medio*
B *veſtrum* .i. vt à communione Eccleſię ſeparetis eum, *qui hoc opus fecit:* qui vxorem patris ſibi illicitè vſurpauit: vos præſentes non tuliſtis eum de medio veſtrum: ſed *ego abſens* vtique *corpore, præſens autem ſpiritu* .i. auctoritate Apoſtolica. Dicunt etiam ſancti, quod Spiritus ſanctus nota fecerat ei etiam abſentium facta. Præſens vtiq; ſpiritu *iam iudicaui* .i. condemnaui *eum*, *vt* ſi *præſens* fierem corpore: eum dico *qui ſic operatus eſt* cum vxore patris, iudicaui vtique: & hoc ſciatis me feciſſe *in nomine Domini*
C *ni noſtri Ieſu Chriſti*: ne dicatis quod repulſio eius detrimentum ſit Eccleſiæ Chriſti: qui potius in hoc honoratur, quam Eccleſia eius minoretur. quę vtiq; veneno huius mali inficeretur, ſi nõ hic repellatur. Iudicaui vtique vobis congregatis *tradere hunc Sathanæ*: Vel illud, in nomine Domini, ad ſequẽtem literam reſpicit, ſic. Hoc, inquam, de eo iudicaui, vt vobis congregatis in nomine Domini Ieſu Chriſti: *& præſente meo ſpiritu* .i. auctoritate mea vobis cooperante. Quid inde diceret impius, ſi ſpiritus tuus nobiſcum ſit? multum
D vtiq; ait Paulus. Nam ſpiritu meo dico manente cum virtute Domini Ieſu: quia virtus Dei mihi, & per me vobis cooperabitur. Iudicaui, inquã, oportere vos tradere eum qui huiuſmodi eſt, Sathanæ. Tradere Sathanæ dicit excommunicare. Quemadmodum enim diabolus omne ius habet in hominem priuſquam per fidẽ iuſtificetur; ſic poſtquam pro culpa à

Sathanæ tradere, eſt excommunicare.

ſacramentis Eccleſiæ, quibus armis contra Sathanam muniti ſumus, ſeparatur, exinde ſub iugo Sathanæ religatur: quia nec per ſe reſiſtere poteſt, nec fortaſsè vult, & ab auxilio Dei penitus deſtituitur. Tradere dico Sathanę *in interitum carnis*.i.ad hoc, vt caro eius, quę in peccato iocūdata eſt, ſenſim intereat afflictione morborū. Diabolus enim poſtquā videt hominem ſine Deo, debilitatū, libere aggreditur eū, & per varios morbos vexat carnē ei⁹. Quod ideò Deus patitur, vt homo vidēs ſe, poſtquam â Deo receſſit, per tot morbos anguſtiatum, confiteatur peccatum, & pęnitēdo reuertatur ad Deum, *vt ſpiritus eius ſaluus ſit*. Vel ita. Tradere Sathanæ in interitum: quia poſtquā nō protegitur ſacramentis Eccleſiæ, de malo quotidie præcipitatur in peius: qui interitus animæ eſt, carnis.i. per carnem cui cōſentit male ſuadenti. Nec ideò tradere vt perpetuo pereat: ſed vt, dū mole peccatorū premitur, condolens de peccatis pęniteat: & ſic ſpiritus eius ſaluus ſit *in die*.i. in illuminatione *Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Tunc enim Chriſtus illuminat eum, cum pœnitendi deſiderio feruescit. Quod vtique videndum eſt Eccleſiæ prælatis, vt ea intētione reos excommunicent qua Paulus, ſcilicet, vt ſpiritus eorum ſaluentur. Quandoquidem luctum non habuiſtis, nec eum de medio veſtrum tuliſtis: inde apparet quod gloriatio veſtra non eſt bona. Malum eſt enim eum de iuſtitia gloriari, qui & ſalutem proximi negligit, & ſe morbo eius inficit. Verè nō bene gloriamini: quia an *neſcitis* vos *quod modicum frumētum* ſi fuerit acidum *totam* paſtę *maſſam corrumpit* factam acidam? Sic & iſte (modicum quid ſecundùm numerum Eccleſiæ) corrumpit totam Eccleſiam: factam reā ex cohabitatione huius cui participauit. Quandoquidem fermentum hoc Eccleſiæ maſſam corrumpit, ergo auferendo hunc & omne malum de medio veſtrum, *expurgate fermentum*.i. inflationē veſtram. Et ſi quod aliud ſcilicet peccatum eſt expellen-

Excommunicātio fertur, vt ſpiritus ſaluentur.

A dum. Fermentum dico *vetus*. Niſi enim vos purgaueritis, eſtis membra veteris hominis. Expurgate itaq;, *vt ſitis conſperſio*. Farina per aquam conglutinata ſine fermento dicitur, conſperſio. Humanitas autē noſtra quæ per ſe ſterilis eſt & arida: per farinam ſiccam accipitur: quæ rore Spiritus S. in baptiſmo conglutinatur: vt ariditate depulſa, fructū faciat: quemadmodum farina per aquā copulatur, vt vtilitatem habeat. Sitis, inquam, conſperſio *noua*.i. facti membra noui Adæ .ſ. Chriſti, qui vos per Spiritum B S. renouauit. Nunc eſtote noua conſperſio *ſicut* prius in baptiſmo *fuiſtis azimi*.i. ſine fermento totius peccati. Bonū eſt enim ſic vos modo per pœnitentiam (quæ eſt alter baptiſmus) purgari: ſicut prius per baptiſmū purgati fuiſtis. Azimus gręcè, ſine fermēto dicitur latinè. Zimus eſt fermentū à ſine, vt ibi acephali.i. ſine capite. Vos vtique expurgare debetis: *etenim Chriſtus immolatus eſt* in ara crucis: q Chriſtus eſt *noſtrū paſcha*.i. noſter trāſitus de morte ad vitā, de corruptione ad incorruptionem: per quē nunc C tandem nos purgare poſſumus, qui prius ſub iugo diaboli vincti, nō poteramus. ¶ Hic mittit nos ad hiſtoriā vbi filij Iſrael, vt à plaga Aegypti liberarentur ſanguine immolati agni, poſtes linire iubentur: poſt cuius agni immolationem de Aegyptiaca ſeruitute liberati, tranſeunt ad terram repromiſſionis. Hoc enim feſtum immolationis agni paſchæ dicitur apud eos: Paſcha apud græcos, tranſitus apud nos. Ille vtique agnus verum agnum in quo macula non D fuit: Chriſtum ſignificauit: per cuius ſanguinem effuſum liniuntur mentes noſtræ, & ſic liberamur à plaga percutientis angeli: ad eſum cuius agni quotidie conuenit Eccleſia, per hoc tranſitura ad veritatem rei: qua nunc vtitur ſub ſpecie panis & vini: quorum licet ſpecies maneat, credimus tamen reuera tranſire in veram ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti: per hæc tranſituri in æternitatem. *Epulemur* dico *non* manentes

Conſperſio.

Azimus quid dicitur.

Zimus fermētum eſt.

Exod. 12. 7.

Paſcha apud nos tranſitus dicitur.

Euchariſtia veritas.

in veteri

in veteri fermento, ſed *neque in fermẽto malitiæ* in nobiſmetipſis habitæ: *nec* in fermento *nequitiæ*, vt ne quid agamus contra proximum: *ſed* manentes *in azimis*.i. in humilitate, *ſinceritatis*.i. puritatis conſeruatę in nobis: & veritatis ne fraudemus proximum. Paulus iam ante de vitanda fornicatione ſcripſerat Corinthijs: ſed dicta eius malè interpr æ tãtes, exiſtimabant, quòd de gentibus vitãdis, cùm fornicarentur, prę ciperet. Nunc autem per hoc quod iam de hoc crimine ſcripſerat illis, eos repræhẽdit: & quomodo ſcripturam quam miſerat intelligere deberent, inſinuat dicens. Iure vtique arguo vos de hoc, quod nõ tuliſtis fornicatorem illum de medio veſtrum. Ego enim *ſcripſi vobis* in epiſtola iam miſſa, quod *non commiſceamini fornicarijs*: non vtique præcipiens hoc de fornicariis huius mundi.i. de gentibus qui non Deum ſed mundum ſequuntur. Scripſi etiam vobis ne commiſceamini *aut auaris, aut rapacibus, aut ſeruiẽtibus idolis*.i. his qui vel ad culturam idoli redeunt: vel qui idolis immolata ſub veneratione idoli comedunt. Verè non de fornicarijs gẽtilium hoc prohibui: *alioquin enim*.i. ſi aliter agens de gentilibus vitãdis hoc præceptum darem: iam ſi obedire velletis, *debueratis exiſſe de hoc mundo*.i. melius eſſet vobis mori negligendo quæcunque mundus habet, quàm propter timorem aliter agẽtes communicetis fornicarijs: olim ſcripſi, malè intellexiſtis, ſed nunc determino vobis quod ſcripſi non debere vos commiſceri cum eiuſmodi. Quod ſic intelligendum eſt. *Si is qui frater eſt in fide, nominatur fornicator, aut auarus, aut ſeruiens idolis* cultu, vel comedendo idolotitum ſub veneratione: *aut maledicus, aut ebrioſus*.i. cõſuetus detractioni & ebrietati, *aut rapax* nominatur *cum* illo qui eſt *eiuſmodi*: vt omnem communionem excludam: quod leuius videtur prohibeo ſcilicet *nec cibum ſumere*. Notat beatus Auguſtin. in eo vbi ait. Si nominatur & non dixit ſi eſt: hoc intellexiſſe Apoſtolum:

Occulte non debent excommunicatione plecti.

A quia ſi frater eſt criminis reus, & latet culpa eius, non debet excommunicari. De incertis enim non eſt habendum iudicium, ſed de crimine quod manifeſtatum & comprobatum eſt; & ideo dixit *nominatur*. De hoc vtiq; non iudicandus eſt reus. Verè de fratribus debemus iudicare: nam *quid mihi*.i. quid ad me pertinet & ad Eccleſiam *de his qui foris ſunt*, id eſt; de gentilibus iudicare? nihil vtique. Et quod de his qui extra Eccleſiam ſunt iudicare non licet: *nonne vos iudicatis*.i. iudicare debetis *de his qui intus* B *ſunt*.i. in Eccleſia. Verè de his qui intus ſunt, iudicatis tantùm. *Nam eos qui foris ſunt*.i. gẽtiles, *Deus iudicabit*: & ad vos nihil pertinet de illis. Quãdoquidem de fidelibus iudicandum eſt vobis: igitur *auferte malum* fornicatoris fratris *ex vobis*. quod niſi auferatis: iam *ipſis*, ideſt, iam culpa eiuſdem criminis vos contaminatis.

CAP. VI.

C *AVdet aliquis veſtrum habens negocium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos? An neſcitis, quoniam ſancti de hoc mundo iudicabunt? Et ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis iudicetis. Neſcitis, quoniam angelos iudicabimus, quantò magis ſecularia? Secularia igitur iudicia ſi habueritis, * cõtemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum. Ad vere*D*cundiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum: ſed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles? Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, quòd iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos magis iniuriam facitis & fraudatis, & hoc fratribus. An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare. Neque fornicarij, neq; idolis ſeruientes, neq; adulteri, neq; molles, neq; maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque*

Qui ſi. ſunt legi. per venerabilẽ. §. rationibus.

**contendibiles.*

23. q. 3. §. 1.

21. diſt. denique.

Epheſ. 5.

1. Timot 1.

ebrioſi,neque maledici, neq; rapaces, regnum Dei poßidebunt. Et hæc quidem aliquãdo. * *fuiſtis : ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri. Omnia mihi licent: ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate. Eſca ventri & venter eſcis: Deus autem & hunc & hanc deſtruet. Corpus autem non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori. Deus verò & Dominum ſuſcitauit, & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam. Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit. An neſcitis: quoniam qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne vna. Qui autem adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. Fugite fornicationem. Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt. Qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. An neſcitis quoniam membra veſtra tēplum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis precio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro.*

...q.2. aliud. De pe. di.1. Aliud in... ...a.10. ...ccl. 37. Geneſ. 2. 24. Epheſ. 5. 31. Matt. 19. De big. de... ...itũ. 26. q. ... fiet illud. 1. Cor. 6. 16.

HAC occaſione, quia de iudicijs incepit, tranſit, vt mala ex iudicijs prouenientia corrigat in Corinthijs. Si quis enim eorum auferret quicquam alteri, non ille patienter hoc tolerabat: ſed impatiens fratrem ad cauſam compellebat, nec coram Eccleſiaſticis iudicibus, ſed ſpretis illis, coram ſecularibus fraudem etiã faciebat fratri, dando munus iudici ad oppreſſionem fratris: Litera ſic iungitur. Iudicare quidem vobis licet de fratribus: ſed non eo modo quo intemperanter audetis apud iniquos. Vel ita. Auferre malum ex vobis, bonum eſt. Sed quare *audet aliquis veſtrum*. Vbi ait, audet, notat eſſe peccatum huiuſmodi auſum. Cur, inquam, audet aliquis veſtrum *habens negocium*, id eſt, querelam de ſecularibus rebus *aduerſus alterũ* fratrem: *iudicare*.i. inire iudicium cum fratre A *apud iniquos* iudices.i. ſeculares, *& non apud ſanctos* .i. fideles Eccleſiæ iudices? Dicerent illi, timemus inquietare ſanctos ab orationibus ſuis. Non vtiq; (ait Paulus) quia *an neſcitis* vos, *quod ſancti* in futuro iudicio *iudicabunt de hoc mundo? Et ſi in vobis*, id eſt in comparatione veſtri *iudicabitur* hic *mundus* in vltimo iudicio, an *eſtis indigni qui* hic *iudicetis de minimis* ad comparationem futurorum, ſcilicet de temporalibus Eccleſiæ rebus? B Et ſicut homines, ſic etiam dæmones in ſimilitudine noſtra iudicabuntur: quia an *neſcitis* vos, *quia* apoſtatas *angelos iudicabimus*, comparatione veſtri. Quod ſi angelos, *quantò magis ſecularia* licet iudicare? Homines iudicabũtur mali in comparatione bonorum, quia cùm eiuſdem conditionis fuerint, nec idem cum bonis operati ſint, hęc ſola comparatio ſententia damnationis eorum eſt. ¶ Dæmones duplici modo in ſimilitudine iuſtorũ damnabuntur: tũ quia firmiores naturæ quam homo creati ſunt, C nec in bono perſtiterunt. Tum quia ſemper inuident iuſtis, nec eos ſuperare queunt. Pro huius pugnæ victoria iuſti damnabunt malos angelos. Nunc iterum ironicè repræhēdit eos de hoc, quod inſipientes conſtituebant iudices: qua de re fiebat, vt cauſæ eccleſiarum transferrētur ad ſeculares. Quandoquidem (ſicut probatum eſt) eccleſia iudicare debet inter fratres: igitur *ſi habueritis ſecularia iudicia*, id eſt, lites inter vos pro tēporalibus rebus. Per illud notat, melius eſſe, ſi non haberēt huiuſmodi iudicia. D Si, inquam, habueritis hęc iudicia, *cōſtituite* illos *ad iudicandum*, id eſt, pręficite vobis illos in iudices, qui ſunt *contemptibiles* .i. inſipientiores *in Eccleſia*. Et hoc ironicè dicit, quia ſic eos facere ſciebat. Et hoc quod dico, contemptibiles conſtituite ad iudicandum: hoc *dico ad veſtram verecundiam:* non præcipiēdo vt faciatis, ſed memorando quod facitis, vt verecũdiam habeatis. Nam cùm ita facitis an *ſic*, id eſt, adeo inſipiētes facti eſtis: ꝙ *non eſt inter vos* quiſquam ſapiens

Dæmones quomodo damnabuntur.

qui poſsit iudicare inter fratrem & fratrem? ſed quia adeo omnes deſipuiſtis: ideo *frater contendit cum fratre, iudicio*.i.per cauſam. Nec malum cōtentionis ſufficit: ſed etiam hoc fit *apud infideles* iudices, penuria Eccleſiaſticorum iudicum. Quo quidem ex iudicio hoc malum euenit: quòd contenditis viciſſim, & iura Eccleſiæ ad infideles refertis. Iā certè propterea *omnino* .i. ſicut omnibus patet *delictum eſt in vobis*. De hoc quod iudicia habetis inter vos. Melius enim eſſet non reclamare ſua, quā ex reclamatione tot mala prouenire Eccleſiæ. Et quia delictū eſt inter vos fieri iudicia: *quare non magis accipitis*.i.ſine reclamatione toleratis *iniuriam* eius qui veſtra tollit apertè? Et *quare non magis patimini fraudem* .i. occultum damnum fratris circunuentione factum, quam de reclamatione veſtra ſic vileſcat Eccleſia? Bonum eſſet vos pati iniuriam à fratre illatam, quia non ſolùm non patimini, *ſed* etiam *vos facitis* ei *iniuriam*, re auferendo ſua. *Et* etiam *fraudatis*, id eſt, occultè iudicem præuenitis munere veſtro ad oppoſitionem * fratris: & hoc totum facitis non extraneis, *ſed fratribus*, quos ſupportare deberetis. Et hoc facientes fratribus iniquè agitis. Sed *an neſcitis* vos, *quia iniqui non poſſidebunt regnum Dei?* Propterea ne à regno Dei alieni ſitis, nolite errare fraudando & iniuriādo fratribus. Verè iniqui non poſſidebunt. *Nam neq; fornicarii, neque qui ſeruiunt idolis, neque adulteri, neque molles* qui patiuntur: *neq; concubitores maſculorum* qui agunt, *neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſsidebunt.* ¶ Ne modo Corinthij deterrerentur his, & deſperarent: quia fortaſſe ad hæc poſt baptiſmum redierant, conſolatur eos Paulus blandiendo eis vnde ait. Nolite terreri præmiſſis: *vos quidem & hæc feciſtis* quæ pręmiſi: *ſed abluti eſtis* ab his in baptiſmo, *ſed* etiam *ſanctificati eſtis* .i. confirmati donis ſāncti Spiritus, *ſed eſtis iuſtificati* poſitione virtutum in nomine Domini noſtri,

* oppreſſionem.

A .i. patris: & *in nomine Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri*, qui ab vtroque procedit, quæ nobis commemorata ſunt in baptiſmo. Quia dixerat ſuperius: quare non magis iniuriam accipitis: dicerent illi. Nonne licet nobis repetere noſtra? determinat Paulus: quia quædā ſunt, quæ ſic licēt, vt melius proſint dimiſſa, & hæc ſunt res temporales. Quædam ſunt quæ ſic licent, vt iudicium eorum dimitti non debeat, & hæc ſunt criminalia, quæ animam occidunt. Litera ſic iungitur. Licet dixerim accipite iniuriam

B magis quam reclametis; ſcio tamen quod *mihi* & vnicuiq; veſtrū *licēt* hęc *omnia*.i. repetere ſua, cauſam inire cū fratre &c. *Sed* quamuis liceant: tamē hæc *omnia non expediunt* .i. non expeditos ad bona nos faciunt, immo impeditos. Idem iterum nunc ſubdit aliam cauſam. *Omnia mihi licent, ſed* tamen *ego* propterea *non redigar ſub poteſtatem vllius* iudicis: aut alicuius rei vt magis charam habeam illam, quam pacem fratris. Vel ita. Ego non redigar ſub poteſtatem vllius iudi-

C cis: vt præmio, vel aliquo obſequio præueniam eum ad oppreſſionē fratris. Nec ſolum hæc licita dimittenda ſunt, ſed etiam neceſſaria corporibus, pro quibus ſimiliter non debet frater inquietari, vt pro *eſca*, quæ vtique paratur *ventri*, *& venter* ſuſtētatur *eſcis*. Sed licet adeo neceſſaria ſit, tamen nō eſt litigandū pro hac: quia *Deus & hunc* ventrem *& has* eſcas *deſtruet*. Pro his temporalibus, quia cito tranſeunt, nec damnant animam

D non repetita: ne curetis habere iudicium, ſed fornicationem illā non patimini indemnatā. Quod ſic iūgitur. Eſca debetur ventri, ſed corpus non debetur *fornicationi: ſed Domino* ſeruire debet per omnia: *& Dominus* debetur *corpori* ibi ſeruienti: quia cum per ſe nudum ſit: veſtit eum Deus ornamento virtutū ſi ſeruierit Domino. Verè Dominus bene faciet corpori: nam *Dominus ſuſcitabit nos* in incorruptionē: ſed huius rei probationem præmittit dicens. Verè Deus ſuſcitabit nos: *nam* ipſe *ſuſcitauit* iam

Dominum

Dominum Ieſum, in quo carnem noſtram ſuſcitauit: & hoc in nobis perficiet. Et ſi quæris quomodo ſuſcitet? ſcito quia *per virtutem ſuam*. Hoc dicit ad comprimendum Corinthios, qui de reſurrectione dubitabãt: quod in ſequẽtibus declarabitur. Dixit cauſam quare corpus debeatur Deo: ſubdit cauſam quare non debeatur fornicationi, dicens. Corpus nõ eſt ſubdẽdum fornicationi: quia an *neſcitis* vos *quoniam* non ſolũ animæ, ſed etiã *corpora veſtra mẽbra Chriſti ſunt?* Anima membrũ eſt Chriſti, quia per rationẽ figit oculos interiores in admirationem Dei. Corpus membrum eſt Chriſti: dum per manum miniſtrat pauperi, pedibus viſitat infirmũ &c. Et quandoquidẽ membra Chriſti ſumus: *ergo tollens membra Chriſti, faciã ea membra meretricis? Abſit* hoc. Poſſunt vtique fieri membra meretricis: quia *an neſcitis* vos *quòd qui adhæret meretrici, efficitur vnum corpus cum illa?* Duobus modis adhęrens meretrici, corpus eius efficitur. Vno per illam commixtionem carnis, per quã in quandam vnitatem aſtringuntur. Altero fit participatione peccati. Quod per coniunctionem carnis vnum corpus efficiantur probat: quia de hoc magis ambigebatur: verè vnũ corpus efficiuntur: nam Moyſes dicit in Geneſi: *erunt duo in carne vna.* Hoc tamen de legitimo matrimonio dixit: ſed eadem coniunctio & identitas carnis, fit in copula adulterij, ſicut in matrimonio. Qui adhæret meretrici fit vnum corpus cum illa. ſed *qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt*, .i. vnitur Domino in identitate ſpiritus. Et quia tantum malum fornicationis eſt, propterea *fugite fornicationem.* ¶ Notandum eſt quod ait: fugite fornicationem: hoc enim peccatũ non eſt expectandum: ſed antequam veniat, quibus adiumentis poſſumus ab eo fugiendũ eſt: difficile enim eſt euadere ab ea poſtquam igneas ſagittas fornicatio intorſit: & ideo dixit, fugite, & non expectate: quia vbi aliquos acceſſus habet, non eſt hominis inde eam expellere. Subdit cauſam quare fugienda ſit fornicatio, dicẽs: ideo vtiq; fugere debetis fornicationem. Nam *omne* aliud *peccatum quodcunq; fecerit homo, extra corpus eſt: ſed* ille *qui fornicatur, peccat intra corpus ſuum.* Sunt vtique quædam peccata, quæ penitus nullam delectationem afferunt carni: vt homicidium. Manus enim ſi occidit, nõ in eo delectationem ſentit. Sunt tamen quædam alia in quibus delectatur caro, vt quando cibus benè reſpõdet palato: Vel quãdo videtur quod oculos paſcit, auditur quod iucundum eſt auribus, & huiuſmodi. Sed tamẽ hęc omnia dicuntur eſſe extra corpus, ad cõparationem fornicationis: quia qui fornicatur, peccat intra corp⁹ ſuum: quia ipſa anima tranſit eo actu in ipſam carnalitatem: in hoc enim omnis ſenſualitas conſentit & cooperatur, & in ipſam carnem tranſit. Vel aliter ſecundùm Ambroſium, vt fornicationem hic de adulterio ſolùm intelligamus: fugite fornicationem, .i. adulterium: quia omne aliud peccatum eſt extra corpus .i. extra vxorem: ſed qui fornicatur peccat in .i. contra corpus ſuum .i. cõtra vxorem ſuam: quia pro peccato fornicationis vxor poteſt ſeparari ab eo, & non propter aliud. Corpus viri dicitur vxor: quia cum maritus & vxor vnum corpus efficiantur, vir quidem caput eſt, mulier autem portio viri in eodem corpore. Vel aliter ſecundùm nouitatem quorũdam: & videbitur hæc ſententia continuari ad illud, quod prius dixerat, fornicatorẽ illum eiiciendum ab Eccleſia. Omne peccatum quodcunq; fecerit aliquis homo .i. vtens ratione; illud eſt extra corpus .i. extra Eccleſiam, quæ capitis Chriſti corpus eſt: quia quæ ratione vtens facit venialia ſunt: & propter hæc non ſeparatur ab Eccleſia: ſed ille qui fornicatur, peccat in corpus ſuum .i. contra Eccleſiam, cuius corporis membrum eſt: pro peccato enim fornicationis ab Eccleſia ſeparatur. Iterum cauſa quare fugiãt fornicationem, propterea fornicatio fugienda eſt: quia *an neſcitis quod mẽ-*

bra

[margin:] Corinthij corporũ reſurrectione ambigebant. ... meretrici adhærendo ... quomodo ... fieri membrum ... atur. Geneſ. 2. 24 Fornicatio fugienda. Vir caput eſt vxoris.

bra veſtra templũ ſunt Spiritus ſancti, .i.Spiritus ſanctus membris veſtris vtitur, dùm per manum noſtram eleemoſynam dat pauperi. Pedibus itur ad viſitationẽ infirmi. Et quia membris veſtris ſic vtitur ſpiritus in adminiſtratione ſua; nolite illum fornicãdo expellere à vobis. Iterũ ideo, quia qui ſpiritus in vobis eſt aſſidua manſione: nec ideo iterum repellatis eũ, quia quem ſpiritum habetis à Deo: ipſe enim dator ſatis vobis commẽdabile facit donum ſuum. Et pro tot cauſis nolite membra veſtra ſubdere fornicationi. An etiam ignoratis quod vos non eſtis veſtri iuris: ſed Dei? Qui enim alterius eſt, imperio eius mancipare ſe debet. Verè non eſtis veſtri, *eſtis enim empti*: & eius ſerui eſtis, qui vos emit. Nec empti leui *precio* ſed *magno*: quia ſanguine Chriſti. Et ideo nolite fornicari: ſed *glorificate Deum*. Glorificare Deũ eſt munditia vitæ Dei gloriam nunciare. Qui enim videt iuſtitiam iuſti, glorificat Deum: cauſa cuius & adiutorio ſic viuit. Glorificate dico: *et portate* Deũ. Portare Deum eſt onus totius aduerſitatis, quæ cauſa Dei infertur, ſuſtinere patienter: & exemplo patientiæ Deum ad alios portare: qui viſa patientia huius, gaudeãt contumeliam pati pro nomine Chriſti. Portate dico Deum non ſolum in anima, ſed etiam *in corpore veſtro*; vt munditia corporis veſtri digna ſit portare iugum Chriſti.

Glorificare Deum quid eſt.

Portare Deum quid eſt.

CAP. VII.

13.di.ne ui 22 q.2 ſi -ut non § hu ita. De ciu.le. cap.2 27.q.2.ſunt qui dicunt. Deo ſang. ...n debent. De rap.ca. pe.§ prate..ea.31. diſt. ante trien-nium.13.di ... erui 32.q. 2 quicquid.

D*E quibus autem ſcripſiſtis mihi, bonũ eſt homini mulierẽ non tangere. Propter fornicationẽ autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæq; ſuum virum habeat. Vxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & vxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem nõ habet, ſed mulier. Nolite fraudare inuicem, niſi fortè ex*

A *conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram. Hoc autem dico ſecũdùm indulgentiam; & non ſecundùm imperium. Volo autẽ omnes vos homines eſſe, ſicut meipſum. Sed vnuſquiſq; proprium donum habet ex * Deo; alius quidem ſic, alius vero ſic. Dico autem non nuptis & viduis; bonum eſt illis ſi ſic permanſerint: ſicut & ego. Quod ſi ſe non continent, nubant. Melius eſt enim nubere, quam vri. His autẽ qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus; vxorem à viro non diſcedere.* B *Quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat. Nam cæteris dico ego, non Dominus. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, nõ dimittat virum. Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem.* C *Alioquin filij veſtri immundi eſſent, nunc autẽ ſancti * ſunt. Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat. Non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater vel ſoror in eiuſmodi. In pace autem vocauit vos Deus. Vnde enim ſcis mulier, ſi virum ſaluum facies? Aut vnde ſcis vir, ſi mulierem ſaluam facies? Niſi vnicuiq; ſicut diuiſit Dominus. Vnumquemque ſicut vocauit Deus, ita ambulet, & ſicut vbique in omnibus Eccleſiis doceo. Circunciſus aliquis vocatus eſt? non adducat præputium.* D *In præputio aliquis vocatus eſt? non circuncidatur. Circunciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Dei. Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Seruus vocatus es? non ſit tibi curæ: Sed & ſi potes fieri liber, magis vtere. Qui enim in Domino vocatus eſt ſeru⁹, libertus eſt Domini. Similiter qui liber vocatus eſt, ſeru⁹ eſt Chriſti. Precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominũ. Vnuſquiſque ergo in quo vocatus eſt frater, in hoc permaneat apud Deũ. De virginibus autem præceptũ Domini non habeo: conſilium autem do, tanquam miſericor-*

** a*

31 q.2. & de nuptiis.

28 q.1. § 1 & c iã nũc. De diuor. gaudemus 28 q 1. iam nunc.

** mundi.*

28.q.1 ſimili modo & c.ſi infideles.

Epheſ 4 1. 21.q 1.c.1. De regu. licet in prin.

Supra 6. 1.pe.1.

28.q 1. ſic enim. 84 diſ.cũ in præterito.

diam

*diam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis. Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccauit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico fratres. Tempus breue eſt. Reliquum eſt, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes ſint; & qui flent, tāquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui emunt, tanquam non poſſidentes; & qui vtūtur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi. Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro. Porrò hoc ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, ſed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominū * obſecrandi. Si quis autem turpem ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſua quod ſit ſuperadulta, & ita oportet fieri; quod vult, faciat. Non peccat, ſi nubat. Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem; poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo ſeruare virginem ſuam, bene facit. Igitur & qui matrimonio iungit virginem ſuam, benefacit: & qui non iungit, melius facit. Mulier alligata eſt legi, quanto tēpore vir eius viuit. Quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt à lege. Cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium. Puto autem, quòd & ego ſpiritum Dei habeam.*

De tranſl. quanto. — 1. di. lex & 12 di. c. 1. — De cle. tiu diuerſis. — 2. q. 1. de viduis 2. — * Domino obſeruandi. — 8. q. 1. ſic nim. — Rom 7. 2. q. 3. enth nium. De ſepul. de vxore. De ſecun. nup. c. vlt. 1. q. 1. c. ſi

HIc de fornicatore illo finis eſt: ſed hac occaſione, quia de fornicatione loqui cœperat, conuenienter reſpondet Corinthiis, qui per literas eum interrogauerant, ſcilicet & coniugia celebrare. An neceſſitas Chriſtianæ religionis coget eos, debere in continentia perdurare? Erant enim apud eos quidam ſupra modū religioſi, qui dicerent neminem in opere coniugii manentem poſſe ſaluari. Sed Apoſtolus ſciens infirmitatem fidei eorum, patiebatur hoc in illis. Non quod crederet eos ſaluandos, ſed vt ſic enutriret Eccleſiā paulatim ducendo in perfectionem. Litera ſic iungitur. Fornicatio eſt fugienda: nec tamen ſic vt coniugium deſtruamus: ſed vt propter fornicationem vitandam vnuſquiſque habeat ſuam. Et hoc dico reſpondens ad ea *de quibus ſcripſiſtis mihi*: interrogantes an liceret nubere, an neceſſe eſſet continere. Et de hoc reſpondeo vobis: quod *bonum eſt* vtique *homini mulierem non tangere* illo modo coeundi: *ſed* tamen *propter* vitandam *fornicationem vnuſquiſque habeat ſuam vxorem, & vnaquæque mulier habeat ſuum virum*; hoc concedo. Vbi ait ſuam vxorē, excludit eos quibus non licitum eſt legitimè ducere vxorem, vt eos qui altari miniſtrant. Vbi ait mulier habeat virum, excludit eas, quæ non legitimè copulātur, nec habent viros: iuxta illud in Euangelio. Hic quem nunc habes, non eſt tuus vir. Licet vnum bonum coniugii hic ſolummodo reponat; ſcilicet vitationem fornicationis: iſta tamē ſunt, ſcilicet intentio ſobolis, fides thori, i. ne fornicentur: & figura veri coniugii Chriſti & Eccleſiæ. Quando enim Deus primum fœminam iunxit viro, de coſta viri formatam, figurauit Eccleſiam iungendam Chriſto de latere eius in cruce formatam. Nec ita vir & vxor conueniant (ſicut quidam pſeudo prædicant) ſine commixtione: velut frater & ſoror cohabitent: ſed *vir reddat debitum vxori: ſimiliter autem & vxor* reddat debitum *viro*. Sciens hoc quia *mulier non habet poteſtatem ſui corporis*, vt ſi velit contineat, *ſed vir. Similiter & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier*. i. neuter poteſtatem habet continendi ſine

Fornicatio eſt fugienda. — Sacerdotib' ipoſſere matrimonium non licet. — Ioan. 4. 18.

ſine conſenſu alterius. Et propterea *nolite fraudare inuicem*.i. non ſubtrahat ſe alter alteri in opere coniugij: *niſi forte* hoc fiat *ex cõſenſu* vtriuſque: & hoc non continuè, ſed *ad tempus*. & pro hac cauſa *vt* purius *vacetis orationi*. Quod ſi legitimè nuptos oportet continere, vt dignè mereãtur orare, multò magis illos qui fornicãtur. Et eos qui non ſolùm orant, ſed quorum manus etiam Dominica ſacra tractant, & populo diſpenſant. Et tempore orationis præterito *reuertimini in ipſum* opus coniugij; *ne vos* à legitimo ceſſantes, *tentet Sathanas*, ſtimulans vos ad illicita. Et hoc *dico propter incontinentiam veſtram*. Scio enim fragilitatem veſtram, quæ magis per indulgentiam nutrienda eſt, quàm per aſperitatem deterrẽda. Licet propter vitãdam fornicationem conceſſerim vobis ducere vxorẽ, hoc tamen dico *ſecundùm indulgentiam*, ne videar vos intemperatè cogere. *Non* hoc dico *ſecundùm imperium*, vt huius rei præceptum faciã. Si hoc.n. præceptum eſſet, iam omnes ex neceſſitate vxores ducerent. Et licet ita vobis indulgeam, tamen ego *volo omnes homines eſſe ſicut meipſum*: vt quẽadmodum ego, ſic omnes continerent. Ex hoc verbo intelligitur, Paulus (& hoc teſtatur Ambroſius) virgo fuiſſe: ſed quidam atteſtãtur vxorem eum prius habuiſſe. Hic etiam obijciunt, quia, ait, volo cõtinere omnes, quòd cõiugium deſtruere vellet, ſed nihil eſt: quia ſi oẽs exẽplo Pauli continerent, ipſi idem aliquos ex ſeipſis coniugia inire cogerent, ne bonum Dei inſtitutum periret. Dicit etiam bene Auguſtinus, quia ſi omnes eſſent ſicut Paulus, cito ciuitas Dei & numerus fratrum impleretur. ¶ Ne iterũ, quia dixerat: volo vos eſſe ſicut me: putarent ſe non ſaluari, niſi per continentiã aſſimilarentur ei. Cõtra hoc ait Paulus. Licet dicã quod vellẽ vos imitari me per continentiam: tamen *vnuſquiſq. veſtrũ habet proprium donũ*, ſufficiens ſibi ad ſalutem: quod ego fortaſſis nõ habeo. Et hoc donũ habet *ex Deo*. *Alius quidẽ ſic*, quia lar-

Continẽtia quando & quibus neceſſaria.

Paulus virginẽ ſe fuiſſe atteſtatur & quo modo ſibi voluerit omnes effici ſimiles.

Lib. de bono coniugij, cap. 10.

A gus in eleemoſyna. *Alius vero ſic*: quaſi fortis in patientia, magnus in oratione. Sic dico de coniugatis. Hoc *autem dico non nuptis*.i. virginibus in vtroq; ſexu: & viduis in vtroque ſexu: quia bonum eſt illis ſi ſic continẽdo permaneant: ſicut plures, & ego contineo. *Quod ſi non ſe continent*.i. continere nolunt, vel non poſſunt: ſecundùm indulgentiam dico *nubant*: ideò nubere huiuſmodi cõcedo: *quia melius eſt nubere* (non dico quàm fornicari) ſed (quod min⁹ eſt) *vri*.i. deſiderijs libidinis agitari & vinci. Nõ nuptis & viduis alterum ſecũdum indulgentiã, alterum ſecundùm conſilium

B dico: ſed *his qui matrimonio iũcti ſunt*: *non* ſolùm dico ſed *præcipio*. nõ *ego*, *ſed Dominus*.i. non mea auctoritate, ſed Domini præcipientis in Euangelio, *vxorem non diſcedere à viro*. Hoc præceptum quia ſatis notum erat, imperfectum poſuit, prætermittens hoc niſi cauſa fornicationis. *Quod ſi vxor à viro diſceſſerit*, propter fornicationẽ, aut per conſenſum continentiæ: præcipio illam *manere innuptã*, *aut reconciliari viro ſuo*. Et vir ſimiliter non di-

C mittat vxorem: niſi propter cauſam præmiſſam fornicationis. Hic iterũ præceptũ imperfectũ poſuit, q̃a præmiſerat. Et eſt ita intelligendum. Vir non dimittat vxorẽ, niſi propter fornicationẽ. quam ſi propter hoc dimiſerit, maneat innuptus, vel vxori reconcilietur. In libro B. Ambroſ. hoc tamẽ inuenitur: ideò non totũ de viro præceptum eſſe ꝙ de muliere: quia vxor membrũ viri eſt, & penitus viro

D ſubiecta: quare ſi à viro diſcedit, non licet adhęrere alteri. Sed vir, quia ſub ſe vxorẽ habet, & vbiq; dominatur ei: ideo licere viro ſi iuſtã cauſa ab vxore diſceſſerit, ducere alteram quod non licet vxori. His nõ ego præcipio: nam *cæteris* tãtum ego *dico*, *nõ Dominus*.i. ex auctoritate mea. Non quòd Dominus non cõſentiat, ſed quia auctoritatem eius de hac re in ſcriptura non inuenio. Cæteris dico.i. fideli & infideli, & è conuerſo lege coniugij iunctis. Hoc vtique dico quòd *ſi quis frater fidelis habet infidelem vxorem*,

& hac infidelis *conſentit habitare cum illo* fideli: *non dimittat illam*, nec quia fidelis eſt aſpernetur eã infidelem, & è conuerſo. *Si qua mulier fidelis habet virum infidelẽ, & hic* infidelis *conſentit habitare cum illa* fideli, *non dimittat virum.* Verè fidelis mulier nõ debet dimittere virum infidelem. *Nam* plerunque *vir infidelis ſanctificatus.* i. fidelis factus eſt *per mulierem fidelem*, cohabitantem ei, & ſæpius commonentem eum ad fidem. Vel aliter. Fidelis mulier non dimittat virum infidelem, nã vir infidelis in ipſo opere coniugij ſanctificatus .i. mundus eſt, & hoc per mulierẽ fidelem.i. per virtutem fidei quam habet mulier. Et iterum. Vir fidelis non dimittat vxorem infidelem. Nam plerunq; mulier infidelis ſanctificata eſt accepta fide per virum fidelem, inde docentem eam. Vel aliter. Mulier infidelis in ipſo coitu ſanctificata & munda eſt, præualente fide viri ſui. Non debent vtiq; viciſſim ſe dimittere propter præmiſſa, ſed ſimul manere: *quia alioquin* .i. ſi alter alterum dimiſerit: *filij veſtri eſſent immundi* .i. non legitimi, ſed ſpurij, Si enim connubium ſoluitur, legitimum fuiſſe non creditur; & ideò filij non legitimi ſi ſe dimittunt, filij ſunt immundi: *ſed nunc*, id eſt, ſi cohabitant: filij *ſunt ſancti*, id eſt, iudicantur legitimi. Vel aliter. Ideo non ſeparemini, alioquin, id eſt, ſi aliter fiat, filij veſtri eſſent immundi, id eſt, in infidelitate permanerent. Si enim alter parentum, cùm infidelis eſſet, ad fidem tranſiret; filij vtiq; illi parenti adhærerent, qui in priori ſecta remaneret: in qua filij nati eſſent, & in qua conſueuiſſent. Et ideo amore filiorum bonum eſt parentes ſimul manere. Filij vtique veſtri eſſent immundi per infidelitatem. Sed nũc ſi ſimul manſerint parentes, ſunt ſancti .i. per fidem purificati. Præcipio ne fidelis, ſiue vir, ſiue mulier, ſeparetur ab infideli. *Quod ſi infidelis*, vel vir, vel vxor *diſcedit*, & non conſentit habitare cum fideli, *diſcedat:* non ſequatur eum qui fidelis eſt. Ideò dico permittatur infidelis diſcedere, remanente fideli. *Nam frater* aut ſoror fidelis *non eſt ſubiectus ſeruituti* in rebus eiuſmodi, quæ fidem eius deſtruant. Debent vtique alter alteri ſubſeruire lege coniugij, ſed non contra fidem. Dico ſi diſcedit diſcedat: ſed tamen mallem vos in pace cohabitare. *Nam Deus vocauit nos* ad fidem *in pace*, id eſt, vt coniugij copulam non rumperemus. Si enim nollet nos remanere in coniugio, prius vtique amouendi eramus à cõiugio, & deinde vocandi ad fidem. ¶ Notandum, quædam eſſe in quibus Deus vocat hominem. In illis, ſcilicet opus quorum non contradicit fidei: vt Petrum in piſcatione, cui poſt vocationem ad piſcandum reuerti licuit. Alia ſunt à quibus vocat, ad quę poſt fidem reuerti non licet, vt Matthæum à theloneo vocatum, nec ad opus thelonei poſtea reuerſum. Inde apparet, quia fides Chriſti nemini ſtatum priorem aufert, ſolummodo fidem non deſtruat. In pace propterea vobis cohabitandum eſt, quia *vnde ſcis* tu *mulier* fidelis, *ſi ſaluum facies virum* infidelem? *Aut vnde ſcis* tu *vir* fidelis, *ſi ſaluam facies mulierem* infidelem? *niſi* ſic ambulet quiſque veſtrum, *ſicut Deus* diuiſim *propoſuit vnicuique veſtrum.* Viro ſcilicet, vt regat vxorem, vxori vt ſubſeruiat viro: & vnde adhuc hoc ſcitis niſi ambulet quiſque veſtrum. ita ſicut Deus vocauit vnumquemque, vt ſi in coniugio vocatus fuit, maneat in coniugio? Si ſimul habitaueritis tunc ſciri poterit, an fidelis infidelem lucrabitur: ſed ſi ſeparamini, quomodo hoc ſcietur? Et hoc dico vobis in coniugio ſimul manere, *ſicut in omnibus Eccleſijs doceo.* Hoc ideo dicit, quia imponebant ei quidã quod Corinthijs (quia nimis carnales erant) coniugia indulgebat, quæ ab aliis Eccleſijs penitus interdicebat. Sicut modo dixit non eſſe mutandum ſtatum coniugij propter fidem, ſic per ſimile alios ſtatus, in quibus vocati ſunt, concedit; ſalua tamen integritate fidei. Et illud. Sicut in omnibus Eccleſijs doceo, ſequenti literæ

Vocat Chriſtus varie.

Gregor. in principio, homil. 24 in Euang.

con-

coniũgit,ita. Qui vocatus eſt in coniugio,permaneat in eo. Et ſicut ego in omnibus Eccleſijs doceo: *ſi aliquis* circunciſus *vocatus eſt*, id eſt, in ritibus Iudæorum qui fidem non violant: ille *non* cogatur *adducere præputium* .i. morem gentilitatis,vt cogatur vti cibis, quos non cõſueuerunt: qui nec nocent nec adiuuant comeſi, vel non comeſi. Iterum ſi aliquis *vocatus eſt in præputio*,id eſt, in gentilitate *non circuncidatur* .i. non cogatur ſequi ritus Iudæi. Neuter vtique cogendus eſt, *quia nec circuncisio aliquid eſt*, *nec præputium* aliquid eſt.i. nec abſtinere nec comedere hos cibos prodeſt, vel nocet ad beatitudinem: *ſed* ſolummodo *obſeruatio mandatorum Dei* ad habendam beatitudinem ſufficit. Et ſicut de circunciſo & præputiato hoc vniuerſaliter dico, quòd vnuſquiſq; veniens ad fidem, permaneat in eo ſtatu in quo vocatus eſt; & ſciat hunc ſtatum vocationem Dei, quia (ſicut ſupra dixi) ſi Deus hunc ſtatum negligeret, nunquam vocaſſet eum ad fidem, quamdiu in eo fuiſſet. Et ideo ſi tu *vocatus es ſeruus*, *non ſit tibi curæ* manere in ſeruitute: *ſed & ſi potes liber fieri* aliquo modo, *magis vtere* ipſa ſeruitute; quia quantò plus nunc deprimeris, tantò plus in futuro exaltaberis. Ideò dico magis vtere ſeruitute: *quia* ille *qui vocatus eſt ſeruus* manẽs *in Domino: hic eſt libertus* .i. ſeruus Domini, & ſimiliter ſeruus eſt Chriſti ille, qui liber vocatus eſt. Seruus & libertus hic idem ſignificant: ſed honeſtius vocabulum ſeruo dedit, vt magis alliceret eum ſibi. Quod quia vterq; ſerui eſtis Chriſti: propterea nolite fieri ſerui hominum: ita quod in vobis pereat ſeruitus Chriſti: & eſt præmiſſa cauſa: *empti* enim *eſtis precio* ſanguinis Chriſti. Et licet dicam, nolite fieri ſerui hominum: tamẽ *in quo vnuſquiſq. frater* .i. fidelis *vocatus eſt* in ſeruitute vel in libertate, *in hoc maneat*, & ita quod *apud Deum*. Propter vitandam fornicationem, conceſſit ſuperius vnũquemq; volentẽ habere ſuam. Dedit etiam præceptũ Domini

A de coniugatis, ne à ſe inuicẽ diſcederent. Dedit præceptũ ſuũ de his quorum alter eſſet fidelis, ne ab infideli diſcederet. Sed quia præceptum permanendi in virginitate non dederat: quærere poſſent Corinthij, quare hoc præteriſſet: ad hoc reſpondet Paulus. Litera ſic iungitur. De cõiugatis præceptum Domini: de his autem quorum alter fidelis eſt, meum præceptũ dedi. Sed *de virginibus præceptum* ideo non determino: quia inde præceptum Domini *non habeo*. Non.n. inue-

Virginitas an fuerit præcepta à Deo.

B nio in ſcriptis, Dominum præcepiſſe vt omnes perſeuerent in virginitate: & quia præceptũ Domini ſuper hoc non habeo: propterea *do conſilium* illud ſupradictũ. Bonum eſt virginibus ſi ſic permaneant vt ego, &c. nũc aũt conſiliũ iſtud approbat, dicens: Hoc vtiq; conſilium meum tenẽdum eſt. Hoc enim dico, *tanquam miſericordiã conſecutus à Domino*. Miſericordiã vocat hic & remiſſionem peccatorum, & maximè Apoſtolatum ſuũ, quod vtrunq; per gratiam accepit à Domino.

C Ita miſericordiã cõſecutus ſum, *vt ſim fidelis* in commiſſo Apoſtolatu: fideliter enim diſpenſo myſteria fidei credita mihi à Deo: in quo quia fidelis ſum, non eſt ambigendũ, quin vtile ſit conſilium meum. Et quia fidelis ſum: ergo ſecundùm fidem *exiſtimo hoc* prædictum cõſilium *eſſe bonum* .ſ. permanere in virginitate, ſi poſſunt, vt ego. Bonum vtiq; eſt *propter* vitandam *neceſſitatem inſtantem*, id eſt, quæ quotidie inſtat coniugatis in nutriẽdis filijs, & in ſe alterutrum ſuſtentandis &cæt. Maius bonum eſt

D virginitatis beatitudo permanens, quæ merito virginitatis acquiritur, quàm vitare penurias mundi; ſed infirmis auditoribus temporale bonũ virginitatis prætẽdit. Quia enim carnales erant; ſciebat eos magis vtilitate carnis poſſe ad bonum induci, quàm vtilitate ſpiritus: quia ſpirituales non erant. Hoc ideo exiſtimo bonum eſſe, quoniam ita eſt in rei veritate. Quod ſic ait. *Bonum eſt homini vtriuſq; ſexus ſic eſſe:* permanere ſcilicet, in virginitate vel continentia

¶ Quia adeo bonum continẽtiæ prætulerat, ne ideo putarent coniugati debere ſolui matrimonia, & continere. Contra hoc Paulus opponens ait. Licet dixerim bonum eſſe ſectari caſtitatem, tamen ſi *alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem*, bona enim eſt caſtitas coniugalis. Oppoſita ſententia: Sed quia melior eſt continentia vidualis *ſi ſolutus es ab vxore, noli* iterum *quærere vxorem*, ſed contine. Iterum ne innupti dicerent, verum quidem eſt, quòd coniugati non debent diſſolui, ſed nos qui in lege coniugij non tenemur, peccatum facimus ſi nupſerimus? Contra hoc Paulus. Licet bonum ſit homini eſſe in caſtitate; tamen *ſi* tu vir *acceperis vxorem, non peccaſti: & ſi virgo nupſerit, non peccauit*. Sed licet virginibus ſine peccato nubere liceat, *tamen* ſi nupſerint, *habebunt tribulationem carnis huiuſmodi*, id eſt, quæ ſequitur modum coniugij; ſcilicet gemitus ventris, nutrimenta filiorum, & ſimilia. Coniugatæ habebunt quidem tribulationem carnis, ſed *ego vobis* virginitatem cuſtodire volentibus *parco:* dum ad ea vos prouoco, quæ tribulationes carnis & memoratas ſollicitudines excludunt.

Poſtquam conceſſit, vt quæ nolunt continere nubant: determinat quomodo ſecundùm ſalutem animæ in coniugio ſe debeant habere, dicens: Quia ſine peccato accipere vxorem conceſſi. Itaque. i. vt ſine peccato maneatis in coniugio: determino vobis, *vt qui habent vxores, ſint tanquam non habentes*, id eſt, non magis voluptati quam Deo inſeruientes. *Et qui flent* de damnis ſecularibus, ſic foris fleant, vt interius per ſpem gaudeant: *& qui gaudent* ex proſperitate temporali, vt intus ſpiritualiter timeant; nec dolent ſe corrumpendos felicitati, nec aduerſitati frangendos. Quod autem ſic ſe habere debeant hoc dico fratres, quia *tempus* iſtud *breue eſt*, & in proximo eſt finis. Vnde quia tempus breue eſt, hoc *eſt reliquum*, id eſt, hoc ſolùm ſaluti relinquitur, *vt qui habent vxo-*

A *res, ſint tanquam non habentes: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes:* vt quicquid in hoc mundo eſt pro paruitate temporis potius non eſſe videatur quam eſſe. *Et qui emunt*, ſint *tanquam non poſſidentes*, id eſt, vtantur velut ſine quibus non poſſunt: ſed non delectentur. *Et qui vtuntur hoc mundo*, faciant *tanquam non vtantur*, id eſt, totum ex neceſſitate, nihil ex delectatione: propterea ſic reſpuendus eſt mundus, *quia figura huius mundi præterit*. Mundus quidem non pręteribit, ſed formæ ſubſtantiarum eius deſtruentur, vt aurum rubore perdito redibit in terram, & cætera ſimiliter.

B Damnatis enim impijs, figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit; ſicut factum eſt mundanarum aquarum inundatione diluuium. Et quia figura mundi præterit: ideo *volo vos eſſe ſine ſollicitudine*, ne grauati terrenis damnum cœleſtium incurratis. Sine ſollicitudine dicit, vt coniugati quantũ poſſunt exonerent ſe mundanis.

C Continentes ſint expertes totius mundanæ ſollicitudinis. Et ita exequitur dicens. Volo quidem omnes eſſe ſine ſollicitudine: ſed tamen alter expeditior eſt ad hoc, alter impeditior. *Qui* enim *ſine vxore eſt*, virgo, vel continens *ſollicitus eſt* .i. ſollicitus eſſe poteſt in his *quæ ſunt Domini* .i. quæ ad Deum pertinent. Licet etiam eſſe ſollicitum, *quomodo placeat Domino*. Vbi ait, ſollicitus eſt quæ ſunt Domini: intelligit de his quæ ſaluti ſufficiunt, & ſine quibus nemo ſaluatur.

D Vbi ait: Quomodo placeat Deo, intelligit illam ſummam perfectionem, cui non ſufficit hoc ſolùm, quod neceſſarium eſt ſaluti, niſi bona ſua pauperibus diſperſerit, mundum deſeruerit, nudus nudam crucem ſecutus ſit. Qui ſine vxore eſt, ſic ei licet, *qui autem cum vxore eſt*, cogente neceſſitate *ſollicitus eſt* de his *quæ ſunt mundi*, vt miniſtret vxori & pueris, ſine quibus durare nequeunt. Sollicitus etiam eſt *quomodo placeat vxori*, dando monilia,

præparando ornamenta, *& ſic diuiſus eſt*, quia ex maxima parte diſtrahitur in cultu vxoris, & cultura familiæ: & ſatis modica pars eius obſequio Dei relinquitur. Sicut vir cōtinens cogitat ea quæ ſunt Domini: ſic etiam *mulier* quæ *innupta* eſt, id eſt, virgo & vidua, *cogitat ea quæ ſunt Domini: vt ſit ſancta* & *corpore & ſpiritu*.i. per vtramque integritatem corporis & ſpiritus. Ea vero *quæ nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi* .i. neceſſaria domui, *& quomodo placeat viro* in ſuperfluis. Et cum ita commendem vobis continentibus continentiæ bonum: *porro* id eſt, non aliter hoc *dico*, quam *ad vtilitatem veſtram* .ſ. *non vt* per hoc *iniÿciam vobis laqueum*, cogēs vos vouere virginitatem, quod votum poſtea frangatis: *ſed* hoc dico, *hortando vos ad id, quod eſt honeſtum*.i. à contagione alienum, & quod præbeat facultatem *obſeruandi vos Domino ſine impedimento* tribulationis carnis. Per hoc enim poteſtis obſeruare munditiam veſtram, cùm ad hoc nō impediat vos tribulatio carnis, quæ coniugatas premit. Fortaſſis dicerent parentes. Virginibus quidem nubere licet, ſed noſtra culpa eſt quod filias noſtras, vt in virginitate maneant, non cogimus. Contra hoc Paulus ait. Licet continentes dixerim habere facultatem, vt ſine impedimento ſeruiant Domino, quod non habent coniugatæ: tamen *ſi quis* pater *exiſtimat ſe videri turpem*, id eſt, timet ſe infamari *ſuper* .i. de *virgine ſua* volente nubere: *quod* illa *ſit* non ſolùm adulta: ſed & *ſuper adulta: & ſi ita oportet fieri*, quia niſi maritetur, in proximo eſt infamia; *faciat* pater *quod vult* filia. In hoc enim *non peccat* pater, *ſi nubat* filia, quæ mauult cōiugium, quàm caſtitatem. Iterum, quia quidam patres filias in propoſito virginitatis manere volentes, cupiditate dotis, & vt habeant incrementum generis, & pro huiuſmodi cogunt violenter nubere. Interdicit Paulus, ne hoc fiat. Litera ſic iungitur. De Patre qui filiam volētem permittit nubere, dico quod nō peccat:

A nam de illo qui filiam volentem cōcedit manere in virginitate, quid aliud dicam: niſi quod benè facit? Ille vtique *qui ſtatuit in corde ſuo*, id eſt, qui rationabili diſponit conſilio: ille dico *firmus*, & perdurans, in hoc *non* vtique *habens neceſſitatem* prædictam: quia de filia non timet infamiam: *ſed habens poteſtatem ſuæ voluntatis* efficiendæ, quia filia conſentit: *& qui hoc* non ſolùm ſtatuit: ſed etiam *iudicauit*, id eſt, deliberationes *in corde ſuo* fecit: conſiderando pondus coniugij, admirando decus virB ginitatis. Hic vtique ſi iudicauit *ſeruare virginem ſuam, bene facit*, dum eam volentem in virginitate cuſtodit. Quandoquidem qui volentem permittit nubere, non peccat: & qui nolentem nubere bene facit, ſi conſeruat in virginitate. *Igitur & qui matrimonio iungit virginem ſuam*, ita volentem *bene facit: & qui non iungit* nolentem iungi, benè & *melius facit*. Sicut de virginibus dixi, quod nō peccat quæ nubit: & quæ non nubit, melius facit: Sic de mulieribus, quod
C illa quæ viro iuncta eſt non peccat: ſed quæ in caſtitate manſerit, beatior erit. Quod ita ait. *Mulier alligata eſt viro, quanto tempore viuit vir eius. Quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt à lege viri.* Et *licet nubere cui vult*, tantummodò *in Domino*.i. legali more coniugij. Sed quamuis liceat ei nubere: tamen *erit perfectior ſi permanſerit ſic* .i. innupta, agens *ſecundùm conſilium meum*. Quid inde dicerent illi, ſi tu ita conſulis? Ad
D hoc Paulus. Non eſt ſpernendum conſilium meum: quia *puto quod* ſicut alij Apoſtoli: ſic *& ego habeam ſpiritum Dei*, & per ſpiritum, gratiam conſilij.

CAP. VIII.

DE his autem quæ idolis ſacrificantur ſcimus, quia omnes ſcientiam habemus: Scientia inflat, charitas verò ædi- *De renunc. miſſ.§ pro defectu.*

rò ædificat. Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum ſcire. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus eſt ab eo. De eſcis autem quæ idolis immolantur, ſcimus quia nihil eſt idolum in mũdo: & quòd nullus Deus niſi vnus. Nam & ſi ſunt qui dicantur dij, ſiue in cælo, ſiue in terra (ſiquidem ſunt dij multi, & Domini multi) nobis tamen vnus Deus, pater ex quo omnia, & nos in illo: & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum, ſed non in omnibus eſt ſcientia. Quidam autem cum conſcientia vſq; nũc idoli, quaſi idolotitum manducant; & conſcientia ipſorum cum ſit infirma, polluitur. Eſca autem nos non commendat Deo. Neq; enim ſi non manducauerimus, deficiemus; neque ſi manducauerimus, abundabimus. Videte autem ne forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis. Si quis enim viderit eum, qui habet ſcientiam in idolio recumbentem: nonne conſcientia eius, cùm ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolotita? Et peribit infirmus in tua conſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes cõſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis. Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.

[Rom. 14.21. ... renun. ...§. procu-rani. ...3.q.3.c.1. item ſicut ...agitur.]

ERror erat in Corinthijs, de vſu ciborũ. Quidam enim ſcientes omnia eſſe munda, ſana fide comedebant omnia. Hi autem qui fide infirmi erant, cùm viderent prudentiores ſe, idolotita comedere, credebant eos ſub veneratione idoli ſic agere, & dicebant: Bonum eſt vt reuertamur ad idolotita. Niſi enim intelligerent aliquid eſſe idolum, nõ comederent immolata illis hi, qui inter nos prudentiores ſunt. Cùm autem ſic quidã eorum errarent, nolebant tamen deſiſtere prudẽtiores à cibis illis, & ſic percutiebant conſcientias infirmorũ. Et de huiuſmodi incipit hic Paulus dicens: De coniugijs per epiſtolã interrogaſtis me: ſed *de his quæ ſa-* A *crificãtur idolis*, nihil requiſiſtis à me: nec oportuit: quia *ſcimus*.i. & vos ſcitis & ego ſcio. Et cùm æqualiter ſciamus, non oportuit vos quęrere à me: & hoc dicit ironicè. Scimus vtiq; de his, quia omnes non hanc ſolam, ſed habemus quamcunq; ſcientiã. Modo improbat hanc ſcientiã per malũ, quod inde ſequitur, dicens: Nos vtiq; ſcimus: ſed *ſcientia* iſta non ſatis laudãda eſt: quia *inflat*.i. facit vos ſuperbire cõtra infirmos fratres, in quibus nõ ex charitate agitis, ſed male: quia *charitas ædificat*, nutriens virtutes in B perfectionis conſummationem. Et ideo ſcientia veſtra inflat, quia non contemperatur charitate. Improbauit ſcientiam eorum per malũ ſuperbiæ, conſequens illam; nunc ipſam ſcientiam: oſtendens eos inſcientes, in quo ſe exiſtimant eſſe ſcientes. Licet dixerim vos ſcientes, tamen *ſi quis exiſtimat ſe ſcire aliquid*, vti vos ſine charitate; profectò hic *nondum cognouit ad quem modum oporteat eum ſcire*. Modus, enim hic eſt, ſcientiam C contemperari charitate. Oppoſita ſententia. Qui inflatur, ſcientiæ modum non cognouit: ſed ſi quis diligit Deum, quia habet charitatem proximi: hic vtique cognitus & approbatus eſt à Deo. Nunc determinat ſcientiam eorum, in quo laudanda ſit, & in quo reprobanda dicens: *Scimus quod diligens Deum, à Deo cognoſcitur. De eſcis autem quæ immolantur idolis, ſcimus*, id eſt, vos fide firmi mecum ſcitis: *quod idolum nihil eſt in mundo*, D id eſt, in creatione mundi. Deus quidem lapidem vel lignum vnde formatur idolum, creauit, ſed facturam idoli non fecit. Non enim creaturæ illi ex Deo hoc prouenit, vt dicatur idolum, ſed ab artifice. Et hoc etiam ſcitis, *quod non eſt vllus Deus niſi vnus ſolus*, vnde conſtat idolum non eſſe Deum. Verè vnus tantùm eſt Deus. *Nam etſi ſunt qui dicantur dij: ſiue in cælo*, vt angeli; *ſiue in terra*, vt Apoſtoli: iuxta illud. Ego dixi dii eſtis. Benè dico dicantur dij, qui, ſi quidem in veritate ſunt multi dij: & in dijs multi Domini:

[*Scientiæ modus.*]

[*Pſal. 81. 1. Dij aliqui dicuntur.*]

mini: vt in cœlo archangeli dominãtur angelis, in terra Apoſtoli martyribus. *Licet* vtique *ſint multi dij, nobis tamen eſt vnus Deus pater: ex quo* in principio creata ſunt *omnia: & nos* creati ſubſiſtimus *in illo* per gubernationem eius: *& vnus Deus eſt Dominus Ieſus Chriſtus.* Et bene de vnitate Chriſti cum patre ſubdidit. De hoc enim hæſitabant Corinthij. *Per quem* Ieſum Chriſtum facta ſunt *omnia.* Pater enim omnia condidit in filio, *& nos per ipſum* Chriſtum mediantem ſumus in Deo. Sed licet in his ſanam habeamus ſciẽtiam: *tamen non in omnibus ſcientia noſtra* ęquè perfecta. Verè non in omnibus, *quidam* enim nõ integræ fidei *conſcientia idoli* manente vſque nunc: qua idolum venerandum eſſe credunt: *manducãt quaſi idolotitum* .i. immolata idolo ſub veneratione idoli. *Et* hoc faciendo *polluitur conſcientia ipſorum, cum ſit infirma* pro imperfectione fidei: illos quidẽ polluit eſca, qua vtũtur, quia nos vident vti: *ſed* illa *eſca non commẽdat nos Deo.* Nunquam enim propter hãc eſcã chariores erimus Deo. Quare non in hoc deberemus offendere. Verè hæc eſca non commendat nos Deo: *Nam ſi non manducauerimus* hanc eſcam neque ideò deficiemus à Deo: neq; ſi manducauerimus, propterea *abundabimus* in bono. Et quandoquidẽ nil impedit abſtinere, nil adiuuat comedere: *Videte* ergo, *ne forte hæc licentia veſtra* noceat. Licet vtique ſecundùm ſanam fidem veſtram: ſed non ita licet vt per hoc *fiat offendiculum infirmis fratribus,* quod contuitu noſtro manducando idolotita peccẽt, quia ſub veneratione idoli. Propterea dico ne fiat offendiculũ, quia *ſi quis* non ſanę fidei *viderit eũ recumbentem in idolo.* i. in loco vbi immolatur idolo: eum dico *qui habet ſcientiã,* quod omnis creatura Dei munda ſit, nec contaminetur propter idolum ſi ſana fides ſit. Videns hoc infirmus, *nonne conſcientia eius cum ſit infirma animabitur* exemplo tuo *ad manducãdum idolotita,* ſub veneratione idoli? *Et* ſic per infirmam conſcientiam *pe-*

A *ribit infirmus frater in tua ſcientia,* cuius exemplo comedit. Nec hoc leue putes, quia hic eſt frater, *propter quem Chriſtus mortuus eſt,* & propter quem modicum cibum non vis dimittere, nihil tibi cõferentem? Et quia in tua ſcientia peribit frater: *peccas in fratrẽ.* Sic autem *peccantes in fratres, & percutientes* cibo veſtro *infirmam conſcientiam eorum,* peccatis cõtra Chriſtum qui mortuus eſt propter infirmum. *Quapropter* .i. quia peccare in fratrem, peccare eſt in Chriſtum, *ſi eſca* mea *ſcandalizat fratrem meum, non*
B *mãducabo carnem in æternum.* Verum quidem eſt, quia in æternitate nemo vtetur cibo carnis, ſed ideò ſic ait, vt magis deterreat à ſcandalo fratris, cùm dicit. Quia ſi in æternum cibus carnis comederetur ſibi, reſpueret eũ ne poneret offendiculũ fratri, ideò nollem in æternum manducare carnem. Non ideò ſolum ne fratrem meũ peccare facerem, ſed *ne eum ſcãdalizem.* i. ſaltem animo contriſtem.

CAP. IX.

C NON *ſum liber? Non ſum Apoſtolus? Nonne Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum vidi? Nonne opus meum vos eſtis in Domino? Et ſi alijs non ſum Apoſtolus; ſed tamen vobis ſum. Nam ſignaculũ apoſtolatus mei vos eſtis in Domino. Mea defenſio apud eos qui me interrogant, hæc eſt: Nunquid non habemus* 31. diſt.
poteſtatẽ manducandi & bibendi? Nun- omnino.
quid non habemus poteſtatem ſororem 28. q. 1. iam
mulierculam circũducendi, ſicut & cæ- nunc in ſi.
teri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas? Aut ſolus ego & Barnabas, non ha-
D *bemus poteſtatem hoc operandi? Quis* 31 q 1. Ec-
militat ſuis ſtipendijs vnquam? Quis cleſias.
plantat vineam; & de fructu eius non De præ-
edit? Quis paſcit gregem, & de lacte ſcript. cum
gregis non manducat? Nunquid ſecun- ex officij.
dùm hominem hæc dico? An & lex Deut. 25. 4
hæc non dicit? Scriptum eſt enim in le- 1. Tim 5.
ge Moyſi: Non alligabis os boui tritu- 13. q 1. Ec-
ranti. Nunquid de bobus cura eſt Deo? cleſias.
An propter nos vtique hoc dicit? De præbend.
Nam propter nos ſcripta ſunt, quoniam extirpanda
§. cũ igitur.
5. q 1. firmiſſimo
§ ex eo.

Rom 15.7
13.q.1.Eccleſias.
§ hu ita.
28.q.1. iam nunc.

debet in ſpe qui arat arare; & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? Si alij poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? ſed non vſi ſumus hac poteſtate. Sed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti. Neſcitis, quoniam qui in ſacrario operātur, quæ de ſacrario ſunt, edunt? Et qui altari deſeruiunt, cum altari participant: ita & Dominus ordinauit his qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Ego autem nullo horum vſus ſum. Non autem ſcripſi hæc, vt ita fiant in me. Bonum eſt enim mihi magis mori, quam vt gloriam meam quis euacuet. Nam ſi euangelizauero, non eſt mihi gloria. Neceſſitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi eſt, ſi non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo; ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt. Quæ eſt ergo merces mea? Vt Euangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Euangelium, vt non abutar poteſtate mea in Euangelio. Nam cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem. Et factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer. Iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem (cùm ipſe nō eſſem ſub lege) vt eos qui ſub lege erant lucrifacerem. Iis qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem, cùm ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti, vt lucrifacerem eos, qui ſine lege erant. Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. Omnia autem facio propter Euangelium, vt particeps eius efficiar. Neſcitis, quod hi qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum; ſic pugno, non quaſi aërem verberans. Sed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo; ne forte cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.

13.q.1 Eccleſias.
De praben. cum ſecundum & ca. extirpanda.
16.q.1.doſtes.
1 q 2. ſacerdos.
1.q 2 ſacerdos in fine
24.q 6. §. item cum redderet.
24.q.1. iam nunc.
45. diſt. recedite.
2.q.5 ſi tum Paulus.

A DIſſuadet iterum ab offendiculo fratris dicens; licet ſana ſit fides veſtra, debetis tamen abſtinere à cibis pro quibus offenditur infirmitas fratris: quemadmodum videtis me, qui cum habeam poteſtatem accipiendi temporalia à Corinthijs, quibus prædico; nolo tamen offendiculum præbere infirmitati eorum. Et quod poſſet accipere ab eis iure prædicationis probationes præmittit, dicens: Poſſum quidem à vobis carnalia accipere, ſi voluero: quia *nonne ſum* ego *liber*: nonne habeo libertatem illam quam habent alij Apoſtoli, qui
B de prædicatione ſumptus accipiunt? Sic ideò ait, quia bonum ſuum illi pſeudo verterant in malum dicentes: Ideò non à vobis neceſſaria accipit: quia ſcit ſe non eſſe Apoſtolum, cum illi ſolùm ſint Apoſtoli, qui cū Chriſto in terris conuerſati ſunt, hic autem nō vidit eum. Verè liber ſum vt alij. *Nonne* ego *ſum Apoſtolus?* Non, dicerent illi: quia non vidiſti Chriſtum. Contra hoc Paulus. Sum vtiq; Apoſtolus. *Nonne vidi Chriſtum Dominū noſtrum?* Vidit eum in hora vo- Actor.9.4.
C cationis, quando dictum eſt ei: Saule Saule quid me perſequeris? Vidit iterum eum, quando illi oranti in templo dictum eſt: portabis nomen meū in gentibus &c. Sum Apoſtolus: quia vidi Chriſtum. Sum etiam ideo, quia *nonne opus meum*.i. *mei Apoſtolatus vos eſtis:* & hoc *in Domino:* cuius gratia in me, & in vobis operatur, ſine omni merito. Vos vtique eſtis meum opus in Domino *quia etſi* .i. licet *alijs non ſum Apoſtolus* (quod vtique ſum) *ſed tamen vobis* Apoſtolus *ſum*. Verè vobis præcipue. *Nam vos eſtis ſignacu-* Acto.23.11.
D *lum apoſtolatus mei* .i. quia ſignatæ & expreſſæ ſunt in vobis gratiæ Dei, per miniſterium mei apoſtolatus. Ideò vos eſtis approbatio apoſtolat⁹ mei: & hoc totum *in Domino:* quia & apoſtolatus mei & gratiæ vobis datæ ſunt, per miſericordiam Dei. Hoc ideò dicebat, quia Corinthij acceperant diuerſas gratias, vt curationes, & genera linguarum, quam gratiam alijs præferebant, cum eſſet minima,

vt ipſe

vt ipſe dicturus eſt. Et quod per gratias acceptas, eſtis ſignaculum mei apoſtolatus, hæc *eſt mea defenſio*, id eſt, per hoc defendor & comprobor eſſe Apoſtolus *apud eos, qui me interrogant*, id eſt, qui dubitant de me: quia non corpore cum Chriſto conuerſatus ſim, vtrum ſim Apoſtolus, an non. Poſtquam probauit ſe Apoſtolum, probat quòd iure apoſtolatus poſſit accipere temporalia ab his, quibus miniſtrat ſpiritualia, dicens. Quandoquidem (ſicut probatum eſt) Apoſtolus ſum. *Nunquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi* apud eos quibus prædicamus? Et *nunquid non habemus poteſtatem circumducendi mulierem*, id eſt, vt circumquaque nobiſcum ducamus mulieres, quę nobis de ſuis temporalibus miniſtrent. Mulierem dico non in opere carnis, ſed fide, & pia conuerſatione *ſororem*. Hanc formam habendi fideles mulieres in comitatu ſuo traxerunt Apoſtoli à Domino Ieſu, qui ideò mulieres ſecum cohabitare voluit; vt oſtenderet ſicut virum, ita ſe redimere mulierem. Vnde quidam dubij erant propterea, quia mulier cauſa fuit totius perditionis. Nunquid, inquam, poſſumus hoc *ſicut & cæteri Apoſtoli*, poſſunt: etiam *fratres Domini*, ſcilicet, Iacobus Hieroſolymitanus, & Iudas Zelotes, qui Iacobi frater dicitur, & ſicut *Cephas*, id eſt, Petrus qui vtique mulieres in ſuo comitatu habuit? Et cum omnes habeant, *aut ego ſolus & Barnabas*, qui mecum laborat in Euangelio, *non habemus poteſtatem operandi hoc*, id eſt, vt quemadmodum alij, ſic & nos accipiamus à ſubditis? Quod licitum ſit ei accipere probat, & humanis rationibus, & per legem veterem, & per Euangelium dicens. Verè debemus ex licito hoc operari. *Quis enim vnquam militat* in caſtris, viuens de *proprijs ſtipendijs?* Lex militiæ non patitur hoc. Et, *quis plantat vineam, & non edit fructum eius?* Et, *quis paſcit gregem, & non manducat de lacte gregis?* Sed, *nunquid ſecundùm hominem*, id

A eſt, ſecundùm humanas rationes *dico*, & approbo hoc, quòd carnalia à ſubditis accipere debeam? Dico etiam hoc per legem: quia *an etiam lex hæc non dicit?* Dicit vtique, quia ſic *ſcriptum eſt in lege Moyſi. Non alligabis os boui trituranti* in area: ſed comedet de his quæ triturat. Diceret carnalis: quid ad te? De boue enim hoc præceptum eſt, non de homine. Contra hoc Paulus. *Nunquid Deo cura eſt de bobus* in lege, vt de eis præceptum ibi poſuerit? De bobus vti-

B que non eſt hæc cura Deo. Sed *an propter nos vtique hoc dicit?* Verè propter nos: nam etiam hæc alia *propter nos ſcripta ſunt*, ſcilicet, quòd ille, *qui arat, debet arare in ſpe* percipiendi temporales fructus, *& ille qui triturat, in ſpe* percipiendi fructus *triturat*. Arare dicit ſpinas infidelitatis eradicare de bono fidei, eum qui infidelis eſt excolere. Triturare dicit, poſtquam iam ſunt in Eccleſia, accepta fide triturat eos prędicator, ſeparans grana à paleis, bo-

C nos à malis. Et qui arat, & qui triturat, meretur accipere temporalia. Probat iterum idem alijs rationibus dicens. *Et ſi nos* prædicatores *ſeminauimus vobis ſpiritualia, magnum eſt* modo, id eſt, nullius precij reputari debet *ſi nos metamus* à vobis *veſtra carnalia?* Et *ſi alij*, id eſt, pſeudo doctores *ſunt participes veſtræ* rei, ita vt *poteſtati* ſuæ faciant de veſtris quod placet: *quare non potius nos*, qui ſanam doctrinam miniſtramus? Probato quòd ſit Apoſto-

D lus, & quod lege miniſterij poteſtatem habeat accipiendi ab eis, tandem venit ad illud, propter quod incœpit dicens: Licet Apoſtoli eſſemus, & poteſtatem ex apoſtolatu haberemus; tamen *non ſumus* vſi *hac poteſtate*, vt aliquam à vobis acciperemus. Dicerent illi, fortaſsè non indiguiſtis. *Egemus* vtiq;, ſed tamen *ſuſtinemus* omnia, *famem, ſitim, nuditatē*. Propterea *ne demus aliquid offendiculum Euangelio Chriſti* .i. ne in aliquo videamur impedire bonū noſtrę prędicationis. Timebat Paulus in hac re

plura offendicula: quia ſi acciperet ab eis qui minus erant auari, mallent nō audire prædicationem, quam dare tēporalia. Præterea, quia ſi Paulus acciperet, acciperent ſimiliter pſeudo: qui licet Paulo aduerſarentur, tamen in hoc & in quibuſdam eum ſequebātur; non audentes facere quod Paulus nō accipiebat: qui ſi exemplo Pauli occaſionem accipiendi haberēt, pro paucis cibis (quia guloſi erāt) abſoluerent eos à magnis peccatis: & hac occaſiōe ipſi Corinthij ſecurius peccarent. Non vtimur poteſtate, ne faciamus offendiculum. Ideò enim nō dimittimus quin nobis liceat: *neſcitis enim; quod qui in ſacrario* .i. in opere templi: vt in cortinis, vel in aliqua reparatione operantur, *edunt illa quæ ſunt de ſacrario?* Sacrarium dicitur quaſi ſecretarium poſt altare. Et *an neſcitis, quod* ſacerdotes *qui deſeruiunt altari, partem capiunt cum altario?* Pars enim ſuper altare comburebatur, & pars ſacerdotibus in cibos reſeruabatur. Vel aliter, vt illud præmiſſum de gentilibus dicamus. Neſcitis quoniam hi qui operātur in ſacrario gentilium, edunt ea quæ ſunt de ſacrario? Et qui ſeruiunt altari Iudæorum, participantur cum altario? *Ita* .i. eodem ordine, *viuere*, ſcilicet, de prædicatione: *ordinauit Dominus his qui annunciant Euangelium*, vbi ait in Euangelio. Edentes & bibētes quæ apud illos ſunt &c. Et licet Dominus ſic ordinauerit: tamen *ego non ſum vſus aliquo horum*, vel cibo, vel potu, vel tegumento. Dicerent illi. Callidè Paulus agit ita loquēs, vt quod prius ſimpliciter non accepit, modo duplicatum recipiat. Contra hoc Paulus. Licet ita ſcribam: *tamen non* ideò *ſcripſi hæc*, ſcilicet, me nō fuiſſe vſum aliquo horum, *vt ita fiant in me* deinceps .i. vt quod prius non cepi, modo multiplicatum recipiam: ideò nec feci, nec amodo volo fieri in me: *quia magis bonum eſt mihi mori* nedum pati penuriam, *quam vt quis euacuet gloriam meam*, id eſt, remunerationem quam expecto de Euangelio. Si enim cum offendiculo fratris Euan-

Sacrarium quid.

Luc.10.7.

A gelizarem, gloriam vtiq; meriti mei euacuarem. Vel ita. Bonum eſt mihi magis mori, quam modo moriar. Nunc enim multis tribulationibus morior. ſed mallem adhuc maiori egeſtate mori, quam vt quis euacuet gloriam meam. Verè gloria mea ne euacuetur timendum mihi eſt. *Nam ſi ego euangelizauero* ſic .i. cum offendiculo fratris, cupiditate accipiendi ſumptus à vobis: iam *non eſt mihi gloria*, ſed perit remuneratio mei. Verè non debetur mihi gloria. *Nam neceſſitas* .i. egeſtas *incumbit mihi* quæ me

B euangelizare cogit, vt ſic habeam ſtipendia. Verè neceſſitas incūbit. *Nam ſi non euangelizauero, eſt mihi vah* .i. dolor egeſtatis: famis, ſcilicet, & nuditatis. Si ex neceſſitate euangelizauero, non eſt mihi gloria. *Si autem hoc ago volēs* .i. ex voluntate tantum, non pro cupiditate ſumptuum: tunc *habeo mercedem* mei Euangelij. Vel aliter, ad hoc quod ſuperius dixit. Malo mori, quam gloriam meam euacuari. Diceret aliquis: Si Euangelium tuum res talis eſſet, pro qua ſi nō fieret, non deficeremus. Vel, pro qua ſi

C ſit non in melius abūdemus, vt eſſet idolotita ſana fide comedere: credi poſſet, quòd gloria tua periret, ſi cum offendiculo fratris euāgelizares. Sed quia Euangelium tuum res tantæ dignitatis eſt, per quam ſaluentur homines, non eſt credibile quod pro offenſione infirmi fratris pereat gloria tua de Euangelio. Euacuabitur pro certo, ait Paulus. Nam ſi euangelizauero tantum, & ab offendiculo fratris non declinauero: non erit mihi gloria pro ſolo euangelizare. Nullius enim meriti eſt ſic euangelizare, vt offenſionem fratris non caueamus.

D Verè non eſt multum euangelizare ſolummodo. Nam neceſſitas euangelizandi incumbit mihi, ex iniuncto officio. Et verè neceſſitas officij mei euangelizare me cogit. Nam vah, id eſt, damnatio mihi eſt ſi non euangelizauero. Et inde palam eſt quod non eſt tanti euangelizare, cuius gloria propter offendiculum fratris non pereat. Si ex neceſſitate

mini-

miniſterij mei tãtum Euangelizauero,non eſt mihi gloria: ſed ſi hoc ago volẽs,non vt cupiditate ſumptus fratrem offendam , tũnc habeo ego de Euãgelio meo mercedem. Sed *ſi* hoc *facio inuitus* .i. neceſſitate coactus, paruipẽdens offendere fratrem, hoc quidem verum eſt quod *diſpenſatio* donorum Deĩ *credita eſt mihi*.i.quòd nõ minus propter peccatum meum diſpenſat Deus gratias ſuas,ſed tamẽ ſine mercede mea. In hoc verbo mihi inuito & peccanti per offendiculum fratris crèdita eſt diſpẽſatio gratiarum Dei,accipiũnt ſancti auctoritatem : quod licet miniſter malus ſit, dona tamen Dei per eum diſpenſata non minuuntur , propter peccatum illius, ſicut nec augentur propter iuſtitiam eius. Et quia dixi ſi volẽs hoc ago : tunc ex voluntate mercedem habeo. Ergo dicamus modo *quæ eſt merces mea*.i. qualis debet eſſe voluntas, pro qua mihi merces veniat: talis eſſe debet voluntas : *vt* ego *prædicans Euangelium ponam*.i.collocem Euangelium , & fundamentum eius conſtituam , ſine ſumptu accepto à Corinthijs.pro quo offenderentur.Ideò ſine ſumptu *vt non abutar* .i. vt non malè vtar *poteſtate mea*, conceſſa mihi in Euangelio. Potens enim ſum de Euangelio ſumptus accipere , ſed ſi fratrem in hoc offendero , malè vtor hac poteſtate. Credendum eſt quod ſine ſumptu ponam Euangelium , ne offendatur infirmitas auditorum:*nam* (quod ſumptu maius eſt) *cum liber eſſem ex omnibus* : & nulli eorum aliquid deberem , *feci me ſeruum omnium vt* ſic *lucrifacerem plures*. Et qui pro vtilitate eorum iugũ ſeruitutis ſub omnibus habui : credendum eſt, quod à ſumptu contineam , timens offenſionem fratris: pro quo lucrando ſeruum me exhibui. Verè ſeruum omnium me feci. Nam Iudæorum , Samaritanorum, Gentilium , & infirmorum fratrum. Quod ita exequitur. *Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus*, condeſcendens ritibus eorum , abſtinendo à carnibus.à quibus abſtinebant:*vt* ſic *lucra-*

Miniſtri malitia non obeſt Dei dono.

A *rer* Iudæos, libentius mihi acquieſcentes : quia ritus eorum non aſpernarer. *His* etiam *qui ſub lege ſunt*.i.Samaritanis, qui quinque libros Moyſi tenent , ſed Prophetas non habent: factus ſum *quaſi ſub lege eſſem : cum tamen ipſe non eſſem ſub lege:* ſed ideò feci *vt* hoc modo *lucrifacerem eos qui erant ſub lege*.i.Samaritanos. Samaritani ſunt quos rex Aſſyriorum captiuitatis filijs Iſrael poſuit ad incolenda loca Samariæ , & ſunt ex origine Perſarum : qui quinque libros Moyſi B receperunt , cum multis tribulationibus vexaret eos Deus : quia terram populi ſui Iſrael ſibi illicitè vſurpaſſent. *His* etiam *qui erant ſine lege* , id eſt , gentilibus factus ſum *tanquam eſſem ſine lege :* coutens cibis eorum, & aſſerens Deum elegiſſe eos:*cùm tamen non eſſem ſine lege Dei , ſed eſſem in lege Chriſti :* ſic ideò factus ſum vt lucrifacerem Gentiles qui erant ſine lege. *Factus ſum* etiam *infirmis* fratribus *infirmus :* abſtinens à licitis cibis, ne generarem offendiculum eorum C infirmitati , *vt* ſic *lucrifacerem infirmos*. Et quid enumerem ſingula? *Omnibus factus ſum omnia:* perfectus perfectis:& ſic in ſingulis,*vt omnes ſaluos facerem*. Hæc autem *omnia facio propter* collocandum *Euangelium:* quod niſi ſic facerem: euacuaretur propter offendicula fratrum. Propter Euangelium ideo, *vt efficiar particeps eius*, id eſt, vt partem capiam remunerationis , quam Euangelium atteſtatur , & fidelibus promittit. Hic totum quod de ſe induxit adaptauit. D Quaſi diceret, quemadmodum omnibus omnia factus ſum propter Euangelium , ſic & compatimini Infirmitati fratrum vt participes ſitis promiſſæ beatitudinis. Dixi abſtinendum eſſe vobis à licitis, cauſa infirmorum fratrum : Sicut ego Apoſtolus veſter à licitis abſtineo , ne dem offendiculum Euangelio Chriſti: quod totum ideò facio: vt accipere merear quod expecto. Inductus exemplo eorum, qui vt temporalem coronam accipiant , abſtinent ab omnibus,quæ ad accipiendam coronam

Samaritani qui ſint.

4.Re.17.24

nam

ñam eos impediant. Quia an *neſcitis, quod hi qui in ſtadio currunt, omnes quidẽ currunt, ſed vnus accipit brauium*.i. coronam vel præmiũ curſus? Stadium dicitur ſpatium ducentorum & xxv. paſſuum, quantum Hercules vno anhelitu cucurrit, & non reſpirauit: & dicitur ſtadium à ſtando, quia ſtatur in fine curſus. Quandoquidem currentes in ſtadio ſollicitè intendũt ad accipiendum brauium, ſic ergo currite abſtinendo ab omnibus quæ impedire vos poſſunt, vt omnes comprehendatis brauium æternæ felicitatis. Si enim omnes hic currunt vbi vnus tantùm accipit brauium, multò ſollicitius currere debetis, vbi omnes æternum brauium accipietis. Sic vtique currere debetis abſtinendo ab omni quod vos impedire poſſit. Nã *omnis* ille *qui contendit in agone*.i. in certamine curſus, *abſtinet ſe ab omnibus* impedientibus curſum. *Et illi quidem* currentes in ſtadio ſic ſe abſtinent, *vt accipiant corruptibilem coronam: nos* accepturi *incorruptibilem*, longè amplius abſtinere nos debemus, quantò digniori corona remunerabimur. Et quia incorruptam coronam expecto, igitur ego *ſic curro, non quaſi in incertum*. Ille currit in incertum, qui modo malè, modo bene agit. Cùm enim bene agit, ſperat ſe accepturum; quando verò male, diffidit. Currere dicit bene operari, ſine impedimẽto illatæ tribulationis: Pugnare dicit quando infertur tribulatio & fortiter reſiſtit. *Sic* etiam *pugno, nõ quaſi verberans aërem*, vt quod bene dicam, opere in me non compleã: qui enim in vanũ verba dicit, aërem ſolum verberare dicitur. Vel ita. Nõ quaſi aërem verberans.i. non fruſtrà ictus meos proijciens, ſicut ille qui pugnat cum hoſte, quando proiecto ictu, non tangit hoſtem, dicitur verberare aërem: Sed ego conterens hoſtẽ, nõ verbero aërem: *ſed caſtigo corpus meum*.i. carnis concupiſcentias comprimo: *&* ita quod corpus *redigo in ſeruitutem*.i. vt caro non ſolùm non repugnet, ſed etiam ſeruiat ſpiritui. Ideò ſic caſtigo & redigo, *ne*

Stadium quid, & vnde.

In incertum quis currit.

A *fortè* contingat quod cõtingere poſſet: vt *cum alijs prædicauerim, ipſe efficiar reprobus* & damnabilis. Vbi ait: ne forte, bene oſtendit Deum ſic eligere ſuos vt non cogat eos: ne libertatem arbitrij in eis deſtruat, quin ſi velint iterum cadere, poſſint.

Liberum in homine arbitrium.

CAP. X.

NOLO *enim vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, &* B *omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari. Et omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt. Bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos petra. Petra autem erat Chriſtus. Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo. Nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, vt nõ ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt. Neq; idololatræ efficiamini ſicut quidam ex ipſis: quemadmodum ſcriptum eſt. Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* C *Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt: & ceciderunt vna die viginti tria millia. Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt. Neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum deuenerunt. Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat, niſi humana. Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis:* D *ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere. Propter quod chariſſimi mihi, fugite ab idolorum cultura. Vt prudentibus loquor, voſipſi iudicate quæ dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis quem frangimus, nõne participatio corporis Domini eſt? Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi ſumus: omnes*

Exod. 13. 21
De conſe. diſt. 4. nec quenquam

De cõſ. diſt. 2. reuera. & ca. in lice.

Num. 26. 6

Pſal. 105 1.

Exod. 32. 6.
Num. 25. 1

Num. 21. 1.

1 q. 2 gl.
10 32. q. 4. nus igu res.
49. diſt c. 1. ſinge
De 3a diſt. 7. m. e. h. ſciendum.

De cōſ. diſt 2. relatum.

quidem de vno pane, & de vno calice participamus. Videte Iſrael ſecundū carnem. Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Quid ergo? Dico quod idolis immolatum ſit aliquid, aut quod idolum ſit aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorū. Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum. An æmulamur Dominum? Nunquid fortiores illo ſumus? Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius. Omne quod in macello venit, manducate: nihil interrogātes propter conſcientiam. Domini eſt terra, & plenitudo eius. Si quis vocat vos infidelium ad cœnā, & vultis ire; omne quod vobis apponitur, manducate: nihil interrogātes propter conſcientiam. Si quis autem dixerit, hoc immolatum eſt idolis: nolite manducare propter illum, qui indicauit, & propter conſcientiam. Conſcientiam autem dico, non tuam ſed alterius. Vt quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conſcientia? Si ego cum gratia participo, quid blaſphemor pro eo, quod gratias ago? Siue ergo manducatis ſiue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriā Dei facite. Sine offenſione eſtote Iudæis & Gentibus & Eccleſiæ Dei: ſicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis vt ſalui fiant.

Deut. 32. 34. q. 2. non ſatis in principio.

Eccl. 17. 31. Supra 6. 12.

Pſalm. 23. 1.

30 diſt ſi quis carnē.

Coloſ 3. 17.

QVIA Paulus dixerat caſtigo corpus meum &c. ne ipſe reprobus efficiar. Ad hoc diceret aliquis. Quare tantopere laboras, ne reproberis? Non enim credendum eſt Deum leuiter reprobare nos, quibus baptiſmum, fidem, & cætera ſacramenta Eccleſiæ contulit, etiam ſi iniuſte aliquando ſimus operati. Contra hoc Paulus probat, nihil valere ad ſalutem ſacramenta, ſi deſint bona opera. Patres enim veteris teſtamenti eadem quæ habemus in veritate, habuerunt in figura: ſed quia malè operati ſunt, non profuerunt illis ſacra-

A menta; ſic nec nobis proderunt; ſi mala fuerint opera noſtra. Litera ſic iungitur. Propterea tantoperè laboro, ne reprobus efficiar. Video enim non mihi ſufficere accepta ſacramēta, ſi defuerint opera: quemadmodum nec patribus noſtris ſub veteri non ſuffecerunt, quia malè operati ſunt. Quod vt videatis, *nolo vos ignorare ô fratres, quoniam patres noſtri* .i. Iudæi, qui nos in cultu Dei præceſſerunt, & docuerunt, & quorum figuræ veritatem noſtram genuêre. Illi, inquam, patres *omnes*, nullo ſeparato,

B *fuerunt ſub nube*. Nubes illa quæ inter Aegyptios & Iudæos poſita fuit vſq; ad mare rubrum, ſignificauit diuinam miſericordiam, quæ catechumenos protegit, donec veniant ad baptiſmū. *Et omnes* patres noſtri *tranſierūt mare rubrum*: ita & nos omnes per baptiſmum tranſimus. *Et omnes* patres noſtri *in Moyſe* .i. in regimine Moyſi *baptizati ſunt* .i. profecti ſunt in nube, ſeparante eos ab Aegyptijs, & in maris tranſitu. Baptizati dicit: cum nec iſta vox de illis tunc dicta ſit: nec mare illud veritas baptiſmi

C fuerit, quia figura tantum: ſed nomen ſignificatæ rei, pro ipſo ſignificante ponit: quia quemadmodum illi in ducatu Moyſi protecti ſunt, longe melius nos duce Chriſto protegimur in baptiſmo, in quo nobis peccata remittit: & liberum arbitrium noſtrum confortat, vt poſſit reſiſtere diabolo, malè ſuadenti. Ideò etiam ait, baptizati ſunt: quia quam efficax nobis eſt baptiſmus ad ſalutem, ſic eſſet eis tranſitus maris, ſi credentes mandatis Dei obedirent. *Et omnes* patres noſtri *manducauerunt eandem eſcam* .i. manna. Eſcam dico *ſpi-*

D *ritualem* .i. ſpiritualis eſcæ corporis & ſanguinis Chriſti ſignificatiuam. Ideò etiam ſpiritualem: quia quod eſca corporis & ſanguinis Chriſti facit in nobis, idem prodeſſet eis ad ſalutem manna illud, ſi in bono perſtitiſſent. Non quod aliud fuerit quam manna. *Et omnes biberunt eundem potum* .i. aquam fluentem de petra: potum dico *ſpiritualem*: quia potum

ſanguinis Chriſti figurantem, & idem in fide valentem eis ſi boni eſſent. Nec ſemel inde biberunt, ſed *bibebant* aſſiduè *de petra*, id eſt, de aqua manante de petra *conſequente eos:* quia quocunque ibant in deſerto, aqua illa ſequebatur illos: petra dico ſpirituali, id eſt, ſpiritualem petram Chriſtum ſignificante. Quare non ſemel, ſed continuè bibebant: quia non ſufficit nobis qui quotidie in peccatum labimur ſemel ſumere ſanguinem Chriſti: quia ſicut quotidie cadimus, ſic iugi medicamine egemus. *Petra autem* illa vnde manabat aqua, *erat Chriſtus:* de cuius latere fluxit aqua noſtræ regenerationis. Et licet tot ſacramenta habuerint patres noſtri: *tamen non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo:* quia peccando, datis ſacramentis indignos ſe fecerunt. Verè plures eorum non placuerunt Deo. *Nam proſtrati ſunt in deſerto*, prouocantes ſuper ſe iram Dei, malè agendo. Et *hæc* prædicta non ſolùm cauſa eorum *facta ſunt*, ſed etiam *in figura noſtri.* In omnibus enim prædictis figurata eſt veritas ſacramentorum, quæ data eſt nobis per Chriſtum. Ideò in figura noſtri facta ſunt: *vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi* multoties mala *concupierunt.* ¶ Hic Paulus ſe inſerit eis, vt melius eos retrahat, peccata quorum compatiendo ſua facit. Nunc quædam peccata Iudæorum reponit, quæ vidit in Corinthijs eſſe, dicens. Ne ſitis concupiſcentes malorum, ſcilicet, neq; efficiamini idololatræ. Hic iam ſeparat ſe ab illis quibus in idololatria non conſenſit. *Ne*, inquam, *ſitis idololatræ ſicut quidam eorum* fuerunt. Corinthij autem idololatrę erant: quia vel ſub veneratione idoli idolotita comedebant: Vel non curantes offendere fratrem manducando idolotita, cauſa erant quare infirm⁹ frater idololatra eſſet, & ſic de idololatria accuſabiles. Idololatræ fuerunt quidam Iudæorum, *quemadmodum* de eis *ſcriptum eſt* in Exodo. *Sedit populus* Iudæorum *man-* Exod. 32. 6

A *ducare & bibere*, quæ immolauerunt vitulo conflatili, & poſtea *ſurrexerunt ludere*, id eſt, choreas ducere, & cætera coram idolo. Vel ſurrexerunt ludere, id eſt, idolum adorare: quod ludus & deriſio videbatur de his, qui per tot miracula erant inſtructi. *Neq; fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt* cũ Madianitis. Num. 25. 1. *Et* propterea *ceciderunt xxiij. millia.* Fornicatio erat in Corinthijs, vt in eo qui duxerat vxorem patris, cuius per conſenſum alij erant rei. *Neque*

B *tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt*, dicentes: Nunquid Psal. 77. 19. poterit Deus parare menſam in deſerto? & illi perierunt à ſerpentibus, venenantibus eos: donec Moyſes ſerpentem ęreum erexit in ligno: quem qui Iudæorum videbat: ea die à læſione ſerpentum ſecurus erat: qui ſerpens ſignificauit Chriſtum ſecundùm humanitatem, vt idem in Euangelio perhibet. Sicut exaltauit Ioan. 3. 14. Moyſes ſerpentem in deſerto, ſic oportet exaltari filium hominis. Ten-

C tabant Corinthij Deum, dum de reſurrectione dubitabant, quaſi Deus non poſſet quicquid ex bonitate vellet. *Neque murmuraueritis:* quod vtique faciebant Corinthij, quorum quidam dicebant, Paulum non eſſe Apoſtolum, & ſimilia: *ſicut quidam* Iudæorum *murmurauerunt:* vt filij Chore & Dathan & Abiron: dicentes Moyſen non ex præcepto Dei conſecrare Aaron in ſacerdotem: ſed pro exaltatione ſui generis: & *ideò perierunt ab exterminatore*, id

D eſt, à percutiente angelo. ¶ Notandum eſt, quod quia Iudæi rudes erant, nec ſpiritualia capere poſſent; ideò in carnalibus ſeruire Deo propoſitum fuit illis: & ſicut in carnali ſeruitute offendentes, ſecundùm carnem puniebantur; ſic & nos quibus ſpiritualia data ſunt, ſi in eis offendimus, ſecundùm animam puniemur. Non ſolùm prædicta ſacramenta in figura noſtri præceſſerunt: ſed etiam *hæc* omnia, & peccata, & pœnæ peccatorum *contingebant illis in figura* noſtri: quia ſi illi

manen-

manentes in vmbra, pro tranſgreſſu vmbræ damnati ſunt, quantò magis nos, ſi in ipſa veritate peccamus? Nõ ſolùm hæc illis in figura noſtri contingêre, *ſed* etiam *ſcripta ſunt hæc ad correptionem noſtram*, vt per exempla eorum corripiamur. Noſtram dico, *in quos deuenerunt fines ſæculorum:* quia quantumcunque duratura ſint hæc ſæcula, nos tamen fines habemus: quia hi ritus, qui per Euangelium dati ſunt, fiunt vltimi ritus. Et ipſi quamdiu mundus erit, non finientur. Vel ita. In nos deuenerunt fines ſæculorum: quia finita eſt omnis ſæcularitas, ſcilicet, veterum rituum carnalitas, & tradita eſt nobis ipſa veritas. Quandoquidem priora ſacramenta patribus noſtris nihil profuerunt propter peccatum, & hæc ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. *Itaque*.i. propterea ille veſtrûm *qui ſe exiſtimat ſtare*, ſcilicet.qui ſanè intelligit de creaturis Dei, ſibique licere omnia; *videat ne cadat* per offendiculum fratris. Et ne in hoc verbo, quia dixerat videat, ne cadat, turbarentur Corinthij, ſcientes iuſtum etiam ſepties in die cadere. Determinat Paulus de quo caſu intelligat dicens. Videat quiſque ne cadat: ſic vt *non apprehendat vos tentatio*, id eſt, delectatio peccati, *niſi* quæ ſit *humana*, id eſt, neceſſitate carnis veniens, ſcilicet, venialis. Quod ad vos pertinet, videte vt faciatis: quia *Deus fidelis eſt*, & verax in promiſſis: qui fideles ſuos in nullo deſerit: qui Deus *non patietur vos tentari ſupra id quod* pati *poteſtis*. Secundum enim quod videt fortitudinem vel teneritatem cuiuſq;, tribulationes diſponit. Nec ſolum non patietur vos ſupra modum tentari, *ſed* etiam *faciet* vobis *cum tentatione prouentum*, id eſt, & augmentum virtutis qua perſeueretis, & augmentum tribulationis: faciet dico *ita vt vos poſſitis ſuſtinere*, ne in tribulatione deficiatis. *Propter quod*, id eſt, quia videndum eſt ſtanti, ne cadat: & Deus præſto eſt qui manum porrigat. Ideò *fugite à cultura idolorum*, ſi hoc facitis: tunc eritis *mi-*

A *hi chariſſimi*. Fugere à cultura idolorum dicit, & infirmis qui ſub veneratione idoli comedebant: & his qui licet ſanæ fidei eſſent, tamen cauſa erant, qua fratrum infirmitas corrumperetur. Et vt *fugiatis à culturâ dolorũ*, rem ſubtilem dicturus ſum, in qua *loquor* vobis, non vt ſimplicibus: ſed *vt prudentibus:* & ideò *vos ipſi iudicate*, id eſt, quantò ſubtilius poteſtis, apud vos diſcutite hoc, *quod* vobis *dico*. Summam ſententiæ breuiter extra colligamus: ideò fugere debetis à cultura idolorum: quia ſicut

B ille qui corpori & ſanguini Chriſti communicat, vnum quodammodo fit cum Chriſto. ſic ille, qui communicat idolo, idolotita comedendo incorporatur diabolo. Nunc literam exponamus. Fugiendum vobis eſt à cultura idolorum, quia *calix*, id eſt, ſanguis Chriſti. Calix dico *benedictionis*, per quem benedictiones gratiarum accipimus: quia per ſanguinem Chriſti, ſi dignè ſumimus, & à prioribus peccatis liberamur, & contra venientia confortamur: *cui* calici nos *benedicimus:* laudantes eum,

C quòd nũquam huiuſmodi calix fuerit, qui & à peccatis liberaret, & ne vltra peccaremus, confortaret. Vel calix benedictionis, id eſt, quem ipſe Deus benedicit & conſecrat: & cui nos benedicimus per officium noſtrum: Deus enim hoc efficit per ſacerdotem miniſtrum. Hic itaque calix, *nonne eſt communicatio ſanguinis Chriſti*, id eſt, nonne per ſanguinem aſſumptum vnimur Chriſto: ipſiquè conformamur? *Et panis*, id eſt, verum corpus Chriſti, qui ſub ſpecie ſola panis accipitur. Panis dico *quem* nos in

D altari *frangimus*, vt quod vnum eſt in veritate: licet ita videatur, ſcindi tamen non poteſt, diuidentes ſignificemus nos qui diuerſæ perſonæ ſumus, vnum fieri in Chriſto. Hic, inquam, panis quem frangimus, *nonne eſt participatio corporis Domini*, id eſt, nonne per hoc corpus Deum, in nobis capimus, eumque nobis incorporamus? Ideò in duabus ſubſtantijs, corporis, ſcilicet, & ſanguinis ſa-

Idolorum cultura fugienda.

Euchariſ. myſteria.

crificium hoc Deus inſtituit: vt per carnem in altari traditam, oſtenderet ſe redimere carnem noſtram, per hæc ſacramenta in incorruptionem quandoq; transferendam: & per ſanguinem quæ tradit, inſinuaret ſe ſimiliter redemiſſe animam noſtram: ad quod de anima inſinuãdum: quia re incorporali vti non potuit dignè per ſanguinem, qui ſedes animæ dicitur, animam figurauit. Nec in duas ſubſtantias diſtribuit, vt diuerſas partes eius intelligeret. Qui enim ſanguinem tantùm, vel corpus ſolùm, totum accipit: qui vtrumque, accipit, non magis per vtrumque, quam per alterũ accipit. Quod corpus ſicut vera caro Chriſti eſt ſub ſpecie panis: ita per ſolam ſpeciem atteritur, diminuitur, in partes diuiditur: cùm in veritate, incorruptibile, indiuiſibile, impotens diminui, permaneat. Verè per acceptionem ſanguinis & corporis Chriſti vnimur Chriſto: *quoniam multi ſumus vnus panis* .i. ſicut in pane diuerſa grana in vnitatem panis tranſeunt; ita & nos vnimur fide, ſpe, & charitate. *ſumus* etiam *multi vnum corpus* ſecundum diuerſitatem membrorum: ſibi inuicem in vnitate dilectionis ſubſeruientium. Nos omnes ſumus *vnus panis & vnum corpus: qui participamus de vno pane & de vno calice*, id eſt, de corpore & ſanguine Chriſti per quem coünimur Chriſto incorporantes eum nobis. Modo ſecundum Ambroſium, quod ſequitur dicamus. O *Iſrael*.i. ô fidelis anima quę Deum intueris: quod in ſpiritualibus modo vobis oſtendi, *videte* idem fieri *ſecundùm carnem* .i. per carnalem participationem idolotiti diabolo communicare. *Nonne* enim *qui edunt hoſtias* immolatas diabolo, *participes ſunt altaris* diaboli? id eſt, nonne communicant ipſi diabolo per hoc quòd participant quæ ſuper altare idoli immolantur? Quemadmodum in ſpiritualibus, ſic in carnalibus quin fiat, negari non poteſt. Quia dico comedentes immolata idolo participare diabolo: *ergo quid dico*, id eſt,

A an hoc dicere exiſtimor *quod immolatum idolis ſit aliquid* aliud quam eſſet priuſquam immolaretur? Abſit hoc vt videar hoc dicere quod idolum ſit aliquid aliud quam lapis vel lignum, vel illud vnde fabricatum eſt: quia per immolata ipſi dico hominem vniri diabolo? Non vtique dico quod immolatum idolis, vel idolum aliquid ſit, quod prius non fuerit: ſed hoc dico, quòd *gentes quæ immolant hæc: immolant* illa *dæmonijs*, & per hoc vniuntur ipſis non per carnem immolatam, quod aliud ſit B quam caro: neque per idolum quod aliud ſit quam prius fuerit, dęmoniis immolant *& non Deo*. Quare diabolo ſeſe incorporant. Vel aliter vt extra librum adaptationem ſimilitudinis accipiamus: ita quia communicantes corpori & ſanguini Chriſti vniuntur Chriſto, ita per ſimile participantes immolatis idolo vniuntur diabolo. Et hoc extra literam accipiamus: vt quod per ſpiritualia oſtendit, in carnalibus videatis: videte modo Iſrael, id eſt, Iudaicum populum ſecundùm carnem, id eſt, C ſecundùm carnales ritus agentem. Nonne enim qui apud Iudæos edunt hoſtias immolatas Deo, participes ſunt altaris, id eſt, participant Deo cui immolant in altari? Eodem modo qui edunt idolotita, participes ſunt diaboli. Et hoc extra librum. Sequens litera ſic iungitur. Quando quidem dico comedentem idolotita, participare diabolo; ergo quid videor dicere? Sequens litera non mutatur. Propterea volo vos fugere à cultura idolorum: *quia nolo vos fieri ſocios dæmoniorum*: ſicut probatum D eſt eſſe eos, qui idolotita comedunt. Ideò eſſetis ſocij dæmoniorum, niſi idola fugiatis, *quia non poteſtis bibere calicem dæmoniorum & calicem Domini. Et non poteſtis eſſe participes menſæ Domini & menſæ dæmoniorum*. Debemus fugere à cultura idolorum, ne aſſociemur dæmonijs. Debemus etiam ideo, quia participando menſæ dæmoniorum, æmulamur, id eſt, inuidemus Domino: cuius regnum ex

nobiſipſis,

nobiliſsis, & imitatoribus noſtris diminuimus. Sed *an æmulamur Dominum?* Malo vtique noſtro inuidemus ei, quia *nunquid fortiores illo ſumus?* Qui autem fortiori ſe inuidet, malè agit: quia opprimitur ab illo. Dicerent ad hæc, qui ſana fide idolum illique immolata nihil eſſe crederent. Videris Paule intelligere immolata idolo aliquid eſſe, cùm nos propterea dicas fieri ſocios dæmoniorum. Abſit hoc ait, Paulus. Hoc enim planè profiteor, quòd *omnia* iſta *licita ſunt mihi*, & cuicunque ſanam fidem habenti ex fide comedere, *ſed* tamen ideò non licere, quòd *non omnia expediunt:* ſed potius beatitudinem per offendiculum fratris impediunt. Iterum idem, *omnia* vtique *mihi licent*, ſecundùm ſanam fidem, *ſed non omnia ædificāt* proximum: & in eò quod deſtruunt eum, non licent. Et quia ad ædificationem proximi omnia agenda ſunt, propterea *nemo quærat quod ſuum eſt* tantùm, & non proximi: *ſed* quærat *quod alterius*. i. quod ad ædificationem proximi valet. ¶ Quia modo dixit ſecundùm fidem licere, propter offendiculum fratris non licere. Determinat modum quando his cibis vti liceat, & quando non, dicens. Ne in prædictis offendatis, ſic diſcernite. *Omne quod in macello vænit*, id eſt, venditur, *manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam:* quam in ſequentibus determinabit. Manducate omnia, quia *Domini eſt terra & plenitudo eius. Si quis autem infidelium vocat vos ad prandium, & vultis ire*, quod benè licet (quia de infidelibus non habemus iudicare) *omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam:* quam iterum determinabit, vos nihil interrogetis. *Sed ſi quis dixerit vobis. Hoc eſt immolatum idolis, nolite* illud *manducare propter illum qui indicauit, & propter conſcientiam*, quam nunc determinat. *Conſcientiam autem dico non tuam*, qui fide ſanus es, *ſed* propter conſcientiam *alterius*, id eſt, infirmi fratris, ne offendat te. Dixit conſcientiam, primùm notans conſcientiam Iudæi: qui ſi videat Chriſtianum idolotita comedentem, dicet non adhærendum eſſe Chriſtianę fidei: quia reuertuntur ad culturam idoli. Secundò conſcientiam gentilis, qui videns illud idem dicet; quare dimitterem idola mea, cum Chriſtiani ad ea reuertantur? Tertiò conſcientiam infirmi fratris, propter cauſam ſæpe dictam. Propter conſcientiam alterius abſtinere debes. Quia *vt quid libertas mea*, id eſt, hoc quod mihi ex ſana fide licet, *iudicatur*, id eſt, iudicabilis fiat & damnabilis *ab aliena conſcientia*, id eſt, propter infirmam cõſcientiam fratris. Et *ſi ego participo* idolotitis *cum gratia*, id eſt, comedens in nomine Domini: *quare blaſphemor*, id eſt, cur me blaſphemabilem exhibeo, *pro eo quòd gratias ago?* Putat enim me infirmus vel infidelis idola venerari, cum ago gratias Deo. Quãdoquidem conſcientia nullius lædēda eſt, *ergo ſiue manducatis ſiue bibitis, vel aliud quid facitis:* hæc & *omnia facite*, non in licentiam fidei veſtrę, ſed *in gloriam Dei*, vt nemo iuſtè vel iniuſtè poſſit calumniari fidem Chriſti. Et vt in gloriam Dei omnia faciatis, *eſtote ſine offenſione Iudæis & Gentibus, & Eccleſiæ Dei*, id eſt, infirmis fratribus, ſicut ſupra determinatum eſt. Eſtote dico *& ſicut ego placeo*, id eſt, placere laboro *omnibus per omnia: non quærens quod mihi* ſolum *vtile eſt, ſed quod* vtile ſit *multis, vt* ſic *ſalui fiant* multi per me. Et vt multis vtiles ſitis, eſtote in hac re imitatores mei. Quòd ſi mei eritis, & Chriſti; ſicut & ego Chriſti imitator ſum.

Pſalm. 23. 1. Iudicare de infidelibus non habemus.

CAP. XI.

IMITATORES *mei eſtote: ſicut & ego Chriſti. Laudo autem vos fratres, quòd per omnia mei memores eſtis. Et ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis. Volo autem vos ſcire, quod omnis viri caput Chriſtus eſt; caput autem mulieris vir. Caput vero Chriſti, Deus.*

*Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum. Omnis autem mulier orans aut prophetans, non velato capite; deturpat caput ſuũ. Vnum eſt enim, ac ſi decaluetur. Nam ſi non velatur mulier, tondeatur. Si verò turpe eſt mulieri tonderi aut decaluari, velet caput ſuum. Vir quidem non debet velare caput ſuum: quoniam imago & gloria Dei eſt, mulier autem gloria viri eſt. Nõ enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro. Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum. Ideò debet mulier velamen habere ſuper caput ſuum, & propter angelos. Veruntamen neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro, in Domino. Nam ſicut mulier de viro, ita & vir per mulierẽ. Omnia autem ex Deo. Voſipſi iudicate, decet mulierem nõ velatam orare Deũ? Nec ipſa natura docet vos. Quia vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi: Mulier verò ſi comam nutriat, gloria eſt illi: quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt. Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. Hoc autem præcipio: non laudans, quod non in melius, ſed in deterius conuenitis. Primum quidem conuenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo. Nam oportet & hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis. Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non eſt Dominicam cœnam manducare. Vnuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum. Et alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Nunquid domos non habetis, ad manducandum & bibendum? Aut Eccleſiam Dei contemnitis, & cõfunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus noſter Ieſus Chriſtus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate. Hoc eſt corpus meum, quod pro * vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens. Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite* A *quotieſcunque ſumitis, in meam commemorationem. Quotieſcunq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis; mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè; reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit; non dijudicans corpus Domini. Ideò inter vos multi infirmi, &* B *imbecilles, & dormiunt multi. Quia ſi noſmet ipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Itaque fratres mei cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate. Si quis eſurit, domi manducet, vt non in iudicium conueniatis. Cætera autem cùm venero diſponam.*

15 q. 3. ca. 1. 81. q. 4. ep. 1.

23. diſt. prohibet.

44. di. q. 2.

** omnibus 15. diſt. c. fin. De conſe. di. 2 ſcriptura & cap. iteratur.*

11. q. 3. ad menſam § eiuſdẽ ter. Ioan. 6. 1. q. 1. per Eſaiam. De conſ. di. 2 & ſæ ſto & ca. ſicut Iudas. De pœ. diſt. 1. tres.

De cõſ diſt. 2. liquido.

POSQVAM de immolatis Idolo, reprehendit eos: ne vel ſub C offendiculo fratris, vel ſub veneratione idoli participarent illis: tranſit ad aliud, quòd nimis impudicè conſueuerant, ſcilicet, vt viri velato capite orarent in Eccleſia: mulieres verò denudato: quod ne vlterius fiat in eis, prohibet: & lege conditionis eorum & auctoritate ſanctorum, & quia natura repugnat. Litera ſic iungitur. De hoc quod vel ſub veneratione idoli, vel ſub offendiculo fratris idolotita comeditis, vos reprehendo. De hoc autem laudo vos ô D fratres, quòd eſtis memores mei per omnia quæ imperaui vobis. Memores ideo: quia ſicut tradidi vobis præcepta mea: ſic tenetis, nihil inexpletum prætermittentes. Et hoc totum ironicè: quia mandatum eius vix in aliquo tenuerant. Sed licet ita laudem vos, in eo tamen vitupero, quod vir velato capite, mulier nudato, deturpat ſe. Sed præmittit rationes, quibus ſic non debere fieri approbet, dicens. Ne tam peruerſo more deturpetis capita veſtra, volo vos ſcire, quòd Chriſtus caput eſt

omnis

omnis viri diuitis vel pauperis. Adeo enim principium habet non ab alio. Et quemadmodum in capite omnes ſenſus habemus, & nullum in corpore præter tactum, quem habemus iterum in capite; ſic omnes ſenſus noſtri conſentire, & cooperari debent capiti ſuo Chriſto Chriſtus eſt caput viri: vir autem caput eſt mulieris.i. principium. De coſta enim viri fabricata eſt mulier: & ſic materiam principij ſui traxit à viro: qui vir à Deo tãtum habuit principium. Chriſtus eſt caput viri: Deus vero eſt caput.i. principium Chriſti: ſecundùm hominẽ caput ſpecialiter: quia immunem à peccato ꝑ vnitã ipſi diuinitatẽ Chriſtũ Deus cõſtituit. Secundũ deitatem Deus eſt caput Chriſti: quia filiꝰ principiũ habet à patre, pater nõ ab alio, Et quia vir Chriſtũ ſolũmodo caput habet, ideo *omnis vir orans in Eccleſia* Dominicã orationem, vel quaslibet orationes, aut Prophetans. Prophetare dicit, vel ſymbolum dicere, in quo carnis reſurrectio & vita æterna, quæ futura ſunt prædicũtur. *Vel prophetãs*, .i. legẽs in Eccleſia & reuelãs quę pręterita ſunt vel futura ſolummodo de Chriſto. vir ita faciens, *deturpat caput ſuum*. Poſſemus hic dicere, caput viri Chriſtum, quẽ dum inhoneſtè agit, quantum ad ſe deturpare videtur, cuius iuſſa ſpernit: ſed quia ſequẽs litera ſic non patitur, dicimus. Vir velato capite orans deturpat propriũ caput: dum libertatem quã habet (quia ſub nullo præter Chriſtum eſt) tegit velamento: quod ſignum eſt erubeſcendæ ſubiectionis. Vir velato capite orans deturpat proprium caput: *ſed omnis mulier orans aut prophetans* (ſicut ſupra expoſitum eſt) *non velato capite, deturpat propriũ caput*, quod ſemper velare deberet, in ſignum eius erubeſcentiæ, quòd totius perditionis cauſa ſit mulier, & maximè cũ in Eccleſia ſuo præſentatur iudici: cui omne genus hominũ infeſtum fecit: dũ diabolo conſenſit, & ad conſentiendum eidẽ virum impulit. Verè, mulierem non velare caput, eſt deturpare caput. Nã *vnum* & idem *eſt*, quod

Prophetare quid Paulo vocetur?

A non velat caput *ac ſi decaluetur* pillos in frõte diſcriminet, cum, tum ſit, quòd nolit tonderi. Decaluetur tantum poſuit, quod vtiq; habet pro inconuenienti: quia ſciebat illas nullo modo velle tonderi. Verè non velare caput eſt decaluari: nam *ſi non velatur mulier, tondeatur*: quod quia nullo modo faciet, ſequitur vt non velato capite decaluetur. Ex non velato capite, ſequitur neceſſariò vel decaluari, vel tonderi: *ſed ſi turpe eſt mulieri*, quod vtiq; dedeceret tõderi, vel *decaluari*, *velet caput ſuum*, quod

B deceret. Mulier velet caput: ſed *vir nõ debet velare caput, quoniam vir eſt imago Dei*, à quo formam & principium habet: & eſt vir gloria Dei. Si enim bene egerit, gloriatur Deus in eo. Vir eſt imago & gloria Dei. Sed *mulier eſt gloria viri*: quia debet à viro gubernari: & ſi bene gubernata fuerit, gloriam habet ſuper his quæ mulier benè geſſit. Verè vir ſolius Dei gloria eſt, & mulier gloria viri. *Nam vir non eſt ex muliere* .i. in prima conditione vir nõ habuit originem ex muliere,

C quæ necdum erat; *ſed mulier* principium habuit *ex viro*, quia de coſta Adæ, ædificata eſt Eua. Iterum verè vir eſt gloria tantùm Dei, & mulier viri. *Etenim vir non eſt creatus propter mulierem*, vt ſeruiret ei: quia Deo ſoli: *ſed mulier creata eſt propter virum*: vt omni ſeruitute maneret in adiutorio viri. Et quia mulier ad gloriam viri facta eſt: & vt ſemper viro ſubeſſet: *ideo mulier debet ſemper habere poteſtatem*.i. ſignum quod ſit alienæ po-

D teſtatis, ſupra caput, quod velare debet in ſignum ſubiectionis; & *propter angelos*, id eſt, propter Doctores Eccleſiæ, qui angeli dicuntur: quia Dei nuncij ſunt: Ne viſa laſciuia impudicarum mulierum, illicitè moueantur ad eas. Vel propter angelos Dei, qui præſentes ſunt in omnibus Eccleſiæ ſacramentis: ne offendantur intẽperantia tantæ libidinis. Vel propter angelos.i. propter patriarchas & priores ſanctos, qui ne hoc fieret prohibuerunt. Quia modo adeo depreſſerat muliebrem ſexum, ſic per omnia

Vir eſt gloria Dei.

gitur. Probaui ſuperius per ordinem creationis velandum eſſe caput mulieris. Nunc *vos ipſi* Corinthii *iudicate*, quod nō debere fieri, probabo per naturam. Iudicate, inquam, *an decet mulierem non velatam orare Deum?* Non vtique: quia *nec ipſa natura docet vos* ſic agere: immo prohibet. Et cùm natura prohibeat: *ſi vir quidem nutriat comam, ignominia eſt* illi, quia contra naturam agit. *Si verò mulier nutriat comam, gloria eſt illi: quoniam capilli* longi *dati ſunt ei* à natura *pro velamine*, id eſt, in ſignum velaminis, quod capiti ſemper debet ſupponi. Probaui per ordinem creationis, & per legem naturæ, virum non debere caput velare, nec mulierem denudare. Sed *ſi quis inter vos videtur contentioſus*, nec conſentit noſtris rationibus: hoc vnum dicemus ei: frater, *nos non habemus talem conſuetudinem:* nec habuimus in ſynagoga Iudæorum: *neque* adhuc habemus in noua *Eccleſia Dei:* vt vir velato capite, mulier nōn velato oret. Et quia conſuetudo hoc non habuit, nec adhuc habet, propterea quia admonitione noſtra abuteris: iam non ſolùm ſuadeo: ſed ex authoritate noſtra præcipio ne vlterius fiat hoc inſuetum. ¶ Poſtquam ab hoc malo coercuit Corinthios, tranſit ad alia: in quibus longè deterius offendebant: ſeducti enim à pſeudo magiſtris, dereliquerant inſtitutionem Pauli, quam eis tradiderat de ſuſceptione corporis & ſanguinis Chriſti. Suaſerant enim eis pſeudo, quod poſt cænam communicari deberent: hac enim hora Chriſtus tradiderat hæc ſacramenta diſcipulis ſuis participanda. Vnde in multa mala deuenerant: quia cum inter eos eſſent ſchiſmata, ad vnitatem corporis Chriſti accedere præſumebant; & aliud malum, quia prius cœnabant & inebriabantur, & hoc in Eccleſia. & in his cœnis eos qui tantos apparatus non habebant, erubeſcere faciebant, nec indigentibus aliquid miniſtrabant, & poſt hæc mala menſæ Domini ſe ingerebant. Litera

A ſic iungitur. Hoc quod præmiſſum eſt ne fiat præcipio, illud, aliud non laudans, ſed magis improbans. Hoc ſcilicet, quòd conuenitis ad cœnam Dominicam, in qua deberetis vnum fieri: vos dico non per hoc profecturi in melius, ſicut deberetis, ſed lapſuri in deterius. Et cum multa ſint mala veſtra: primum quidem omnium hoc repono, quòd *vobis conuenientibus in Eccleſiam, audio inter vos eſſe ſciſſuras*, & diſcordias: cùm Eccleſia vnitatem exigat, *&* ſicut audio, benè *credo ex parte*, id eſt,

B propter partem de vobis: quos in ſchiſmatibus ſcio gloriari. Credo vtique, nam oportet credere. Nam religioſæ perſonæ mandauerunt mihi. Vel ita, ſciſſuræ in vobis ideo ſunt: nam oportet eſſe ſciſſuras, id eſt, quaslibet diſcordias: *&* (quod maius eſt) *hæreſes. Neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala:* ad hoc, vt qui probati ſunt & à Deo electi, *fiant manifeſti in vobis*, perdurantes in tentationibus: & vt reprobi fiant

C ſimiliter manifeſti. Quandoquidem ſciſſuræ ſunt in vobis, *ergo conuenientibus vobis in vnum*, qui vnitati contradicitis, *iam non eſt*, id eſt, pro ſola cauſa diſcordiæ non licet *manducare Dominicam cœnam*, id eſt, corpus & ſanguinem Chriſti, quæ Dominus diſcipulis in cœna tradidit, vel iam, id eſt, in hoc mundo Dominica cœna vobis pro diſcordia interdicitur, ſed in futuro damnabimini penitus. Propter ſciſſu-

D ras non licet corpus Chriſti accipere. Ideò etiam vobis non licet: *quia vnuſquiſque veſtrum præſumit*, id eſt, præſumendo anticipat *propriam cœnam:* non ſolùm ad apparandum, ſed etiam ad comedendum. *Et* præterea aliud malum: quia *alius quidem* (qui non habet vnde ſibi præparet) *eſurit*. Iterum aliud malum: *Alius autem ebrius eſt.* Sed ſic in Eccleſia comedentes, *nunquid non habetis priuatas domos ad manducandum & bibendum?* quas ſi non haberetis, tolerabilius eſſet in platea comedere. *Aut contemnitis*

Eccleſiam

Eccleſiam Dei, in qua inebriamini: *& confunditis eos*.i. verecũdiam infertis pauperibus, *qui non habent*, quid ſibi præparent? Et quia ſic impudenter agitis, *quid dicam vobis*? Certè ſine charitate eſtis contemptores Dei, ſectatores gulæ, &cæt. *Laudo ego vos in hoc? vtique non laudo*, immo vitupero: vel ita. Laudo vos in quibuſdam alijs, ſed in hoc nullatenus laudo. Poſtquam vituperauit in eis ordinem, in quo malè conſueuerant; determinat eis quomodo ſacramenta Chriſti accipere debeant: ſcilicet in abſtinentia, non in ebrietate: ſed in dolore, & in tribulatione. Litera ſic iungitur. Non laudo vos, quia corpus Domini ebrij ſuſcipitis: ſic enim non eſſet accipiendum, ſed in commemoratione tribulationis & mortis Chriſti. Sed priuſquam ad hoc veniat, commendat illud quod dicturus eſt authoritate Domini, dicens. *Ego accepi ab ipſo Domino quod iam tradidi vobis*: & nunc iterum tradam. Hoc ſcilicet *quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus in illa nocte*. Nox autem ſignum eſt aduerſitatis & triſtitiæ: in qua nocte non epulabatur, non inebriebatur: ſed ad mortem pro peccatis noſtris tradebatur: *accepit panem*, id eſt, veram ſubſtantiam panis. *Et agens gratias* Deo patri de hoc: quia ſicut per eum diſpoſuerat, humanum genus redimebat: & in obedientia patris perſeuerabat. In his verbis quibus Chriſtus gratias egit patri, dicitur ſubſtantia panis & vini appoſita in altari, tranſire in veram carnem, & verum ſanguinem Chriſti. Gratias inquam agens *fregit* illud, quòd vnum & inſeparabile durat in æternum: ſed fregit, cum ſingulis totum dedit: vt per hoc inſinuaret, nos qui perſonis diuerſi ſumus, debere vnum fieri in dilectione Dei. Fregit, inquam, *& dixit: Accipite*, id eſt, acceptabile hoc habete, & ſubtiliter diſcutite myſterium huius ſacramenti: vt quemadmodum ego pro vobis: ſic & pro nomine meo & proximis pati gaudeatis. Accipite, inquam, *&*

A *manducate*. In qua re Chriſtus inſinuare voluit, non ſufficere nobis ſi credamus, niſi guſtando videamus quam ſuauis eſt Dominus: ſicut manducare non proficeret, niſi crederemus. Et *hoc* quod panis paulo ante erat, nunc verè *eſt corpus meum: quod* corpus *tradetur pro vobis* in mortem: licet nunc illud vobis porrigam immortale, & impaſſibile. ¶ Notandum eſt hoc etiam, ſic eſſe ſigna ſubſtantię; vt nullam ibi qualitatem notent, neque mortalitatem, neque immortalitatem. Nec mirandum eſt

B ſi (quemadmodum ait Auguſtinus) manibus mortalibus ſe immortalem ferebat: cùm in transfiguratione qui tunc & poſtea mortalis fuit: ſe in gloria immortalitatis & impaſſibilitatis Petro, Iacobo, & Ioanni oſtendit. Manducate, inquit, corpus meum: & *hoc facite*, id eſt, continuè ſumite. Non in gaudio & ebrietate, ſed *in meam commemorationem*: vt vos ſemper memores paſſionis & mortis meæ, & pati, & mori velitis pro me. *Similiter* ſicut cor- *Matth. 17.*

C pus, *accepit calicem poſtquam cœnauit*: hic innuit, quòd poſt cœnam corpus ſimiliter dederit. Accepit, inquam, calicem, *dicens: Hic calix* qui paulò ante vera ſubſtantia vini erat: hic vtique calix eſt meus ſanguis: & *in* hoc *meo ſanguine eſt nouum teſtamentum*, id eſt, noua promiſſio. Lex enim vetus carnalia promittebat: ſed hoc ſacramentum corporis & ſanguinis mei rem nouam: quia ſpiritualem beatitudinem pro-

D mittit. Teſtamentum etiam ideo nouum: quia nunquam eſt immutandum, vt alij ritus inducantur: & *hoc* ſcilicet ſanguinem meum: *facite*, id eſt, ſumite *in meam commemorationem*, id eſt, cõtrito & humiliato corde: non ſemel, ſed *quotieſcunque ſumitis*. Et iuſtum eſt, vt hoc ſumatis in memoriam mei: *quia quotieſcunque manducabitis panem hunc*, id eſt, verum corpus meum, quod ſpeciem & ſaporem panis retinet, ne ſumentes illud abhorreant: *& quoties bibetis hunc calicem*, id eſt, ſanguinem

meum

n. eum propter ſaporem & ſpeciem vini retinentem: quoties, inquam, hæc ſumetis, *annunciabitis* .i. repræſentabitis *mortem Domini*: cui ſemper compati & commori debetis: faciētes hoc *donec* Dominus *veniat* ad iudicium: & ſeipſum vobis facie ad faciem tradat. ¶ Notandum eſt, cur Dominus Ieſus poſt cœnam celebrato veteri paſcha, corpus & ſanguinem ſuum, nouum ſcilicet paſcha diſcipulis tradiderit: quod ſatis competenti ordine factum eſt. Si enim prius nouum paſcha, deinde vetus celebraret, non videretur per hoc nouum ſacramentum deſtruere vetera, nec finem eſſe veterum: ſed videretur innuere, quòd iterum poſt hæc noua reducturus adhuc eſſet illa vetera: vt autem oſtenderet omnia vetera in hoc nouo ſacrificio finem habere, nec illa vnquam eſſe reducenda, congruè vetus paſcha ad deſtructionem præmiſit: & nouum paſcha, quod permāſurum erat ſuppoſuit, in quo omnium veterum finis fuit. Quandoquidem in commemorationem & in conformitatem Chriſti ſumenda ſunt hæc ſacramenta. *Itaque quicunque manducauerit panem*, id eſt, corpus Domini. *Vel biberit calicem* .i. ſanguinem *Domini indignè*, id eſt, in ſciſſura, in ebrietate: vel in huiuſmodi malis, ille *erit reus corporis & ſanguinis Domini*, id eſt, dānabilis proptèr corpus & ſanguinem Chriſti indignè acceptum. Ne *autem* reus fiat homo, *probet ſeipſum*, .i. examinet & diiudicet, ſe non conferens illi qui malè agit: quaſi per hoc iuſtitiam ſuam præferat: ſed ſeipſe in contuitu infirmitatis ſuæ diiudicet: *& ſic* probatus *edat de pane illo, & de calice bibat*. Oportet vt homo ſic ſeipſum probet. *Qui enim manducat & bibit indignè*: hic *manducat & bibit*, non indulgentiam: ſed *iudicium* .i. damnationem ſibi: & merito: quia *non dijudicans*, id eſt, parum diſcernens ab alio cibo *corpus Domini*: quemadmodū non diſcernebant Corinthij: quia quod in toto præmiſerat, de Corinthijs maximè intel-

A lexerat. Ex præmiſſis infert in eos. Quia indignè ſumitis corpus Domini, nec ab aliis cibis illud diiudicatis: *ideo inter vos*, ô Corinthii, *multi* ſunt *infirmi*, febribus & huiuſmodi paſſionibus: *& multi imbecilles*, qui virtute membrorum priuantur, *&* etiam *dormiunt multi* ſomno mortis. Quia non examinamus nos, ideò ſic affligimur: *ſi verò noſmetipſos dijudicaremus*, id eſt, mala facta noſtra diiudicaremus, id eſt, damnaremus flagello pœnitentiæ: *non vtique iudicaremur*, id eſt, damnaremur pro
B his à Domino. Vnde enim homo ſeipſum iudicat, inde liber euadit iudicium Dei. Et licet per infirmitatem & imbecillitatem ſic affligamur à Domino, tamen *dum* ſic *iudicamur*, & ſecundùm quoſdam de nobis malè agentes, damnamur; nos alii, ne ſimiliter peccemus, *corripimur à Domino*: in quo enim Deus iudicio agit contra impios, in eo miſericorditer caſtigat ſuos. Corripimur dico, *vt correcti non damnemur cum hoc mundo*: ideo non ait cum Corin-
C thijs, ſed cùm mundo. Intelligit enim eis qui peccant non plus prodeſſe accepta ſacramenta: quam his, qui in mundo, id eſt, in gentilitate adhuc permanent: quandoquidem indignè ſumentes damnantur: & quia per damnationem impiorum corripimur. *Itaque fratres mei*, vt dignè & benè correpti ſuſcipiatis, *cum* vos *conuenitis ad manducandum* cœnam Domini, *expectate inuicem*, id eſt, alter alterum, non anticipantes, con-
D ſtitutam horam accipiendi Dominicam cœnam. Secundùm enim traditionem Domini, conſueuit Eccleſia in die cœnæ ad veſperum communicare. Dico vt expectetis. *Si quis verò eſurit*, & legitimam horam expectare negligit: malo vt *manducet domi*, quam ante horam anticipet cœnam Chriſti: non tamen poſtquam comederit participaturus menſæ Chriſti. Sic inuicem expectare vos volo, *vt non conueniatis in iudicium*, id eſt, conuentus veſter non ſit vobis cauſa damnationis. Hæc ſupradicta

Iudicans ſeipſum liber euadit iudicium Dei.

modo

modo vobis propoſui: quia ſcio vos ſine his non poſſe ſaluari. *Cætera autem*, ſine quibus tamen ſaluari poteſtis: ſed ad incrementum gloriæ proficua: illa *cum* ego *venero diſponam* vobis.

CAP. XII.

De ſpiritualibus autem, nolo vos ignorare fratres. Scitis autem quoniam cum gentes eſſetis, ad ſimulachra muta prout ducebamini euntes. Ideò notum vobis facio, quòd nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu. Et nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Diuiſiones vero gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus. (q.1. multa autem.) *Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diuiſiones operationum ſunt, idẽ verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuiq; autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ. Alij autem ſermo ſcientiæ, ſecundùm eundem ſpiritum. Alteri fides in eodem ſpiritu. Alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu. Alij operatio virtutum. Alij prophetia. Alij diſcretio ſpirituum. Alij genera linguarum. Alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.* (Rom 12.6. Epheſ 4. 79.di.c.1.di hare.cũ ex in iuncto.) *Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autẽ membra corporis cùm ſint multa, vnum corpus ſunt; ita & Chriſtus. Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnũ corpus baptizati ſumus: ſiue Iudæi, ſiue gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi: & omnes in vno ſpiritu potati ſumus. Nam & corpus non eſt vnum membrum, ſed multa. Si dixerit pes, quoniam non ſum manus, nõ ſum de corpore: num ideo non eſt de corpore? Et ſi dixerit auris, quia non ſum oculus, non ſum de corpore: num ideo non eſt de corpore? Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem poſuit Deus membra, vnũquodque eorum in corpore ſicut voluit. Quod ſi eſſent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem* A *membra, vnum autem corpus. Non poteſt autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij. Sed multò magis quæ videtur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt. Et quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundãtiorem circumdamus. Et quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent: honeſta autẽ noſtra nullius egent: ſed Deus tẽperauit corpus ei cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, vt non ſit* B *ſchiſma in corpore, ſed in idipſum pro inuicem ſollicita ſint membra. Et ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: ſiue gloriatur vnũ membrum, congaudent omnia membra. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia; primum Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes: exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum. Nunquid omnes Apoſtoli? Nũquid* C *omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? Nunquid omnes virtutes? Nunquid omnes gratiam habent curationũ? Nunquid omnes linguis loquuntur? Nũquid omnes interpretantur? Aemulamini autem chariſmata meliora *. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* (Infr.14. * al. maiora.)

HIc finis eſt de ſacramentis altaris: nunc tranſit vt doceat eos de donis Spiritus ſancti, in quibus grauiter errabant. Qui enim maiora dona acceperant, gloriabãtur aduer- D ſus eos, quibus minores gratiæ conceſſæ fuerãt. Hi autem qui minus acceperant, deſperabant: quia inferiores erant in donis Spiritus ſancti. Qui verò maioribus gratijs abundabant, arrogabant hoc meritis ſuis: & meritis inferiorum hoc improperabãt, in hunc modum derogãdo ſpiritui. Errabant etiam in hoc, quod gratias illas quæ inferiores erãt, vt genera linguarum, præferebant cæteris, magiſque appetebãt. Vt autem hunc errorem depelleret, inſtruit eos ſic, dicẽs.

Cætera

Cætera quę diſponã cum venero prę-termitto: ſed *de ſpiritualibus* vos docere illud nullo modo differo. *Nolo*, inquam, *vos fratres ignorare* de ſpiritualibus, id eſt, de donis Spiritus ſancti, quid de his ſentiendum ſit vobis. Hoc autem de Spiritu dico quod facit ceſſare à malo, & operari bonum. Sed ad hoc inducendum præmittit ſimilitudinem, dicens. Ideò ſcitote ꝙ Spiritus S. faciat non ſeparari à Chriſto: *quoniam ſcitis quod cum* adhuc *eſſetis gentes*.i. gentiles, vel gentiliter viuentes: eratis *euntes ad ſimulachra muta prout ducebamini* à maligno ſpiritum: quia alius ad immolandũ, alius ad thurificãdum, alius ad adorãdum ducebatur. Vbi ait, muta idola, oſtendit quod ratione non ducebãtur, quæ ſatis diſcernere poſſet: idolum non eſſe Deum, ſed per malignum ſpiritum. Et *ideo* quia à maligno ſpiritu ad malum ducebamini: per ſimile *notum facio vobis*, quod per Spiritum ſanctũ à priori malo deſiſtitis. Quod æquipollenter ait. Hoc facio vobis notum, *quod nemo loquens in ſpiritu Dei*, loquens actu, cogitatione, & verbo: ſpiritus enim qui res eſt inuiſibilis, non cognoſcitur eſſe in homine, niſi per hęc quę extrinſecus videntur vel audiuntur: nemo inquam loquẽs in ſpiritu Dei: *dicit* ſimiliter actu, verbo, cogitatione, *anathema*, id eſt, ſeparationem à *Ieſu*. Nemo enim habens donum Spiritus ſancti poterit operari, cogitare: vel loqui, pro quo ſeparetur à Ieſu, quamdiu Spiritus in eo manſerit. In hoc multum releuat deſperationem eorum, qui minores gratias acceperant: cùm dicat non poſſe ſeparari à Ieſu: in quo ſpiritus Dei per aliquod donum manſerit.

Nec ſolùm facit Spiritus ne ſeparemur à Ieſu, ſed etiam *nemo poteſt dicere* verbo, opere, cogitatione. *Ieſus* eſt *Dominus* meus, quia ego ſeruus eius, id eſt, nemo poteſt bonum operari, *niſi in ſpiritu ſancto*, qui per eum operatur. Ieſus eſt Dominus meus. Hoc nequit dicere, qui non eſt ſeruus eius: quia ſi non eſt ſeruus, mentitur potius quam verum dicat. Hic

A multum deprimit eos, qui de maioribus donis ſe præferebant aliis: cùm dicat nihil eſſe ex merito hominis, ſed totum in Spiritu ſancto. Licet hoc indifferenter det ſpiritus declinare à malo, & facere bonum: gratiæ tamen eiuſdem ſpiritus diuiſim diſtribuuntur diuerſis. Sed *licet diuiſiones ſint gratiarum, tamen idem* & indiuiſus eſt *ſpiritus*, qui diuiſas dat gratias. Et ſicut ſunt diuiſiones gratiarũ, ita ſunt diuiſiones effectuum earum, ſ. miniſtrationum. Hic enim miniſtrat in epiſcopio, hic in ſacerdotio,

B & ſic in cæteris gradibus Eccleſiæ. Dicimus etiam miniſtrationes in quibuſcunq; idoneè miniſtramus proximo. Et licet diuiſiones ſint miniſtrationum, tamen *idem* eſt *Dominus* qui dat gratiam in qua miniſtramus.

Sunt etiam diuiſiones operationum, quæ in nobiſipſis bene operamur: orando, vigilando, ieiunando: & hæ operationes ſunt effectus gratiarum. *Et licet diuiſæ ſint operationes, tamen idem eſt Deus, qui operatur omnia* quæcunq; opportuna videt ſaluti *in om-* Trinitas eſt in perſonis vnitas in ſubſtantia.

C *nibus*. Quod ita ait. Idem Spiritus, idem Dominus, idem Deus: nõ quod diuerſas intelligat ſubſtantias, ſed vt Trinitatem in perſonis, vnitatem deſignet in ſubſtantia. Et licet ſint diuiſiones gratiarum, tamen *vnicuiq; datur manifeſtatio ſpiritus* i. aliquod bonum per quod ſpiritus operari in eo manifeſtetur, *ad vtilitatẽ*. Sic.n. vtile eſt minus donum cui datur: ſicut maius donum alteri. Deus enim non ſecundum merita hominũ gratias ſuas

D diſtribuit: plerũq; enim minus digno maius donum: plerunq; digniori minus datur: ſecundũ ꝙ Deus videt hũc magis opportunum ad illud exercẽdum, illũ ad aliud: enumerat gratias dicens: Diuiſiones vtique ſunt gratiarum. *Nam alij quidem*.i. diſcrete *datur per ſpiritũ* ſapientia.i. cognitio diuinorum, *& ſermo ſapientiæ*, vt gratioſè eloqui poſſit quod bene ſapit. *Alij autem* datur *ſcientia* de humanis & ſermo: vt expedite loquatur quod ſcit: & hoc *ſecũdũ eũdẽ ſpiritũ*, excluſo merito hominis. *Alteri datur fides* .i.

vel conſtantia fidei, vt pro fide tuenda non dubitet mori. Vel fides, quia nouit ſacramenta fidei: & hoc *in eodem ſpiritu*. *Alij* datur *gratia ſanitatum*: vt per virtutem ſpiritus poſſit depellere morbos: & hoc *in vno eodemq́; ſpiritũ*: quia tædebat eũ ſingulis donis ſpiritum apponere. comprçhendit ceteras gratias: & ad vltimum ſubdit omnes dari per ſpiritum. *Alij* datur *operatio virtutum*, id eſt, miraculorum quæ contra legem naturæ fiunt: vt cœcum illuminare, mortuum ſuſcitare. *Alij* datur *prophetia*, id eſt, reuelatio futurorum, vel intellectus ſcripturarum. *Alij* datur *diſcretio ſpirituum*: quia ſcit diſcernere, quo ſpiritu quiſque operetur aliquid, vel loquatur. *Alij* dantur *genera linguarum*: quia ſcit loqui diuerſis linguis. *Alij* datur *interpretatio ſermonum*: quod græcum ſcit interpretari per latinum, vel è conuerſo. Vel interpretatio ſermonum, id eſt, expoſitio allegoriarum. Et cum diuerſis hæc diuerſa dentur, tamen *hæc omnia operatur vnus atque idem ſpiritus*: quem ſupra vocaui Deum & Dominum: ſpiritus dico, *diuidens ſingulis prout vult*, id eſt, per gratiam, non per meritum. ¶ Hic incipit oſtendere diuerſitatem membrorum in eodem capite, qui eſt Chriſtus: & quomodo illa diuerſa vnum fiant in capite Chriſto. Litera ſic iungitur. Benè dico ſpiritus diuidens ſingulis, id eſt, diuerſis membris diuerſas conferens gratias. Nam Chriſtus eſt vnum corpus diuerſa habens mẽbra: *ſicut* vides quod *corpus* hominis, *vnum eſt, & tamen habet multa membra*, id eſt, diuerſos actus habentia: & *tamen omnia membra corporis cum ſint multa*, id eſt, diuerſa, *ſunt vnum corpus*. Ita Chriſtus diuerſa membra habet in Eccleſia: & tamen in eo capite vnum ſunt: nec mirum: quia ſicut per eandem animam diuerſa membra viuunt, ſic per eundem ſpiritum vniuerſa membra eius reguntur. Verè Chriſtus eſt vnum corpus: *etenim omnes nos ſumus baptizati* & viuificati *in vno ſpiritũ*, tranſeuntes in

A vnum corpus Chriſti. Omnes dico indifferenter, *ſiue ſimus Iudæi, ſiue gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi*. Et ſicut baptizati, ſic etiam *omnes* poſt baptiſmum *potati ſumus vno* eodemque *ſpiritu* in confirmatione: & in cæteris ordinibus Eccleſiæ. Verè nos baptizati ſumus omnes, id eſt, verè ſumus diuerſa membra. *Nam ſicut corpus* hominis *non eſt vnum membrum ſed multa*: & per ſimile non eſt Chriſtus vnum membrum, ſed multa. Illud etiam totam refert ſententiam.

B Nũc infert à ſuperiori, quod nos omnes vno ſpiritũ baptizati & potati, ſumus vnum corpus Chriſti: quia vnũ: igitur *ſi dixerit pes* .i. inferius membrum in Eccleſia: *quoniam non ſum manus* .i. talis operator vt ille: ideo *non ſum de corpore* Chriſti; *non ideo ſequitur, eum non eſſe de corpore* Chriſti. Quod eſt dicere, ille qui eſt inferior, non poteſt ſe abrumpere ab vnitate Chriſti: quia habet alium ſuperiorem ſe, in eodem corpore Chriſti. Et ſicut pes non abrumpitur, quia non eſt manus: ita *ſi dixerit auris*, id

C eſt, ille quem per alium docentem oportet intelligere, *quia non ſum oculus* .i. quia per me non omnia intelligo: ideo *non ſum de corpore: non ſequitur ideo non eſſe de corpore*. Dixerat ſuperius, quod corpus non eſt vnum membrum, ſed non dederat rationem quare: & hoc nunc ſubdit, dicens, Verè auris licet non ſit oculus: tamen eſt de corpore: quia ſi ideo non eſſet: ſequeretur quod oculus eſſet totum corpus. Sed ſi ocu-

D lus eſſet totum corpus, vbi eſt auditus? Ecce penuria in corpore. Et ſi auditus eſt totum corpus, vbi eſt odoratus? Iterum penuria. Per odoratum, diſcretionem boni & mali accipimus. Ne autem in corpore eſſet hæc penuria, poſuit nunc Deus diuerſa membra, vnumquodque eorum in vno corpore, ſicut voluit diſtribuens eis gratias. Non ſolùm propter remouendam penuriam, vnum membrum non eſt totum corpus, ſed etiam ideo eſſe non poteſt: quia *ſi eſſent omnia membra vnum membrũ*,

vbi

vbi eſſet corpus ? Periret vtique corpus: quia ſi omnia membra eſsēt manus, nec ſic eſſet corpus hominis. Si iterum oēs in Eccleſia eſſent Apoſtoli, vel vnum aliquid : nec ipſi eidem eſſent Apoſtoli, cùm non eſſent quibus prædicarent. Quandoquidem ſi vnum membrum totum corpus dicitur,& penuria in corpore, & etiam defectus corporis ſequitur: *Propterea nunc quidem multa & diſcreta ſunt mēbra , corpus autem* horum membrorum *vnum eſt.* Et quia ex neceſſitate inferiora vt ſuperiora mēbra ſic ſunt in corpore: *igitur non poteſt oculus dicere manui,* id eſt, ſuperior inferiori: *non indigeo opera tua :* cùm vnū membrum ablatum penuriam faciat corpori.Per hoc ſatis apparet , quòd qui maius donū accepit: non habet vnde ſe pręferat ei,qui minus accepit:cùm inferior ſic faciat penuriam corporis, vt ſuperior, ſi remoueatur. *Aut iterum caput pedibus.* Superior ſimiliter inferiori dicere non poteſt, *non eſtis mihi neceſſarij :* cùm oculus purgatione per manum indigeat, caput vt pedibus portetur: ad hoc quod guſtare,audire,vel videre deſiderat. Inferiora non tantùm non ſunt neceſſaria,ſed etiam multò magis ſunt neceſſaria aliquādo ea membra corporis,quæ videntur eſſe infirmiora.Plęrunque etiam quilibet idiotæ magis neceſſarii ſunt in procuratione Eccleſiaſticorum , quàm hi qui magis ſapientes ſunt , ſecundùm opportunitatem temporis. Et ea *membra* Eccleſię *quæ putamus ignobiliora,*quia labuntur,aliquando *his circundamus abundantiorem honorem* .i. hos tales ſolertiori cura fouere debemus : & reducere ad meliora.Noſtra etiam mēbra *quæ inhoneſta ſunt*, vt pudenda in corpore. Et fornicator ille qui vxorem patris duxerat in Eccleſia Corinthiorum.Vt Dauid quando peccauit in vxorem Vrię. Hæc inhoneſta *habent abundantiorem honeſtatem*.i. diligens & honeſta cura exhibēda eſt eis, ne ſi ſpernantur deſperent: quia fortaſſe cras perfecti erunt, vt in Dauid viſum eſt. Inhoneſta indigent hone-

A ſtate : ſed *honeſta* membra *non egent vllius* honoris, impenſi ſibi ab alio. Qui enim perfecti ſunt, non egent alio.Honeſta quidem nullo egent: *ſed Deus temperauit* .i. modificauit corpus, vt honeſta ornarent inhoneſta. Temperauit inquam *tribuendo abundantiorem honorem* ei membro,cui aliquid deerat : vt membrum ægrum maiori dilectione foueremus,quàm ſanum. Ideò ſic temperauit , *vt non ſit ſchiſma*.i.diſcordia *in corpore* Chriſti : *ſed* omnia *membra ſollicita ſint pro inuicem* , id eſt , alterum pro altero:

B *ſentientes idipſum* , id eſt, anguſtiam proximi iudicantes propriam. *Et ſi quid* moleſtiæ *patitur vnum membrū, compatiantur omnia membra : ſiue gloriatur vnum membrum , congaudeant omnia membra.* Et quicquid dixi de vnitate corporis Chriſti , totum ſpectat ad vos ô Corinthij : quia *vos eſtis* vnum *corpus Chriſti: &* diuerſa *membra* pendentia *de membro* Chriſti, qui vos de fide docuit. Vel membra pendentia de membro, id eſt, de capite

C Chriſto : qui ſupremum membrum eſt Eccleſiæ. Locutus eſt ſuperius de diuerſitate membrorū Chriſti, quomodo vnum ſint in capite ſuo Chriſto: loquitur adhuc de eiſdem membris ſecundùm diuerſitates donorū, quæ habent à Spiritu ſancto ; volens comparare dona illa inter ſe , quæ magis ſint vtilia , quàm minus : vt charitas & Prophetia , quæ maxima ſunt. Loqui diuerſis linguis , longè his inferius. Et hæc ideo comparat,

D quia Corinthii genera linguarū (quę vltima erat) præferebant omnibus gratijs. Litera ſic iungitur. Vos eſtis membra pendentia de membro , id eſt, de capite Chriſto : in quo vnum corpus eſtis, & in hac vnitate diſcretio : quia *quoſdam quidem*, id eſt, diſcretè *poſuit Deus in Eccleſia. Primum*.i. in primo & excellētiſſimo gradu ponens *Apoſtolos. Secūdùm* poſt Apoſtolos poſuit *Prophetas*, id eſt, viros illuminati ſenſus, qui aperirent ſcripturas. *Tertiò* gradu ſub Prophetis poſuit *Doctores*,qui de moribus inſtruerent. In his tribus ſeruauit ordinem,

gnoſcerem, vel linguis angelorum loquerer. Cùm enim angeli aſſumpta forma aliqua hominibus loquuntur, neceſſe eſt vt verba humana proferant: ſi autem hæc eadem verba loquar. vel ita. *Si loquar linguis hominũ*, id eſt, humaniter viuentium: *&* linguis *angelorum*.i.eorũ qui in hoc mũdo contemplatiuè viuunt: *charitatem aũt non habeam*; *factus ſum* inutilis *velut æs ſonans*: quod infructuosè quãtum ad ſe pertunditur; *aut velut cymbalum tinniẽs*: quod aures hominum delectat, ſeq; pertundit & diminuit. *Et ſi habuero prophetiam*, vt illuminato ſenſu ventura prædicerem. *Et ſi nouerim omnia myſteria*, id eſt, figuras operum Dei: vt diluuium figura fuit baptiſmi, & ſimilia. *Et* ſi nouerim *omnem ſcientiam*, id eſt, ipſorum myſteriorum ſignificationem. *Et ſi habuero omnem fidem, ita vt montes* (ad literam) *transferam*. Hoc enim erat meritum fidei, vt ſi fidelis diceret monti tollere hinc, & mittere in mare, ita pro certo fieret. Vel aliter. Si habuero tam perfectam fidem vt montes, id eſt, diabolos ab obſeſſis corporibus transferam in porcos vel in huiuſmodi; *charitatem autem non habuero, nihil ſum*, id eſt, nullius meriti propter fidem ſine charitate iudicor. *Et ſi diſtribuero*, id eſt, diuerſis tribuero non ſuperflua mea tantùm, ſed etiam *facultates meas*, id eſt, quæ facultas & poſſibilitas eſſet mihi retinere: diſtribuero dico non in ſuperflua, ſed *in cibos*: nec diuitum ſed *pauperum*, & omnes quotquot ſunt facultates: *Et ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam*, ſicut B. Laurentius, *charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. Cætera ſine charitate non proſunt, ſed *charitas* etiam ſi per ſe conſiderari queat, *patiẽs eſt*, id eſt, virtutem patientiæ habet, etiam ſi nihil quandoq; patiatur. *Eſt* etiam *benigna*, id eſt, larga & abundans dilectione proximi, etiam ſi nõ habet quid tribuat. Poſtquam bona in charitate poſuit, mala remouet ab eâdem, dicens. *Charitas non amulatur*, id eſt, nemini inuidet. *Non*

A — B — Matt. 21. 21 — C — D

Charitati nullũ malum ineſt.

agit perperam, id eſt, peruersè aliquid: *non inflatur*, id eſt, non ſuperbit de temporali bono vel ſpirituali: *non eſt ambitioſa*, vt dignitates mundi concupiſcat: *non quærit quæ ſua ſunt* tantùm, ſed æquè vtilitati intendit proximi, vt ſuæ. Vel non quærit, id eſt, non requirit quæ ſua ſunt. ſi quis abſtulerit ei. *Non irritatur*, id eſt, non prouocatur ad iram, *non cogitat malum*: vt dicat vel inferat alicui. *Non gaudet ſuper*, id eſt, de *iniquitate*: ſi videt iniquè agi in proximum; potius compatitur: *congaudet autem veritati*, id eſt, ſecundùm veritatem loquenti vel agenti. *Omnia* etiam aduerſa quæ inferuntur patienter *ſuffert*: tolerat omnia: credit quæcunque de Deo ſane credi oportet. *Omnia ſperat* & in præſenti virtutes, & in futuro gloriam. *Omnia ſuſtinet*, id eſt, ſi differatur retributio, longanimis eſt in ſuſtinendo. Alia excellentia charitatis ſcilicet, quia *charitas nunquam excidit*, id eſt, permanens eſt in æternum: & nunquam præteriit. Verè charitas ſola non excidit. Nam prophetiæ & ſcientia quæ inter cætera magis ſtare videntur, illa deſtruuntur. *Siue enim Prophetiæ* ſint, *euacuabuntur* in futuro. Cùm enim omnia omnibus aperta fient, quod prophetarent? *Siue linguæ* ſint, illæ *ceſſabunt*, omnibus enim in futuro idẽtitas erit ſermonis. *Siue ſcientia* quæ nunc habetur, illa *deſtruetur*: Quia de ſcientia quibuſdã videbatur, quod permanẽs eſſet; probat quod reuera ſciẽtia præſens deſtruetur: quia nũc *cognoſcimus*, .i. ſcimus *ex parte*.i. imperfectè. Et verè prophetia euacuabitur. Nam nũc *prophetamus ex parte*.i. imperfectè: *ſed* in futuro *cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur* omne illud *quod ex parte*.i. imperfectum *eſt*. ¶ Opponeret aliquis. Verùm quidem eſt quod ſciẽtia nunc eſt imperfecta, ſed perfecta erit in futuro: ſed tamẽ illa pars ſciẽtiæ quę nũc eſt, non deſtruetur: ſed in illa totalitate ſcientiæ claudetur. & hoc per inductam ſimilitudinẽ Paulus deſtruit, quòd nec illa ſciẽtia, quę nunc eſt permaneat: quia quemad- Scientia euacuatio.

modum puer nil per ratione͂, ſed per ſenſus & per quaſdam imagines intelligit de lapide quòd durus ſit & ſolidus,& de aliis ſimiliter:cum autem idem puer factus eſt vir,dimiſſis imaginibus,iam non corporali ſenſu diſcernere quærens, ſola vi rationis lõgè melius cognoſcit de eiſdem; ita vt ſenſualis & imaginaria cognitio, quam puer habuit, nulla iam ſibi ratione vtenti eſſe videatur:ſic ſcientia huius mundi per quaſdam ſimilitudines imaginatur Deum : vt quia videt aliquem potentem, penſat Deum qui hunc creauit, longè potentiorem; & de cæteris ſimiliter : Sed in futuro cognoſcemus Deum ſicuti eſt : quem non cognoſcimus modo ſicuti eſt, ſed tantum imaginamur per quaſdam ſimilitudines. Et quia tunc perfecta: nunc imperfecta: tunc ſecundùm veritatem rei : nunc ſecundùm imagines tãtum: propterea dixit ſcientiam deſtrui. Dilectio autem non deſtruetur: quia eundem tunc diligemus, quem nunc diligimus, licet tunc perfectius. Verè quod imperfectum eſt euacuabitur cũ venerit quod eſt perfectum : quemadmodum videtis, quod *cum eſſem paruulus*, vim rationis ignorans, *loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus*, omnia imperfectè. *Sed quando factus ſum vir*, & vim rationis exercui, *euacuaui ea quæ erant paruuli :* quia iam ratione longè melius intellexi ea, quæ dum eram paruulus vix per imagines & ſenſus aliquantulum cognoui. Similiter quemadmodum pueri *videmus nunc* .i. in præſenti Deum *per ſpeculum*, id eſt,non per veritatem rei ſicuti eſt : ſed per quandam ſimilitudinem qua Deum imaginamur : nec per ſpeculum quod aliquantulum ſit lucidum, ſed poſitum *in ænigmate*, id eſt, in obſcuritate tanta, vt veritas rei ſecundùm quod eſt, nullo modo cognoſcatur : ſed *tunc* in futuro *videbimus* Deum *facie ad faciem*, id eſt, videbimus Deum ſicuti eſt. Et quia ſic erit, apparet quod præſens ſcientia penitus deſtruetur: ſed charitas per-

A manebit : dum eundem quem nunc diligimus, in futuro diligemus. De vobis vtique ſic erit: vt nunc imperfecte tunc perfecte cognoſcatis: quia ego ipſe *nunc cognoſco* Deum *ex parte*, id eſt, imperfectè : *ſed tunc* in futuro *cognoſcam* eum tam perfecte, *ſicut & ego cognitus ſum* à Deo: cui nihil latet in me. Ideò charitas eſt excellentior, quia cum alia deſtruantur, illa ſola permanebit : & etiam nunc dum in præſenti cum alijs virtutibus permanet : excellentior eſt omnibus illis.
B Sed litera ſic iungitur. In futuro deſtruentur, *ſed nunc manent fides, ſpes, charitas*. Per has omnes virtutes intelligit quod fidem, ſpem, & charitatem, ſatis leuiter habere poteſtis: quia non ſunt niſi *tria hæc :* & cum tam pauca ſint, præparant omnem gloriam. Et licet ſimul maneant, tamen *charitas eſt maior horum*, id eſt, inter hæc vel maior his, fide ſcilicet & ſpe: & quia permanebit in æternum : & nunc maior eſt. ideo ſectamini charitatem præcipue, non genera lin-
C guarum.

CAP. XIV.

Sectamini charitatem, æmulamini ſpiritualia, magis autem vt Prophetis. Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo. Nemo enim audit, ſpiritus autem loquitur myſteria. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem. Qui loquitur lingua, ſemetipſum
D *ædificat, qui autem prophetat, Eccleſiam * ædificat. Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare. Nam maior eſt qui prophetat, quàm qui loquitur linguis: niſi forte interpretetur, vt eccleſia ædificationem accipiat. Nunc autem fratres, ſi venero ad vos linguis loquens: quid vobis prodero, niſi vobis loquar, aut in reuelatione: aut in ſcientia, aut in prophetia, aut in doctrina? Tamẽ quæ ſine anima ſunt vocem dantia, ſiue tibia, ſiue cithara, niſi diſtinctionẽ ſonituũ dederint, quomodo ſcietur id ꝙ canitur,*

* Habet Dei.

*tur, aut q citharizatur? Etenim ſi incertã vocẽ det tuba, quis parabit ſe ad bellũ? Ita & vos per linguam niſi manifeſtum ſermonem dederitis, quomodo ſcietur id quod dicitur? Eritis enim in aëra loquẽtes. Tam multa, vt puta genera linguarũ ſunt in hoc mundo, & nihil ſine voce eſt. Si ergo neſciero virtutẽ vocis, ero ei cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi barbarus. Sic & vos quoniã æmulatores eſtis ſpirituum, ad ædificationem Eccleſiæ, quærite vt abundetis. Et ideò qui loquitur lingua, oret vt interpretetur. Nã ſi orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autẽ mea ſine fructu eſt. Quid ergo eſt? Orabo ſpiritu, orabo & mente. Pſallã ſpiritu, pſallam & mente. Cæterùm ſi benedixeris ſpiritu, quis ſupplet locũ idiotæ? Quomodo dicet amen ſuper tuam benedictionem? Quoniam quid dicas, neſcit. Nam tu quidẽ benè gratias agis, ſed alter non ædificatur. Gratias ago Deo * q omnium veſtrum lingua loquor. Sed in Eccleſia volo quinq; verba ſenſu meo loqui, vt & alios inſtruam, q̃ decẽ millia verborũ in lingua. Fratres, nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote, ſenſibus aũt perfecti eſtote. In lege enim ſcriptum eſt. Quoniam in alijs linguis, & in labijs alijs loquar populo huic: & nec ſic exaudiẽt me, dicit Dominus. Itaq; linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus: Prophetiæ autem non infidelibus, ſed fidelibus. Si ergo cõueniat vniuerſa Eccleſia in vnũ, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles, nonne dicent, quid inſanitis? Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus. Occulta enim cordis eius manifeſta fiũt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronũcians quod verè Deus in vobis ſit. Quid ergo eſt fratres? Cum conuenitis, vnuſquiſq; veſtrũ pſalmũ habet. Doctrinam habet. Apocalypſim habet. Linguam habet. Interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant. Siue lingua quis loquitur ſecundum duos, aut vt multum tres, & per partes, & vnus interpretetur. Si autem non fuerit interpres, taceat in Eccleſia, ſibi aũt loquatur & Deo. Prophetæ autem duo aut tres dicant, &*

* Habet meo.

Eſa. 28.11.

A *cæteri diiudicent. Quod ſi aliquid * reuelatum fuerit ſedenti, prior taceat. Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare, vt omnes diſcãt, & omnes exhortentur. Et ſpiritus prophetarum prophetis ſubiectus eſt. Non enim diſſenſionis eſt Deus, ſed pacis: ſicut in omnibus eccleſiis ſanctorũ doceo. Mulieres in eccleſiis taceãt. Non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit. Si quid aũt volũt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia. An à vobis verbũ Dei proceſſit?* B *an in vos ſolos peruenit? Si quis videtur Propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat q̃ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata. Si q̃s autẽ ignorat, ignorabitur. Itaq; fratres æmulamini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere. Omnia autẽ honeſtè & ſecundũ ordinem fiant in vobis.*

* Alij.

1. Tim. 2. 23. diſt. mulier. Gen. 3.16.

37. diſt. ideo in ſi. & 38. diſt. qui ea 15. q. 1. §. 1.

POſtquam de charitate probauit, quod excellentior eſſet non ſolùm linguis, ſed & omni virtute; probat quod prophetare dignius & vtilius ſit in Eccleſia, quã loqui linguis: & hoc probat multis modis, dicens. C Licet dicam præ omnibus *ſectamini charitatem:* volo tamẽ *æmulemini ſpiritualia* .i. deſideretis ſpirituales gratias. Et cum omnes vtiles ſint: *tamen* deſiderate *vt prophetetis magis,* quam loqui linguis. Et magis vtiq; eſt deſiderãdum: *quia* ille *qui loquitur lingua* incognita, *loquitur non hominibus* .i. non ad ædificationem hominum, *ſed Deo* .i. ad honorem Dei tantum, qui linguam dedit: Verè nõ hominibus, *nam nemo* hominum *audit* .i. intelligit quæ ille loquitur: ſed licet nemo D audiat, tamen *Spiritus* ſanctus *loquitur myſteria* per illum loquẽtem lingua incognita. Verè magis vtile eſt prophetare quam loqui linguis: quia ille qui prophetat loquitur hominibus ad ędificationem. Vel iungamus ad proximum: vt tamẽ eadem ſit ſententia: propter hoc quod nam, quia, enim proximis reſpondere debent: loquens linguis non loquitur hominibus. *Nam* ille tantum *qui prophetat*, id eſt, qui obſcuritates ſcripturarum aperit. Hic *loquitur hominibus ad ædificationem*, id eſt, vt inſtruat

ruditatem eorum : & poſtquam inſtructi ſunt *ad exhortationem*, vt ad meliora ſe erigant : *& ad conſolationem*, vt in tribulationibus fortes appareant. Ille verò *qui loquitur lingua* incognita, vt plus *ædificat ſemetipſum:* quandoque nec ſe: quia non intelligit, oppoſita ſententia. Sed ille *qui prophetat*, dum ſcripturas aperit, totam *Eccleſiam ædificat*. Et quia tanta vtilitas eſt prophetandi, *volo* vtiq; *vos omnes loqui linguis*, ſed *tamen magis* volo vos *prophetare*. Propterea, quia ille *qui prophetat maior eſt* dignitate, & merito, & vtilitate, *quam* ille *qui loquitur linguis*, *niſi fortè* (quod vix contingit) ille *interpretetur*, id eſt, exponat cognita lingua, quod incognita loquitur, *vt ſic Eccleſia accipiat ædificationem* per eius interpretationem, quæ interpretatio idem valet quod prophetia. Probat per ſimilitudinem ſui, quod non debeant inſiſtere varietatibus linguarum, dicens. Quia per linguam incognitam Eccleſia non ædificatur, non ſunt linguæ ideò multum appetendæ, nec etiam ideò, quia ſic ego *nunc* etiam cum iam conuerſi eſtis : & linguas habetis, *venero ad vos fratres, loquens linguis* inauditis, *quid vobis prodero, niſi loquar vobis, aut in reuelatione: aut in ſcientia: aut in prophetia, aut in doctrina*, id eſt, ſi nihil loquar vobis in aliquo genere inſtructionis. Reuelationem & prophetiam, dona Dei intelligit. ſcientiam & doctrinam induſtrialia: habentur enim per induſtriam hominis.

Doctrina.

Et vocat doctrinam, quod quis addiſcit ab alio.

Scientia.

Scientiam autem hoc, quod ſtudio, & proprio exercitio intelligit de ſcripturis. Vel doctrinam de moribus, in quo operari oportet: ſcientiam de naturis rerum, in quo ſpeculatio ſola ſufficit.

Prophetia.

Prophetiam vocat continuam futurorum cognitionem: non per figuras aliquas, ſed ſola inſinuatione Spiritus Sancti:

Reuelatio.

reuelationem vero, ſubitam cognitionem futurorum: vt aliquis abreptus à ſpiritu ſubitò futura prædixerit, & mox ſpiritus ab eo receſſerit.

A Vel reuelationem .i. cognitionem futurorum per ſomnia: vt in Daniele & Ioſeph. Vel per res geſtas: vt Noë per arcam. Probat idem ſimilitudine inanimatorum, dicens. Licet de me ipſo exemplum vobis adduxerim: *tamen* non oportuit : quia in his *quæ ſunt ſine anima*, *vocem* .i. ſonum *dantia: ſiue* hoc ſit *tibia*, *ſiue cithara: niſi dederint diſtinctionem ſonituum, quomodo ſcietur quod canitur, aut quod citharizatur?* Sic & vos, quia indiſtinctos ſonos confunditis: non intelligitur quod dicitis. Iterum per aliud B probo non eſſe appetendam confuſionē linguarum. Etenim *ſi tuba det incertā vocem*, cū diſtincta ſit vox tubæ, inuitans ad bellum: *quis* propter incertam vocem *parabit ſe ad bellum?* Nemo vtiq;. Vel illud etenim iungitur ad proximum. Cithara vel tibia confuſè ſonans, non intelligitur. Nā tuba per ſimile dans vocem incertā, non intelligitur. Et ſicut tuba dans incertam vocem non intelligitur, *ita & vos, niſi per linguam dederitis manifeſtum ſermonem, quomodo ſcietur* ab auditoribus *id quod* à vobis *dicetur?* C Neſcietur vtique. *Nam* vos *eritis loquentes in aëra* .i. fruſtra verberantes aërem. Loquentes dico *tam multa vtputa*, id eſt, ſicut *genera linguarum* infinita *ſunt in hoc mundo : &* in ſingulis linguis *nihil eſt ſine voce:* vnumquodque habet proprium & diſtinctum ab alijs vocabulum. *Ergo* quia linguæ ſunt diuerſæ, & voces diſtinctæ: *ſi* ego *neſciero virtutem*, id eſt, ſignificationem *vocis*, quam profero, *ero barbarus ei cui loquar: & qui loquitur mihi, barbarus* ſimiliter videbitur: ſic eſtis & vos in alterutrum bar- D bari. Vel vt hic incipiat verſus. *Sic*, id eſt, hac ratione: quia incognitè loquitur, barbarus iudicatur; *vos etiam, quoniam eſtis æmulatores ſpirituum*, id eſt, deſideratores ſpiritualium bonorum, *quærite vt abundetis* in his donis quæ valent *ad ædificationem Eccleſiæ:* vt prophetia. Et ne intendatis varietatibus linguarum: quia illa dona appetere debetis, quæ valeant ad ædifica-

tionem Eccleſiæ. *Ideò ille qui loquitur lingua* incognita, *oret* Deum *vt interpretetur* .i. vt ſciat interpretari audientibus, quod aliena lingua loquitur. Vel ita, Qui loquitur lingua, oret,id eſt, loquatur: ita vt quod perorat interpretetur. Sic vtiq; loquendum eſt, vt interpretatio comes ſit. *Nam ſi* ego ipſe *orem*, id eſt, loquar: vel orem Deum *lingua* incognita:*ſpiritus meus*, id eſt, Spiritus ſanctùs mihi datus: vel ſpiritus meus, id eſt, ratio mea,quæ licet non intelligat,bonum tamen ſcit eſſe quod dicit: quia ex dono Dei: ratio,inquam,vel ſpiritus meus in me *orat* Deum. Vel orat, id eſt, loquitur: *ſed mens*, id eſt, intellectus meus *eſt ſine fructu*, id eſt, ſine vtilitate compunctionis: quia per hoc quod non intelligo, compungi nequeo. Quandoquidem ſi lingua incognita loquor ſine fructu ſum, quia non interpretor. *Quid ergo eſt*, id eſt,quomodo orandum eſt?Ita vtique *orabo*,vel loquar *ſpiritu*,id eſt,voce incognita quam ſpiritus dat, vel ratio eſt *&* ita *orabo* vt etiam *mente*, id eſt, intelligentia: quia quod intelligam, illud tantùm proferam. Verè orabo ſpiritu & mente:nam ego *pſallam ſpiritu, pſallam & mente*. Pſallere dicit orare Deum conſona vocis modulatione,quę conſonantia diuerſarum vocum in Eccleſia innuit, omnes in conſonantia fidei & vitæ debere laudare. Bonum eſt ſpiritu ſimul & mente orare: *cæterùm*, id eſt, ſed *ſi* tu *bene dixeris ſpiritu*, id eſt, voce incognita tantùm,*quis* in tua oratione *ſupplet locum*, id eſt, vocem *idiotæ?* Conſuetudo erat in Eccleſia vt idiotæ, id eſt, rudes in fide, etiam illiterati quando perorabat ſacerdos, reſponderent amen, & cum ſpiritu tuo:ſed modo perorante aliquo lingua incognita, etiam prudentiores neſciebant vbi finis: vbi medium orationis: quia non intelligebant: & ſic non poterant facere, nec illud quod idiotæ conſueuerant reſpondere. Idioma dicitur proprium,inde dicuntur idiotæ qui in proprietate naturæ adhuc ſunt:nihil ſcientes niſi

Pſallere eſt orare.

Idioma quid dicitur.

A quod à matribus pueri didicerunt: vel illud,cęterum,nomen ſit:ita.Propter hoc quod præmiſſum eſt, nō debetis orare lingua tantum: cæterum, id eſt, aliud,propter quod ne faciatis idem, quia ſi tu bene dixeris ſpiritu &c. Verè nemo ſupplet locum idiotæ:quādo tu incognita voce peroras: *quomodo* enim *dicet amen, ſuper tuam benedictionem*, etiam ſapiēs: *quoniam neſcit quid dicas?* Nō enim intelligit, quando tu incognita lingua loquēs, finire debeas aut procedere. De hoc quod proximus te non intelligit re-
B prehēdo te: nam ſecundùm propriā perſonam te non reprehendo. *Nam tu quidem benè gratias agis* quantū in te eſt: *ſed* ideò male,quia *alter* .i. proximus *non ædificatur:*quia nec intelligit. Vel ibi ſupra iungitur. Iuſte dixi benedixeris: nā tu quidem benè gratias agis, quantum in te eſt:ſed frater non inſtruitur.Probat iterum exemplo & auctoritate ſua, quod non adeò debeant ſectari linguas, dicens. Nolite loqui lingua: ita vt non ſit inſtructio proximi. *nam ego* quem imitari debetis *volo loqui in Eccleſia quan-*
C *doque*.i.pauca *verba meo ſenſu* .i. intellectu,vt quod loquar intelligam.Per hoc notat eos ſic quandoque loqui, quod nec ipſi ſe intelligerent. Volo, inquam, loqui meo ſenſu: *vt &* me & *alios inſtruam,quā* electiuum,quod nullo modo volo loqui: ſcilicet, *decem millia* .i. infinitatem *verborū lingua* incognita:quod vtique poſſem ſi vellem, & inde *gratias ago Deo: quoniam* ego ſi placet *loquor lingua omnium veſtrum:* ſed, id eſt, tamen in Eccleſia volo &cęt.Ideò Paulus ſe dixit habere genera linguarum: ne diceret Corinthij, quia non habet lin-
D guas. ideò nobis de linguis improperat. Iterum aliud quare non appetāt linguas, quia efficiuntur ſic paruuli. Sed litera ſic iungitur ad proximum. Sicut in me videtis, loquimini veſtro ſenſu: & ſimiliter, *fratres* ſectando linguas quarum ſenſum non habeatis, *nolite pueri effici ſenſibus:* qui loquuntur quod non intelligunt: *ſed eſtote paruuli ſecundùm*

malitiam:

malitiam: & hoc dicit, quia erant multum malitioſi ſenſibus vel cogitatione, verbo & actu. Paruuli quidem malitia: *ſed ſenſibus eſtote perfecti*.i.perfectam intelligentiam, appetentes vt prophetare poſſitis. Iterum ideò linguæ non ſunt appetendæ vobis:quia fideles eſtis & *linguæ non fidelibus, ſed infidelibus* proſunt. Et quod ita ſit, auctoritatem præmittit Eſaiæ: quam tamen in lege eſſe dicit, legis nomine prophetiam deſignans. Verè non fidelibus ſed infidelibus. *Nam in lege ſcriptum eſt* illud, quoniam vel ibi continuatur, vel hic ponitur pro quod. ¶ Hoc, inquam, ſcriptum eſt, *quod in alijs linguis*, id eſt, in varietate linguarum: *& in alijs labijs*, id eſt, in alijs ſermonibus: quia prius de carnalibus, nunc autem de ſpiritualibus *loquar populo huic*, Iudaico infideli, vt mirãtes nouitatem linguarum, audiant me: *& tamen nec ſic*, id eſt, pro tam euidenti miraculo *exaudiet me*. Quodque ita ſit credite: quia hæc *dicit Dominus* (ait in alijs labijs nihil ad probationem, ſed mos eſt vt auctoritates perfectæ ponantur.) Nunc de lege præmiſſa infert Paulus. Quia populo incredulo diuerſæ linguæ propoſitæ ſunt: *itaque per* hoc apparet, quod *linguæ in ſignum*, id eſt, cauſa miraculi ſunt *non fidelibus*, quorum fides non eget miraculis, *ſed infidelibus*, qui nouitate miraculorum ad fidem trahendi ſunt. Oppoſita ſententia. Linguæ non fidelibus ſed infidelibus: *prophetiæ autem non fidelibus*, ſtultum enim eſſet myſteria fidei reuelare incredulis, *ſed fidelibus*. Et quia vos fideles eſtis: quærite prophetiam quæ fidelibus congruit. Iterum aliud quare non appetant linguas: quia ſi illis loquentibus in Eccleſia varijs linguis, fortè infideles intrauerint: putabunt eos inſanire. Litera ſic iungitur. Quia linguæ non ſunt in ſignum fidelibus: ergo vos qui eſtis Eccleſia, quare propter linguas inſani reputamini? *Si enim conueniat vniuerſa Eccleſia in vnum, & omnes loquantur linguis* incognitis: illis autem varietate linguarum concla-

Iſai.28.11.

Fides fidelium miraculis non eget.

A mantibus, *intrent idiotæ* Eccleſiam, aut infideles aliqui *nonne dicerent quod vos inſanitis*, quia phrenetico more tumultuatis? Varietate linguarum conclamantes inſanos dicent. *Sed ſi omnes* in Eccleſia *prophetent*, aperiendo ſcripturas: *intret autem* illis prophetantibus *aliquis infidelis vel idiota:* ſtatim *conuincitur ab omnibus* ibi prophetantibus. Audiens enim præcepta Dei myſteria fidei, ſua conſcientia conuincit eum & arguit: & ita *diiudicatur*, id eſt, iudicabilem & damnabilem ſe cogno-
B ſcit, inſtructus *ab omnibus*, qui ibidem prophetant, & tunc *occulta cordis eius manifeſta fiunt* ſibiipſi:quia in quibus ſe peccaſſe non putabat, per doctrinam quam audit, grauiter ſe reum cognoſcit. *Et ita* conuictus, *cadens in faciem, adorabit Deum*, vt accipiat remiſſionem peccatorum. *pronuncians* etiam palam omnibus, *quòd Deus verè ſit in vobis* prophetantibus: quos linguis tumultuantes paulò ante dicebat inſanire. Quia nec indiſcretè eos vult loqui linguis, ne iudicentur inſani; nec iterum vult
C eos penitus reijcere donum Dei, ſcilicet, loqui linguis. determinat quo modo vtantur hoc præcipuè & alijs donis:omnia faciendo ad vtilitatem proximi. Litera ſic iungitur. Quandoquidem linguis tumultuantes inſani dicimur. Prophetantes verò Deum in nobis habere dicimur. *Quid ergo* faciendum *eſt fratres?* Prophetabitis ſemper, neglectis penitus linguis? Minimè: ſed *cum conuenitis vnuſquiſque habet* donum ſuum. Alius *habet Pſalmum*, vt cantet, vel interpretetur pſalmos in Eccleſia.
D Alius *habet doctrinam*, vt ſciat inſtruere de moribus. Alius *habet Apocalypſim*, id eſt, reuelationem occultorum. Hæc tria poſuit ſolum ad ſimilitudinem; duo quæ ſequuntur, ad intentionem. Alius *habet linguam* incognitam. Alius *habet interpretationem* ſcripturarum, id eſt, prophetiam: & cum hæc omnia habeatis: *omnia* fiant in vobis *ad ædificationem Eccleſiæ*. Siue illud faciatis ſiue

Apocalypſis eſt reuelatio occultorum.

aliud:

aliud: *ſiue aliquis loquitur lingua* incognita hoc fiat *ſecundum duos* .i. duobus tãtum ſic loqui permitto : *aut ſecundum tres, vt multum* dicam: non enim plus quã tribus hoc licere concedo : nec hic duo vel tres in eadem parte templi conclament: ſed *per partes :* vt ſi ille in capite, hic in fine Eccleſiæ. Vel per partes diei, vt hic hora tertia, ille ſexta. Nec hi loquantur ſine propheta: ſed ſemper *vnus* præſto ſit : vt quod inuſitato modo dicitur, populari lingua *interpretetur. Si autem* obijcitis, quod quandoque *non fuerit* præſto *interpres*, malo vt loquens lingua *in Eccleſia taceat*, quam ſine interprete barbarum frẽdat. Eccleſiæ non, *ſed loquantur ſibi & Deo*.i. inſtructioni ſui & diuinę laudi. Sicut loquentes linguis, ſic etiam *Prophetæ duo aut tres dicant* in Eccleſia, & per partes ſimiliter. Diceret alij. Nos qui tantundem ſcimus, nonne prophetabimus? Minimè, ſed *cæteri prophetæ dijudicent* ea quæ docẽtur ab illis fratribus, vt ſi quid malè doceant, cæteri corrigãt illos. Iterum aliud de prophetis. *Si vero* repentè *fuerit reuelatum quid* à ſpiritu *alij ſedenti*. ſurgat & loquatur ille, *&* qui *prior* loquebatur, modo taceat. Contingebat enim plerumque, vt ſpiritus ſubito arriperet aliquem: & de hoc præcipit Apoſtolus, vt quando hoc contigerit, hic talis permittatur loqui. Loquatur qui prius ſedebat, & alter taceat. Et hoc ideò dico, quia vos *omnis poteſtis prophetare :* eundo per ſingulos : ſolummodo videatur, *vt omnes diſcant* .i. inſtruantur per prophetãtem. Plerumq; enim contingit, vt qui ſapientem ſe putabat, addiſceret quod neſciret, per illum ſubito inſpiratum. Diſcant dico, *&* ſic *omnes exhortẽtur* ad meliora: ideò pręcipio vt prior taceat. Nam *ſpiritus prophetarum ſubiectus eſt prophetis*.i. Spiritus ſanctus nõ compellit eos loqui, velint nolint, quia cum ſpiritus ſit Deus, *nõ eſt Deus diſſenſionis*. quæ vtique diſſenſio fieret, ſi conclamando litigarent. *Sed* eſt Deus *pacis* & concordiæ: quæ pax ſeruatur ſi ſe alternatim ſupportaue-

A rint. Hoc autem de linguis & prophetia: & charitate, & omnibus præmiſſis dico vobis : *ſicut* ego idem *doceo in omnibus eccleſiis*, doctrinam quam imitamini : quia Eccleſijs *ſanctorum*. Vel illud idem ſequenti literæ iungitur. Omnes quidem viri prophetare poſſunt, ſed mulieres nunquam: & hoc dico ſicut in omnibus eccleſijs doceo : immò *taceant mulieres in eccleſiis: non enim* à me vel alio doctore *permittitur eis* in Eccleſia *loqui : ſed* præcipio eas vbique *ſubditas eſſe viris*. quibus ſe parificarent, ſi in Eccleſia loqui præſumerent. *Mulieres in eccleſiis non loquantur.*

B Et hoc de mulieribus dico, quod ſubditæ ſint, *ſicut etiam lex dicit* in Geneſi. *Gen. 3. 16.* Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Dicerent illæ. Nolumus loqui: ſed tantùm interrogare. Non ſic vtique. *Sed ſi quid volunt diſcere, interrogent viros ſuos :* non in Eccleſia, ſed *domi :* in Eccleſia nunquam. *Nam loqui in Eccleſia, turpe eſt mulieri* .i. turpem & impudentem probat mulierem. Hæc de prophetis & mulieribus, & quæcunque ſupra docui, nolite ſuperbiendo repellere, vt no-

C uitates veſtras inducatis : quia *an à vobis proceſſit verbum Dei* ad alias Eccleſias : vt modo nouas inducatis * doctrinas. ** inferas* *Aut* gloriamini quaſi *in vos ſolos peruenerit* verbum Dei: & vos ſoli Deum credatis? Nemo veſtrum præſumendo quaſi ſapiens ſit, negligat præcepta mea : ſed *ſi quis videtur inter vos eſſe Propheta*.i. ſcripturas intelligens: *aut* etiam *ſpiritualis*.i. ſpiritualem vitam ducens: quicunque ſit *cognoſcat* ea *quæ ſcribo vobis*, & oportet : *quia* hæc *mandata* non mea *ſunt*, ſed *Domini*. Si quis autem con-

D tumelioſè ſe efferens ignorat, dedignans attendere hæc mandata: Dico vobis de illo: quod pro certo ignorabitur à Deo : Quandoquidem *ignorans* hæc mandata, à Deo *ignorabitur. Itaque fratres mei æmulamini* .i. deſiderate *prophetare*, ſicut præcipio, *&* tamen *loqui linguis nolite prohibere*, ſicut ſupra determinaui. Nolite prohibere: ſed *omnia fiant in vobis honeſtè*.i. ad ædificationem Eccleſiæ: &

ſecun-

ſecundum ordinem, quem ſupra diſpoſui, vt pauci loquantur vel prophetent, & per partes.

CAP. XV.

NOTVM *autem vobis facio, fratres, Euangeliũ quod prædicaui vobis. Quod & accepiſtis, in quo & ſtatis. Per quod & ſaluamini: qua ratione prædicauerim vobis, ſi tenetis, niſi fruſtra credidiſtis. Tradidi enim vobis in primis* ꝙ *& accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecũdum ſcripturas. Et quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas: & quia viſus eſt Cephæ, & poſt hæc vndecim. Deinde viſus eſt plusquam quingentis fratribus ſimul, ex quibus multi manẽt vſq; adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus. Nouiſſimè autem omnium tãquam abortiuo, viſus eſt & mihi. ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiã Dei. Gratia autẽ Dei ſum, id quod ſum: & gratia eius in me vacua nõ fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui. Non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Siue enim ego, ſiue illi: ſic prædicauimus, & ſic credidiſtis. Si autem Chriſtus prædicatur, quòd reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicũt in vobis: quoniam reſurrectio mortuorũ non eſt, neq; Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra. Inuenimur autẽ & falſi teſtes Dei, quoniam teſtimonium diximus aduerſus Deum, quod ſuſcitauerit Chriſtum, quem non ſuſcitauit, ſi mortui nõ reſurgunt. Nam ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit. Quia ſi Chriſtus nõ reſurrexit, vana eſt fides veſtra. Adhuc enim eſtis in peccatis veſtris. Ergo & qui dormierunt in Chriſto, perierunt. Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio*

De cel. miſ. cũ martha in prin. 23 q 6. quod autẽ. Eph. 3.

. Tim. 1. 3 diſt. conſuetudo de ... enun. niſi ... quippe.

...oloſſ. 1. 18.

A *mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Vnuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus. Deinde hi qui ſunt Chriſti, qui in aduentu eius crediderunt. Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & patri, cum euacuerit omnem principatum, & poteſtatem & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. Nouiſſimè autem inimica deſtruetur mors. Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. Cùm autem dicat omnia ſubie-* B *cta ſunt ei, ſine dubio præter eũ qui ſubiecit ei omnia.* * *Cum autẽ ſubiecta fuerint illi omnia, tunc ipſe filius ſubiectus erit illi qui ſubiecit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus. Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis? Si omnino mortui non reſurgunt, vt quid & baptizantur pro illis? Vt quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior propter* * *veſtram gloriam fratres, quam habeo in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Si ſecundùm hominem ad beſtias pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt ſi* C *mortui non reſurgunt? Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Nolite ſeduci. Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Euigilate iuſti, & nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent. Ad reuerentiam vobis loquor. Sed dicet aliquis. Quomodo reſurgent mortui? Quali autem corpore venient? Inſipiens, tu quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur. Et quod ſeminas. Non corpus quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum, vt puta tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem dat* D *illi corpus ſicut vult, & vnicuique ſeminum proprium corpus. Non omnis caro eadem caro: ſed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia autem piſcium. Et corpora cæleſtia, & corpora terreſtria. Sed alia quidem cæleſtium gloria, alia autem terreſtrium. Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur*

1. Thes. 4. 15.

Pſal. 109. 1.

Pſal. 8. 8. Hebr. 2. 8.

* Nam cũ.

22 q 1. noueri. u.

De iureiur. & ſi Chriſtus.

* Pro veſtra gloria.

Sap. 2. 6. Eſa 22. 13. 1e pe. di 2. ſi enim ſ. Petrus.

natur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. Si eſt corpus animale, eſt & ſpirituale, ſicut ſcriptum eſt. Factus primus homo Adam in animam viuentem, Gen.2.7. *nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem. Sed nō prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale eſt, deinde quod ſpirituale eſt. Primus homo de terra terrenus. Secundus homo de cœlo cœleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Igitur ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis. Hoc autem dico fratres, quoniam caro & ſanguis regnum Dei poſſidere nō poſſunt, neq. corruptio incorruptelā poſſidebit. Ecce myſterium vobis dico. Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba. Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt. Abſorpta eſt mors in victoria.* Oſee.13.14. *Vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt mors ſtimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum eſt, virtus verò peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Itaque fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote & immobiles: abundantes in omni opere Domini ſemper, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino.*

POſtquam docuit eos de baptiſmo De corpore & ſanguine Domini, & de donis Spiritus ſancti. Ad vltimum inſtruit eos de reſurrectione mortuorum: quam partim credebant, partim negabant. Credebant enim Chriſtum vere ſurrexiſſe à mortuis; eos etiam qui in nouiſſima tuba morerentur, & integra carne ſtatim reuiuiſcerent: Hos tales credebant reſurrecturos. Sed eos quorum corpora in cineres diſſoluerentur, dicebant nulla ratione poſſe reſurgere. Naturalibus ſupra modum adhęrentes argumentis. Litera ſic iungitur. De linguis & prophetia ſic vos do-

A ceo. *De reſurrectione autem mortuorum, notum facio vobis fratres:* notum, inquam, facio *Euangelium*, id eſt, reſurrectionē mortuorum: quod maxima pars eſt meę prędicationis: *quod* Euangelium de reſurrectione ego *prædicaui vobis*: ne obtendatis vos quaſi ignoranter peccare: *quod etiam accepiſtis*: & turpe eſſe debet quod ſemel bene credidiſtis: iterum negare, *in quo etiam ſtatis*: niſi enim reſurrectionem credatis, fruſtra in fide ſtetis: *per quod etiam* Euangelium *ſaluabimini*: carnis enim reſurrectionem B partem dicimus fidei, ſine qua nemo poſſit ſaluari. Saluabimini dico *ſi tenetis* hoc Euangelium ea *ratione qua* vobis *prædicaui*: & *niſi* hoc ſit quod vos *fruſtra credidiſtis*, id eſt, niſi fidem veſtram inutilem dicitis, quod Corinthij nullo modo faterentur eos, ſcilicet fruſtra credidiſſe. Trado vobis Euangelium. *Nam* hoc quod ego *tradidi vobis in primis*, id eſt, inter potiora fidei: *quod* etiam non à me habeo, ſed *accepi à Deo*. Hoc, ſcilicet, Euangelium: *quòd Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris* delendis: & ſi pec- C cata noſtra deleta ſunt quorum pœna mors eſt: quare in morte detinemur? Mortuus eſt Chriſtus: & hoc dico *ſecundùm ſcripturas* prophetarum idem atteſtantium. Cùm modo debeat probare de reſurrectione, præmittit Chriſtum verè fuiſſe mortuum, vt veræ morti vera ſit reſurrectio. Hoc etiam tradidi vobis de Chriſto *quod ſepultus eſt*: ne ſtatim poſt mortem reſurgens, diceretur non vere mortuus eſt. Hoc etiam tradidi vobis de eo *quod reſurrexit tertia die*. Et hoc dico *ſecundùm ſcripturas* quæ hoc perhibent. ¶ Probauit D per teſtimonia ſcripturarum: probat etiam Chriſtum reſurrexiſſe per teſtimonia eorum quibus poſt reſurrectionem viſus eſt. Et hoc tradidi vobis, *quia viſus eſt Cephæ*, id eſt, Petro. Hanc apparitionem vbi, & quomodo facta ſit non legimus, ſed tantummodo ſcriptum eſt: Surrexit Dominus & apparuit Petro, & poſt hæc viſus eſt vndecim Apoſtolis:

Luc. 24. 39. quando Thomas erat cum eis. *Deinde viſus eſt plus quam quingentis fratribus ſimul: ex quibus multi manent vſque ad hoc tempus:* & ſi placet, quærite ab eis: *quidam autem eorum dormierunt.* Chriſtum dicit mortuum, hos dormiſſe. *Deinde etiã viſus eſt Iacobo* Hieroſolymitano Epiſcopo, qui videns Chriſtum in cruce, deuouit ſe non manducaturum panem, donec videret Chriſtum reſurrexiſſe. De his duabus apparitionibus, nihil in Euãgelijs inuenitur. *Deinde* viſus eſt *omnibus Apoſtolis,* in die aſcenſionis. *Nouiſſimè autem omnium viſus eſt mihi:* prius in via, poſt in templo orãti. Mihi dico, *tãquam abortiuo*.i. vi quadam & cõpulſione in apoſtolatum nato. Abortiuum ſe dicit: quia extra tempus natus in Chriſto, apoſtolatum accepit: in cœlo recepto Domino cum carne. Benè dico abortiuo. *Nam ego ſum minimus Apoſtolorum: qui nec etiam dignus ſum vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Et licet dignus non fuerim: tamen *ſum* id.i. Apoſtolus qui vtiq; ſum *per gratiam Dei:* & licet pri⁹ perſecutor fuerim, tamen ex quo recepi gratiã eius: ipſa *gratia non fuit vacua*.i. ocioſa *in me: ſed laboraui* omni genere paſſionis *abundantius omnibus* alijs Apoſtolis. Et licet dicam laboraui, tamen *nõ ego* per me hoc potui: *ſed gratia Dei operata eſt mecum.* Cùm dicat ſe tot & tanta ſuſtinuiſſe, per hoc ſatis approbat reſurrectionem: ſpe cuius omnia patitur. Reuertitur ad ꝙ ſupra. Verè Chriſtus reſurrexit. Nam *ſic prædicamus, ſiue ego, ſiue illi* alij Apoſtoli, locus ab auctoritate. Vos etiã *ſic credidiſtis*, quod Chriſtus verè reſurrexit: nolite negare. *Si autem prædicatur* & negari non poteſt, *quod Chriſtus ſurrexit à mortuis: quomodo quidã in vobis dicunt, quod non eſt* futura *reſurrectio mortuorũ?* Si Chriſtus reſurrexit (quod vtique verum eſt) reſurrectio mortuorum ſequitur ex neceſſitate. Probauit ſuperius auctoritatib⁹ ſcripturarum, & teſtimonijs ſanctorum, qui viderũt Chriſtum verè ſurrexiſſe à mortuis, & ex eo intulit: quia ſi

Iacobi deuotio.

Actor. 9. 3. Act. 22. 17.

Abortiuum ſe vocat Paulus.

Ab auctoritate.

A neceſſitate.

A Chriſtus ſurrexit: & reſurrectio mortuorum erit. Hanc autem conſequẽtiam ſic probat. Verè ſi Chriſtus ſurrexit & reſurrectio mortuorum eſt. *Nam ſi reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit.* Hic locus à ſimili eſt, & inter cauſam & effectum diuerſis reſpectibus. Similitudo in eo eſt quia ſi Chriſtus in morte detineri nõ potuit, quia peccatum, quod eſt, cauſa mortis, in eo non fuit, nec nos ꝑ modo noſtro iuſtificati à peccatis in morte detinebimur. Quia ſi mortem euadimus, tũc reſurgemus. B per hãc ſimilitudinem, ſcilicet, quòd peccatis iuſtificati ſumus, cùm Chriſto reſurgemus: ſed quia Chriſtus lõge maior nobis eſt in iuſtitia, ideò maior erit in gloria reſurrectionis. Iterum reſurrectio chriſti & quæcũque operatus eſt in terris, omnia ſpectauerunt vt homo reſtitueretur perditæ beatitudini. Quia ſi hic effectus, ſcilicet, reſurrectio mortuorum non ſequitur, fruſtra cauſæ illæ præceſſerunt, ſed chriſtus reſurrexit: & hoc probat per multa inconuenientia, ex eò non reſurgente prouenientia. Dico quod chriſtus ſurrexit. C *Nã ſi Chriſtus non ſurrexit ergo prædicatio noſtra eſt inanis*.i. ſine re: quia res illa quam prædicat nõ ſic eſt: & de eodem aliud inconueniens, quoniam *fides veſtra eſt inanis*.i. infructuoſa: ſi chriſtus non reſurrexit: quod corinthij, ſcilicet, fidem ſuam eſſe inanem nullo modo faterentur. Iterũ aliud inconueniens, ſi chriſtus non reſurrexit: quia tunc *inuenimur* nos *falſi teſtes* Dei patris: ideò *quoniam diximus teſtimonium contra Deum*: nõ enim placet Deo, ſi quis quod nõ fecerit Deus attribuat ei: hoc.ſ. teſtimonium *quòd* D *Deus ſuſcitauerit Chriſtum, quem* pro certo *non ſuſcitauit ſi mortui nõ reſurgunt.* Verũ eſt quod mortui reſurgũt, ſicut vos dicitis. *Nam ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit:* idem ſuperius poſuerat: ſed ad aliud: ibi enim vt illam probaret veram ſi chriſtus ſurrexit & mortui reſurgẽt. Hic autem vt inferret verã eã quæ dicit non ſuſcitatum eſſe chriſtum niſi

A ſimili inter cauſam & effectũ.

Ab inconuenienti.

mortui

mortui reſurgant. Diceret Corinth. Mallem negare reſurrectionẽ Chriſti, quam concedere quod reſurgant mortui. Probat iterum per inconueniens Chriſtũ reſurrexiſſe, vere Chriſtus ſurrexit. Nã *ſi nõ reſurrexit Chriſtus, fides veſtra* de Chriſto *vana eſt*. Nulla fuit illa fides, quam accepiſtis. Verè ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra. *Nam adhuc eſtis in peccatis veſtris*. Legitur ſurrexiſſe propter iuſtificationem noſtram. Quia ſi non reſurrexit, nec nos iuſtificauit, ſic igitur vana eſt fides veſtra. Et quia adhuc homines ſunt in peccatis: *ergò illi qui dormierunt in Chriſto* .i. mortui in Chriſti fide *perierunt*.i. damnati ſunt. Iterum aliud inconueniens. Et *ſi* non reſurrecturi *ſperantes ſumus in Chriſto tantummodo in hac vita*, ſicut vos dicitis, futuram non habituri: tunc *ſumus miſerabiliores omnibus hominibus*: quia nec hac, nec alia vita fruemur: cùm quotidie in anguſtijs deuoluamur: quandoquidem tot inconuenientia ex negata reſurrectione ſe ingerunt: igitur *nunc* .i. ex præmiſſis rationibꝰ colligitur: quod verè *Chriſtus reſurrexit à mortuis*.

Chriſtus an primus reſurrexerit.

Chriſtus dico *primitia* & ſecundùm tempus, & ſecundum dignitatem: quia & ſi quidam ante eum ſuſcitati fuerunt non à mortuis, ſed in numero morientium relapſi ſunt. Dignitate, quia maiorem omnibus gloriam habebit, & quicquid alij, totum habebunt ab illo: & per illum. Chriſtus dico primitiæ *dormiẽtium*. Per hoc innuit, cũ dicit Chriſtũ primitiæ, quod alij dormientes ſecuturi ſint eum in reſurrectione. Diceret aliquis. Non videtur vt per meritũ vnius hominis Chriſti omnes homines reſurgere poſſint. Contra hoc Paulus. Verè cæteri dormientes per primitias ſuas.i. Chriſtũ reſurgent, *quoniam quidem per hominem* vnum fuit *mors* omnium, *ita & per hominem* vnũ erit *reſurrectio mortuorum*.

A ſimili.

Vnde hoc à ſimili. *Nam ſicut in* ſolo *Adam omnes moriuntur, ita & in* ſolo *Chriſto omnes viuificabuntur*. Si enim culpa ſolius Adæ, ad dãnationem omnium ſufficiens fuit; vt

A prætermiſſa maioritate ſimilitudinẽ ſolam loquamur; quare ſimili modo iuſtitia ſolius Chriſti, ad iuſtificationem omniũ non ſufficeret? ¶ Poſtquam probauit reſurrectionem omnium vere futuram, congruè ſubdit de ordine eius reſurrectionis: vt per hoc magis certificaret eos & inuitaret ad eandẽ reſurrectionem dicens. Licet omnes æquè reſurgant: tamen *vnuſquiſq;* erit *in ſuo ordine*: qui enim plus promeruit, plus accipiet gloriæ: & ita quod *Chriſtus* erit *primitia* tẽpore & dignitate, ſicut ſuperius. B *Deinde* poſt Chriſtum erunt in gloria *ij qui ſunt Chriſti*. In eo dico eos eſſe Chriſti, ſcilicet, *qui crediderunt in* ſecundum *aduentum eius*.i. reſurrectionem: & ita crediderunt integritate fidei & boni operis: euntes obuiam in aduentum Chriſti. Potuiſſet dicere, qui crediderunt in natiuitatem Chriſti vel paſſionem: ſed ideò in aduentum dixit: quia reſurrectionem commendare eis intendebat. Et poſtquam ij qui ſunt Chriſti reſurgent: *deinde* erit *finis* .i. impletio promiſſæ beatitudinis: *cum* Chriſtus *tradiderit* C *regnum*, id eſt, Eccleſiam ſuam, quam cum potentia regit: Tradiderit dico *Deo & patri*: tunc Chriſtus dicetur tradere regnum patri, cùm Eccleſiã ſuam locabit in oculis Dei, vt quod hic vidit per ſpeculum & in ænigmate, ibi videat facie ad faciem. Deo dicit & patri, vt oſtendat eum qui ab alio initium non habuit. Vt etiam notet eum & creatorem eſſe, & creaturis paternam dilectionem adhibere. Cùm tradiderit dico regnum: & *cùm euacuerit omnem principatum,* D *& poteſtatem, & virtutem*.

Angelorum nomina & officia ceſſabunt.

¶ Notandum eſt quod in angelis diuerſitates officiorum Deus poſuerit, & hoc totum cauſa hominum: vt angeli adminiſtrent ſaluti eorum. Sed poſtquam homines iam in perfectione erunt, & nulla adminiſtratione egebunt: nomina illa deſtruentur in angelis, quibus vocabantur pro diuerſitate humanæ adminiſtrationis. Sunt enim quidã inter angelos, qui principatum habent ſuper omnes alios.

Sunt etiam alij qui poteſtatiuè perficiunt ea, quæ à principatu iniunguntur eis. Sunt alij qui dicuntur virtutes, quia miraculorum ſunt operatores. Similiter & in malis angelis quidam ſunt principes ſuper omnes alios. Alij habentes poteſtatem efficiendi quod principes præceperint. Alij virtutes, qui aliqua noua inducant quaſi miracula. Et hæc iterum in fine euacuabuntur. Quia ſicut boni angeli vltra non habebunt in quo homines tueantur; ſic nec mali in quo noceant hominibus. Sic etiam inter homines omnis differẽtia prælationis vel ſubiectionis deſtruetur: inter quos nulla erit regiminis inæqualitas. In fine tradet Chriſtus regnum ſuum patri: ſed interim dum nondum finis eſt, *oportet regnare* .i. Chriſtum cum potentia Eccleſiam ſuam regere. Oportet ideò dicit: quia ſic prophetatum eſt in ſcripturis, quas ex neceſſitate oportet impleri. Regnare dico, *donec Deus ponat omnes inimicos* Chriſti *ſub pedibus eius* id eſt, tam plenaria ſubiectione, ſicut ſunt aliqui pedibus aliorum proſtrati. Vel ſub pedibus eius, id eſt, ſubiectos humanitati Chriſti. Quæ per pedes ideò ſignatur: quia per humanitatem aſſumptam. Diuinitas venit ad homines. Et poſtquam hæc omnia erunt euacuata: tunc etiam *deſtruetur mors nouiſſima*: quia poſtquam non erit peccatum: nec pęna peccati, ſcilicet, mors remanebit. Mors dico *inimica*: cui & homines inimicãtur: & quæ inimicatur hominibus. Verè inimici ponentur ſub pedibus Christi. Nam ſcriptum eſt in Pſalmo. *Omnia ſubiecit Deus ſub pedibus eius*, id eſt, Chriſti, ſicut expoſitum eſt in Pſalm. Tamẽ habetur, ſubiecisti. *Cùm autem* ſcriptura *dicat, omnia*, ſine dubio *ſubiecta ſunt Chriſto*: omnia *præter eum qui ei*, ſcilicet, Chriſto *ſubiecit omnia*, ſcilicet, pręter diuinitatem. Deus qui chriſto ſubiecit omnia, nõ eſt chriſto ſubiectus. Sed *ipſe* chriſt⁹ *erit ſubiectus illi* .i. Deitati: *qui ſubiecit omnia ipſi* .i. chriſto. Diceret aliquis, interim quidem chriſtus erit ſubiectus Deo,

Pſal. 8.

A donec ſibi Deus ſubiecerit omnia: ſed poſtea non. Erit vtiq; (ait Paulus) quia cũ ſubiecta fuerint chriſto omnia, tunc ipſe chriſtus ſubiectus erit Deo, qui ipſi ſubiecit omnia. Ita tamen ſubiectus: *vt ſit* æqualis, ſcilicet, vt chriſtus ſit Deus *in omnibus* .i. in ſingulis creaturis: & ita in omnibus quod *omnia* ſingulis .i. perfecta beatitudo, perfecta gloria, & pax ſuperans etiã omne hominis deſiderium. Reuertitur vt probet reſurrectionem mortuorum, dicens. Mors per Chriſtum deſtruetur, & homines tunc reſurgent. *alioquin* .i. ſi dicas non eſſe reſurrectionẽ mortuorum, *quid facient* B illi *qui baptizantur pro mortuis?* Tangit hic reprobum morem quorundã, qui audito quod reſurrectio futura eſſet eorum qui baptizarentur, cùm eſſent baptizati, iterum loco infidelis patris iam mortui baptizabant ſe: vt ſic pater vel mater ſaluarentur in reſurrectione. Et hoc adducit ad verecundiam corinthiorum: quia ſi illi peruerſi tãtam fidem de reſurrectione habebant, quãto magis corinthij deberẽt reſurrectionem credere? Litera ſic eſt. Quid faciẽt illi qui bapti- C zantur pro mortuis ſpe reſurgendi, *ſi omninò mortui non reſurgunt? Vt quid etiam baptizantur pro illis* iuſtificandis: cum nec illi iuſtificẽtur? Si enim iuſtificarentur à peccatis & reſurgerent. Vel aliter ſic. Alioquin, id eſt, ſi reſurrectio non eſt, quid facient illi qui baptizantur pro mortuis operibus, id eſt, pro peccatis, quæ mortem operantur? Baptizantur dico ſpe reſurrectionis. Et quid facient, ſi omnino mortui non reſurgunt? Vt quid etiam baptizantur pro illis, id eſt, vt iuſtificentur à peccatis? Vel aliter: D Alioquin ſi non reſurgunt mortui, quid facient illi qui baptizantur pro ſe mortuis, id eſt, mortificandis peccato: Vel pro ſe mortificatis per peccatum Deo. Cætera ſicut dicta ſunt. Iterum ſi reſurrectio mortuorum non eſt, *vt quid etiam nos* Apoſtoli *periclitamur omni hora?* Non enim finem habent tribulationes noſtræ, quas gaudemus pati ſpe futuræ reſur-

Baptizati pro mortuis.

rę reſurrectionis. Verè periclitamur: nam *quotidie morior*, id eſt, pericula mortis patior fratres *propter veſtram gloriam*, vt vos digni ſitis gloria reſurrectionis. Vel ſecundum Auguſtinum. Morior, & hoc iuro per veſtrā gloriam fratres: *quam* gloriam ſpe quidem iam *habeo, in Chriſto Ieſu Domino noſtro:* qui iam in gloria, cum carne mea reſurrexit. Qui etiam vt ſecum reſurgerem promeruit. Si iterum mortui non reſurgunt: quid mihi prodeſt *ſi ſecūdum hominem*, id eſt ſecundùm humanæ rationis potentiam. Vel ſecundum hominem: quia ego homo, illi beſtiæ. Secundum hominem vtique *pugnaui contra beſtias Epheſi*, id eſt, contra Epheſianos beſtiales: quia reſurrectionem negādo, hominem in hoc mundo ſolùm viuere dicunt, quod & beſtiæ faciunt. *Quid*, inquā, illa pugna *mihi prodeſt* niſi poſt mortem habiturus ſim gloriam? Epheſij negabant reſurrectionem: contra quos Paulus multo labore diſputauit, approbans futuram eſſe reſurrectionem. Et quandoquidem ſecundum vos vita non reſtat poſt hanc. Nihil iam aliud agendum eſt: niſi vt deſperantes *mādu cemus & bibamus:* quia non vltra victuri moriemur. Hoc verbum dixerunt Iudęi, cùm affligerentur in captiuitate Babylonis, & deſperarent de adiutorio Dei. Similiter qui reſurrectionē negant, de auxilio & potentia Dei deſperant. Et quia fratres non ſic eſt deſperādum: ſed de reſurrectione confidendum: *Ideò nolite ſeduci* à pſeudoapoſtolis: qui non habent fidē reſurrectionis. Per hoc quod dicit ſeduci, notat ſeductores eſſe inter eos. Nolite credere ſeductoribus. Nā *colloquia* illorum *mala*, non ſolum fidem violant: ſed etiam *corrumpunt bonos mores*. Qui enim futuram vitā non credit, neſcio quare bonis moribus laboret adhærere. Et ne à ſeductoribus corrumpamini: *euigilate* ad hoc vt ſitis *iuſti:* & vt iuſtitiam conſeruetis. *Nolite* vlterius *peccare:* neceſſarium eſt vt euigiletis. *Quidam enim* inter vos *habent ignorantiam* Dei .i. igno-

Iſai 22.13. Sap. 2.6.

A rant æquitatem, & fidem Dei: & hoc *loquor vobis ad reuerentiam* (id eſt, ad erubeſcētiam) vt verecundemini de peccatis veſtris. ¶ Poſtquam Paulus per neceſſarias rationes, per inconuenientia quæ inde proueniunt, iterum per potentiam Chriſti, futuram reſurrectionem approbauit: Vult illam approbare per legem naturæ: quia humana ſapientia magis argumentatur ſecundum * paſſibilitatem * naturæ. Quaſi diceret. Licet ſuperius reſurrectionem ſatis approbauerim: *tamen* ſecundum legem naturæ obijciendo *dicit* mihi *aliquis: quomodo reſurgunt mortui* in puluerem iam diſſoluti? Natura nō videtur hoc pati. Iterum ſi aliquo modo puluis ille conglutinatur, tamen *quali corpore venient* homines qui reſurgent? Nulla credi poteſt vt tāta gloria poſſit venire diſſoluto puluer, vt tu prędicas. Priori reſpondet quęſtioni. Natura benè patitur mortuors reſurgere. Illud enim quod tu *inſipiens*, qui de reſurrectione dubitas, ſemen, inquam, illud *quod tu ſeminas non viuificatur*, id eſt, nullo modo viuere poteſt. *niſi prius moriatur*, & computreſcat: quemadmodum vides quod oportet ſemen putrefieri, vt ſic poſtea viuat: Ne dubites iam hominem iterum poſt mortem viuere poſſe, cum per mortem oporteat viuere. Probat aliam quæſtionem, futuram, ſcilicet, gloriam corporum eiuſdem ſeminis ſimilitudine dicens. Verè in maiori gloria corporum venient. Nam *quod ſeminas* tu, *non* ſeminas illud *corpus quod futurum eſt: ſed ſeminas nudum granum:* corpus autem de nudo grano futurum: multa grana, paleas, & culmos eſt habiturum. Similiter non ſit tibi abſurdum: ſi dicamus corpora noſtra in maiori gloria reſurrectura quam hic ſeminentur. Tu ſeminas nudum granum, *vtputa*, id eſt, ſicut eſt granum *tritici*, *aut* granum *alicuius cæterarum ſegetum*. Tu ſeminas nudum granum: *ſed Deus dat illi* grano *corpus ſicut vult*, fertilitate granorum, ſpicarum & culmorum glorioſum: *& vnicuique* tamen

Probatur reſurrectio mortuorum per legem naturæ.

** poſſibilitatem.*
** materiæ.*

B C D

ſeminum reddit *proprium corpus:* quia ſi ſeminatum eſt triticum, pullulat triticum; & ſic in identitate ſeminum ſingula grana reſurgunt, & hoc in exemplum melioratę reſurrectionis, non amiſſæ ſubſtantiæ. Cumque omnes in hoc conueniant, quod reſurrectionis gloriam ſunt habituri: in eo tamen differunt quod quidam glorioſiorem ſunt habituri: quidam non adeò, ſecundum differentiã meritorum. Diceret aliquis. Cùm omnis hominum materia ex eiſdem cõſtet elementis, videtur vt quicquid vni cõferetur, totum in alio poſſideat ſimilis materia. Quod Paulus (vt ad meliora ſemper prouocet eos) per ſimilitudinem aliarũ creaturarũ improbat: quia quemadmodum omnia animalia ex eiſdem elementis facta ſunt, eadem tamen materia non aufert, quin alia & alia inter ſe ſint. In cęleſtibus etiam creaturis ex eiſdem materijs conſtitutis differentia eſt ad inuicem claritatis; ſic in hominibus natura carnis omnibus eadem non impedit: quin poſſint diuerſificari in gloria reſurrectionis. Litera ſic iungitur. Licet omnes reſurgant in maiori gloria carnis, tamen differenter: nec hoc impedit eadem omnibus materia cõditionis: Sicut vides quod *non omnis caro, eadem caro:* licet omnis ex eadem materia: *ſed alia* eſt caro *hominum* & *alia* eſt *pecorum. Alia* autem eſt caro *volucrum. Alia* autem eſt caro *piſcium.* Et ſicut terrena corpora inter ſe differunt, ſic cœleſtia à terrenis. *Sunt* enim *corpora cæleſtia, & corpora terreſtria:* & cum in hoc quòd corpora ſunt, conueniant: tamen in hoc differunt quod *alia* quidem *eſt cæleſtium corporum gloria, alia autem terreſtrium.* Et ſicut cœleſtia à terrenis differunt, ſic ipſa cęleſtia inter ſe. Nam *alia* eſt *claritas ſolis, & alia* eſt claritas *lunæ: & alia* eſt *claritas ſtellarum.* In ipſis etiam ſtellis differentia: *nam ſtella differt à ſtella in claritate:* & ſicut hæ creaturæ viciſſim à ſe differunt claritate: *ſic etiam reſurrectio mortuorum* differens erit iuſtis in claritate gloriæ. Et licet in gloria re-

A ſurrectionis differant: hoc tamen indifferenter habent quod hic *ſeminatur* corpus hominis *in corruptionem*, id eſt, ad hoc vt corruptioni ſubiaceat. Seminare dicit à die quo concipitur homo, vſque ad diem reſurrectionis omnium. Seminatur quidem in corruptione: *ſed ſurget in incorruptione*, id eſt, vt ab omni corruptione alienum ſit, & hoc ſurgere erit in die iudicij. *Seminatur* non ſolum in corruptione, ſed etiam *in ignobilitate.* In multa enim vilitate carnis homo generatur, *ſed* tunc *ſurget in gloria*, B perpetua habenda. *Seminatur* hic *in infirmitate*, omnibus enim morbis & diuerſis hic ſubiacet miſerijs: *ſed* tunc *ſurget in virtute* impaſſibilitatis & immortalitatis. *Seminatur* hic *corpus animale*, quod quotidianis ciborum fomentis ſuſtentari oportet, vt quodlibet animal: *Sed* tunc *ſurget corpus ſpirituale*, quod ſpiritu ſolo regitur, ſine vſu corporei cibi. Verè animale corpus ſeminatur: ſiquidem hoc veſtrum *corpus animale eſt, ſurget* idem *ſpirituale* corpus: ſiquidem ſpirituale tunc erit. Vel aliter. Verè C corpus ſurget ſpirituale: nam ſi corpus modo dicitur animale, vocandum eſt etiam idem corpus ſpirituale: nam animale non diceretur, niſi reſpectu ſpiritualis, vt quaſi vim relatiuorum habeant, animale & ſpirituale: verè corpus hoc eſt animale, *ſicut ſcriptum eſt* in Geneſi. *Primus homo*, hic autem dictus eſt *Adam, factus eſt* in animam non viuificantem corpus: quia cito morte diſſolutum eſt, ſed *in animam viuentem*, id eſt, quę viueret ibi in carne: niſi enim corpus cibis aleretur, anima non viueret ibi. Et ideò dicitur viuens, quaſi alienis viribus, & non viuificans. D Et verè ſurget corpus ſpirituale: nam *nouiſſimus Adam*, id eſt, Chriſtus dicitur Adam, quia natus de ipſo ſecundum lineam carnis: ideò autem nouiſſimus, quia poſt eum non eſt futurus alius Adam, qui nouam inducat generationẽ. Omnis enim homo, vel carnalis Adæ filius vel ſpiritualis. Hic, inquã, nouiſſimus Adam,

Gen. 2. 7. Viuens & viuificans differunt.

factus

factus eſt in ſpiritum non viuentē, ſed *viuificantem.* In illa enim reſurrectione ſic anima corpus viuificabit: vt nullo egens alimēto viuat perpetuo.

Obiectio. Diceret ille. Licet Chriſtus qui Deus fuit, ita potuit viuificari, ego non ſic

Solutio. potero, qui tantum homo ſum. Nihil impedit ait Paulus: quia licet Chriſtus Deus ſit: tamen *non prius* fuit illud corpus *quod eſt ſpirituale, ſed* prius fuit illud corpus *quod* eſt *animale*: & *deinde* fuit illud corpus, *quod* eſt *ſpirituale.* Verè primus homo factus eſt in animam viuentem. Nam *primus homo* factus eſt *de terra terrenus.* Et ſecundus Adam factus eſt in ſpiritum viuificantem. Nam *ſecundus homo* factus eſt *cœleſtis* veniens *de cœlo.* Et *qualis* fuit primus ille *terrenus*, *tales* ſunt *& terreni*, qui adhærent eius terrenitati. *Et qualis* fuit ſecundus ille *cœleſtis*, *tales etiam* erunt imitatores eius *cœleſtes.* Et quādoquidem qui terrenum ſectabitur terrenus erit, & qui cœleſtem: cœleſtis; *igitur ſicut portauimus imaginem terreni* Adę per peccatum, *ſic* amodo *portemus imaginem cœleſtis* Adæ, per iuſtitiam vitæ: vt depoſito onere terrenitatis, gaudeamus in leuitate gloriæ cæleſtis. Quia modo dixerat qualis fuit cœleſtis, tales erunt adhærentes ei. Dixerat etiam portemus imaginem cœleſtis: ne occaſione horum verborum putarem⁹ nobis ad ſaluationem ſufficere veterem hominem in baptiſmo deponere, & nouum hominem ibidem aſſumere. Determinat Paulus non ſatis eſſe hoc modo imaginem cœleſtis portare, niſi continua imitatione operum portemus. Litera ſic iūgitur. Licet dixerim, portemus imaginem cœleſtis, & erimus cœleſtes: tamen *hoc dico*, id eſt, determino vobis, *fratres, quoniam*, id eſt, quod *caro & ſanguis*, id eſt, qui carni acquieſcunt & ſanguini, quædam enim peccata ſunt ex carnalitate, vt mollis luxuria: quædam ex vitio ſanguinis, vt ira ex melancholia: & quicunq; carnem & ſanguinem peccati ſectantur: hi *non poſſunt poſſidere regnum Dei*, id eſt, ſeipſos in futura

A gloria. Regnum enim Dei nihil aliud eſt, quam ipſi homines. In hac vita nemo poſſidet ſe: quia nulla dies eſt, qua non quiſq; poſſideatur à peccato, ſed in futura beatitudine quiſque iuſtorum poſſidebit ſe. Vbi nemo tentatione carnis inquietabitur. Verè caro & ſanguis non poſſidebunt regnum Dei: nam caro & ſanguis eſt corruptio: regnum autem Dei eſt incorruptio. *Corruptio* vero *non poſſidebit incorruptelam:* igitur caro & ſanguis non poſſidebunt regnum Dei. *Regnū Dei quid eſt.*

B Quia modo ſuperius dixerat: quicunque portauerit imaginem cœleſtis, reſurget in gloria. Dixerat iterum quod caro & ſanguis nullo modo poſſidebunt regnum Dei: ne hæc verba intelligeret aliquis eſſe contraria: ſoluit illud abſoluendo omnem contrarietatem, dicens. Ne prædicta verba mea malè interpretemini, *ecce dico vobis myſterium,* id eſt, aperio vobis rem occultam, vt per eius apertionem auferam à vobis huius rei dubietatem. Verè *quidem* eſt (ſicut præfatus ſum) quod *O. currit ur tacita obiectioni.*

C *omnes reſurgemus*, id eſt, omnes corpora reſumemus: *ſed* tamen *non omnes immutabimur*, in accipiendo gloriam: quia quidam reſurgent ad pœnam ſibi augmentandam: alij ad gloriam. Reſurgemus quidem *in momento*, & vt maiorem facilitatem reſurrectionis aperiat, corripit quod dixerat, in momento, dicens. *Reſurgemus in ictu oculi*, id eſt, quam cito oculus tranſit ad peruidendum aliquid: Vel quam cito palpebra palpe-

D bræ iungitur. Hoc autem fiet *in tuba nouiſſima:* non quod vox tubæ ibi audiatur, ſed ſicut vox tubæ victores inuitat ad palmam; victis vero fit ad terrorem: ita vox illa ſignum erit iuſtis vt triumphi meritum accipiant, impijs autem terrorem pœnæ incutiat. Nouiſſima ideo, quia cum multas voces dederit Chriſtus in mundo, vnde terreret impios, lætificaret iuſtos: vox illa iudicij nouiſſima erit conſummans iuſtis gloriam, impijs iram indeficientem. Et quia de tuba hac nihil amplius dixerat, ſubdit. *Tuba ſonus an præcedet reſurrectionem.* *Alia eſt aliorū hac de re Doctorū ſententia.*

Benè dico tuba. *Nam canet tuba.* Non determinat vtrum Chriſtus, vel angelus tuba illa canere debeat. Vel vt ſit nominatiuus, tuba illa canet *&* in voce tubæ *reſurgent mortui incorrupti,* id eſt, in integritate membrorum reſtaurati: quidam tamen dolore pœnarum corrumpendi, ſed *nos* electi Dei *immutabimur,* accipiendo gloriã reſurrectionis. Verè immutabimur: *nam oportet,* id eſt, (vt verè ſint ſcripturæ) ineuitabile eſt. oportet, inquã, *corruptibile hoc,* id eſt, corpus tot miſerijs attritum, *induere incorruptionẽ:* Et quia incorruptum poſſet eſſe ad tempus, vt tamen non euaderet; ad didit *&* oportet *mortale hoc* corpus *induere immortalitatem:* Verè hoc mortale fiet immortale: *nam mors abſorpta:* id eſt, deſtructa & deglutita eſt *in victoria* Chriſti, q morte ſua mortem ſuperauit: vel in victoria ſua, id eſt, mortis: per hoc enim quòd mors inuadere Chriſtũ præſumpſit, in quo non erat peccatum, quod eſt cauſa mortis, in ipſa ſua præſumptione occubuit, Hęc autem auctoritas in Oſee ſic inuenitur. O mors ero mors tua. Et quia hãc ſcripturam quidam malè interpretabantur, dicẽtes, hoc ſcriptum eſſe de morte animæ, non corporis: prẹmittit Paulus expoſitionem huius auctoritatis dicẽs. Cùm autem hoc mortale corp⁹ induerit immortalitatem. Non enim (ſicut quidam malè ſuſpicantur) anima ſola euaſura eſt mortem: ſed cum anima etiam corpus: tũc fiet, id eſt, implebitur ſermo ille qui ſcribitur in Oſeæ. Abſorpta eſt mors in victoria ſicut dictum eſt. Verba quæ ſequuntur eiuſdem Prophetæ eſſe dicuntur, inſultantis ipſi morti, quia deſtructa ſit, & dicentis. Quandoquidem abſorpta eſt. *Vbi eſt ô mors* nunc *tua victoria:* qua iuri tuo omnia ſubijciebas? Et ô *mors vbi eſt* modo *tuus ſtimulus.* i. peccatum quod in aculeo ſuæ caudæ, mortẽ loco veneni geſtabat? Ait Paulus, benè dico ſtimulus: nam *peccatum eſt ſtimulus mortis* .i. aculeo ſuo mortem hominibus inſtimulãs. Pro eo, quod Paulus quid ſit ſtimulus exponit, prę-

Oſee 13.

A cedentia verba putantur non eſſe ipſius: Vel ſi ſunt Pauli, non tamen mutatur ſententia. Inſultando enim dicit morti, quia modo abſorpta es. Vbi eſt ô mors tuã victoria? Cætera nõ mutantur. Ne iterum dicerent. Cùm deſtructo peccato deſtruatur mors, benè modo nobis eſt, quia per legem deſtruemus peccatum. Contra hoc Paulus. Peccatum eſt ſtimulus mortis. *Lex* vero nullo modo debilitat peccatum: immò *eſt virtus,* & augmentum *peccati.* Et hoc congruè remouit, vt ſicut per Chriſtum probauerat fieri reſurrectionem, ſic per eũdem oſtendit eſſe omnem peccati re-

B miſſionem. Et quia lex auget peccatum: ideo nulla legi *gratia,* ſed *Deo* omnes agamus gratias: *qui dedit nobis victoriã* peccati, & mortis, & hoc *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Et quia ex Deo & per Chriſtum omnis victoria. *Itaque fratres mei,* vt ſitis Deo *dilecti, eſtote ſtabiles* in bono: dũ in quiete pacis eſtis. Eſtote etiam *immobiles* à fide, ſi aduerſa irruerint.

C Vos dico *abundantes in opere Domini,* vt *ſemper* melius & melius operemini. Vos dico ſemper *ſcientes quod labor veſter non eſt inanis,* id eſt, ſine fructu: ſed in gloria magna reſurrecturi eſtis, & hoc *in Domino* .i. per Dominum miſericorditer agentem in vobis.

CAP. XVI.

D *De collectis autem quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinaui in Eccleſiã Galatiæ, ita & vos facite per vnam ſabbati. Vnuſquiſq; veſtrum apud ſe reponat, recondens quod ei bene placuerit: vt non cùm venero, tunc collectæ fiant. Cùm autem præſens fuero, quos probaueritis per Epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Hieruſalem. Quod ſi dignũ fuerit, vt ego eam, mecum ibunt. Veniam autem ad vos, cùm Macedoniam pertranſiero. Nam Macedoniam pertranſibo. Apud vos autem forſitan manebo, vel etiam hyemabo, vt vos me deducatis*

22.q.11.animaduertendũ § 2.

ducatis quocunque iero. Nolo enim vos modo in tranſitu videre. Spero enim me aliquãtulum temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit. Permanebo autem Epheſi, vſque ad Penthecoſten. Oſtium enim mihi apertum eſt magnum, & euidens, & aduerſarij multi. Si autem venerit Timotheus, videte vt ſine timore ſit apud vos. Opus enim Domini operatur ſicut & ego. Ne quis ergo illum ſpernat. Deducite autem illum in pace, vt veniat ad me. Expecto enim illum cum fratribus. De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogaui eum, vt veniret ad vos cum fratribus: & vtique non fuit voluntas eius, vt nunc veniret. Veniet autem, cùm ei vacuum fuerit. Vigilate, ſtate in fide: Viriliter agite & confortamini: Omnia enim veſtra in charitate fiant. Obſecro autem vos fratres, noſtis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam ſunt primitiæ Achaiæ, & in miniſteriũ ſanctorum ordinauerunt ſeipſos, vt & vos ſubditi ſitis eiuſmodi, & omni cooperanti & laboranti. Gaudeo autem in præſentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam id quod vobis deerat, ipſi ſuppleuerunt. Refecerunt enim & meum ſpiritum, & veſtrum: Cognoſcite ergo qui eiuſmodi ſunt. Salutant vos omnes Eccleſiæ Aſiæ. Salutant vos in Domino multum Aquila & Priſca, cum domeſtica ſua Eccleſia: apud quos & hoſpitor. Salutant vos omnes fratres. Salutate inuicem in oſculo ſancto. Salutatio mea manu Pauli. Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema maranatha. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcũ. Charitas mea cum omnibus vobis in Chriſto Ieſu. Amen.

23.q.4 quiſtarium. 24.q.3.cũ ergo.) item in alia.

POſtquã ſingula quæ præcipienda erant, diſpoſuit; ſecundum ordinem rectæ fidei in fine Epiſtolæ, de quibuſdam priuatis eos admonet, ſcilicet vt ſanctis qui erant in Hieruſalem, quos & rapina infidelium, & publica fames oppreſſerat, ſubuenirent, miniſtrantes aliquid de ſuis abũdantijs. Litera ſic iungitur. De reſurrectione mortuorum ſic credite. *De collectis autem quæ fiunt* deferendæ *in ſanctos*, qui ſunt in Hieruſalem, *ita & vos facite per vnam* diem *ſabbati*, id eſt, ſeptimanæ, *ſicut ordinaui* debere fieri in *Eccleſiis Galathiæ*. Et ne putetis hæc collecta meis vſibus me velle deputare: præcipio vt *vnuſquiſque veſtrum reponat apud ſe*: non tamen ſic vt ſuum eſſe putet illud, ſed *recondens*: & quaſi alienũ integrè cõſeruet: *quod ei bene placuerit* pauperibus ſanctis erogare. Ideò dico facite per vnã ſabbati: *vt non cum venero, tũc primum collectæ incipiant fieri*. Vt autem omnem ſuſpitionem auferam à vobis male ſuſpitioſis, *cũ* ego *præſens* vobis *fuero*, non proprios legatos, ſed *hos quos probaueritis* (id eſt, quos ex vobiſipſis elegeritis) *mittã perferre gratiam veſtram*, id eſt, gratuitum donum veſtrum *in Hieruſalem*. Mittam dico *per Epiſtolas*, id eſt, cùm Epiſtolis meis, in ſignum ipſis traditis. ¶Dicerent Corinthij: aliorũ munera ipſe defers, & noſtra quare deferre dedignaris? Ad hoc Paulus. Certe *ſi dignum fuerit* donum veſtrum, *vt ego ire debeam*: *ibunt mecum* legati veſtri: vt ego ſimul veniens commendem gratiam veſtram. Sic faciam de gratia veſtra. *Veniam* etiam *ad vos cũ pertranſiero Macedoniã*: prius ſum enim ad Macedonas iturus. Benè dico pertranſiero: *nam* verè *pertranſibo Macedoniam*: ſed poſtea *manebo apud vos forſitan*, id eſt, ſi Deus conceſſerit. *Vel* etiam vt plus dicam: *hyemabo* penes vos, *vt* vos *deducatis me quocũq*; à vobis diſcedens *iero*. Ideò hyemabo: quia *nolo vos modo videre in tranſitu*. Ideò non in tranſitu videbo vos: quia *ſpero me aliquantum manere apud vos, ſi Dominus permiſerit*. Et licet dicam me tranſiturum ad vos, prius *tamen permanebo Epheſi vſque ad Penthecoſten*. Et neceſſe eſt ibi permanere me: quia *oſtium apertum eſt mihi magnum*, id eſt quia multi Epheſiorum ad fidem ſe præparant. *Et oſtium euidens*: quia iam quædam ſigna fidei video in eis: & oportet me inſiſtere: quia *aduerſarij multi* ſunt, qui volunt eos ſubducere Chriſto. Ego modo Epheſi manebo. *Si autem*

Timotheus, deferens hanc epiſtolam, A *venerit ad vos, videte vt ſine timore ſit apud vos.* Quicquid.n. mihi de vobis nunciauit, ad correptionem veſtram fecit, & ideo videte ne eum inquietetis: vtique ſine timore debet eſſe apud vos: *quia opus Domini operatur in vobis, ſicut ego*, & alij diſcipuli, & quia opus Domini operatur: *ergo* videte *ne quis ſpernat eũ:* ſed obtemperate monitis eius. Nec ſolùm non ſpernatis eum: *ſed* etiam *illum* reuertentem ad me *deducite in pace: vt* illæſus *veniat ad me*: ego *enim expecto illum cũ* aliis *fratribus.* Apollo Epiſcopus Corin- B thiorum fugiẽs diſſenſionem eorum reuerſus fuerat ad Paulũ, de quo Corinthij ſcripſerãt Paulo: vt eis remitteret Epiſcopum ſuum. Reſpõdet eis Paulus, ꝙ Apollo nolit reuerti, priuſquam bene ſint correcti, dicens. De Timotheo ſic agite: *de Apollo autem fratre noſtro*, & Epiſcopo veſtro *ſignifico vobis: quoniam multum rogaui vt veniret ad vos: & vtiq. non fuit voluntas eius, vt nunc veniret* ad vos, *ſed veniet cum vacuum ei fuerit*, & vos benè C correctos intellexerit. Vt autem aduentum huius patris veſtri mereamini, *vigilate*.i. ſtudiosè cauete vobis ne erretis, & *ſtate in fide:* vt à ſana fide non deuietis: & in fide ſtãtes *agite viriliter*.i. bene operamini. Nec ad horam ſed in bonis actibus perſeuerando *confortamini.* Studentes vt *omnia veſtra fiant in charitate* .i. in dilectione Dei & proximi: in qua hucuſq; nimium tepuiſtis. *Obſecro vos fratres*, vt ſubditi ſitis Stephanæ, & Fortunato, D & debetis. *Noſtis* enim *domũ Stephanæ & Fortunati, & Achaici.* Hoc; inquã, noſtis *quod* iſti *ſunt primitiæ Achaiæ*, Primi.n. de Achaia crediderunt. Corinthus in Achaia eſt. Noſtis etiã hoc quòd *iſti ordinauerunt ſeipſos in miniſterium ſanctorũ:* quibus proprijs manibus & de ſuis rebus miniſtrauerũt. Hoc, inquam, obſecro, vos, *vt ſubditi ſitis his* omnibus *q* in vobis *ſunt eiuſmodi: & omni cooperanti* illis in bono: *& laboranti* ſimiliter in miniſterio ſanctorum. Vt autem ſubditi ſitis illis: ſcitote quoniam ego *gaudeo in*

Corinthus in Achaia.

præſentia Stephanæ, Fortunati, & Achaici: ſic enim mihi eſt de illis quaſi ſi præſentes eos habeã. Gaudeo, inquã, & merito: *quoniam ipſi impleuerunt* in me & in ſanctis *hoc quod deerat vobis:* ipſi enim miniſtrauerunt nobis in tẽporalibus, quod cùm vos debuiſſetis, neglexiſtis. Verè ipſi ſuppleuerunt, *nam refecerunt ſpiritum meum* miniſtrando neceſſaria, *& per hoc ſpiritũ veſtrum.* Niſi enim bonis ſuis fouiſſent nos: non poſſemus tãdiu immorari veſtræ inſtructioni. Et quia refecerunt Spiritum meum & veſtrum, *ergo cognoſcite*.i. ex dilectione obedite eis: & omnibus *qui ſunt eiuſmodi. Salutant vos* ô Corinthij, *omnes Eccleſiæ. Salutant multum in Domino Aquila & Priſca, cum domeſtica ſua Eccleſia* .i. & eorum familia vos, ſalutat. *Salutant vos omnes fratres. Salutate vos inuicem in oſculo ſancto* .i. oſculamini vos alterutrum, euacuãtes à vobis ſchiſmata. *Salutatio* quæ ſequitur facta eſt propria *manu, mea* dico ſcilicet *Pauli*, hæc. ſ. gratia Domini noſtri &c. ¶ Mos erat Pauli, vt ipſe idem manu propria Epiſtolam clauderet, ne dubitaretur quin à ſe mitteretur Epiſtola: & hoc propter pſeudo: qui ſub nomine Pauli, furtiuas mittebant Epiſtolas. Ab hac autem ſalutatione ſua excludit infideles, dicens. *Si quis non amat Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum*, hunc non ſaluto: ſed *ſit anathema*.i. ſeparatus à Deo. anathema dico Maranatha. Hoc verbum ex Syro ſermone conficitur, & hebræo; & ſonat Dominus venit. Quaſi diceret. Qui non amat Chriſtum, ſeparetur ab eo, dum ipſe Dominus ad iudicandum venit. Vel ſit anathema, & malo ſuo: quia Dominus venit fortaſſis hodie vel cras, vt vlciſcatur de eo. Hæc autem eſt mea ſalutatio, à qua impios ſeparo. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit vobiſcum: & charitas mea ſit cum omnibus vobis* .i. omnes vos diligatis me, licet aliquantulum aſperius vox correxerim: & hoc ſit *in Chriſto Ieſu*.i. propter amorem Chriſti Ieſu: Amen id eſt, ita fiat.

Maranatha quid ſonat alias Maran Athan.

PROLOGVS IN SECVNDAM EPISTOLAM ad Corinthios.

A

Quid agatur in hac Epiſtola ſecunda ad Corinthios.

IN ſecunda ad Corinthios Epiſtola, quaſi in parte ſuperiori poſt tribulationum ſuarum relationes, reddit cauſas quare ad eos ſecundò non
1. ierit: quoniam non leui mutatione conſilij feciſſe ſe aſſerit, ſed ne aduentu ſuo triſtitiam incurreret, cùm in peccato permanere diſcipulos reppe-
2. riſſet. *Deinde* poſt agnitos fructus pænitentiæ, reconciliat eum Eccleſiæ: quem in prima propter fornicationem, à conſortio ſanctorum iuſſerat
3. amoueri. *Tertiò* contra pſeudo Apoſtolos officij ſui dignitatem tuetur, & noui teſtamenti miniſtros tantò anteire gratia oſtendit, quantò Euange-
4. lium eſt lege pręſtantius. Immoratur etiam in cauſa illa plurimum, quam breuiter in prima contigerat: vt prõpto ac libenti animo neceſſaria præſentis vitæ non habentibus, largiantur: & vtilitate ſpiritualis commercij commutent præſentia cum futuris: atque abundantia ſua ſanctorum inopiam ſuppleãt: vt viciſſim eorum inopia ſanctorũ abundantia ſupplea-
5. tur. In fine repetit quod ſuperius cõtra pſeudo apoſtolos egerat, & iactationem eorum, prædicationeſq́; de ſe glorioſas, vel collata antiquitate generis, vel catalogo iniuriarum ac periculorum ſuorum euacuat: dicitq́; eos operarios ſubdolos, qui ad imitationem Satanæ transfigurentur in Apoſtolos Chriſti: ſub prædicationis ſpe lucra pecuniaria quæq́; ſectantes.

ARGVMENTVM IN eandem.

POſt actam à Corinthijs pænitentiam, conſolatoriam ſcribit eis Epiſtolã Apoſtolus à Troade per Titum, & collaudans eos hortatur ad meliora; contriſtatos quidem eos, ſed emendatos oſtendens.

ARGVMENTVM B. BRVNOnis in eandem.

PAvlvs hãc iterum Epiſtolam ſcribit ad Corinthios: quorũ alios ſufficienter per priorem Epiſtolam correxerat: ſed quidam eorum eo adhuc errore grauabantur, vt pſeudo doctores Paulo præferrent: accuſantes Paulũ de ſimplicitate ſermonis, extollentes pſeudo in ſapientia

B

carnali. Quare & in hac Epiſtola ſatis immoratur in depreſſione pſeudo doctorum, & in commendatione ſui apoſtolatus. In primis etiam eos qui iuſti erant in Corinthijs, ſeu qui modo per epiſtolam Pauli bene fuerant correcti, ſeu illos qui à principio acceptæ fidei perdurauerunt, in bono conſulendo. Hi enim multa patiebãtur à fratrib⁹ peruerſis, quos illi pſeudo concitabant in ſanctos. Cumque omnes bonos indifferenter conſoletur, eum quem ex nomine repręhen-

C

derat: quia vxorem patris ducere prçſumpſerat, quia bene correctum audiuit, ſingulare præceptum de eo ponit, vt reſtitueretur Eccleſiæ, à qua pro peccato ſe alienatum humiliter tolerauit. De collectis etiam, de quibus in prima Epiſtola illis ſcripſerat, in hac diffuſius agit: vt qui breui admonitione abuſi fuerant, iterata & magis producta admonitione de eodem contemnere non audeant. In hac autem Epiſtola materia ſunt ipſi

D

ijdem Corinthij correcti ſeu incorrecti. De his autem agit conſolando bonos, ne deficiant in aduerſis: ſed per patientiam tribulationum certatim proficiant in augmentum virtutum. Incorrectis verò errorem ſuum & peccatam improperat: ea vtiq́; intentione de vtriſque habita, vt diuerſitatem eorum in quandam redigat vnitatem: ſcilicet vt & boni in melius proficiant: & mali declinando errorem ſuum, ſalubri imitatione bonos inſequantur.

EPISTOLÆ II. AD CORINTHIOS.

CAP. I.

PAVLVS *Apoſtolus Chriſti Ieſu, per voluntatem Dei, Et Timotheus frater, Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi: cum omnibus ſanctis qui ſunt in vniuerſa Achaia.* Epheſ.1.3. 1.Pet.1.2. *Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis: qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, vt poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt per exhortationem, qua exhortamur & ipſi à Deo: Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Siue autem tribulamur pro veſtra exhortatione & ſalute, ſiue conſolamur pro veſtra conſolatione, ſiue exhortamur pro veſtra exhortatione & ſalute, quæ operatur tolerantiam earundem paſſionum, quas & nos patimur: vt ſpes noſtra firma ſit pro vobis: ſcientes quoniam ſicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & cōſolationis. Non enim volumus ignorare vos fratres, de tribulatione noſtra quæ facta eſt in Aſia: quoniam ſupra modum grauati ſumus, & ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed ipſi in nobiſipſis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo qui ſuſcitat mortuos: qui de tantis periculis nos eripuit & eruit: in quem ſperamus, quoniam & adhuc eripiet adiuuātibus & vobis in oratione pro nobis: vt ex multarum perſonis facierū eius quæ in nobis eſt donationis per multos gratiæ agantur pro nobis. Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ: quod in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei conuerſati ſumus in hoc mūdo, abundantius autem ad vos. Nō enim alia ſcribimus vobis, quam quæ legiſtis & cognouiſtis.* (cognoſcitis.) ** Spero autem quod vſ-* A *que in finem cognoſcetis, ſicut & cognouiſtis nos ex parte: quia gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra, in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et hac confidentia volui prius venire ad vos, vt ſecundam gratiam haberetis, & per vos tranſirem in Macedoniam, & iterum à Macedonia venirem ad vos, & à vobis deduci in Iudæam. Cùm ergo hoc voluiſſem, nunquid leuitate vſus ſum? Aut quæ cogito, ſecundum carnem cogito, vt ſit apud me eſt, & non? Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter qui fuit apud vos, non eſt in illo & non: ſed eſt in illo eſt.* (*non habet ſed eſt in illo eſt.) ** Dei e-* B *uim filius Ieſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt, per me & Siluanum & Timotheum, non fuit in illo eſt & nō, ſed eſt in illo fuit. Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo eſt. Ideo & per ipſum dicimus amen Deo ad gloriam noſtram. Qui autem confirmat nos vobiſcū in Chriſto, & qui vnxit nos Deus, & qui ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris. Ego autem teſtem Deum inuoco in animā meam, quod parcens vobis, non veni vltra Corinthū: non quia dominamur fidei veſtræ, ſed* C *adiutores ſumus gaudij veſtri. Nam fide ſtatis.*

MORE ſuo ſalutem præmittit, dicens; *Paulus* (quod nomen tam humilitatis quam auctoritatis eſt) Paulus inquam *Apoſtolus* .i. legatus *Chriſti Ieſu*: gloriam enim Chriſti annunciat. Apoſtolus, dico, non per temerariā præſumptionem vt pſeudo, ſed *per voluntatem* .i. per beneplacitum *Dei*: *&* cum eo *Timotheus frater* .i. cooperator in opere Chriſti. D Ideò Timotheum reponit, per quem primam Epiſtolam miſerat: vt ſciant ſibi cognita eſſe omnia, quę apud eos geruntur. Paulus inquam & Timotheus ſcribunt *Eccleſiæ* .i. conuocationi fidelium. Eccleſię dico *Dei* .i. in qua gratia Dei tantum operatur: & non merita Doctorum vt pſeudo gloriātur. Eccleſiæ dico *quæ eſt Corinthi*, Corinthiorum vtique Eccleſiæ ſcribit *cum omnibus* .i. & omnibus *ſanctis*, id eſt, in baptiſmo per Chriſtum ſanctificatis: cū omnibus dico *qui ſunt in*

Achaia prouincia eſt in qua Corinthus ſita erat.

vniuerſa Achaia. Quaſi diceret. Eccleſiæ Corinthi omnibuſq; Eccleſijs illi ſubiectis. Achaia .n. dicitur prouincia, in qua metropolis Corinthus ſita erat. *Vobis* Corinthijs ſit *gratia*, his qui peccauerunt ſecūda remiſſio: his qui bene correcti ſunt, vel qui poſt acceptam fidem non peccauerunt, ſit perſeuerantia gratiæ bene cuſtoditæ. Et ei ſcilicet ſit *pax*. i. bona tranquillitas animi *à Deo* qui poteſt: *patre noſtro*, qui pium ad nos affectum habet, *& à* Deo qui ſimiliter poteſt, *Ieſu Chriſto*, & vult: quia ſaluare nos officium eius eſt. Nunc in primis gratias agit Deo pro perſeuerātia eorum qui lapſi non fuerant, & pro correctione eorum, qui errore contempto bene ſe emendauerant: conſolaturq; eoſdem exemplo ſuo, vt fortes ſint in aduerſis, quæcunq; oporteat eos pati, dicens. Quia vos in fide Chriſti laborare video: inde gratias agens dico: *Benedictus* ſit *Deus* Domini noſtri Ieſu Chriſti: *& Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Deus eius eſt, ſecūdū quod Chriſtus homo fuit. Pater Chriſti eſt, ſecundùm deitatem in qua filius æqualis eſt patri: ipſe tamē principium habens à patre, non pater ab eo. Qui ſi Ieſu Chriſti pater eſt, cū nos Chriſti filij ſimus: ſic per Chriſtum Deum patrē habemus. Duo prædicta, Deus, & pater, ſpectāt ad chriſtum: eadem duo quæ ſequuntur ſpectāt ad homines. Benedictus etiam ſit qui Deus & pater eſt chriſti. *Pater* eſt etiam *miſericordiarum*. cùm poſſet dicere dator miſericordiarum, dixit pater; vt oſtēdat eum & datorem, & ex paterno affectu nobis bona dantem, Pater, inquam, miſericordiarum, *& Deus totius conſolationis*. Miſericordiæ dicūtur omnia dona Dei, ſeu dentur in aduerſis, ſeu in proſperis. conſolatio autem dicitur tantum vbi fuit deſolatio. Poſſet etiam dixiſſe, ſi vellet, pater conſolationis & Deus miſericordiarum, idemq; eſſet. Deus dico conſolationis non imperfectæ: ſed *totius* .i. perfectæ. In quibuſcunq; enim deſolamur, potens & præſto eſt conſolari nos Deus: quia conſolatio nunc

A eis fuerat opportunior: ideo circa bona conſolationis magis immoratur, dicens. *Qui* Deus *conſolatur nos*, me ſcilicet & condiſcipulos meos *in tribulatione noſtra*, quā patimur. Nec in quadam tantum, ſed *in omni*. Vbicunque enim tribulamur, facile vel difficile ſecundùm modum tribulationis, preſto eſt medicina conſolantis. conſolatur, inquam, non ſolum vt nos liberet: ſed etiam *vt poſſimus & ipſi* qui tribulamur *cōſolari eos*, qui modo videbamur deſolati: & per ex-
B emplum patientiæ noſtræ: & per exhortationem ſermonis. conſolari dico eos *qui ſunt in preſſura* tribulationum. Nec in quadam tantum: ſed *in omni* preſſura interiori vel exteriori, poſſumus eos conſolari *per exhortationem*. Poſſet dicere per conſolationem, ſed vt oſtenderet ſe non ſimpliciter conſolari, ſed etiam fortiores fieri. Ait per exhortationem *qua* alii ſancti & noſipſi *exhortamur à Deo*: vt videntes Deum præſentem nobis in tribulatione, nihil dubite-
C mus in quæcunque tormenta irrumpere: & alios ad exemplum ac virtutem patientiæ, verbo & exemplo inuitare. Et verè exhortamur à Deo: *quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti*.i. quas vel pro chriſti nomine, vel pro exemplo chriſti pro nobis paſſi ſuſtinemus. Sicut enim paſſiones abundant *in nobis*; *ita* copioſè *abundat* etiam *conſolatio noſtra per Chriſtum* nos conſolantem. Vel per chriſtum: quia per exemplum patientiæ eius conſolamur. Et quæcunque patimur: & quandocunq; conſolamur:
D hoc non ſolùm propter nos, ſed etiam ad inſtructionem veſtri: *ſiue* enim *tribulamur*, hoc fit *pro veſtri exhortatione*: vt ad patiendas tribulationes fortes ſitis: & ſic pro ſalute æterna habenda: *ſiue etiam conſolamur*, hoc fit *pro veſtri conſolatione*, vt ſciatis vos ſimiliter à Deo in tribulatione conſolandos: & ſic pro futura ſalute habenda: *ſiue* etiam *exhortamur*: hoc totum fit *pro veſtri exhortatione*, vt vos exemplo noſtro & doctrina exhortati ſitis ad meliora, &

ſic pro habenda vobis ſaluatione. Videndum eſt quod hæc verba, tribulamur, conſolamur, exhortamur, hic in paſſiuâ ſignificatione legũtur: verè totum pro vobis, quia *quæ* tribulatio, conſolatio, & exhortatio *operatur* in vobis, verbo & exemplo noſtro, *tolerantiam paſſionum etiam earũdem quas patimur etiam nos*, qui tantæ auctoritatis apud Deum ſumus: non ergo miremini, ſi vos inferiores Deus permittat vexari. Operatur in vobis tolerantiam, *vt ſpes noſtra* habita *pro vobis*, qua & vos, ſperamus in bono perſeuerare, & ſalutem æternam appræhendere: vt hæc ſpes *ſit firma*, id eſt, permanens: & veritate virtutis roborata. Non ait, de vobis, ſed pro vobis: vt oſtendat ſuam charitatem pro bono eorũ affectuosè ſollicitam eſſe. Patimur inquam *ſcientes:* quoniam *ſicut eſtis* nõ dicam participes, ſed *ſocij paſſionum* noſtrarum: *ſic eritis etiam* ſocij *cõſolationis*, quàm futuram expectamus nobis & vobis in gloria. Et per hoc quod ſocios eos vocat, multum animat ad patientiam. Ea occaſione quia de paſſionibus loqui cœpit, tranſit ad enumerandas difficultates, quas paſſus eſt in Aſia. hoc autem facit ne poſſent objjcere Corinthij: Exemplo tuo nos Paule prouocas ad ferendas tribulationes: qui nunquam fortaſſe tam grauiter vt nos tribulatus es. Litera ſic iungitur. Benè dico patimur: nam nos ſupra modum grauati ſumus in Aſia. Sed priuſquam hoc dicat, præmittit vnde intendant totum ſpectare ad ſeſe quicquid dicturus eſt. Grauati quidem ſumus: & hoc *non volumus vos ignorare fratres de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia.* Ibi enim apud Epheſum, quia puellam ſpiritum phitonis habentem mundauit: (Act. 19. 13.) & ſic Dominis eius quæſtum quem de diuinatione puellæ habebant, abſtulit: inſtinctu eorum tota ciuitas irruit in eum. Cumq; rationem reddere vellet, ne audiretur conclamabant magna Diana Epheſiorum. Ibique tot verberibus afflixerunt eum, (Act. 19. 28.) vt in plateâ velut mortuus relinque-

A retur. Hoc, inquam, nolo vos ignorare: quoniam ibi apud Epheſum *grauati ſumus ſupra modum* priorum tribulationum, & *ſupra* humanam *virtutem*. Virtus enim hominis tanta pati non poſſet. Ita vtique grauati ſumus, *vt tæderet nos*, non dico pati, ſed *etiam viuere*: nec tantum tæduit nos viuere, *ſed* etiam *ipſi habuimus in nobis*, id eſt, in anima noſtra *reſponſum mortis:* quia cõſulentes animam noſtram: ſi forte viui euaderemus: reſpondebat nobis mortem. Ne per B hoc quod dicit, tædebat nos in tormentis viuere, putaretur ſibi contraire: vbi ait. * Conſolatur nos Deus in omni tribulatione. (* Hoc eod. capite. verſ. 4.) Contra hoc ait: ideò tantum grauati ſumus vſq; ad tædium vitæ & reſponſum mortis. *vt non ſimus fidentes in nobis*, id eſt, viribus noſtris nihil aſcribamus: *ſed in Deo* tantum confidamus, *qui ſuſcitat mortuos:* me enim de morte, id eſt, de eo pro quo alius homo moreretur, liberauit. *qui* etiam frequenter *eripuit nos de tantis periculis* quæ paſſi ſumus. *in quem* euntes bene agendo C *ſperamus*, *quoniam* vt olim, ſic etiam *adhuc* in futuro *eripiet*, in hac ereptione *adiuuantibus* aliis fidelibus *& vobis in oratione*, id eſt, per orationem factam pro nobis: Sic dico adiuuantibus: *vt per multos adiutores agantur Deo gratiæ pro nobis:* gratiæ dico *eius donationis*, id eſt, patientiæ & ſpei: & omnis bonæ donationis *quæ in nobis eſt.* Agantur dico *ex perſonis multarum facierum*, id eſt, ex perſonatis multiplici facie virtutum variatis. Sicut. n. homo facie diſtinguitur D ab alio, ſic in Eccleſia hic per humilitatem quaſi facie diſtinguitur ab alio: & alius per patientiam ab iſto, & ſic membra Eccleſiæ diuerſas virtutes diſtinctas habent facies. Ex perſonis autem multarum facierum, id eſt, varietate virtutum diſtinctis *agantur gratiæ Deo pro nobis.* Vel ita. Ex perſonis multarum facierum .i. ex diuerſitate ętatum & ſexus: perſonas multarum facierum vocans pueros, iuuenes, & cæteras ætates vtriuſque ſexus. Vel ita. Agantur pro nobis gratiæ

dona-

donationis quæ eſt in nobis. Agantur dico per multos,& quod dico per multos, hoc eſt ex perſonis multarũ facierum. Per hoc quod ait vobis adiuuantibus pro nobis ſatis cõmendat & allicit eos ſibi quos tanti facit: vt pro Apoſtolo intercedere digni ſint. In his enim verbis parificat eos ſibi.

¶ Hucuſque de Corinthijs perſectos conſolatus eſt. Hic tranſire videtur ad illos,qui nõdum ſatis correcti,adhærebant pſeudo magiſtris: memorans hic quam dignè conuerſatus ſit apud eos: & quomodo in nullo grauis fuerit eis à quibus nec victualia recepit dicens.Dignum vtique eſt, vt gratias agatis pro nobis: nam nos *cõuerſati ſumus apud vos in ſimplicitate & ſinceritate*. Sed priuſquam hoc dicat, præmittit teſtimonium huius rei, dicens.Et ſi vos negetis nos bene conuerſatos eſſe apud vos,non curo. *Nã gloria noſtra hæc eſt*.i. in hoc multum de puritate meæ conuerſationis glorior, habens *teſtimonium conſcientiæ noſtræ*.Conſcientia enim mihi teſtis eſt, quod in ſimplicitate non vt defraudarẽ vobis res veſtras vt pſeudo: ſed in ſimplicitate nihil à vobis accipiens: & *in ſinceritate Dei*.i.in puritate fidei: non admiſcens (vt illi) falſa veris: & *non in ſapientia carnali:* non enim adhæſi carnalibus documentis vt illi: ſed in gratia Dei.i. in magnificando gratiam Dei: ex qua omne bonum & nihil ex carnali ſapientia.*In gratia*,inquam,*Dei conuerſati ſumus in hoc mundo: abundantius* tamen conuerſati ſumus ad vos *apud quos*, maiora ſuſtinui, cum nihil à vobis reciperem,ne arguendi vos auctoritatem amitterem.Dicerent Corinthij, ideo Paulus hic conuerſationis ſuæ memoriam facit; vt quod olim non accepit, modo multiplicatum recipiat. Contra hoc Paulus: ne putetis intentione accipiendi à vobis, conuerſationem meam apud vos memorare. *Non enim alia* in hac Epiſtola *ſcribimus vobis*, *quam quæ* in priori epiſtola *legiſtis:* in qua ſcripſi me nihil accepturum à vobis. Nec alia modo ſcribimus quam vos *cognouiſtis* de nobis: quãdiu apud vos fuimus, nihil à vobis accipiendo: ſed de labore manuũ viuendo. Et ſicut tunc cognouiſtis:ſic etiam *ſpero quod vſque in finem cognoſcetis*, me nihil accipere à vobis:*ſicut iam et iam cognouiſtis* nos manentes apud vos. Cognouiſtis dico *ex parte* .i. ſecundũm opus quod exterius videbatis:ſed aliam partem, id eſt, voluntatem ignorabatis: ideò talem me volui cognoſci, ſcilicet nihil accipientem à vobis: quia nos *ſumus gloria veſtra,ſicut & vos noſtra*,id eſt, quia volui me gloriari in obediẽtia veſtra: & vos gloriari in doctrina noſtra:quæ vtique gloria non eſſet, ſi grauarem vos, tẽporalia à vobis accipiẽdo.Malletis enim repellere Doctorem,quam eũ ſuſtentare: quę gloria mihi de vobis & vobis de me apparebit *in die Domini noſtri Ieſu Chriſti:* quando vos de obedientia exhibita, ego de doctrina remunerabimur.Trãſit iterum ad aliud.Illi enim accuſabant eum de leuitate: quia in priori Epiſtola dixerat ſe venturum ad eos,& non venerat. De mendacio autem non poterant eum arguere.

Dixerat enim:veniã,ſi Dominus permiſerit. Litera ſic iungitur. *Et hac confidentia*,vel quia ſimpliciter & ſincerè conuerſatus ſum apud vos. Vel quia vos eſtis gloria mea: ego veſtra. Hac,inquam,vel hac confidentia *volui venire ad vos: prius* quidem volui, ſed modo nolo. Volui vtiq; tunc,*vt* per aduentum meum *haberetis ſecundam gratiam*.i. quia poſt baptiſmum peccaſtis in ſecundam remiſſionem, *&* volui *per vos tranſire in Macedoniam: & à Macedonia* reuertens, *iterum* volui *venire ad vos: & à vobis* volui *deduci in Iudæam*. Et quia ſic prius volui: *ergo cum voluiſſem hoc*.i. venire ad vos: *nunquid vſus ſum leuitate:* quia non veni ſicut prius volui? Aut quia non veni, *an ea quæ cogito ſecundùm carnem*.i. carnale commodũ *cogito:* vt ideo venire dimiſerim, quia nihil me à vobis ſperarem recepturum? an inquam ſecundùm carnem cogito *vt* propterea *ſit apud me, eſt, & non*.i. affirmatio & negatio de

eodem? Quod apud me non ſit eſt & A non: apparet in illo ſermone *qui noſter ſermo fuit apud vos* dum præſens eſſem inter vos: quia in illo ſermone tunc habito *non fuit eſt & non*. i. affirmatio & negatio de eodem: & quod ita ſit: *Deus qui fidelis eſt* & verax *hoc nouit*. Vel aliter. Verè apud me non fuit eſt & non: quia Deus fidelis.i. verax eſt. Cùm autem Deus Doctores veritatis ſe daturum promiſerit: ſi me Doctorem falſitatis inſtituit, profectò mẽdacij reus eſt. Et quod Deus ſit fidelis promittens, Doctores veritatis, apparet in eo: quia ſermo noſter qui fuit apud vos, in illo ſermone non fuit: eſt & non. Verè Deus fidelis eſt: nã in Chriſto Ieſu qui *Chriſtus Ieſus filius Dei* eſt, *qui* etiam Chriſtus *prædicatus eſt in vobis per nos*: ſcilicet *per me & Siluanum & Timotheũ*. In illo Chriſto *non fuit eſt & non*, id eſt, affirmatio & negatio de eodem: *ſed* ſemper *fuit in illo eſt*, id eſt, veritas ſeu negando, ſeu affirmando. Verè in illo non fuit eſt & non. *nam quotquot ſunt promiſſiones Dei patris in illo ſunt eſt*.i. veræ & completæ: vel etiam ſimiliter. Et quia per Chriſtum completæ ſunt promiſſiones Dei patris in illo ſunt eſt.i. veræ & completæ ſunt promiſſiones Dei: *ideo & per ipſum* Chriſtum *dicimus amen*.i. ita eſſe cõpletum ſicut promiſſum eſt. & hoc totum *Deo*.i. ad gloriam Dei, & ad gloriam noſtram. quia per veritatem Dei comprobatur veritas noſtra. Licet dicam ad gloriam noſtram: tamẽ non nobis ſed Deo debetur gloria: *qui* Deus *confirmat nos vobiſcum* vt veritas in vobis ſit: & hoc *in Chriſto*. *Qui* etiam Deus *vnxit nos* oleo ſanctificationis in baptiſmate. Qui etiam *ſignauit nos*.i. ſignum diſcretionis ab alijs (ſcilicet virtutes) dedit nobis. *Qui etiam pignus ſpiritus dedit*.i. Spiritum ſanctum vt ſit nobis arra futuræ gloriæ: quem ſpiritum dedit *in cordibus noſtris* habitatorem continuum. Et cùm Spiritus S. ſit in nobis: non eſt credendum, quòd leuitas vel mendacium fuerit in nobis. ¶ Poſtquam ſe excuſauit, quod nec pro leuitate, neque ſecundùm carnẽ cogitans ad eos venire dimiſerit: ſubdit cauſam, quare non venerit, dicens. Pro leuitate, vel quia carnaliter cogitarem venire non dimiſi: ſed ideo vt parcerem vobis non veni. Et vt credatis, vt vobis parcerem me non veniſſe, ego *inuoco Deum teſtem* huius rei. Mali quidem negligentes offendere Deum, teſtem falſitatis non multum curarent aduocare Deum: ſed Paulus qui ſe totum in Deo poſuerat: non præſumeret Deum facere teſtem eius rei, quã veram non intelligeret. Aliter enim

Mendaciũ non eſt cum Spiritu ſancto.

B agens, mendacij Deum argueret. Deum vtique inuoco teſtem: non ſolum contra corpus, vt ſi mendax fuero, in ſolo me puniat corpore, ſed etiam *in*, id eſt, contra *animam meam*, vt perdat eam cum corpore: ſi mendacij teſtem facio Deum. Inde Deum aduoco teſtem: *quod parcens vobis*.i. vt commodius poſſem parcere vobis, *non veni Corinthum vltra*.i. vlterius quam prima vice. ¶ Priuſquam dicat in quo eis non veniendo pepercerit, determinat hic quod ait, par-

C cens. Corinthij enim inſidiantes verbis eius, dicerent. Ita ais te peperciſſe, ac ſi regia poteſtate habeas nos cogere ex tua voluntate. Parcens *non* ideò dico, *quia* nos *dominamur fidei veſtræ*: fides enim res eſt voluntaria, non neceſſitate dominij cogenda. Dominari autem dicitur in poteſtatibus illis, vbi filius ſuccedit patri vſu neceſſario: ſed in prælatis Eccleſię (etiam in ſecularibus qui non lege ſucceſſionis, ſed per electionem præ-

Fides res eſt voluntaria.

D ſunt) potius dici debet ſeruitus quam dominium. Ideò ait non dominamur fidei veſtræ: *ſed ſumus adiutores* veſtri, non ceſſantes orare Deum pro correctione veſtri: adiutores dico *gaudij veſtri*. In illa enim re vos adiuuamus de qua habituri eſtis permanens gaudium: quare nobis obſequi debetis. Verè non dominamur vobis: *nam vos ſtatis fide*: quæ voluntatis res eſt non neceſſitatis: ſi vos ſtatis.

CAP.

CAP. II.

STatui autem hoc ipſum apud me: ne iterum in triſtitia venirem ad vos. Si enim ego contriſto vos: & quis eſt qui me lætificet, niſi qui contriſtatur ex me? Et hoc ipſum ſcripſi vobis, vt non cùm venero triſtitiam ſuper triſtitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere; confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium veſtrum eſt. Nam ex multa tribulatione, & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lachrymas: non vt contriſtemini, ſed vt ſciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis. Si quis autem contriſtauit me, non me contriſtauit: ſed ex parte, vt non onerem omnes vos. Sufficit illi qui eiuſmodi eſt, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus, ita vt e contrario magis donetis & conſolemini: ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui eiuſmodi eſt. Propter quod obſecro vos, vt confirmetis in illum charitatem. Ideò enim & ſcripſi vobis, vt cognoſcam experimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis. Cui autem aliquid donaſtis, & ego. Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, donaui propter vos in perſona Chriſti, vt nō circumueniamur à Satana. Non enim ignoramus cogitationes eius. Cùm veniſſem autem Troadem, propter Euangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino, nō habui requiem ſpiritui meo, eò quod non inuenerim Titum fratrem meum: ſed valefaciens eis, profectus ſum in Macedoniam. Deo autem gratias qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorē notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus Deo in his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt. Alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus? Non enim ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei: ſed ex ſinceritate, ſicut ex Deo coram Deo in Chriſto loquimur.

(.·.)

10. 19. q. 4. Nabuchodonoſor.

A POſtquā determinauit quomodo dixerit parcens; determinat in quo pepercerit, dicens Ego vtiq; non veni Corinthum, ſed ſtatui hoc ipſum quod in priori Epiſtola ſtatuerā. *Statui*, inquā, apud me non præcipitio inconſideratæ ſententiæ, ſed *apud me* diligenter pertractans ex conſilio ſtatui, *ne iterum venirem ad vos in triſtitia*. i. ad contriſtandum vos. Iterum dicit, quia in prima Epiſtola venerat contriſtari eos, quia lapſi fuerāt in peccatum: ſi non pręſentialiter, ta-
B men per epiſtolam. Vel ita. Ego iā ſemel veneram, ſed ideo nolui iterum venire, ne aduentus meus eſſet vobis in triſtitia. Ideò Paulus venire noluit: quia ſi præſens fieret, oporteret eum, vt impœnitentes ſeueritate iudicij remoueret ab Eccleſia: quia præſens non poſſet vti tanta lenitate, videns mala eorum: quanta temperantia erga illos per Epiſtolā vtitur, & ſic malum hoc eueniret: vt cum in vnitatē Eccleſiæ eos reuocare deberet: potius per diſtrictionem iuſtitię eos ab inui-
C cem separaret: quos abſens per lenitatem miſericordiæ ad vnitatē reuocare potuiſſet, quod vtique fecit. Ideò nolui iterum venire: *quia ſi ego contriſto vos* quocunque modo., *quis eſt in* vobis *qui me lætificet, niſi* ille *qui cōtriſtatur ex me*. i. ſecundū meā voluntatem, vt contriſtatus de peccato pœniteat? Quòd ſi venirē: non fieret vt aliquis me hoc modo lætificaret. Me. n. præſente diſtrictio iuſtitię magis vos deterreret quā ad pœnitentiam ſuaderet. Illud etiā innuit, ac ſi diceret. Propter Deum quidem pœnitere de-
D buiſſetis & (vt illud omittam) pro eo ſolo vt me Doctorem veſtrum lætificaretis. *Et hoc ipſum*. ſ. ne veniens in triſtitia neminem qui me lætificaret inuenirem, *ſcripſi vobis* ideo: *vt cum* præſentialiter *venero, non habeā triſtitiā ſuper triſtitiam*. Huiuſmodi quidē triſtitiā audiens vos peccaſſe habebo ſecundam, ſi veniens vos incorrectos inuenero: vtque vos correctos inueniā, ſcribo nunc me in eo lętificari tātùm qui ad pœnitentiam cōtriſtatur. Triſtitiam dico habeam de vobis in-

correctis: *de quibus modo primum oportuerat me gaudere* bene correctis. Et reuera gaudebo ſicut oportuit. Nam *confidens* ſum *in omnibus vobis*, quod de correctione veſtri gaudebo: propterea *quia* quamdiu eram apud vos, *gaudium meum* erat gaudium *omniū veſtrum:* quia vt primū videbatis me gaudentem, etiā non intellecta re de qua gaudebā, pia affectione congaudebatis mihi: & propterea confido quod reuera de vobis correctis gaudebo. Vel ita. Confidens ſum in vobis, quia gaudium meum eſt gaudiū omnium veſtrum .i. quod gaudium quod futurum expecto (vt digni ſitis habere Deum oro) & vos habituros confido. Ideò ait confidens in omnibus: ne peccantes putarent Paulum diffidere de ſaluatione ſui. Quia dixit triſtitiam habeam ſuper triſtitiam: dicerent illi: habuiſti ne triſtitiam? vtique habui. *Nam* ego *ſcripſi vobis ex multa tribulatione* corporis, ieiunando, vigilando, vt Deus parceret vobis: *& ex multa anguſtia cordis* ſollicitus de ſalute veſtra ſcripſi vobis, affligendo me per multas lachrymas. Nec ideo me tribulatum & anguſtiatum eſſe memoro, vt vos mecum contriſtemini: *ſed vt ſciatis quātam charitatem habeam ad omnes.* Charitatem dico *abūdantius in vobis* oſtēſam: apud quos & diutius manſi: & nihil à vobis recipiens, de labore manuum vixi. Oſtenſa cauſa, quare ad eos non venerit: quæ cauſa ad ſuaſionem correctionis idonea fuit: ſubdit de illo quem ab Eccleſia ſeparari iuſſerat in alia Epiſtola: qui duxerat vxorem patris: cuius pœnitentiam (quia audiuit indulgentia dignam) ſcribit Eccleſiæ Corinthiorum: vt eum recipiant: ſcientes Paulum indulſiſſe illi. Litera ſic iungitur. Nolo vt vos contriſtemini: ſed ſi quis contriſtauit me (vt ille qui vxorem patris duxit) non me tantum contriſtauit, ſed vos: & hoc ex parte: non enim omnes cōtriſtati eſtis: ſed boni tantùm condoluere fratri peccanti. Ex parte ideo dico: *vt non onerem omnes vos*.i. indignū eſt hoc onus imponere vobis omnibus,

A vt fratri nō cōpatiamini. Hoc autem ironicè dicit propter eos qui ſuperbierunt de lapſu fratris, cui condolere debuerant. vel ita. Non me contriſtauit tantum: ſed vos ex parte .i. ſecundùm partem bonorum: & hanc partē excipio vt nō onerem omnes vos de contemptu peccantis fratris: quidam enim veſtrum (ſicut iuſtum erat) cōdoluerunt. De illo autem qui me & vos contriſtauit: ſcitote quoniam *ſufficit illi qui eſt eiuſmodi*.i. tantæ fragilitatis: quod (ſi nimia diſtrictione vexetur) deſperabit. Illi, inquam, ſuf-

B ficit hæc *obiurgatio*, qua cum obiurgati eſtis, pellēdo ab Eccleſia pro peccato. Obiurgatio dico, *quæ fit illi à pluribus* peccanti fratri iuſtè condolentibus ſufficit: ita vt vos è cōtrario agētes: vt ſicut ab Eccleſia prius ſeparaſtis, nunc è contrario Eccleſiæ eum reſtituatis. *E contrario*, inquam, ſicut amplius obiurgaſtis: & ille patienter ſuſtulit: *ita magis donetis*.i. remittatis ei peccatum ſuum, & ne putet hoc vos agere, quaſi non curantes de eo, *conſolemini* eum frequenter per con-

C ſolationes ſcripturarum. Ideò dico donetis & cōſolemini, *ne forte* (quod cito contingere poſſet) hic *qui eſt eiuſmodi*, id eſt, multæ fragilitatis *abſorbeatur*, id eſt, deſperans deglutiatur *abundantiori triſtitia*. Si enim ſupra modum coerceatis eum, deſperabit de ſalute: & cito reuoluetur etiam in deterius peccatum. Melior eſt enim miſericordia ad ſalutem quam ſeueritas iuſtitiæ generās deſperationem. *Propter quod*, ne ille abſorbea-

D tur cum poſſem imperare: magis ex charitate, *obſecro vos vt charitatem* bene inceptam (charitas enim fuit quod eum ex præcepto meo, vt corrigeretur ab Eccleſia expuliſtis) Obſecro, inquam, vt charitatem *hanc confirmetis*.i. firmam & perfectam oſtendatis *in illū*, indulgendo, & in Eccleſiam recipiendo, quam charitatē incœpiſtis eum abijciendo. Debetis indulgere ei: *nam ideo ſcripſi*, vt cœptam charitatem conſummetis: & *vt cognoſcam experimētum veſtrum*, id eſt, vos expertos cum eum ab Eccleſia ex

obe-

obedientiâ ſeparaſtis; Cognoſcam, dico, *an obedientes ſitis in omnibus*: vt ſicut prius obediſtis eum remouendo; ſic nunc obediatis indulgendo ipſi. Et ſicut moneo debetis indulgere: quia *ſi vos* alicui *condonaſtis aliquid, & ego* vobiſcum indulſi. Dicerent illi donaſti fortaſsè, ſed nō propter nos. Ita, inquam: *nam quod ego donaui, ſi aliquando donaui aliquid*, hoc *propter vos donaui*. Vbi ita dictum ſuum reprimit. Si quid donaui, oſtēdit ſe paucis indulſiſſe pro alio, vt nos admoneat non pro carnali dilectione, ſed magis pro fructu pœnitentiæ dimittenda eſſe peccata. Iterū ille. Quid inde ſi tu condonaſti? M... tum vtique quia hoc *donaui in per... na Chriſti*. idem valuit illi cui do... ui, ac ſi Chriſtus donaret ei in ... pria perſona. Oportet vtique ve... dulgere ei tum propter me: pr... ea *vt non circumueniamur*, i... ne decipiamur *à Satana*. Sicut ... in nimia mollitie decipit, ſic in ... ueritate quæ ſupra modum eſt, diabolus circumuenit: ideò moneo ne circumueniamini à Satana: *quia nos non ignoramus cogitationes eius* Satanæ, quam verſutæ ſint: vbi etiam intelligimus virtutem, vt in diſciplinando peccatore ſuam inferat fallaciam. Oſtendit iterum Paulus, quod culpa eorum fuit, dum propoſitum veniendi ad eos mutauit, quia eos incorrectos audiuit. Non vltra veni Corinthum: ſed veni vſq; Troadem. *Cùm* autem *veniſſem Troadem propter Euangelium Chriſti* prædicandū: (vbique enim prædicabant) *&* cum ibi Troade *eſſet mihi apertum oſtium*, id eſt, mētes eorum paratæ eſſent ad recipiendum verbum Chriſti; & hoc *in Domino*: Dominus enim corda eorū aperiebat: cum ita veniſſem, *nō habui requiem ſpiritui meo*. Requiem ſe dicit non habuiſſe, quia in prædicando non potuit tunc laborare. Requiem non habui, *eò quod non inueni* in Troade *fratrem meū Titum*. Per Timotheum & Titum epiſtolam primam Corinthijs miſerat: Timotheus autem reuerſus erat ad Paulum: ſed Titus de-

A tinebat adhuc Corinthi, laborando de correctione eorum. Hoc autem quod propter abſentiā Titi Troadibus prædicare non potuit, culpa fuit Corinthiorum, quorum incorrectio Titum detinebat. Propter Titum noluit Troade prædicare Paulus: vel quia Titus prius eis prædicauerat, ne Paulus eo abſente prædicans, videretur minuere poteſtatem Titi. Vel quia Titus interpres erat Pauli, & linguā eorum expreſſius loqui poterat. Non vtique requiem habui: *ſed valefaciens eis* Troadibus, *profectus ſum in Macedoniam*. Hi Macedones in magno

B honore ſuſceperunt Apoſtolum: vt etiam de rebus eorum quicquid vellet, diſponere poſſet. ¶ Hic incipit Paulus magnificare ſe, & miniſteriū ...m: & pſeudo-apoſtolos multipli...er deprimere: quia quidam Corinthiorum illos præferebant Paulo. Profectus ſum in Macedoniam: ibi autem ſum conſtitutus triumphator in Chriſto, & inde *gratias* ago *Deo qui ſemper triumphat nos* .i. triumphare nos facit *in Chriſto Ieſu* .i. per Chriſtum Ieſum, in quo non triumphant pſeudo: *&* qui Deus manifeſtat *odo-*

C *rem notitiæ ſuæ* .i. Chriſtum: per cuius humanitatem odoramus diuinam & indiuiſibilem eſſentiam. Vel manifeſtat per nos odorem ſuæ notitiæ .i. prædicationem noſtram, per quam virtus Dei manifeſtatur in omni loco quo prædicamus. Manifeſtat vtique per nos: *quia nos ſumus bonus odor Chriſti* .i. ſi quis puritatem actuū noſtrorum conſiderat, poteſt odorare bonitatem Chriſti cuius nos ſumus miniſtri. Bonus, inquā, odor ſumus: & ſi non quibuſdā incredulis, tamen *Deo* qui videt interiora cordis noſtri.

D Bonus, inquam, odor ſumus quantum ad Deum: & in his qui ſalui fiunt per Euāgelium noſtrum: & *in his qui pereunt*, per cōtemptum eiuſdem Euangelij quantum ad Deum: in vtriſq; ſaluandis & perituris bonus odor ſumus: ſed quantum ad homines, *alijs quidem* ſumus *odor mortis*. Increduli enim audientes à nobis fidem Chriſti, dicunt ſe odorare rem mortiferā.

Odor mortis dico valens eis *in mortem* .i. ad damnationem. *Alijs autem*.i. fidelibus ſumus *odor vitæ*. Per doctrinã enim noſtram odorãt vitam iuſtitiæ eundo ſic in vitam æternam. Deus per nos manifeſtat odorem iuſtitiæ ſuæ: & ad hæc manifeſtanda *quis* inter pſeudo tam idoneus ſicut ego & coapoſtoli mei? Nemo vtiq; *tam idoneus: nam nos non ſumus ſicut plurimi*: ſcilicet, pſeudo, *adulterantes verbum Dei*: ſicut enim adulter rem alterius vſurpat illicitè, ſic pſeudo miniſteriũ prædicationis à nemine ſibi iniunctum. Sicut etiam adulter fructum ſobolis non quærit in opere turpitudinis ſuæ: ſed ſolummodo explere libidinem: ſic illi pſeudo ſolummodo vt lucrari poſſint temporalia: nõ c[illegible]rant de eis quos docent, ſiue pere[illegible] ſiue nõ pereant. Non, inquam, adu[l]teramus verbum Dei: *ſed* loquimu[r] *ex ſinceritate*.i. ſecũdum puram fidei veritatem. Nõ iterum adulteramus: ſed *loquimur in Chriſto*.i. ſecundum fidem & inſtitutionẽ Chriſti loquimur *ex Deo*.i. ſecundum quod Deus loqui inſinuat: *& coram Deo*.i. in beneplacito Dei.

Adulterant pſeudo verbum Dei.

CAP. III.

Incipimus iterum noſmetipſos commẽdare? Aut nunquid egemus (ſicut quidam) commẽdatitijs epiſtolis ad vos, aut ex vobis? Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus, manifeſtati, quoniam epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis & ſcripta, non atramento, ſed ſpiritu Dei viui. Non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Fiduciam autẽ talem habemus per Chriſtum ad Deum: non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non litera ſed ſpiritu. Litera enim occidit, ſpiritus autem viuificat. Quia ſi miniſtratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in glo-

A *ria, ita vt non poſſent intendere filij Iſrael in faciem Moyſi, propter gloriam vultus eius quæ euacuatur, quomodo nõ magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria? Nam ſi miniſtratio damnationis in gloria eſt; multò magis abundat miniſterium iuſtitiæ in gloria. Nam nec glorificatũ eſt, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. Si enim quod euacuatur per gloriam eſt, multò magis quod manet in gloria eſt. Habentes igitur talem ſpem, multa fiducia vtimur. Et non ſicut Moyſes ponebat velamen* Exod. 34. 33

B *ſuper faciem ſuam. vt non intenderent filij Iſrael in faciem eius, quod euacua[tu]r, ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum. Vſque [in] hodiernum enim diem, idipſum vela[me]n in lectione veteris teſtamenti ma[net] non reuelatum, quod in Chriſto eua[cua]tur, ſed vſque in hodiernum diem [cum] legitur Moyſes, velamen poſitum [ſu]per cor eorum. Cùm autem conuerſus [fu]erit ad Deum, auferetur velamen. Dom[inus] autem ſpiritus eſt. Vbi autem ſpirit[us] Domini, ibi libertas. Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini* Ioan. 4. 24. 19 q. 2. due in fine. De renũ. ut ſi de regu. lic. in prin.

C *ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.*

Et quia dico nemo ad hæc tam idoneus; dicitis propterea quod iterum (vt in alia epiſtola vbi dicebã omnibus omnia factus ſum &c.) *incipimus commendare*, id eſt, magnificare *noſmetipſos*. Non vtique: ſed miniſterium Dei in nobis. *Aut nunquid egemus ſicut quidam* (ſcilicet pſeudo) *commendatitijs epiſtolis* miſ-

D ſis ab alijs *ad vos: aut ex vobis*, miſſis ad alios? Illi enim pſeudo vt magis poſſent lucrari, cum tranſibant de loco ad locum; precabantur vt illi à quibus irent commendarent eos per epiſtolas, illis ad quos tranſibant. Ego vtique non egeo epiſtolis commendatijs: nam *vos eſtis noſtra epiſtola*, quia ſignaculum mei apoſtolatus, qui vos in fide Chriſti fundaui. Epiſtola dico *ſcripta in cordibus noſtris*: fidem enim veſtram nunquam obliuiſcimur: ſed de ſalute veſtra ſollicitè Deum rogamus:

mus: *quæ epiſtola ſcitur ab omnibus.* Omnes enim ſciunt vos per me ad fidem conuerſos, & quæ epiſtola *legitur ab omnibus.* Si quis enim velit cognoſcere, qualis ſim in vobis, me legit & cognoſcit. Vos dico *manifeſtati, quoniam eſtis epiſtola Chriſti:* quia fides veſtra & bona vita oſtendit virtutem Chriſti. Epiſtola Chriſti, dico, *miniſtrata à nobis.* Per hoc enim quod eſtis mea epiſtola qui vos inſtruxi, ego autē epiſtola Chriſti, ſic me mediante eſtis epiſtola Chriſti: quem Chriſtum vobis diſpenſaui. Epiſtola dico *ſcripta, non atramento* .i. non delebiliter. Vel atramento, id eſt, aliqua contagione vt pſeudo ſuos ſequaces polluūt: *ſed* ſcripta *ſpiritu Dei* .i. indelebiliter. Dei dico *viui*, qui & vos perpetuò viuere faciet: *non* iterū ſcripta *in tabulis lapideis*, id eſt, induratis, & verbum Dei non ſentientibus: *ſed* ſcripta *in talibus carnalibus* .i. ſenſibilibus: & verbum Dei ad fructum faciendum ſuſcipientibus. Tabulis dico *cordis* .i. interioris intellectus, vbi ait. In tabulis lapideis, mittit nos ad memoriam veteris legis, quæ data eſt in lapideis tabulis, ſignificās corda Iudæorum lapidea. Quia ſicut lapis ſculpturam quidem recipit, ſed nihil ſentit; ſic corda Iudæorum, corticem quidem legis, id eſt, carnalem intellectum ſuſceperunt: ſed medullam legis ſpiritualem, ſcilicet, intellectum non ſenſerunt. Dixit ſuperius. Nemo tam idoneus vt ego: iterum vos eſtis epiſtola mea, & per me eſtis epiſtola Chriſti, & ad hæc ſubdit talem fiduciam, ſcilicet, quod fiducialiter dixi me magis idoneum &c. Hanc *talem fiduciam* non nobis præſumimus referendam: ſed *habemus* hanc fiduciam referendam *ad Deum.* Quia enim idoneus ſum, quod vos eſtis epiſtola mea: hoc totum Deus operatur. Habemus, inquā, ad Deum, & *per Chriſtum* mediantem: Chriſtus enim ſecundum imperium Dei conſecrauit me idoneum Apoſtolum. Fiduciam vtique hanc habemus ad Deum: *non* ita *quod ſufficientes ſimus cogitare*, nedum operari *aliquid à nobis*.i. ad vtilitatem noſtram. *quaſi* hoc poſſit eſſe *ex nobis* .i. ex viribus noſtris, ſine coöperante gratia Dei. Et licet nihil ſufficiamus ex nobis, tamē ſufficimus: *ſed* illa *ſufficientia noſtra* non tantum cogitandi, ſed ſicut præmiſſum eſt, idoneè operandi. Omnis hæc ſufficientia qualiſcunque ſit, *ex Deo eſt.* ¶ Commendauit perſonam ſuam ſatis: nunc commendat miniſterium ſuum, quod iterum retorquebit ad commēndationem ſui, dicens. *Qui* Deus *fecit nos idoneos miniſtros.* Quomodo idoneos ſupra ſatis oſtendit: ſed cuius rei miniſtri ſint, illud ſubdit. Miniſtros dico *noui teſtamenti.* Vetus teſtamentum prius fuit, quod & delendum erat per nouum, & carnales ſecundum carnalitatem inſtruens. Sed Euangelium teſtamentum nouum eſt: docens & innouans ſpiritum hominis, nec alio teſtamento immutandum. Miniſtros dico noui teſtamenti exiſtentis: *non* in *litera tantum*, vt vetus: *ſed* in *ſpiritu* & litera. Vetus enim lex literalia quidem præcepta dabat, ſed quia gratiam ſpiritus non habebat, ideò magis nocebat quam adiuuaret. Ideò dico nouum teſtamentum eſſe in ſpiritu: quia ſi in litera tantùm eſſet, occideret. *Litera enim occidit, ſed ſpiritus viuificat.* Lex vetus quæ in litera tantum exiſtebat, occidere dicitur: non quia Deus dator legis, vel Moyſes miniſter legis hoc faceret: ſed impia carnalitas hominum, quæ non promeruit, vt haberet adiutricem gratiam cum litera. Quæ litera ideò occidit: quia auget concupiſcentiam peccati, dum prohibet: natura eſt enim noſtræ fragilitatis, vt auidius ruat in vetitum: cumulat etiam peccatum præuaricationis, quod non erat ante legem datam. Litera quidem ſic occidit: ſed ſpiritus, id eſt, Euangelium cum adiutore ſpiritu datum, facit viuere in iuſtitia. Commendato Euangelio ſuo, eandem commendationem refundit in ſe, dicens. Et quia miniſter ſum teſtamenti, exiſtentis in ſpiritu, meritò ſpiritualis adminiſtrationis habebo glo-

Margin notes: *Exod. 34. 1.* — *Litera occidit.*

bo gloriam. Verè miniſtratio ſpiritus erit mihi in gloria:quia miniſtratio mortis fuit Moyſi in gloria. Hoc ità ait. *Quia ſi miniſtratio mortis*.i.veteris legis:quæ & concupiſcentia maiore & noua præuaricatione mortem inferebat: Si, inquam, miniſtratio hæc mortis *literis* tantum *formata* non adiutorio ſpiritus proficua facta:formata dico *in lapidibus*. In tabulis enim lapideis lex Moyſi data fuit, vt ſignificaret lapidea corda Iudæorum. Si, inquam, hæc miniſtratio *fuit* Moyſi valens *in* habenda *gloria*:ita dico in gloria,*vt filij Iſrael non poſſent intendere in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius*, *qua* gloria *euatuatur*. Hanc enim gloriam vultus ſcimus citò elapſam à Moyſe. Si, inquã, miniſtratio mortis fuit Moyſi in tanta gloria: *quomodo miniſtratio ſpiritus*,id eſt, Euangelij cum quo per manus meas Spiritus ſanctus adminiſtratur; quomodo hoc *non erit* mihi *magis* valens *in* habenda *gloria* quàm Moyſi? Non hoc dicit, vt ſe meritò præferat Moyſi: ſed ſola dignitate miniſterij. Per manus enim Moyſi præcepta ſola dabantur, nulla gratia:ſed à Paulo & præcepta: & per impoſitionem manus eius, gratia Spiritus ſancti adiuuans, vt quæ præcipiebantur, poſſet homo operari. Quia ait in faciem Moyſi non poſſe intendere Iudæos, ſignum erat quod ſpiritualem intellectum legis capere non poterant:quem facies.i. intellectus Moyſi lucidè cognoſcebat. Iterum quòd gloria vultus eius euacuata eſt: ſignificauit illa quæ miniſtrabat temporalia eſſe, non permanentia: pro quibus temporalem habebat gloriam. Verè miniſtratio ſpiritus erit mihi in gloria: nam adminiſtrare ſpiritum, eſt adminiſtrare iuſtitiam. Miniſterium autem iuſtitiæ eſt valens in habenda gloria. *Nam ſi miniſtratio damnationis*, id eſt, veteris legis,quę & peccatum & præuaricationem peccati fecit: Si, inquam, hæc miniſtratio Moyſi *eſt* in *gloria: multò magis miniſterium*, id eſt, adminiſtratio iuſtitiæ *abundat* mihi *in gloria*.

A Abundat ideò: quia gloria mea permanens, illa tranſitoria. Vbi ſupra ait. Miniſtratio mortis,mortem peccatum intelligit. Hic autem per damnationem, pœnam peccati accipit. *Peccatum, & pœna peccati.* Verè miniſtratio mea abundat in gloria multo magis:*nam nec glorificatum eſt*, id eſt, non debet dici glorificatum hoc *quod claruit in hac parte*, id eſt, in facie Moyſi *propter excellentem gloriam*, id eſt, ad comparationem gloriæ meæ excellentioris. Vel ita. Non debet dici glorificatum illud quod claruit in Moyſe in hac B parte, id eſt, reſpectu huius meæ partis: propter excellentem gloriam, quæ partis meæ eſt, & nõ partis Moyſi. Verè gloria mea ſuperexcellẽs eſt, nam mea permanet: illa autem tranſit. Et verè illud quod manet eſt in gloria mihi, *ſi* vetus teſtamentum *quod euacuatur* Moyſi *eſt per gloriam:* idem valet quod in gloria: *multò magis* Euangelium meum *quod permanet eſt* mihi ſufficiens *in* habẽdã *gloria*. ¶ Notandum eſt, quod prius ait, ſe miniſtrare ſpiritum: per ſpiritum verò iuſtitiam: deinde quod perma- C net, Moyſes verò miniſtrauit literã, contra ſpiritum;damnationem contra iuſtitiam. Hoc quod euacuatur, contra hoc quod permanet. Et ſicut damnatio effectus eſt peccati, ſic iuſtitia effectus ſpiritus. *Damnatio effectus peccati.* Hucuſque miniſterium ſuum miniſterio veteris legis prætulit: vbiq; deprimens pſeudo, qui veterem legem reducebant. Si enim Moyſes miniſter mortis eſt & damnationis;quantò magis hi qui tãta indignitate inferiores ſunt Moyſe? Quia excellentem gloriam expe- D ctamus: *igitur* nos *habẽtes talem ſpem* (ſcilicet, permanentis gloriæ) *vtimur multa fiducia:* non reprimentes verbum Dei formidine cuiuſcunq; difficultatis. Vtimur quidem fiducia: *& non* facimus *ſicut Moyſes*, qui *ponebat velamen ſuper faciem ſuam*. ideò, *vt non intenderent filij Iſrael in faciem eius: quod* velamen modo per Euangelium noſtrum *euacuatur*. *Exod. 34. 33* In Euangelio enim aperitur quicquid in figuris veteris legis claudebatur. Diceret ille.

ret ille. Quare dicis velamẽ legis euacuatum, quæ ſicut prius ita & nunc obſcuratur? Contra hoc Paulus. Euacuatum eſt quidem velamen legis, *ſed ſenſus* impiorum peccato infidelitatis *ſunt obtuſi*. Et verè obtuſi: nam à tempore datæ legis *vſque in hodiernum diem* meum, id *velamen* ipſum quale prius erat, *manet* in lectione veteris teſtamenti *non reuelatũ*. Cùm enim infidelibus exponuntur figuræ veteris legis, infidelitas claudit corda eorum, & ſic velamen legis non eſt illis reuelatum. Non quia Euangelium noſtrum hoc velamentum non auferat, ſed *quoniam* non accedunt ad Chriſtum: *in* quo *Chriſto* .i. in fide cuius *euacuatur* hoc velamen. Velamen quidem eſt in veteri teſtamento, non ideò quin vetus teſtamẽtum per Euãgelium apertum ſit, *ſed* quia *vſque in hodiernum diem, cùm legitur* & exponitur eis *Moyſes, velamen* infidelitatis *eſt poſitum ſuper* impœnitens *cor eorum*, quod velamen euacuatum eſt in Chriſto, ad quem conuerti nolunt. Et quod ita dicendum ſit, ſequens litera innuit. Velamen ſuper cor eorum, quia non accedunt ad Chriſtum: *ſed cùm conuerſi fuerint ad Dominum*, ablato prius velamine cordis ex quo animum pœnitendi habuerunt; *auferetur* deinde *velamen* intelligentiæ, & apertè cognoſcent myſteria legis. Verè, quia cõuertentur ad Dominum, auferetur velamẽ. *Nam Dominus eſt ſpiritus: vbi autem ſpiritus* eſt *Domini*, id eſt, ſpiritus Dominus intranſitiuè dictum. Vel ſpiritus Domini tranſitiuè. Deus enim ſeipſum dat. Vbi autem eſt ſpiritus Domini, *ibi* remoto velamine eſt *libertas* intelligentiæ. Quod ſi Dominus eſt ſpiritus, ſpiritus autem aufert velamen, quia eſt libertas, igitur conuerſis ad Dominum auferetur velamen. Vbi eſt ſpiritus Domini, ibi eſt libertas. Nos verò habemus ſpiritum Domini. Habemus vtique. Nam *nos* diſcipuli Chriſti *reuelata facie*, id eſt, illuminata mente, *ſpeculantes* de alto virtutum in quo poſiti ſumus. Vel ſpeculantes, id eſt, per ſpeculum

Deus dat ſeipſum.

Libertas vbi eſt ſpiritus Domini.

A nondum perfectè intuentes. Vel hoc vel illo modo ſpeculantes *gloriam Domini* .i. eſſentiam Deitatis: *transformamur in eandem imaginem*: quia quam ſubtiliter Chriſtus ſcripturas intelligit, idem per ſpiritum nos docuit. Transformabimur plenius reſumendo impaſſibilitatem eandem, & immortalitatem. Transformamur dico *à claritate* virtutis, eundo *in* maiorem *claritatem*. Vel à claritate fidei & ſpei, quæ nunc eſt, tranſlati in claritatem rei, vt videamus Deum ſicuti eſt. Transformamur, B inquam, à claritate in claritatem *tanquam à ſpiritu Domini*, id eſt, quanto dignius & magis egregiè ſpiritus Domini valet hoc efficere.

CAP. IV.

IDEO *habentes hanc adminiſtrationẽ, iuxta quod* * *miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus, ſed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes* C *verbum Dei: ſed in manifeſtatione veritatis, commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo. Quia ſi etiam opertum eſt Euangelium noſtrum: in his qui pereunt, eſt opertum: in quibus Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago* * *Dei. Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Nos autẽ ſeruos veſtros per Ieſum, quoniã Deus qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie* D *Ieſu Chriſti. Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus; vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur. Aporiamur, ſed non deſtituimur. Perſecutionem patimur, ſed nõ derelinquimur. Humiliamur, ſed non confundimur. Deiicimur, ſed nõ perimus. Semper mortificationẽ Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes: vt*

* *habet Dei.*

* *habet inuiſibilis.*

& vita

& vita Ieſu in corporibus noſtris manifeſtetur. Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Ieſum: vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis. Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptũ eſt. Credidi propter quod locutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur: ſcientes, quoniam qui ſuſcitauit Ieſum, & nos cum Ieſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum. Omnia enim propter vos; vt gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei. Propter quod non deficimus: ſed licet is qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem. Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modũ in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: nõ contemplãtibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna ſunt.

Pſal. 115. 1.

ET *ideo* quia ſpeculamur gloriã Domini, eundo à claritate in claritatem. Nos propterea *habentes* hanc *miniſtrationem* Euangelij, non propter meritum noſtrum nobis traditam: ſed *iuxta quod conſecuti ſumus miſericordiam à Deo. Non deficimus* in hac adminiſtratione, quęcunque aduerſa ſe nobis ingerant: *ſed abdicamus* non ſolum aperta ſed etiam *occulta dedecoris* .i. peccati hominem dedecorantis. Nos dico *non ambulantes in aſtutia* extorquendę pecunię, vt pſeudo à ſubditis: *neque adulterantes verbum Dei*, vt pſeudo: *ſed* prædicando *in manifeſtatione* puræ *veritatis*: nõ enim vt illi curamus appoſitè loqui ad perſuadendum, ſed *commendantes* puritate ſermonis & vitæ *noſmetipſos*, non ad oculum, vt illi: ſed *ad omnem conſcientiam hominum.* Licet enim verbo nos inſequantur, tamen apud ſe laudant puritatem noſtram. Commendantes dico *coram Deo*.i. in beneplacito Dei: cui placere pſeudo parum, aut nihil curent. Vel ita. Quia ita ſit de nobis, hoc dico co-

A ram Deo, vt ipſe nobis teſtis ſit, qui ſolus occulta noſtra nouit. ❡ Quia dixit ibi in manifeſtatione veritatis, obijceret ille quibuſdam occultatũ eſſe Euangelium. Contra quod ait. Vtique nos euangelizamus in manifeſtatione: *quod* etiam, *ſi opertum eſt Euangelium noſtrum*: ſcitote quod *opertum eſt in his* .i. in peccato eorum, *qui* per infidelitatem *pereunt*: *in quibus* pereuntibus, *excæcauit mentes eorum*: quia adhuc *infidelium Deus huius ſæculi* .i. diabolus qui his qui de

B mundo ſunt dominatur. Iuxta illud. Princeps mundi huius eijcietur. Vel dicamus. Deus huius ſęculi.i. qui non tantum cœleſtia, ſed etiam terrena gubernat. Fuit enim error quorundam, Deum cœleſtia gubernare tantum, terrena ſolo caſu fortunæ voluere. Vel ita Deus huius ſæculi. Homines enim de mundo diuerſos ſibi deos faciunt. Hic auaritiam colit, ille voluptatem, & ab huiuſmodi deo excæcantur. Excæcauit ita *vt illuminatio* Euangelij .i. illuminatum Euan-

Ioan. 12. 31. Deus cœleſtia & terrena gubernat.

C gelium *non fulgeat*, ſed opertum ſit *illis. Euangelij* dico *gloriæ Chriſti* .i. in quo Chriſtus glorioſus approbatur: *qui* Chriſtus *eſt imago Dei*.i. repræſentans nobis Deum. Non ſic imago, vt filius alius ſit à patre in ſubſtãtia, ſed ideò imago: quia qui videt filium, videt & patrem, imago Dei inuiſibilis: & quia Deus in natura Deitatis inuiſibilis, ideò oportuit vt per Chriſtum fieret viſibile, quod in natura ſua eſt inuiſibile. Verè euangelizamus gloriam Chriſti. *Nam non prædicamus*

Chriſtus dicitur imago Dei.

D *noſmetipſos.* Vel ibi ſupra iungitur. Verè non ambulamus in aſtutia, vt pſeudo. Nam non prædicamus.i. pręedicando commendamus noſmetipſos .i. hoc quod ex nobis ipſis eſt: *ſed* prædicamus *Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrum. Nos autem* prædicamus *ſeruos*; nõ ſolum Ieſu, ſed etiam *veſtros, per Ieſum* .i. vt charitatem Ieſu in vobis ædificemus. Et meritò per Ieſum: *quoniã Deus illuxit in cordibus noſtris*, aperiens nobis myſteria ſua: vt doctiſſimus euãgelizare vobis. Illuxit Deus *qui dixit* .i. qui ſolo dicto fecit *ſplendeſcere*

deſcere lucem de tenebris. Cùm enim in principio maſſa totius creaturę tenebroſa eſſet, nulla formarum varietate diſtincta, dixit: Fiat lux, & in hoc dicto tenebras expulit, & fecit lucere illam maſſam, quæ in vnum confuſa erat, diſcernendo per varias formas Hic, inquam, Deus illuxit in cordibus noſtris, *ad illuminationem ſcientiæ*, id eſt, vt nos illuminaret de ſcientia *claritatis* Dei, id eſt, diuinæ eſſentiæ: de qua nos illuminare non potuit, niſi *in facie*, id eſt, in cognitione & fide *Chriſti Ieſu.* Niſi enim Chriſtus ſe nobis viſibilem oſtenderet, in quo tota Deitas: nequaquam ſcientiam claritatis Dei intelligere ſufficeremus. Commendauit ſe ſatis ſecundùm ſpiritum, nunc ſe multum vilificat ſecundũ corpus, & per hanc vilificationem commendans Euangelium ſibi traditum. Niſi enim gloriam Euangelij ſui mirabilem intelligeret, nequaquam pro eo tot & tã ta pati vellet. Illuminauit nos Deus de ſcientia diuinę claritatis, quę licet adeò digna ſit: tamen *iſtum theſaurum* claritatis Dei *habemus* nos *in vaſis fictilibus*, id eſt, in corporibus noſtris. Theſaurum benè vocat. Theſaurus enim eſt, quod diligitur & erogatur. Vaſa ſpiritus vocat corpora: quia ſpiritus nihil operaretur, niſi per adminiſtrationem membrorum. Manu enim porrigimus pauperi, & ſic in cæteris. Fictilia dicuntur propter fragilitatem, quod omni corruptioni ſubiaceant corpora noſtra. Ideò theſaurum iſtum habemus in vaſis fictilibus: *vt ſit ſublimitas virtutis Dei*, id eſt, vt in omnibus qui benè operantur virtutis Dei ſola ſublimetur, & extollatur: & appareat nihil eſſe ex nobis fictilibus: ideò competens fuit vt theſaurus Dei in fragili vaſe reconderetur, ne ſi *virtus* hominis aliqua eſſet, incautè ſibi vſurparet quod proprium *Dei* eſt. Verè & nos fictiles ſumus, & virtus Dei eſt in nobis fragilibus. Nam *in omnibus* & locis & rebus *patimur tribulationem* corporis: *ſed* tamen *non anguſtiamur* ſpiritu, immò dilatamur. *Aporiamur*, id eſt, pauperamur exterius, *ſed non deſtituimur* à Deo interius. Aporos græcè, pauper latinè. *Perſecutionem patimur* de loco ad locum, *ſed non derelinquimur* à Deo. *Deiicimur*, id eſt, verberibus proſternimur, vel de alto præcipitamur, *&* tamen *non perimus.* Vt finem faciam, *ſemper* ſumus *circumferentes:* hac illac in corpore noſtro *mortificationem*, id eſt, illa quæ faciunt mortem: tribulationes, ſcilicet, quæ ſunt acceſſus mortis. Et debemus libenter pati: quia mortificatio hæc eſt *Ieſu*, quam ipſe pertulit pro nobis: & nos exemplo eius hanc circumferentes: *vt vita Ieſu* Chriſti non ſolum in animabus, ſed etiam *in corporibus noſtris manifeſtur*, reddita nobis immortalitate & impaſſibilitate. In depreſſione corporis ſui adhuc immoratur: oſtendens ſe hæc omnia pati ad commendationẽ Euangelij ſui & gloriæ Chriſti: dicens. Benè dico circumferentes mortificationem: *nos enim ſemper tradimur.* Non ait ſemper, eò quod mori poſſet ſæpius, quam ſemel: ſed quia quotidie tanta patiebatur; quæ virtus hominis (niſi moriendo) non euaderet: ſed per virtutẽ ſpiritus, Paulus in melius reſtaurabatur. Mortificationem vocat tribulationes, quibus paulatim propinquat ad interitum. Mortem verò dicit, vltimum ictum in quo diſſoluitur. Nos, inquam, *tradimur in mortem:* ſuperius dixit exemplo Ieſu. Hic ait, *propter Ieſum*, id eſt, amore Ieſu. Nos dico, qui licet ita moriamur, tamen viuimus, id eſt, viuere poſſemus in gloria mũdi: longè melius quam pſeudo veſtri ſi reticeremus quę Chriſtus iniunxit. Vel ita. Nos quidem ſecundum corpus tradimur in mortem: qui tamen per mortem carnis melius viuimus, ſecundum iuſtificationem animæ. Vel ita. Nos quidẽ tradimur in mortem, ſecundùm iniuriam illatam corpori: qui tamen viuimus, non deficientes per virtutem Dei Morimur propter Ieſum: *vt vita Ieſu manifeſtetur* ſicut in anima, ita & *in carne noſtra.* Idem in præcedenti verſu

Gen. 1.3.

Corpora humana ſunt vaſa fictilia.

Aporos, pauper.

dixerat: ſed repetit vt ſoluat quod hic poſſet obijci. Vita Ieſu erit in carne noſtra. Quia ſi obijcis, carnem noſtram mortalem non poſſe fieri immortalem, quod eſt caro Ieſu: vtique dico quia in carne noſtra *mortali* fiet vita Ieſu: & per Ieſum caro quę mortalis eſt, pro certo fiet immortalis. Quandoquidẽ in mortem tradimur: *ergo mors operatur in nobis*, quod ſuũ eſt mortificando corpora noſtra: *ſed in vobis* qui ſpreta imitatione noſtra adhæretis pſeudo. In vobis vtique eſt *vita*.i. vos nihil patimini, ſed malo veſtro. Vel ita. Quia vita Ieſu manifeſtabitur in vobis mortificatis, ergo mors iſta operatur .i. vtile opus facit in vobis, ſcilicet, vitam Ieſu. Quia ſi mors vitam Ieſu in vobis operatur: tunc vita præſens quam diligitis operatur in vobis contrarium vitæ Ieſu, ſcilicet, damnationem. Vel ita. Quia per mortem, vitam Ieſu habituri ſumus, ergo mors operatur in nobis quod bonum eſt, & per mortem noſtrã vita operatur in vobis: quia meritò mortis noſtræ in fide & iuſtitia viuitis. Diceret aliquis. Non oporteret te à Deo mortificari, ſi iuſtitiam tuam quietam haberes, nec fidem Chriſti in conſpectum hominum aſſereres. Contra hoc Paulus ait ſe non poſſe reticere fidem Chriſti, quia habet ſpiritum: & per ſpiritum fidem: & quia fidem habet, ideò loquitur: & quia loquitur, mortificatur: Et quod ſic oporteat eum facere, probat auctoritate Dauid in perſona martyrũ agentis, dicens. Ideò aporiamur, deijcimur, mortificamur: quia nos habentes ſpiritum datorem fidei, eundem quem Dauid & alij ſancti habuerunt: vel eundem quem vos habetis, ſi pro Chriſto pati velitis. Virtus enim ſpiritus nulli deficit: niſi ei qui ſibiipſi primum defecerit. Nos, inquam, habemus hunc ſpiritum: & ideò nos credimus propter quod, id eſt, quia credimus. Loquimur etiam in conſpectu hominum quod credimus. Quia tribulationes præmiſerat non ſubdidit: quia loquimur humiliati ſumus verberibus, quod tamen

A inde ſequitur. Credimus & ideò loquimur, agentes ſicut ſcriptum eſt in Dauid. *Credidi propter quod*, id eſt, quia credidi *locutus ſum.* Et credendo & loquendo optimam fiduciam habemus: *ſcientes quoniam Deus qui ſuſcitauit Ieſum ſuſcitabit etiam nos, cum Ieſu* loco & immortalitate ponendos: *&* ibi conſtituet, id eſt, in æternum manſuros locabit. *Conſtituet* dico *vobiſcũ*, quos paratus eſt, ſi vultis, ſuſcitare cum Ieſu. Ideò ait nos vobiſcum conſtituet, ne putarent illi ſe nulla vitæ iuſtitia Apoſtolo poſſe parificari: quare oſtendit quod non

B ſecundum dignitates prælationum, ſed ſecundum fructus operum ſinguli remunerabuntur. Per hoc etiam quod ait, nos vobiſcum, multum eos allicit ad appetitum iuſtitiæ. Ideò dico vobiſcum conſtituet: *nam* nos *omnia* patimur, & operamur *propter vos* inſtruendos: *vt gratia abundans* in me, abundet in vobis. Quomodo in Paulo abundaret ſatis notum eſt, vt gratia, inquam, abundans in me *abundet* hac re, ſcilicet, *gratiarum actione:* per vos multa facta *in*

C *gloriam Dei.* Qui meritò debet glorificari à nobis: qui nobis abundantem gratiam dedit: ipſe quidem non ait, abundet gratia in vobis: ſed per hoc quod ad agendum gratias glorię Dei admonet, ſatis hoc innuit. Fruſtra enim agerent gratias Deo, niſi abundarent gratia Dei. Sicut hæc omnia ſe pati dixit ad gloriam Dei, ſic modo totum retorquet ad vtilitatem Corinthiorum, dicens. *Propter quod*, id eſt, quia omnia patimur propter vos, vt modo de gloria Dei ſileam: etiam pro ſola vtilitate veſtra *non de-*

D *ficimus*: quæcunque inferantur tribulationes. Diceret aliquis: Mirum eſt quod te dicis nõ deficere, quem quotidianis tribulationibꝰ videmus corrumpi: Ad hoc ait. Vtique non deficimus ſed renouamur. *Licet is*, id eſt, tam vilis *noſter homo*, id eſt, caro quæ noſtro imperio, id eſt, ſpiritui ſemper obedire cogitur: *qui* homo *foris eſt*: vt pluuias, æſtus, quæcunque aduerſa patiatur. Licet, inquam, is noſter

ſter homo *corrumpatur : tamen is* homo laudabilis *qui intus eſt*, vbi debet vexatione exterioris hominis muniri; is, inquam, qui intus eſt: quantò magis is qui foris eſt corrumpitur: tantò magis hîc *renouatur de die in diem*, id eſt, continuè. Vel de die in diem, id eſt, de virtute eundo in virtutem. Dico non deficimus:& merito. *Nam id* tribulationis noſtræ quæcunque ſit magna vel parua: *quod*, ſcilicet, *tribulationis in præſenti eſt momentaneum*, id eſt, eſt citiſſime tranſiens, nec intolerabile, ſed *leue*: hæc, inquam, talis tribulatio, *operatur in nobis pondus gloriæ æternum.* Pondus contra leue, gloriȩ contra tribulationis, æternum cōtra momentaneum: & in ſublimitate, id eſt. in cœlo contra hoc quod ait in præſenti. Pondus dictum eſt ab ea ſimilitudine, quia quod in trutina pondus habet, carius eſt, illud autem quod leue, deterius. Ideò hæc quæ patimur leuia & quaſi nulla iudicamus: quia *nobis non contemplantibus*, id eſt, non affectantibus ea *quæ videntur, ſed ea quæ non videntur*. Ideò *quæ videtur* ſpernimus: quia *temporaliā ſunt* quæ videntur. Ideò *quæ non videntur* deſideramus, quia *æterna ſunt* quæ non videntur.

Antitheſis inſignis.

Spernimus quæ videntur, quæ non videntur deſideramus.

CAP. V.

SCIMVS *enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationē ex Deo habemus, domum nō manufactam, ſed æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram quæ de cœlo eſt ſuperindui cupiētes: ſi tamen veſtiti, & non nudi inueniamur. Nam & qui ſumus in tabernaculo iſto, ingemiſcimus grauati, eò quod nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur quod mortale eſt, à vita. Qui autem efficit nos in hoc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus ſpiritus. Audentes igitur ſemper, & ſcientes quoniam dum ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, & non per*

A *ſpeciem. Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad * Dominum; & ideò contendimus ſiue abſentes ſiue præſentes placere illi. Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum. Scientes ergo timorem Domini hominibus ſuademus, Deo autem manifeſti ſumus. Spero autem & in conſcientijs veſtris manifeſtos nos eſſe. Non iterum commendamus nos vobis, ſed occaſionem* B *damus vobis gloriandi pro nobis; vt habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde. Siue enim mente excedimus, Deo: ſiue ſobrij ſumus, vobis. Charitas enim Chriſti vrget nos: æſtimantes hoc, quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: vt & qui viuunt, iam nō ſibi viuant; ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Itaq; nos ex hoc neminē nouimus ſecundum carnem: & ſi cognouimus ſecūdum carnem Chriſtum, ſed nunc iam non no-* C *uimus. Si qua ergo in Chriſto noua creatura eſt, vetera tranſierūt, & ecce facta ſunt omnia noua. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum: & dedit nobis miniſterium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi: non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbū recōciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanq; Deo exhortāte per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Eū qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit:* D *vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo.*

** Deum.*

Rom.14.10

8.q.1. in ſcripturis. 31. di. vſq;

Eſa.43.19. Apoc.21.5.

De pœ. diſt. 2. ſi enim vltra prin.

DIceret aliquis, de æternitate inuiſibiliū, quid ſcitur niſi oſtendantur? Vtiq; ait Paulus. Quamdiu in terrena habitatione tenemur, videre nō poſſumus; ſed diſſoluti ſtatim accipiemus. Et cauſam ponit, quare videre non poſſumus.i. quia in mortalitate adhuc tenemur: & tempus notat, quando hæc habituri ſumus ſolū poſt diſſolutionem, dicens. Verè quæ non videntur æterna ſunt: nam nos quibus credi oportet, *ſcimus quoniam*

Corpus humanum eſt domus terreſtris.

.i. quod *ſi terreſtris domus noſtra* .i. corpus noſtrum, materia & loco habitationis terrenum: quia & de terra eſt, & in terra habitat. Domus ideò quia anima in eo habitat velut aliquis in domo. Si, inquam, domus noſtra huius tam breuis & tã miſeræ habitationis diſſoluatur, prędictis tribulationibus pro Chriſto paſſis: hoc, inquam, ſcimus, quia ſic diſſoluetur: & quãdo diſſoluetur *quod habemus præparatam ædificationem ex Deo* .i. corpus immortale, nobis ædificatum à Deo: non quod Deus mortale corpus nõ fecerit: ſed quia illud per miniſterium maſculi & fęminæ concreſcere iuſſit. Immortale autem corpus ſine miniſtro: & ipſe idem in eo faciet immortalitatem. Habemus vtique ædificationem, ſcilicet, *domum, non manu* .i. non per miniſterium alterius *factam*, ſed *æternam in cælis* & permanentem. Per domum & per ædificationem, corpus immortale ſignificat. Verè habebimus domũ æternam in cœlis: *nam* nos *ingemiſcimus* non propter ea quæ patimur, non quod de habenda immortalitate timeamus: ſed ingemiſcendo deſideramus *in hoc*, id eſt, in hanc immortalitatem venire. Ingemiſcimus, inquam, *cupientes ſuperindui:* nos iam induti ſumus iuſtificationẽ animę: & ſuper hoc volumus indui habitationem noſtram .i. corporis immortalitatem quæ habitatio eſt nobis veniẽs de cęlo. Immortalitas enim nobis reſeruatur in cœlis. Hac tamen conditione dico ſuperindui: *ſi* nos *inueniamur* in die illo *veſtiti* iuſtificatione animæ, quæ in baptiſmo data eſt nobis prima veſtis. Diceret ille. Sicut veſtiti ita & nudi omnes indiſcretè ſuperinduentur. Hoc remouet. Veſtiti quidem induentur: ſed nudi iuſtitia animæ non veſtientur corporis immortalitate.

norum o genera.

Notat hic duo genera bonorum; contemplatiuos, de quibus modo prædixit: & eos qui in actiua vita manentes, iuſtitiam tamen Dei cuſtodiunt: de quibus ſubdit dicens. Verè perfecti ingemiſcunt, cupientes ſuperindui immortalitatem:

A *nam* etiam nos minus perfecti, *qui ſumus in tabernaculo iſto*: quibus bonum eſt eſſe in carne & nutrire eam: quæ caro tabernaculum dicitur: quia in ea militare debet anima Deo: nos etiam tales *ingemiſcimus:* ſuperindui ſimiliter cupientes: licet *grauati* ſimus eo corpore: *quod* tamen fouentes *nolumus expoliari*, id eſt, ab anima ſeparari: ſed (ſi poſſibile eſſet) volumus ſine illata morte ſuperueſtiri immortalitate: ita *vt* corpus *quod* nunc *mortale eſt*, non guſtando mortem, repente *abſorbeatur à vita* ſuper-

B ueniente: & ſic fiat immortale. Et licet dicam, nos ingemiſcimus & ſuperindui cupimus: tamen non à nobis hoc eſt: ſed *qui efficit nos* in hoc deſiderio, & ita *in hoc* vt ſit *ipſum*, id eſt, permanens in nobis hoc deſiderium: qui, inquam, hoc deſiderare nos facit, *Deus* eſt. Vel aliter præcedens verſus legitur ſic. Debemus ingemiſcere deſiderio eius habitationis, quæ eſt de cœlo. Nam etiam deſiderio terrenorum ingemiſcimus. Quod ita ait. Nos qui ſumus in tabernaculo iſto, id eſt, in carne iſta

C quam nutrimus, licet grauati mole huius carnis: tamen ingemiſcimus eò quod, id eſt, ideò: quia nolumus expoliari carnalibus iſtis: ſed ſubitò vellemus ſuperueſtiri immortalitate: vt quod mortale eſt, abſorbeatur à vita: hoc non mutatur. Et licet ingemiſcamus amore terrenorum: tamen Deus eſt qui efficit in hoc ipſum, vt cupiamus ſuperindui habitatione quæ de cœlo eſt: præponentes cœleſtia terrenis: Deus dico qui nos verè efficiet immortales. Quod ex eo credi poteſt: *quia dedit* iam *nobis pignus ſpi-*

D *ritus*, id eſt, Spiritum ſanctum, qui eſt arra & principium immortalitatis, quam perficiet in nobis.

Spiritum ſanctum eſt arra & principium immortalitatis.

Et quia Deus efficit nos in hoc ipſum: igitur audentes audemus. Audentes aſſiduitatem notat: audemus in eodem actu adhuc eſſe ſignificat. *Audentes*, inquam, *ſemper & bene ſcientes.* Quidam enim audent quod neſciunt: ſciunt quod quandoque

Audent quidam quod neſciunt.

non

non audent. Nos vtique ſemper audentes & ſciētes: *quoniam dum ſumus in* hoc mortali *corpore, peregrinamur*, id eſt, ſeparamur *à Domino*. Peregrinus dicitur qui tendit illuc, quò nondum peruenit: ſic ſancti in hoc mundo tendunt ad Deum: cuius faciem nondum apprehenderunt. Verè in corpore manentes peregrinamur à Domino; *nam* hic *ambulamus per fidem*. De re autem quæ non videtur, fides dicitur; *& nō* ambulamus *per ſpeciem*, id eſt, per veram rei operationem. Nos, inquam, audentes audemus: licet vtique caro repugnet: tamen conſtanter *audemus: &* cum audacia *bonam volūtatem habemus*. Quidam enim audent ſine bona voluntate: quidam bene volunt, qui tamen non audent. Habemus, inquam, voluntatem *magis peregrinari à corpore:* quia natura carnis eſt, vt nunquam velit diſſolui: ideò ait. Magis volumus ſeparari à corpore, *& præſentes* ſic *eſſe ad Deum* quam remanere cum corpore: nec Domino præſentes fieri. *Et ideò* vt præſentes ſimus ad Dominum, *contendimus*, id eſt, laboramus *placere illi*, *ſiue* dum adhuc in hac vita *abſentes* ſumus à Deo, *ſiue* cum in gloria *præſentes* erimus Deo laboramus, vt hic & ibi placeamus ei. Et neceſſe nobis eſt vt placeamus illi: *nam oportet*, id eſt, neceſſe eſt *omnes nos manifeſtari ante tribunal Chriſti* .i. coram Chriſto. Per tribunal, quod ſedes iudicis eſt, iudicium deſignat: *vt vnuſquiſque referat*, id eſt, reportet inde *propria corporis*: non quod commiſſa animæ non ſit relaturus: ſed propria corporis, id eſt, quę operatus eſt dum in corpore vixit. Referat dico propria *prout geſſit*, ſi tamen tempus operandi habuit. Paruuli enim, ſicut baptizati per ſolam gratiam, ſaluabuntur: ſic pueri non baptizati, propter ſolum originale damnabuntur. Referet propria prout geſſit, *ſiue bonum* fuit, *ſiue malum*, quod geſſit. Hic fit quæſtio, vt quia ait, prout geſſit: irrita videntur eſſe beneficia, quæ fiunt pro mortuis: Sed contra hoc dicitur: quia ſi mortuus vt hoc pro eo fieret, piè ordinauit. Vel ſi charitatiuè agens contra proximum hoc beneficium promeruit: geſſiſſe dicitur mortuus quod vel diſpoſuit fieri, vel promeruit. Quia omnes ante tribunal Chriſti manifeſtabimur: *ergo ſcientes* timendum eſſe Dominum, *ſuademus hominibus timorem Domini*, vt de conſpectu iudicis referant bonum. Opponeret ei aliquis. Suades hoc non tam ad vtilitatem hominum, quantum ad commendationem tuam. Contra hoc ait: Suademus ſic hominibus: *Deo autem ſumus manifeſti*, qua intentione ſuademus, ſeu vtilitati hominum, ſeu commendationi noſtræ. Nec ſolum Deo: ſed etiam *ſpero nos eſſe manifeſtos in conſcientijs veſtris*: quia & ſi ore de nobis maledicitis: tamen intus nobiſmetipſis benè ſentitis. Et hoc dicentes quod manifeſti ſimus Deo & conſcientijs veſtris: *non iterum* (ſicut in alia epiſtola oppoſuiſtis) *commendamus nos vobis*: *ſed* potius *damus vobis occaſionem* .i. opportunitatem *gloriandi pro nobis*, magiſtris veſtris. In excellentia enim magiſtri præcellitis alios. Pro nobis dico, ita *vt habeatis* quid reſpondeatis *contra eos qui gloriantur in facie*, id eſt, in oculis hominum: *& non* gloriantur *in corde* ſuo: ſed malè torquentur in propria conſcientia, hi ſunt pſeudo. Verè opportunitatem habetis gloriandi pro nobis: nam quicquid facimus, facimus vel ad gloriam Dei, vel ad vtilitatem veſtram. Quia ita ait. *Siue* nos *excedimus mente* humanam naturam, vt audiamus illa quæ non licet homini loqui. *Siue* nos *ſumus ſobrij*, id eſt, deponendo ebrietatem ſecretorum Dei: ſobriè condeſcendendo infirmitati veſtræ, vt quando de coniugio præcipiebat & huiuſmodi. Si, inquam, ſobrij ſumus, hæc ſobrietas *vobis* vtilis eſt. Et bonum eſt nos ita ſobrios eſſe: *nam charitas Chriſti* (etiam ſi nollemus) *vrget nos*, vt contemperemus nos vobis. Vult oſtendere Chriſtum ſolum ad iuſtificationem & ſalutem ſufficere, & veterem legem quam

Marginalia: *Peregrinus quis dicitur.* — *Reſpon.* — *Paruuli nō baptizati, damnantur pœna dāni.* — *Quæſtio an mortuis proſint ſuffragia viuorum.* — A — B — C — D

pſeudo nituntur reducere, nil prodeſſe: ſed multum nocere, dicens: Charitas Chriſti vrget nos *exiſtimantes hoc, quoniam ſi vnus*, ſcilicet, Chriſtus *mortuus eſt pro* redimendis *omnibus: ergo omnes mortui ſunt* originali peccato, per mortem vnius. Nec pro hoc ſolo mortuus eſt vt peccato moreremur: ſed vt per mortem eius iuſtitiæ viueremus. Quod ſic ait: Eſt Chriſtus mortuus pro omnibus: ideò *vt qui* mortui ſunt peccato, *& qui viuunt* iuſtitiæ, *iam non viuant* attribuentes hoc quod viuunt, *ſibi* (vt fiebat ſub veteri lege) *ſed* viuant *ei*, id eſt, ad gloriam eius, *qui mortuus eſt pro ipſis* peccato mortificandis: *& reſurrexit* pro eiſdem, vt in iuſtitia reſurgerent. Quandoquidem in morte Chriſti mortui ſumus peccato: & eo reſurgente reſurreximus iuſtitiæ, id eſt, quia Chriſtus ad omnem iuſtificationem ſufficit: *itaque nos ex hoc*, poſtquam Chriſtus paſſus eſt, & reſurrexit: neminem *nouimus*, id eſt, approbauimus ambulantem *ſecundum carnem*, id eſt, ſecundum carnales ritus veteris legis. Obijceret ille. Quare ita improbas legem, quam Chriſtus approbauit & tenuit? Cōtra hoc Paulus: etſi, id eſt, quamuis nos olim cognouimus in tempore illo quo adhuc inſiſtendæ erāt figuræ Chriſtum ambulantem ſecundum carnem, id eſt, operantem ritus veteris legis: ſed, id eſt, tamen nunc poſtquam data eſt gratia: iam olim quidem nouimus: ſed iam amplius non nouimus Chriſtum ſecundum carnem: Et quia iam neminem nouimus ſecundum carnem, ergo *vetera tranſierunt*. Præmittit locum vnde inferat dicens. *Si qua creatura* eſt *in Chriſto*, id eſt, ſi hoc eſt quod homo ſecūdum recreationem animæ accipiat in Chriſto noua. i. innouata: vetuſtate peccati depoſita, apparet quod vetera tranſierunt. Et ecce in euidenti eſt: *Facta ſunt omnia noua* creatura in Chriſto. Adhuc obijceret ille. Et ſi Chriſtus hoc operetur: tamen quia legem à Deo datam euacuat, non eſt ſequendus: quia ex Deo non operatur, ſed cōtra Deum.

A Et Paulus in quo aduerſarius volebat infirmare rationes ſuas, ſcilicet, quia Chriſtus ſecundū Deum hoc non faceret, in eodē approbat dicens Deum operari per Chriſtum euacuationem veteris legis. In Chriſto facta ſunt omnia noua: hæc *autem omnia* quæ Chriſtus operatur, ſunt *ex Deo*: qui Deus per Chriſtum hoc operatur. *Reconciliauit* enim humanum genus *ſibi per Chriſtum*. i. per hominem illū, qui fuit medietas in quā connecterētur duæ extremitates longè à ſe differentes: homo, ſcilicet, & Deus: *& qui*

B Deus *dedit nobis*, mihi & alijs Apoſtolis, *miniſterium reconciliationis*, id eſt, vt miniſtraremus hominibus, quo modo per Chriſtum recōciliati ſunt Deo, ſi volunt vt recōciliati Chriſto reconcilientur Deo. Quia iterū Deus poſſet hoc operari ꝑ hominē Chriſtum: ita quod non tota diuinitas ſic habitaret in homine illo. Determinat Paulus quomodo Deus fecerit per Chriſtum, ſcilicet, plenitudine diuinitatis habitante in eo corporaliter. Determinat etiam, quomodo ipſe factus ſit miniſter reconciliatio-

C nis, ſcilicet, verbo tātum vt eā prædicaret gentibus. Sed Chriſtus ſic fuit miniſter reconciliationis, veluti per quem, & in quo res ipſa operata fuit: benè dico Deus reconciliauit nos ſibi per Chriſtum, *quoniam* quidē *Deus erat in* ipſo *Chriſto*. i. tota diuinitas in homine illo. Deus dico *reconcilians ſibi mundum*, id eſt, homines mundi per Chriſtum. Reconcilians dico ita, ſcilicet, *non reputans*, id eſt, non exigens, ſed indulgens *illis*, id eſt, mundo, *delicta ipſorum*. Et huius rei miniſterium ita dedit nobis, quod poſuit

D in nobis verbum reconciliationis, id eſt, vt prædicaremus reconciliationem factam per Chriſtum, vt homines reconciliantes ſe Chriſto, reconciliarentur Deo. Et quia Deus poſuit in nobis verbum reconciliationis: ergo nos *fungimur legatione* Dei. Nec vilipendatis hanc noſtram legationem, quia fungimur ea *pro Chriſto*, id eſt, auctoritate Chriſti: ſcientes contemptum meum, contemptum

eſſe Chriſti. Et quia hac legatione fungimur pro Chriſto, *Obſecramus* vos fratres, *reconciliamini Deo*, declinantes à malo, facientes bonum. Reconciliamini dico, & hoc pro Chriſto, id eſt, amore Chriſti: qui tanta charitate vos dilexit. Et obſecrationem noſtram nolite ſpernere: ſed habeatis eam *tanquam per nos Deo exhortante* vos, id eſt, obſecrationem meam ſciatis eſſe Dei exhortationem. Bonum & dignum eſt vos reconciliari Deo, qui Deus eum, id eſt, Chriſtum *qui non nouerat peccatum* (licet per ſcientiam, non tamen per experientiam facti) *illum fecit Deus peccatum* pro nobis redimendis.

Chriſtus peccatum factus eſt.

Peccatum factus eſt Chriſtus ſecūdùm pœnam peccati quàm pertulit: ſicut aliquem innocentem ſuſpenſum diceremus furem, ſecundùm pœnam furti quam pateretur; licet actus furti non eſſet in eo. Vel Chriſtus dictus eſt peccatum. Hoſtia enim illa quæ pro peccato offerebatur peccatum vocabatur: ſic Chriſtus quia pro peccato omnium oblatus eſt, peccatum dicitur. Pro nobis, inquam, Deus Chriſtum fecit peccatum, *vt nos efficeremur*, non tantùm iuſti, ſed etiam ipſa *iuſtitia*: nec falſa, vel legis: ſed vera iuſtitia *Dei*, & hoc *in ipſo* .i. per Chriſtum.

CAP. VI.

ADiuuantes autem exhortamur, ne in vacuū gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te: & in die ſalutis adiuui te.

Eſa. 49.8.

Ecce nunc tempus acceptabile: Ecce nunc dies ſalutis. Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum. Sed in omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros,

1. Cor. 14. Infr. 11.

in multa patientia, in tribulationibus, in neceſsitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuaui-

A *tate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei. Per arma iuſtitiæ; à dextris & à ſiniſtris. Per gloriam, & ignobilitatem, Per infamiam, & bonam famam.*

De pœ. di. 2. §. fi. 6. q. 1. ſunt plurimi.

Vt ſeductores & veraces: ſicut qui ignoti, & cogniti. Quaſi morientes, & ecce viuimus: vt caſtigati, & non mortificati. Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes. Sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia poſsidentes.

De reli. & vene. ſan. c. vnico in cler.

Os noſtrum patet ad vos ô Corinthij. Cor noſtrum dilatatum eſt. Non anguſtiamini in nobis, anguſtia-

B *mini autem in viſceribus veſtris. Eandem autem habentes remunerationem. Tanquam filijs dico, dilatamini & vos. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?*

De pœ. di. 1. porro. § fi. antequam. De pœ. di. 2 ſi enim

Quis autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis: & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.

1. Cor. 3. 25. Leui. 26. 12.

C *Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus: & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos: & ero vobis in patrem: & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.*

Eſai. 31. 9.

OBſecramus adiuuantes: nos autem vt efficiamini iuſtitia Dei adiuuantes per miniſterium prædicationis Domini in vobis. Vel *adiuuantes* vos inſtructione & orationibus

D ad Deum, *exhortamur* vos, *ne gratiam Dei in vacuum recipiatis*: quaſi diceret: vos vtique gratiam Dei recepiſtis: ſed videte ne in vacuum, id eſt, ne inutilem vobis receperitis. Benè dico gratiam: nūc enim eſt gratia. *Ait enim* pater ad Chriſtum integrum cum membris ſuis, quæ eſt Eccleſia. Ego *exaudiui te*, id eſt, compleui quod poſtulabas dimittendo peccata. Exaudiui, inquam, te *in tempore accepto*: & Deo cui in eo placuit miſereri homini: & accepto homini, quia in eo ſe ſolutū à morte peccati

gauiſus eſt. Exaudiui te dimittendo peccata. *Adiuui* etiam *te* cōfortatum ad bona opera ſimiliter in tempore accepto: *in die* .i. in claritate veræ cognitionis poſitum. Die, dico, *ſalutis*, quia per veram cognitionem iter eſt ad æternam ſalutem. Hoc legitur in Eſaia. Modò Paulus quādo hoc tempus acceptum intelligendum ſit, exponit, ſic: Deus ait tempore accepto, & *ecce* fratres *nunc*, id eſt, à paſſione Chriſti, in poſterum eſt illud *tempus acceptabile* : & *ecce nunc eſt* illa *dies ſalutis*, in qua Deo acceptum eſt exaudire & adiuuare. Et ideo ſic exhortamur vos : nos *nemini dantes vllam offenſionem*, id eſt, ſic nos habentes moribus verbo & habitu vt nulli generemus offenſionē: in aliquo horum. Ideo nō dantes offenſionem, *vt non vituperetur miniſterium noſtrum*, .i. ne apoſtolatus noſter vituperabilis ſit, quod vtiq; eſſet : ſi quod bene doceo: in meipſo nō oſtenderem. Nullā damus offenſionem : ſed exhibemus nos miniſtros Dei : & vt in eo permaneamus Deus hoc concedat, vt exhibeamus noſmetipſos in omnibus quæ loquimur & agimus, *ſicut*, id eſt, verè *miniſtros Dei*, vt ibi quaſi modo geniti, ſcilicet *in patiētia multa*, id eſt, multipliciter patiendo corpore & animo exhibeamus nos Dei miniſtros. Subdit partes patientiæ: in multa patientia dico, habita *in tribulationibus*, vt quocunque modo corpus noſtrum tribuletur, æquanimiter toleremus. Habita etiam patientia *in neceſſitatibus* ne aliqua indigentia deficiamus. Habita iterum patientia *in anguſtijs animi*, & *in plagis* corporis, & *in carceribus*. Patientes etiam in ſeditionibus quas aduerſum nos concitant infideles. Patientia iterum habita *in laboribus* : manibus enim noſtris laboramus, ne aliquem grauemus. Patientia habita etiam *in vigilijs*, plærunque enim eum vigilare oportuit diſputantem de fide. Habita etiam patientia *in ieiunijs* : quia multotiens eum ieiunare oportuit, modo coactione, modo indigentia, modo voluntate. Hæc

Iſai. 48. 8.

Patientia partes multæ ſunt.

1. Theſ. 2. 9

A omnia præmiſſa partes ſunt patientiæ, cætera coæquæua ſunt illi. Exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros *in caſtitate*, quod caſti ſimus animo & corpore. Exhibeamus nos etiam miniſtros Dei, *in ſcientia*, vt ſufficienter de omnibus docti ſimus. Vel vt caſtitatem & ſcientiam vnum membrum dicamus. Simus miniſtri Dei, in caſtitate & in ſcientia .i. in caſta ſcientia: non ſit verſipellis ſciētia noſtra, vt ſcientia pſeudo doctorum. Simus etiam miniſtri Dei *in longanimitate*. Quod ſi differtur corona, patienter tamen ſuſtinemus onera. Simus

B etiam miniſtri Dei *in ſuauitate*, .i. in leni manſuetudine habita, *in Spiritu ſancto*, non adulatoria ſuauitate. Exhibeamus iterum nos Dei miniſtros, *in charitate non ficta*, vt verè diligamus Deum & proximum: & *in verbo veritatis*, vt in pura veritate ſonent verba noſtræ prædicationis : non vt pſeudo qui intendunt fallere mendacibus verbis. Simus etiam boni miniſtri *in virtute Dei*, vt

C per ſigna miraculorum comprobem me eſſe idoneum magiſtrum. Exhibeamus etiam nos miniſtros Dei *per arma iuſtitiæ*, habentes iuſtitiam loco armorum *à dextris & à ſiniſtris*, id eſt, à proſperis, & ab aduerſis, quod nec proſperis ſeducamur, nec per aduerſa deijciamur. Quæ amodo ſequuntur, partes ſunt dextri vel ſiniſtri. A dextris dico vt *per gloriam* quod ſi aliqui glorificant nos, vt ibi quando voluerunt ei ædificare aras:

D in hac gloria exhibeamus nos tanquam Dei miniſtros. A ſiniſtris ſicut *per ignobilitatem*, vt quando detrahunt nobis, dicentes nos falſa prædicare. In hac ignobilitate exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros. Iterum *per infamiam* quæ pars ſiniſtræ eſt, vt quando dicebatur ei : inſanis Paule. *Et* iterum *per bonam famam* : vt quando ab alijs prædicatio eius extollebatur : per hæc vtraque exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros. Nos iterum habiti *vt ſeductores*, & ab alijs habiti *vt veraces* : Exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros. Nos iterum

Act. 26. 24

habiti, *ſicut qui ignoti ſint* Deo : & ſecundùm alios habiti tãquam Deo *cogniti*:in vtroque exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros. Nos iterum habiti *ſicut morientes*.i. in criminalia cadentes ſecundùm quoſdam , *& ecce* ſecundum alios in iuſtitia *viuimus*: in vtroque exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros. Nos iterum habiti *vt caſtigati*, ſecùndùm quoſdam:qui poſt illata nobis verbera dicerent : ecce non amplius audebunt loqui : & ſecundùm alios habiti non caſtigati qui dicerent nunquam propterea reticebunt Dei verbum , quæ caſtigatio eſſet mortificatio:& ideo ait *mortificati*: in vtroque exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros. Nos iterum habiti *quaſi triſtes* ſecundùm quoſdam, quòd contriſtemur aduerſis corpore vel ſpiritu , habiti autem ſecundùm alios *ſemper gaudentes* corpore & ſpiritu : in vtroque exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros. Nos etiam ſecundum quoſdam habiti *egẽtes*, vel corporali bono vel ſpirituali: ſecundùm alios autem habiti quaſi *locupletantes multos* in ſpiritualibus bonis: in vtroque exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros. Nos iterum exiſtimati *tanquam nihil* penitus *habentes* boni temporalis,ſeu ſpiritualis ſecũdum quoſdam: & ſecundùm alios exiſtimati tanquã *omnia*.i.Deum *poſsidentes:* In vtroque exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros. Vt pſeudo-doctores in conſpectu veſtro deprimam : *ô Corinthij , os noſtrum* modò *patet ad vos* : multa de gloria noſtra & ſatis diffusè loquendo, qui in priori Epiſtola me ſeruum omnium propoſui. Et vtique os noſtrum dignè patere potuit , quia *cor noſtrum dilatatum eſt*:quęcunq;.n. de gloria noſtra loquor , omnia in me circumſpicit eſſe conſcientia mea.Et quia os patet & cor dilatatum eſt, iam amplius *nõ anguſtiamini in nobis*. Quia .n. ſimpliciter vos docui , quos rudes inueneram,dicitis culpam meam eſſe quod in charitate anguſti eſtis:ſed vtique in exemplo noſtro bene apparet quod non anguſtiamini in nobis : *ſed anguſtiamini in viſceri-*

A *bus veſtris* .i. huius tenacitatis & anguſtiæ fomes eſt in cordibus veſtris. Vel aliter : vt pauca ſuperius mutemus. Hortamur vos,ne gratiam Dei fruſtra recipiatis : quod ne fiat nemini ſitis dãtes vllam offenſionem prauo opere vel exemplo , vt miniſterium noſtrum.i. ne magiſterium noſtrum per vos offendentes ſit vituperabile. Ne detis offenſionem,ſed exhibeamus nos in omnibus,vt melius eos alliciat ad bonum , cum eiſdem ſe inſerit dicens: nos ſicut Dei miniſtros. Et ſecundùm hoc ſicut in propria B ſignificatione erit. Omnia quæ ſequuntur non mutantur, niſi quod ſicut ad Paulum , ſic expoſita ad eos ſpectare dicantur. Et quia ô Corinthij nunc multa & ampla præcepta do vobis : modo patet os noſtrum ad vos multa præcipiendo , qui me prius arguebatis vos cõmonitos eſſe de paucis. Nec mirum ſi patenti ore multa vobis præcipio , quia cor noſtrum dilatatum eſt .i. omnia in me inuenio quæ vobis operanda trado. Et ex hoc iam apparet: quia non an- C guſtiamini in nobis ſi pauca operamini , ſed anguſtiamini in viſceribus veſtris. Nolite autem anguſtiari, ſed charitate dilatemini:ſicut alię Eccleſiæ ita & vos : & hoc *dico* vobis *tanquam filijs*, vos dico ſpe quidem iam *habentes eandem remunerationem* quã nos habemus, ſcilicet cœleſtem gloriam. Et vt in mandatis Dei *dilatemini. Nolite ducere iugum cum infidelibus* pſeudo. Per iugum veterem ſignificat legem ; quæ grauiter opprimebat D obſeruatores ſuos. Non debetis ducere iugum cum infidelibus: quia vos iuſti,illi iniqui. Vos lux, illi tenebræ. In vobis Chriſtus , in illis Belial. Vos fideles ; illi infideles. Vos templum Dei, illi idolorum. Et *quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras?* Nulla vtiq; ſocietas debet eſſe membrorum, vbi eſt differentia capitum: ſed Chriſtus caput noſtrum : Belial caput illorum. *Quæ* autem *conuentio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem conſenſus*

Lex vetus iugum dicitur.

templo

emplo Dei cum idolis, i. cum illis im-
pijs, qui velut idolum ſedes ſunt dæ-
nonis? Sicut enim in idolo, ſic in ip-
ſis reſponſa dabat dæmon. Benè dico
emplo Dei: nam *vos* fideles *eſtis tem-
plum Dei viui*, quia in vobiſipſis vi-
uit: dum vos in bono viuere facit. Et
hoc dico, ſicut dicit Dominus Deus
per Ezechielē: licet alijs verbis. Hoc,
nquam, dicit Deus: *quoniam*.i. quod
nhabitabo in illis fidelibus iuſtifican-
os per fidem, *&* etiam *inambulabo*
le virtute promouēdo in virtutem.
Et ita apparebit quod ego *ero Deus il-
lorum, & ipſi erunt mihi populus*. Qui-
unque enim viderint iuſtitiam eo-
um, dicent: Hi ſunt populus Dei, &
Deus habitat in illis. Nunc de hac au-
toritate infert Paulus aliam de eo-
em Ezechiele ſumptam. Vbi in ca-
tiuitate Babyloniæ Iudæis ſuadebat
xire, & ſeparari ab operibus malis
entilium. Quod ſi facerent, promit-
ebat eis à Deo liberationem dicens.
Propter quod, ſcilicet, vt ſitis populus
Dei, *de medio impiorum exite:* nō ope-
antes quæ operantur. *Separamini et-
iam* ab eiſdem voluntate, non tātum
pere. Sic autem fieri neceſſe eſt, quia
hæc dicit Dominus. *Ne* etiam *tetige-
ritis immundum*.i. nec etiam delecta-
onem habueritis in immūditiis eo-
um, quod ſaltem placeant vobis. *Et*
hoc feceritis, *ego recipiam vos: & vo-
bis* receptis *ero in patrem, & vos eritis
mihi in filios*, *vel* etiam in *filias* quæ
maiori diligentia ornantur à paren-
bus. Et hæc omnia credere & face-
e vos oportet, quia hæc *dicit Domi-
nus omnipotens*.

CAP. VII.

HAs *igitur habentes promiſſiones chariſſimi, mūdemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus perficientes ſanctificationem in timore Dei. Capite nos. Neminem læſimus. Neminem corrupimus. Neminem circumuenimus. Non ad condemnationem veſtram dico.* * *Prædiximus enim quod in cordibus noſtris eſtis*

A *ad commoriendum & ad conuiuendum. Multa mihi fiducia eſt apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis. Repletus ſum conſolatione: ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. Nam & cùm veniſſemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus. Foris pugnæ, intus timores. Sed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus in aduentu Titi. Non ſolum autem in aduentu eius: ſed etiam in conſolatione * qua conſolatus* * quo.
eſt in vobis, referens nobis veſtrum de-
B *ſiderium, veſtrum fletum, veſtram æmulationem pro me: ita vt magis gauderem. Quoniam etſi contriſtaui vos in epiſtola, non me pœnitet. Et ſi pœniteret videns quod epiſtola illa, & ſi ad horam vos contriſtauit, nunc gaudeo, non quia contriſtati eſtis: ſed quia cōtriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundum Deum, vt in nullo detrimen-*
tum patiamini ex nobis. Quæ enim ſe- 1.Pet. 2.19.
cundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſæculi autem triſtitia mortem operatur.
C *Ecce enim hoc ipſum ſecundùm Deum* 26.q 1.affectû in fin.
contriſtari vos, quam tam in vobis operatur ſollicitudinem: ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam. In omnibus exhibuiſtis vos incontaminatos eſſe negocio. Igitur & ſi ſcripſi vobis, non propter eum qui fecit iniuriam, nec propter eum qui paſſus eſt: ſed ad manifeſtandam ſollicitudinem noſtram, quam habemus pro vobis coram Deo. Ideoque conſolati ſumus. In conſolatione autem noſtra, abundantius magis gauiſi ſumus ſuper gaudio Titi: quia re-
D *fectus eſt ſpiritus eius ab omnibus vobis. Et ſi quid apud illum de vobis gloriatus ſum, non ſum confuſus: ſed ſicut omnia vobis in veritate locuti ſumus, ita & gloriatio noſtra quæ fuit ad Titum, veritas facta eſt: & viſcera eius abundantius in vobis ſunt: reminiſcentis omnium veſtrum obedientiam, quomodo cum timore & tremore excepiſtis illum. Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.*

Quando-

QVandoquidem vobis exeuntibus de medio impiorum (dicit Dominus) eritis mihi in filios & filias &cæt. Igitur ô chariſſimi, vos *habentes has*, id eſt, præfatas *promiſſiones*, vt eas apprahendamus: *mundemus nos ab omni inquinamento carnis: & ab omni inquinamento ſpiritus*. Inquinamenta carnis vocat libidinem, ebrietatem, & huiuſmodi. Inquinamenta ſpiritus, vt iram, inuidiam, & huiuſmodi, quæ ipſam inficiunt animam ſine contagio carnis. Sic nos in vtroque mundemus à peccatis: *perficientes* de hinc *ſanctificationem*, id eſt, vt malis mundati in virtutibus perfecti ſimus. Hoc autem perficientes *in timore Dei*, id eſt, non timore hominum vt quæramus apparere iuſti in facie & non in corde ſicut pſeudo, ſed in timore. Nec tantùm pænarum, vt per hoc ſolum modo pœnas euadamus, ſed in timore Dei, vt Deum timeamus offendere, qui timor dicitur charitas. Vel aliter litera illa diuiditur. Mundemus nos ab inquinamento carnis: vt ſit ibi verſus, & nos mundati perficientes ſanctificationem ſpiritus, id eſt, ſecundùm quod docet ſpiritus, vel illa ratio, vel perficientes ſanctificationem ſpiritus, id eſt, rationis, vel Spiritus ſancti. Sententia eſt eadem. In timore Dei ſimiliter. Et vt mundati perficiatis ſanctificationē *capite nos*, id eſt, accipite imitationem noſtram. Vel vt ibi verſus non ſit. Vos perficientes ſanctificationem: capite nos, id eſt, imitamini nos ſicut dictum eſt. Nos vtique capere debetis, *neminem* enim veſtrum *læſimus* improperando; quod vel canes eſſetis, vel huiuſmodi: me autem magnificando de genere Abrahæ, vt faciunt pſeudo. *Neminē* iterum veſtrum *corrupimus*, peruersè docendo, vel prauo exemplo deprauando, vt iterum pſeudo, qui falſa veris admiſcendo, corrumpunt fidem veſtram: prauo etiam vitæ exemplo. *Neminem* etiam veſtrum *circumuenimus*: quemadmodū pſeudo, qui cum apertè nequeunt extorquere à vobis, fraudulenta ſeductione,

Inquinamēta carnis quæ ſunt.

A ne, eliciunt magis quam impetrent. Quod autem ſignifico vos corruptos & ſeductos eſſe ab illis pſeudo: hoc *non dico ad condemnationem veſtram*, id eſt, vt per hoc intendam condemnare vos, quaſi reprobatos à Deo. Quodque non dicam ad condemnationem veſtram ſcire poteſtis ex eo, *quia prædixi* in hac eâdem Epiſtola, *quod* vos *eſtis in cordibus noſtris*, vbi ait. Vos eſtis Epiſtola noſtra ſcripta in cordibus noſtris. Quia ſi vos condemnatos intenderem, nequaquam in cordibus noſtris vos inſererem,

B ſed eſtis in cordibus noſtris *ad commoriendum*, id eſt, vt velim vos mecum commori peccato: *ad conuiuendum*, id eſt, vt mecum viuatis iuſtitię. Vel ita vt perfectioribus loquatur. Eſtis in cordibus nòſtris ad commoriendum, vt velim vos mecum mori in præſenti tribulatione, vt ſic mecum ſitis ad conuiuendum in æternitate: ideò dico capite nos: quia *multa fiducia mihi eſt apud vos* de futuris bonis: vt cito ſuaſioni quam facturus ſum acquieſcatis. *Multa*

C etiam *gloriatio* eſt *mihi pro vobis*. Multa enim apud alias Eccleſias glorior de bono correctionis veſtræ, præferendo vos illis in exemplum. Propterea multa fiducia mihi eſt apud vos de futuro; iam enim *repletus ſum conſolatione* in omni tribulatione, quæcunque ſit ſeu facilis, ſeu difficilis, ſeu intus, ſeu foris; nec quoquo modo conſolor de correctione veſtra: ſed in tantum quod *ſuperabundo gaudio*: magis enim de veſtra

D correctione gaudeo, quam doleam de omni tribulatione noſtra. Dicerent illi. Eſt ne tibi tribulatio? Vtique bene dico. *Nam alibi & etiam cum veniſſemus in Macedoniam: caro noſtra non habuit vllam requiem: ſed paſſi ſumus omnem tribulationem: foris*, id eſt, in corpore erant *pugnæ*, dum flagellis affligebant me: & *intus*, id eſt, in animo erant *timores*, ne fideles paſſionibus meis ſcandalizarentur, & iudicarent me non eſſe ſequendum, quia condemnatum. Vel ita: foris, id eſt, ab his

qui extra Eccleſiam erant, fidebant mihi pugnæ, ſicut dictum eſt: intus autem .i. in Eccleſia, erant timores, ne à falſis fratribus ſeducerētur ſimplices. Foris & intus adeo patiebar: *ſed Deus qui conſolatur humiles*.i. afflictos, *conſolatus eſt nos in aduentu Titi.* Gauiſus ſum enim de receptione fratris qui participaret tribulationibus noſtris. *Non ſolùm autem in aduentu eius* conſolatus ſum: *ſed etiam in conſolatione qua* idem Titus *conſolatus eſt in vobis:* per hoc ſolatium eius correctionem veſtram intellexi. Et ideo cū de reditu eius gauderem ſimul conſolatus ſum: intelligēs correctionem veſtram in eius ſolatio. Conſolatus eſt, inquam, me Titus, *referens nobis deſiderium veſtrum*, quanto voto deſideraretis aduentum noſtrum. Referens etiam *fletum veſtrum* .i. quòd lacrimis peccata dilueretis. Referens etiam *veſtram æmulationem* .i. indignationem, qua contra pſeudo *pro me* quem improbant, indignamini. *Ita* referens hæc *vt magis* modo *gauderem* de pœnitentia veſtra, quam prius contriſtatus eſſem de impœnitentia. Vel magis gauderem de veſtra conuerſione, quam dolerem de mea tribulatione. Et hoc noſſe debemus, quia cum Apoſtolus priorem Epiſtolam per Timotheum miſiſſet Corinthijs, magis ad indignationem moti ſunt, quam ad pœnitentiam: temerarium iudicantes quod Apoſtolus tāta ſeueritate auderet eos arguere: quo cognito, Paulus per Timotheum pœnituit eum ſcripſiſſe illis. Sed Tito apud Corinthios diutius morante: & Epiſtolam Pauli ſæpius relegente, ſub admonitione Titi fecerunt fructum dignum pœnitētiæ. Quo audito, Apoſtolus magis gauiſus eſt de pœnitentia, quam prius doluiſſet de impœnitentia eorundē. Quod ſic ait. Verè per relationem Titi, factum eſt mihi vt gauderem: *quoniam & ſi, contriſtaui vos in Epiſtola* prius miſſa: *non* tamen modo *pœnitet me* audita relatione Titi: licet prius pœniteret audita relatione Timothei. Prius quidem pœnituit, videns

A quod Epiſtola illa prius miſſa contriſtauit vos ad indignationem: licet ad horam: & ideo venialius me modo pœnitet: *nunc enim gaudeo: non* ideo *quia* prius *contriſtati eſtis: ſed quia modo contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* Merito vtique gaudeo de vobis ad pœnitentiam contriſtatis: *nam contriſtati eſtis ſecundùm Deum:* deſerēdo mala, adhærendo bonis, ita ſecundum Deum, *vt* iam *in nullo* facto *ex nobis patiamini detrimentum*, quia & ipſa prior contriſtatio de qua verebar, ne vobis fieret ad detrimentum, correcta eſt ſecundum Deum. Verè in nullo ex nobis patimini detrimentum: B *nam triſtitia* veſtra *quæ eſt ſecundum Deum, operatur in vobis pœnitentiam,* valentem vobis *in ſtabilem*, i. æternā *ſalutem.* Triſtitia ſecundum Deum operatur ſalutem: ſed *triſtitia ſeculi*, quæ adhuc in quibuſdā eſt apud vos, qui nolunt contriſtari ad pœnitentiam, hæc triſtitia *operatur mortem* .i. ſtabilem perditionem. Hoc congruè inſeruit ad deterrendum eos, qui nōdum pœnitebant. C Verè triſtitia ſecūdum Deum operatur pęnitentiam in ſalutem: nam operatur ſollicitudinem, defenſionem, & cæteras partes veræ pœnitentiæ. Quod ſic ait. *Ecce enim* in euidenti eſt *hoc ipſum* tam exiguum ad comparationem ſalutisquā operatur: hoc ipſum dico. ſ. *contriſtari vos ſecundum Deum*: ecce *quantam ſollicitudinem* proficiendi ſemper in melius *operatur in vobis.* Iſta. ſ. quæ ſequuntur copulatiua ſunt: valentia tātum ad ornatum orationis. D Operatur etiam in vobis *defenſionem*: quia iam zelum Dei habentes defenditis me contra pſeudo, qui me improbāt. Operatur etiam *indignationem*, grauiter enim indignamini contra eos, qui ſeduxerunt vos. Operatur etiam *timorem.* Timidi enim ſemper eſtis, ne in laqueum recidatis. Operatur etiam *deſiderium.* Deſideratis enim appetitum bonorum, & *æmulationē*, .i. imitationem iuſtorum. Operatur etiam *vindictam.* Si quis enim in Eccleſia veſtra delinquit, ſtatim per iniunctam pœnitētiam vindicatis cul-

Pœnitentia operatur triſtitia ſecundum Deum.

pam eius. Et vt breuiter bona veſtra colligam, *in omnibus exhibuiſtis vos eſſe incontaminatos negocio*, id eſt, religioni Eccleſiaſticæ. Vel incontaminatos eſſe à negocio ſeculari .i. à peccato. Et quia in omnibus vos incontaminatos exhibuiſtis: igitur nunc apparet intentio mea quam habui in priori Epiſtola, quia *etſi ſcripſi vobis, non* tamen *propter eum* ſolum *qui fecit iniuriam*, ducendo vxorem patris: *nec* iterum *propter eum* ſolum ſcripſi *qui paſſus eſt* iniuriam, tractus ad ſeculares iudices: *ſed* ſcripſi *ad manifeſtandam ſollicitudinem noſtram, quam* ſollicitudinem *habemus pro vobis*: & hoc *coram Deo*, id eſt, in beneplacito Dei: hoc enim bene placet Deo vt de ſalute veſtra ſollicitus ſim. Vel hoc dico coram Deo, id eſt, teſte Deo, qui conſcientiam meam nouit. Cùm enim Paulus de fornicatore illo ageret: non ad illum dirigebat ſermonem, ſed ad totam Eccleſiam, intendens ne vnius pollutione, multi inficerentur. Et quia ſollicitudo noſtra pro vobis habita nunc manifeſtata eſt: quia completa: *ideo ſumus conſolati. In conſolatione autem noſtra* gauiſi ſumus: & de correctione veſtra, & de gaudio Titi *abundantius*, quam doluiſſem prius de peccatis veſtris, vel de tribulationibus meis. Et cùm de correctione veſtra & gaudio Titi abundantius conſolaremur: tamen magis abundantius gauiſi ſumus *ſuper gaudio Titi*, quàm de correctione veſtra. Similis poſitio. Virgilius doctior eſt Horatio & Lucano: magis tamen doctior Lucano, quàm Horatio. Ideò Apoſtolus magis de gaudio Titi, quam de correctione Corinthiorum gauiſus eſt: quia ſi non eſſet gaudium Titi, nec eos correctos eſſe crederet. Ideò etiam quia niſi Titus de hoc gauderet: exanimatus ex toto deficeret: quod nec in Eccleſia Corinthiorum, nec alibi laborare vellet. Vnde ipſe vel cauſas ponit: ideo magis gauiſus ſum ſuper gaudio Titi: *quia ſpiritus eius refectus eſt ab omnibus vobis*, etiam ab incorrectis, de

A quibus ſpem bonam habet corrigendi per eos, qui iam bene correcti ſunt: qui ſpiritus penitus deficeret ab inſtructione, ſi Corinthios incorrigibiles inueniret. Et ideò etiam magis de gaudio Titi: *quia ſicut apud illum* Titum *gloriatus ſum de vobis*, ô corinthij: cùm enim reformidaret venire ad vos, accuſans inhumanitatem veſtram; dicebam vos benignos eſſe, eumque honorificè recepturos. Si quid, inquam, gloriatus ſum de vobis: *non ſum confuſus* in hoc: quia

B ſicut ei prædixi, tales vos inuenit: & ideo me dixiſſe non erubui: *ſed gloriatio noſtra quæ fuit habita ad Titum de vobis*, ita *facta eſt veritas*, ſicut dum apud vos eſſemus, omnia locuti ſumus vobis in veritate, id eſt, ſicut manens apud vos vera dixi vobis de alijs: ſic modo vera dixi Tito de vobis. Et ideo adhuc magis de gaudio Titi: quia *viſcera eius abundantius* modo *ſunt in vobis* correctis: quàm prius in incorrectis. Eius Titi dico *reminiſcentis obedientiam omnium*

C *veſtrum*, id eſt, quam deuotè ſibi obediſtis, & nobis: reminiſcentis etiam, *quomodo excepiſtis eum cum timore* animi *& tremore* corporis, ſcilicet in omni reuerentia: Et videns quomodo dignè excepiſtis eum, *gaudeo quod confido in vobis*, non tantum in hac re, ſed etiam *in omnibus* quęcunque mandauero exequendis.

CAP. VIII.

D NOTAM *autem facimus vobis fratres, gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ: quod in multo experimēto tribulationis abundantia gaudij ipſorum fuit: & altiſſima paupertas eorum abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum. Quia ſecundum virtutem teſtimonium illis reddo, & ſupra virtutem voluntarij fuerunt: cùm multa exhortatione obſecrantes nos gratiam, & communicationem miniſterij, quod fit in*

ſanctos. Et non ſicut ſperauimus, ſed ſemetipſos dederunt, primùm Domino: deinde nobis per voluntatem Dei: ita vt rogaremus Titum, vt quemadmodum cœpit, ita et perficiat in vobis, etiam gratiam iſtam. Sed ſicut in omnibus abundatis fide & ſermone, & ſcientia, & omni ſollicitudine, inſuper & charitate veſtra in nos, vt & in hac gratia abundetis. Non quaſi imperans dico, ſed per aliorum ſollicitudinē etiam veſtræ charitatis ingenium bonum comprobans. Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti: quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues: vt illius inopia vos diuites eſſetis. Et conſilium in hoc do. Hoc enim vobis vtile eſt: qui non ſolùm facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore. Nunc verò & facto perficite, vt quemadmodum promptus eſt animus voluntatis; ita ſit & perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta eſt, ſecundum id quod habet accepta eſt, non ſecundum id quod non habet. Non enim vt alijs ſit remiſſio, vobis autem tribulatio: ſed ex æqualitate in præſenti tempore, veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat: vt & illorum abūdantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, vt fiat æqualitas ſicut ſcriptum eſt. Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minorauit. Gratias autem ago Deo, qui dedit eandem ſollicitudinem pro vobis in corde Titi: quoniam exhortationem quidem ſuſcepit; ſed cum ſollicitior eſſet, ſua voluntate profectus eſt ad vos. Miſimus etiam cum illo fratrem noſtrum, cuius laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias. Non ſolùm autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ in hanc gratiam; quæ miniſtratur à nobis ad Domini gloriam, & deſtinatam voluntatem noſtram: deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine quæ miniſtratur à nobis in Domini gloriam. Prouidemus enim bona, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Miſimus autem cum illis & fratrem noſtrum, quem probauimus in multis ſæpè ſollicitum eſſe: nunc autem multò ſollicitiorem, confidentia multa in vos, ſiue pro Tito: qui

25.q.1.ideo. §. valet ergo.

Exod 15.18.

Rom.12. verſ.17. 12 q. 1.nolo.

A *eſt ſocius meus & in vobis adiutor: ſiue fratres noſtri, Apoſtoli Eccleſiarum, gloriæ Chriſti. Oſtenſionem ergo quæ eſt charitatis veſtræ & noſtræ gloriæ pro vobis, in illos, oſtendite in faciem Eccleſiarum Dei.*

IN hoc enim vno quomodo de futuro facturi ſitis intelligo. Nunc de collectis de quibus in prima Epiſtola compendioſè dixerat, diffuſius admonet: ſuadens eis & exemplo aliarum Eccleſiarum, & multis indu-
B ctionibus. Litera ſuperius iungitur. Cùm veniſſemus in Macedoniam, caro noſtra non habuit requiem: ſed licet in primis requiem non haberemus, tamen Deus in Eccleſijs Macedoniæ dedit pacem & gratiam. Quod ſic ait. *Notam facimus vobis fratres gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ.* Gratiam Dei digno nomine vocat eleemoſynas: intelligens maiorem eſſe gratiam Dei miniſtrandi pauperibus, quàm ſint genera linguarum: & quædam aliæ
C gratiæ. De hac gratia facio vobis notum, *quod in multo experimento tribulationis:* Multas enim & acres tribulationes expertæ ſunt Eccleſiæ Macedonum. In multo, inquam, experimento tribulationis fuit *abundantia gaudij ipſorum*, id eſt, abundè gauiſi ſunt: quia pro chriſto contumeliam pati digni habiti ſunt, & paupertas ipſorum. Infideles enim pauperabant fideles. *Paupertas*, inquam, *ipſorum altiſſima*, id eſt, maxima. Vel altiſſima, id eſt, digniſſima. Pauper-
D tas. inquam, *abundauit*: quia quantò plus dederunt, tantò pauperiores effecti ſunt. Abundauit dico *in diuitias* eorum: quia licet pauperes eſſent in habendo, diuites tamen erant in adminiſtrando eleemoſynam. In diuitias dico, *ſimplicitatis eorum*. In ſimplicitate enim dabant, non putantes ſe propterea liberius poſſe peccare. Abundauit vtique in diuitias: quia fuerunt voluntarij ſecundum virtutem & ſupra virtutem. *Secundum virtutem* dare eſt

Dare ſecūdum virtutē quid ſit

quæ ſibi neceſſaria ſunt, primum retinere, deinde quod ſuperabundat in pauperes erogare. *Supra virtutem* dare eſt, nihil ſibi penitus reſeruare. Et quod ſecundum virtutem & ſupra virtutem voluntarij fuerunt: inde *reddo illis teſtimonium*: nec coacti à nobis: ſed *obſecrantes nos*, id eſt, per quæcunque ſacra adiurantes, *cùm multa exhortatione*, dicentes. Ne ſollicitus ſis de nobis: quia laborioſi ſumus: & de labore noſtro (etiam ſi nihil nobis reſiduum ſit) bene ſuſtentabimur. *Obſecrantes* vtique *nos* accipere *gratiam*, id eſt, eleemoſynas ab ipſis *& communicationem*, id eſt, res ſuas, quas omnibus communicare intendebãt. Communicationem dico *miniſterij*, id eſt, adminiſtrationis: *quod* miniſterium *ſit* deferendum *in ſanctos*, qui erant Hieroſolymis. ¶ Hic notandum, quod de abundantia noſtra prius ſuſtentandi ſunt ſancti. De eo autem quod reſiduum fuerit, quicunque egentes. Obſecrauerunt vtique nos: *& non* fecerunt *ſicut ſperauimus*, id eſt, non hoc animo, vt vitia eorum multa pateremur: *ſed* primum *dederunt ſemetipſos Deo*, emendantes vitia. *Deinde* dederunt ſe *nobis* ſumptus offerendo fratribus: & hoc *per voluntatem Dei*. Hoc enim vult Deus prius ſeipſum: poſtea ſua deuouere: *ita* dederunt *vt rogaremus Titum*, *vt quemadmodum* benè *cœpit*, *ita* etiam *perficiat in vobis* alias gratias: & etiam *iſtam gratiam*, exemplo Eccleſiarum Macedoniȩ. Non ſolùm rogauimus Titum, vt hanc gratiam perficeret in vobis: ſed etiam *vt per eum abundetis in hac gratia*. Perficere ad Titum; Abundare, pertinet ad corinthios. Vel ita. Non tantùm rogauimus Titum perficere hoc in vobis: ſed etiam ego ipſe rogo vos, vt ſicut abundatis in omnibus gratijs: ſcilicet *in fide*: ſanam enim fidem, & bonis operibus abundantem habetis. Abundatis etiam *in ſermone & ſcientia*: quia expeditum ſermonem ad exhortandum habetis: & ſcientiam ad intelligendum. Abundatis etiam *in omni ſol-* A *licitudine*. Omni enim ſtudio ſollicIti eſtis: vt melius & melius operemini. Abundatis *in charitate*, id eſt, in dilectione *veſtra* extenſa *in nos*, (ſicut in his gratijs) ſic rogo *vt etiam in hac gratia* eleemoſynarum *abundetis*. Et hoc *non dico quaſi imperans*, id eſt, non de hac re præceptum conſtituo: ne ſi forte non obtemperaretis imperio: rei eſſetis inobedientiæ. Non vtique ex imperio dico: *ſed* dico hoc *comprobans ingenium*, id eſt, rationem cum voluntate. Debetis enim rationabiliter penſare quod B detis: ſcilicet temporalia. Et quid pro his recepturi ſitis: ſcilicet æterna: & cum ratione debet eſſe voluntas libentiſſimè dandi. comprobans, inquam, *bonum* ingenium etiam *veſtræ charitatis* per ſollicitudinem aliorum, id eſt, per hoc quod ſollIciti eſtis ſupplere inopiam indigẽtium fratrum. Vel comprobans charitatem veſtram per ſollicitudinem aliorum, id eſt, per hoc quod Titum & alios diſcipulos de vobis facio ſolli- C citos. Et vtique debetis abundare in hac gratia: *nam vos ſcitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti*: *quoniam*, id eſt, quod *cum eſſet diues*, id eſt, Deus in diuitijs omnipotentiæ ſuæ, qui æternus erat: *propter nos* ſaluandos factus eſt in tempore. Nec diues fieri voluit: ſed *factus eſt egenus*, id eſt, in omni egeſtate carnis viuens, præter egeſtatem iuſtitiæ. Ideò factus eſt egenus, *vt inopia*, id eſt, merito inopiæ *illius vos ſitis diuites* iuſtitiæ. *Et* D in hoc quod benignitatem Domini Ieſu circa vos exhibitam vobis recordor, *in hoc* vtique *do* vobis *conſilium* ſalutis. Et bene dico conſilium. *Hoc enim* (ſcilicet abundare in eleemoſyna) *vtile eſt vobis*: *qui non ſolum cœpiſtis facere*, *ſed* etiam incepiſtis *velle à priore anno*. ¶ Nota quod prius facere, poſtea augmentat velle; facere enim non ſufficit, niſi ex voluntate: ſed velle ſufficit: licet non ſit copia faciendi. cœpiſtis olim velle: *nunc vero perficite* id voluntate & *facto*: ita *vt quemadmodum promptus eſt animus*, id eſt, diſcretio volunta-

Supra virtutem.

Opus bonũ inuoluntarium non laudatur.

tis (quod ſupra vocauit bonum ingenium) *ita ſit* promptus animus *perficiendi*. Et licet ita ſuadeam: perficiendi tamen dico *ex eo*, id eſt, ſecundum hoc *quod habetis*: & miniſtrare fratribus ferre poteſtis. Ideò dico ex eo quod habetis, *quia ſi voluntas veſtra prompta eſt* ad dandum *ſecundum id quod habet*: in hoc vtique *accepta eſt* Deo, *non ſolum* in eo ſi dederit *ſecundum id quod non habet*. Quod ait ſecũdum id quod habet, & quod non habet: idem eſt quod ait ſuperius ſecundũ virtutem & ſupra virtutẽ. Qui .n. neceſſaria ſibi reſeruat: & ea quæ ſuperabundãt, erogat: hic ſecũdũ quod habet, dicitur dare: qui vero nihil ſibi retinet: ſed omnibus erogatis nudus nudam crucem ſequitur, hic dat ſecundùm id quod non habet. Sed quia huius perfectionis non vidit eos capaces, hortatur ad id quod leuius eſt. Opponeret aliquis: Cogis nos dare vt alijs de noſtro diteſcentibus, nos poſtea egeamus. Minimè: ſed ſecũdum quod habetis, & nõ ſecũdum id quod non habetis: ego .n. *non* impero hoc: *vt* per veſtra data *ſit remiſſio alijs*: & remiſſi torpeſcant ocio: *vobis autem* inde ſit *tribulatio*, vnde illis remiſſio. Hoc quidem nõ impero, *ſed* hoc rogo, *vt veſtra abundantia*, quæ eſt in tẽporalibus, *ſuppleat inopiam illorum* in preſenti tempore: & hoc fiat *ex æqualitate*: non vt illis tantum detis quantum vobis reſeruabitis: ſed tantũ vnde æqualiter vt vos ſecuri ſitis ab egeſtate. Ideò abundãtia veſtra ſuppleat illorum inopiã: *vt etiam abundantia illorum*, perfectorum quæ eſt in virtutibus, *ſit ſupplementum veſtræ inopiæ*: qui ſi diuites eſtis terrenorum, inopes eſtis cæleſtium. Suppleat, dico, ita *vt* viciſſim ſuppleti *fiat æqualitas* illis in æterno bono: vt quemadmodum ſancti in hoc mũdo participãt fructibus laborantium, ſic in futuro hi qui modo miniſtrant ſanctis, participent remunerationem eorum. Nec ita dico, fiat æqualitas, vt tantum accipiãt imperfecti quãtum perfectiores, ſed in hoc æqualitas: quod ſinguli ſingulos nummos accipient .i. perfectam

A & ſufficiẽtem beatitudinem. Ideò .n. ſtatutum fuit vt alij hominum laborarent, alij orationi vacarent. Vt oratores ſuſtentarentur aliorum labore, laboratores vero ſaluarentur eorum oratione. Fiat, dico, æqualitas, *ſicut ſcriptum eſt* figuratiuè de futura æqualitate: *qui multum* habuit, *non abũdauit* ſuper modicè habentem: *& qui modicum* habuit, *non minorauit*, id eſt, non habuit minus eo qui multũ collegit. Qui enim multũ habet de gloria cœleſti, non ſic abundat vt is qui minus habet indigeat: ſed vtrique & multum & modicũ habenti æqualis eſt abundantia: quia vtriq; quod ſatis eſt, licet tamen differentia ſit illis in gloria. Hoc ad literam ſcriptum eſt de manna, quod colligebant Iudæi: quia qui multũ collegerat, licet amplius quã plenum gomor, non plus habuit quã gomor: & qui minus collegerat quam gomor, non minus habuit quam plenum gomor. ¶ Dixi ſuperius quod rogaui Titum. De hoc autẽ *gratias ago Deo, qui dedit in corde Titi eandem ſollicitudinẽ pro vobis*, quã & in corde meo. Eandem bene dico: *quoniam* ipſe *quidem* bene *ſuſcepit exhortationem* pro vobis factam: *ſed* & ſi benignè ſuſcepit, tamen *profectus eſt ad vos cum eſſet ſollicitior* de vobis, *ſua voluntate* quã mea exhortatione. *Miſimus etiam cum illo*.ſ. Tito, *fratrẽ noſtrum*: *laus cuius eſt in Euangelio*. Hũc fratrem alij dicunt Lucam, alij Barnabam. Si Lucam, dicimus laus cuius eſt in ſcribendo Euangelio. Si Barnabam, ita laus cuius eſt in prædicando Euangelio *per omnes Eccleſias*. Omnis enim Eccleſia laudat eum. Nõ ſolùm autem laudatur in Euangelio: ſed etiam *ab Eccleſiis ordinatus eſt comes noſtræ peregrinationis*. Hoc magis de Barnaba videtur dicere: quem cum Paulo fratres qui erãt Hieroſolymis miſerunt in gentes, ad prædicandum Spiritu ſancto dicente illis. Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus, quo aſſumpſi eos. Peregrinationis ideo dicit: cum enim à Iudęa mittitur in gentes, exit patriam, & ad loca peregrina tranſit. Comes, dico, fa-

Gloria cœleſtis non ſi omnibus æqualis.

Exod 13.

Actu. 13. 2.

B

C

D

ctus

ctus *in hanc gratiam* eleemoſynarum, A bus: & maxime adiutor in vobis, & ſimiliter prædicandam, *quæ* gratia *à nobis* recipientibus, à vobis *miniſtratur* ſanctis qui ſunt Hieroſolymis: de quo gaudere debetis: quia miniſtratur *ad gloriam Domini*. Et verè Deus in hac adminiſtratione glorificatur: & vt de gloria Domini ſileam: ſi non eſſet aliud, miniſtrare deberetis ad complendam voluntatem noſtram, doctrina cuius filij Dei eſtis. *Voluntatem*, dico vtiq; ſequendam: quia *deſtinatam* .i. in hoc velle ordinatam Deo. Deus enim me ſic velle diſpoſuit. *Miſimus* Titum & *cum illo* alium *fratrem*: deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine eleemoſynarũ: quæ à nobis miniſtratur ſanctis in Hieroſolymis. Ideò Paulus tot idoneos teſtes mittebat ad accipiendas collectas, ne ſi per ſuſpicioſam perſonam hoc faceret: vituperarent eum, dicẽtes, quod de copia eleemoſynarum in ſuos vſus retineret. Dico *ne quis nos vituperet*, & bene: *nam* nos ſic facientes *prouidemus bona non ſolum coram Deo*, *ſed etiam coram* omnibus *hominibus*. Nemo enim aliquid vituperabile poterit ſuſpicari, vbi tot idoneos teſtes viderit. In hoc verbo Pauli concipitur, quod qui ſe talem exhibet, vt de eo ſiniſtra poſſit oriri ſuſpitio: etiam ſi non ſit reus inde: peccat tamen dum per negligentiam ſuam minus prouidè agens, in fratre ſuſcitat culpam. Cùm Tito autem & cum illo alio fratre miſimus etiam *fratrem noſtrum quem in multis probauimus*, & *ſæpè ſollicitum eſſe* de vobis. Hunc fratrẽ non nominat: ſed credimus hunc eſſe Apollo, Epiſcopum corĩ: qui in prima epiſtola rogatus à Paulo, noluit ire: audiens illos adhuc incorrectos: ſed nunc audito per Titum quod eſſent correcti, reuertitur ad illos. Dico eum fuiſſe ſollicitum: ſed ſciatis *nunc multò ſollicitiorem* eſſe de veſtra ſalute: *confidentia multa* habita *in vobis*: *ſiue pro Tito* qui commendauit correctionem veſtri illi, *ſiue pro his qui ſunt fratres noſtri*, id eſt, & pro Tito & pro his. Pro Tito dico, *qui eſt ſocius meus* in omnibus: & maxime adiutor in vobis, & pro his qui ſunt fratres noſtri *Apoſtoli* .i. legati *Eccleſiarum* gloriæ *Chriſti*, .i. ad prædicandum gloriam Chriſti. Et quia tã probatas perſonas ad vos miſimus: *ergo* oſtendite in illos charitatem veſtram: & (vt plus dicam) oſtendite in illos *oſtenſionem quæ* oſtenſio *eſt charitatis veſtræ*. Si enim vos ingratos exhibueritis, palam erit vos ex timore quod in peccatis eratis: & non ex charitate miniſtraſſe Tito & alijs: ſed benignitas veſtra B nunc ad iſtos exhibita erit oſtenſio veſtræ charitatis: quia approbabit vos ex charitate feciſſe quod prius feciſtis. *Oſtendite* etiam oſtenſionem *noſtræ gloriæ* habitæ apud illos *pro vobis*: multum enim gloriatus ſum & promiſi quod honorificè eos ſuſcipietis. Oſtendite dico *in facie* cæterarum *Eccleſiarum*, vt vos ſitis facies & forma, quorum ſimilitudini imprimantur aliç Eccleſiæ.

(1. Cor. 16. 2.)

CAP. IX.

C NAM *de miniſterio quod fit in ſanctos, ex abundanti eſt mihi ſcribere vobis. Scio enim promptum animum veſtrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones: quoniam & Achaia parata eſt ab anno præterito, & veſtra æmulatio prouocauit plurimos. Miſimus autem fratres, vt ne quod gloriamur de vobis euacuetur in hac parte, vt quemadmodum dixi parati ſitis: ne cum venerint Macedones mecum, & inuenerint vos imparatos, erubeſcamus nos,* D *vt non dicamus * vos in hac ſubſtantia.* *Al. dicã. *Neceſſarium ergo exiſtimaui rogare fratres vt præueniant ad vos: & præparent repromiſſam benedictionem hanc paratam eſſe, quaſi * benedictionem, non quaſi auaritiam.* *Al. habet ſic. *Hoc autem dico. Qui parcè ſeminat, parce & metet. Et qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* De pœ. & re. cũ ex eo. *Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia aut ex neceſſitate. Hilarem enim datorem diligit Deus.* Eccl. 13. 12. *Potens eſt autem*

Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum: ſicut ſcriptum eſt. Pſal. 111. 9. *Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti: & panem ad manducandum præſtabit. Et multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ: vt in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. Quoniam miniſterium huius officij non ſolum ſupplet ea quæ deſunt ſanctis, ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino per probationem miniſterij huius, glorificantes Deum in obedientia confeſſionis veſtræ in Euangelio Chriſti & ſimplicitate communicationis veſtræ in illos & in omnes: & in ipſorum obſecratione pro vobis, deſiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. Gratias ago Deo, ſuper inenarrabili dono eius.*

VT charitatem veſtram in illos oſtendatis, admoneo. Nam *ſcribere vobis de miniſterio*, id eſt, de collectis illis, quod miniſterium ſit transferendum *in ſanctos*. De hoc, inquam, ſcribere *eſt mihi ex abundanti*, id eſt, ſuperfluum iudicaui. Propterea ex abundanti, *quia ſcio animum veſtrum promptum eſſe* ad miniſtrandum: *pro quo* ſcilicet quia parati eſtis, *glorior* de vobis ita in charitate diffuſis, *apud Macedonas*, dicens. *Quoniam* non ſolum Corinthus, ſed *etiam* tota *Achaia* ſub Corintho, *parata eſt miniſtrare ſanctis ab anno præterito*, & ſic *veſtra æmulatio*, id eſt, imitatio *prouocauit plurimos* ad idem faciendum. ¶ Videndum eſt, quanta ſubtilitate Paulus in primis, exemplo Macedonum, inducat Corinthios: nunc è conuerſo Macedonas exemplo Corinthiorum. Et licet animus veſter promptus ſit, tamen *miſimus ad vos* hos *fratres: vt quod gloriamur* apud alios *de vobis*, *ne euacuetur*, id eſt, non deſtruatur *in hac parte*, id eſt, in parata adminiſtratio-

A ne. Miſimus, inquam, *vt quemadmodum* in alia Epiſtola *dixi*, *parati ſitis: ne cum Macedones mecum venerint* ad vos, *& inuenerint vos imparatos, erubeſcamus nos in hac ſubſtantia*, id eſt, eleemoſyna non præparata. Nos dico erubeſcamus vt non dicamus quod vos erubeſcatis: qui vtique ſi imparati eſtis, meritò erubeſcetis. Eleemoſynam vocat ſubſtantiam: quia per eam ſubſiſtimus in præſenti. Et quia vos imparatos nolui: *ergo exiſtimaui neceſſarium rogare* hos *fratres, vt præueniant* me *ad vos*, & B *præparent benedictionem* eleemoſynarum, non parandam cum venero: ſed *eſſe paratam*: hanc benedictionem dico repromiſſam à vobis: videte ne in promiſſo infideles ſitis. Præparent dico, benedictionem ſic, *quaſi benedictionem*, id eſt, largam donationem *& non quaſi auaritiam*. Si enim modicum dant, magis auaritia iudicabitur quam donum. Volo vt ipſi præparent: ego etiam propria voce *hoc* ipſum *dico*: & admoneo vt affluenter detis, *quia qui parcè ſeminat*, id eſt, C qui auarè eleemoſynam dat: *metet* quidem, id eſt, remunerabitur, ſed *parcè*. Seminare dicit eleemoſynam dare: quia ſicut ille qui ſeminat, ad præſens perdit quod in futuro multiplicatum recipiat: ſic qui dat eleemoſynam, ad præſens perdit quod centuplicatum colliget in gloria. Qui ſeminat parcè, metet, parcè: *& qui ſeminat in benedictionibus*, id eſt, in affluentia dandi, hic vtique *metet de benedictionibus*, id eſt, de copioſis remunerationibus. Et licet D adeo affluenter dare ſuadeam, tamen *vnuſquiſque* tribuat *prout deſtinauit*, id eſt, ſicut poſuit *in corde ſuo* .i. ex arbitrio propriæ voluntatis. *Non* tribuens *ex triſtitia*, vt doleat ſe tribuere. *Aut ex neceſſitate* coacta voluntate tribuat. Poſſet enim coactus velle, tamen ſine triſtitia. Non, inquam, ex neceſſitate, ſed ex hilaritate. *Hilarem enim datorem diligit Deus*, qui hilaris hilare donum tribuit. Supponit cauſas, quare hilariter dandum ſit: quia temporalibus

Eleemoſyna ſubſtantia vocatur.

Seminare dicitur eleemoſynam dare.

Datorē hilarem diligit Deus.

bonis

bonis præterea virtutibus in præſenti : in futuro cœleſti gloria meritò eleëmoſynæ abundabit, dicens : Date in hilaritate : quia *potens eſt Deus abundare facere in vobis omnem gratiam,* id eſt, & copiam temporalium, & virtutes, & futuram gloriam : ita *vt* vos *ſemper habentes omnē ſufficientiam :* & *in omnibus,* id eſt, in ſingulis his gratijs. Habētes, inquam, omnem & in omnibus deſiderio harum gratiarum *abundetis in omne opus bonum* vt eleëmoſynam & copiosè & hilariter, iterum tam in veſtitu quàm in victu ſine omni querela tribuatis. Abundetis dico in hoc opus bonum, *ſicut ſcriptum eſt* in Pſalmo de eleë- Pſal.111.9. moſynario iuſto. *Diſperſit,* id eſt, non vni, ſed diuerſis ſua bona diſtribuit: nec intentione recipiendi : ſed *dedit,* nec eis qui non egerent, ſed *pauperibus :* & ideò *iuſtitia*, id eſt, meritum iuſtitiæ *eius permanet in æternū.* ¶ Opponeret aliquis. Malo mihi in futurum reſeruare, quàm modò diſpergere, & in tempore egeſtatis indigere. Contra hoc Paulus exponens etiam quid ſupra intellexerit, dicens omnem gratiam. Debetis vtique abundare in omne opus bonum: quia ille *qui adminiſtrat ſemen ſeminanti,* id eſt, res temporales eleëmoſynam danti: ille *etiam præſtabit panem* in ſequenti anno: non ad ſuperfluitatem, ſed *ad manducandum. Muliplicabit* etiam *ſemen veſtrum*, vt affluenter habeatis ad iterandas eleëmoſynas. Ecce gratia in temporalibus. *Augebit etiam* meritò eleëmoſynarum frugem, id eſt, meritum iuſtitiæ veſtræ in vobis habitæ ſine aliqua diſtributione eleëmoſynarum. Augebit, inquam, *incrementum frugum iuſtitiæ veſtræ*, accreſcere faciens meritum priuatæ iuſtitiæ per meritum eleëmoſynæ : ita augebit, *vt* vos *locupletati in* omnibus, & in multiplicatione ſeminis, & incremento iuſtitiæ *abundetis* meritò *in omnem ſimplicitatem,* id eſt, in perfectam & ſimplicem erogationem. *Eleëmoſyna plura bona facit.* Nunc iterum ſubdit plura bona de eleëmoſynis prouenientia, dicens. *Quæ* ſimplici-

A tas *operatur per nos actionem gratiarum Deo :* quia de adminiſtratione veſtra gratias agimus Deo. Ecce vnum bonum : & meritò gratias : *quoniam miniſterium huius officij*, id eſt, miniſtratio veſtræ ſimplicitatis *non ſolùm ſupplet ea quæ deſunt ſanctis : ſed etiam abundat in Domino,* id eſt, in gloria Domini actione gratiarum facta per multos. Abundat etiam per probationem miniſterij huius: quia omnes approbant & magnificant huiuſmodi miniſtrationem. Per multos, dico, *glorificantes Deum in obedientia*
B *confeſſionis veſtræ*, id eſt, in eo quòd fidei confeſſionem feciſtis in Euangelio Chriſti cui creditis : & in obedientia, quia fidem habentes confitemini & ſtatim Chriſto obediſtis. Glorificantes etiam Deum *in ſimplicitate communicationis*, id eſt, in eo quòd ſimpliciter quæ propria ſunt communia facitis. Communicationis dico factæ *in* illos *ſanctos & in omnes.* Glorificantes etiam *in obſecratione* ipſorum quibus miniſtratis. Obſecratione dico facta *pro vobis:* Ipſorum dico *deſiderantium* videre
C *vos.* Non pro eo quòd temporalia ipſis datis: ſed *propter gratiam Dei* quam ſciunt *eminentem* eſſe *in vobis.* Et quia tot bona de hac adminiſtratione conſequuntur : ideò *gratias* ago *Deo ſuper*, id eſt, de dono eius quod vobis contulit: ſcilicet, gratiam eleëmoſynarum. *Dono*, dico, *enarrabili*, id eſt, vt omnibus enarretur in exemplum. Vel dono inenarrabili : enarrari enim nequeunt quot bona de hoc dono proueniant.

CAP. X.

D

IPSE *autem ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem, & modeſtiam Chriſti : qui in facie quidem humilis ſum inter vos, abſens autem confido in vobis. Rogo autem vos, ne præſens audeam per eam confidentiam, qua exiſtimor audere in quoſdam, qui arbitrātur*

nos tanquam ſecundùm carnem ambulemus. In carne enim ambulantes, non tamen ſecũdum carnem militamus. Nã arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes: & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Christi, & in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit veſtra obedientia. Quæ ſecundum faciem ſunt videte. Si quis confidit Chriſti ſe eſſe: hoc cogitet iterum apud ſe: quia ſicut ipſe Chriſti eſt, ita & nos. Nam & ſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram: non erubeſcam. Vt autem non exiſtimer tanquam terrere vos per epiſtolas: quoniam quidẽ epiſtolæ inquiũt graues ſunt & fortes, præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis: hoc cogitet qui eiuſmodi eſt: quia quales ſumus verbo per epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto. Non enim audemus inſerere aut comparare nos quibuſdam, qui ſeipſos commẽdant: ſed ipſi nobis noſmetipſos metientes, & comparantes noſmetipſos nobis. Nos autem non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram regulæ quam menſus eſt nobis Deus, menſuram pertingendi vſque ad vos. Non enim quaſi non pertingentes ad vos, ſuperextendimus nos. Vſque ad vos enim peruenimus in Euangelio Chriſti: non in immenſum gloriantes in alienis laboribus. Spem autem habentes creſcentis fidei veſtræ, in vobis magnificari ſecundum regulam noſtram: in abundantia etiam in illa quæ vltra vos ſunt, euangelizare: non in aliena regula in his, quæ præparata ſunt gloriari. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat.

24. q. 3 de excommunication. 25 q. 6. ſchiſmatici. De poſtu. præla. ca. 1. §. nos igitur.

Epheſ. 4. 8.

1 Cor 1. 31. Hier. 9. 23.

POſtquam de gratia eleẽmoſynarum multiplici cõmmendatione correctos ſufficienter admonuit; tranſit ad increpandum incorrectos, qui adhuc pſeudo præferebant ſibi: A quos pſeudo plurimum hic deprimit: authoritatem ſuam multipliciter & idoneè commendans. Non vt per hoc quærat gloriam ſuam, ſed hoc ſolùm intendit, vt vilificatis pſeudo Corinthij non vltra adhæreant, ſibique tam glorioſè commendato exinde gaudeant adhærere. Litera ſic iungitur. Vos benè correctos de gratia eleẽmoſynarum adhortor: vos autem incorrectos hoc non admoneo, quos gratiæ Dei indignos ſcio: ſed obſecro, id eſt, per quæcunq; ſacra adiuro vos ipſe ego B Paulus. ¶ Nota quod ait ipſe, ego. Dicebant enim Corinthij quod quamdiu Paulus præſens fuit illis humiliter ſatis: & non ad læſionem alicuius quicquam locutus fuit, timens fortaſſis: nunc verò abſens imperioſè minabatur eis, ac ſi poteſtatem imperialem haberet in eos. Propterea ait. *Ego ipſe Paulus* nunc imperioſè agens, qui olim humiliter, *obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti.* Manſuetudinem dicit, vbi C gratis ſine iudicio omnia dimiſit. Modeſtiam dicit, quia cum ageret iudicio, modeſtè iudicabat condiens æquitatem miſericordia. Per manſuetudinem vtique & modeſtiam Chriſti obſecro vos ego Paulus, *qui humilis quidem*, & omnia patiens exiſtimor fuiſſe *inter vos*: quæ humilitas quidem ſecundum quod opinamini *in facie* fuit: & non in corde: ſimulabam enim extra humilitatem intus fouendo ſuperbiam: dum præſens fui ſecundùm vos humilis eram: ſed modo D *abſens confido*. i. confidenter & imperioſè ago *in vobis*: quod quaſi non auderem in alijs. Eccleſijs. Non ſolùm quaſi poſtulans obſecro, ſed quaſi rem debitam exigens *rogo: ne præſens audeam*, id eſt, ſic vos corrigere ſtudeatis: ne cum præſens fuero, audeam, id eſt, ſecundum vos audacter præſumam. Audeam dico in, id eſt, contra quoſdam adhuc incorrectos agere *per eam confidentiam* .i. tam confidenter & poteſtatiuè: *qua* confidentia *exiſtimor* à quibuſdam abſens per epiſtolam *audere*.

Manſuetudo & modeſtia differunt.

Contra

Contra quoſdam dico, qui arbitrantur *tanquam nos ambulemus ſecundum carnem*. Ambularet Paulus ſecũdum carnem, ſi vel amore temporalium, quę ab eis acciperet, parceret eiſdem. Vel ſi malè ſibi conſcius timeret pati pro Chriſto. Benè dixi tanquam: nos enim verè non militamus ſecũdum carnem. Militiam vocat ſuam prædicationem. Diceret aliquis. Tu quidē aliquid ſingulare donum Dei habes: quo ita poſſis egredi carnē: quod donum quia non habemus, neceſſe eſt carnē ſequi. Contra hoc ait. Non militamus ſecũdum carnem. Nos vtiq; *ambulantes in carne:* ſimiliter enim vt vos onus carnis patimur: & tamē eā ſuperamus. Verè *non militamus ſecũdum carnem: nam arma militiæ* .i. prædicationis: & omnis vitæ noſtræ non ſunt carnalia. Arma militiæ vocat miracula, per quæ prædicationem ſuam cõfirmabat. Arma dicit etiam virtutes, & quæcũq; bona opera. Arma militiæ *noſtræ non ſunt carnalia:* ſi enim carnem ſequeremur, profectò arma illa ſtatim nos defererent: *ſed* arma noſtra ſunt *potentia Deo* .i. per Deum, vel ad gloriam Dei. Potentia ſunt *ad deſtructionem munitionum:* vt facilè ꝑ hęc arma deſtruamus quaslibet munitiſſimas hæreſes, vel philoſophicas rationes. Verè arma noſtra ſunt potentia deſtruere. Nam etiam in actu ſumus deſtruentes: vbi actus eſt, potentia abeſſe nequit. Litera tamen ibi iungitur. Non militamus ſecundum carnem: nos dico *deſtruentes conſilia* .i. exquiſitas rationes. Deſtruentes *etiam omnem altitudinem* phyſicalis ſcientiæ, *extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei:* vt illos qui per naturę legem opponunt, non potuiſſe virginem parere, mortuum reſurgere: nec ſolum deſtruentes, ſed etiam *redigentes omnem intellectum* cuiuſcunque infidelitatis in captiuitatem, quia ſuperatis infidelibus deponunt iugum diaboli, & captiuant ſe ſub iugo Chriſti. Redigentes vtique in captiuitatem ducendo eos *in obſequium Chriſti:* vt qui prius malè obſequebantur diabolo, amodo benè ob-

Ambulare ſecundum carnem.

Arma militia miracula.

A ſequantur Chriſto. Quod ait. Omnem intellectum, omnem altitudinem: non quod ſingulos infideles conuerterit, ſed quia de omni genere infidelitatis aliquos ad fidem traxit. Redigentes quidem in obſequiũ Chriſti: quod ſi aliqui ſunt nolentes redigi: ſumus *habentes in promptu vlciſci omnem inobedientiam*.i. apoſtolica authoritate omnem inobedientem damnare. In promptu hoc habet: quia nec conſcientia mala eum reuocat: nec temporali munere ſeducitur. Diceret aliquis. Quandoquidem in promptu habes vlciſci. Quare ergo non vlciſceris? Vlciſcar vtique non tamen modo, ſed *cùm impleta fuerit veſtra obedientia*, id eſt, cum ſeparauero de medio malorum per patientiam expectationis eos, qui de vobis obedituri ſunt fidei ex voluntate. Diligenter intuenda eſt ſubtilis modeſtia Pauli, qui vltionem reproborum differt: videns in hac ſua expectatione electorum ſalutem. Si enim inultos pateretur reprobos, atque hac cauſa reus eſſet, hos tamen benignè patiendo iudicat, ne cum lolio frumentum eradicaret. Quia non ſecundum carnem militemus, probaui per hoc quod deſtruimus altitudinem mundanæ ſcientiæ: & rebelles captiuamus in obſequium Chriſti: quæ rationes non adeò videntur ſingulis: ſed modo videte & cognoſcite idem, ſcilicet, quod non ambulamus ſecundum carnem. *Videte*, inquam, per ea *quæ ſunt ſecundum faciem*, id eſt, quæ ſunt ſecundum corporalem viſionem: & ſine omni obſtaculo videri poſſunt. Vel ita. Illos qui ſecundum faciem ſunt, id eſt, qui in facie ſe bonos ſimulant: intrinſecus autem lupi ſunt, illos modo videte. Si quis pſeudo confidit non Deo ſed ſibi: præſumptor enim eſt non electus: *ſi quis*, inquam, *confidit ſibi ſe eſſe Chriſti* .i. quod ipſe ſit Apoſtolus Chriſti, non *hoc* ſolum, ſed hoc *iterum* ſimiliter *cogitet:* nec inaniter, ſed *apud ſe*, ſubtiliter diſcutiens: *quia ſicut & ipſe Chriſti eſt* diſcipulus, *ità & nos* ſumus. Verè

Paulus an omnes infideles conuerterit.

B

C

D

ſicut

ſicut ipſe eſt Chriſti, ita & nos. Nam nos ſumus ita amplius eo. Quod ſic ait. *Si aliquid amplius fuero gloriatus de poteſtate noſtra*, qua incorrectos ab Eccleſia ſeparare poſſum, & de cæteris apoſtolicæ poteſtatis: *quam* poteſtatem *dedit mihi Dominus*, ſed vobis pſeudo non dedit: vtique mihi dedit *in ædificationem veſtram*.i. vt vos in fide & virtutibus ædificarem: & *non* dedit *in deſtructionem* veſtram, ſicut male opinantur quidam, ſcilicet me deſtructorē Eccleſiæ: ſi, inquam, amplius gloriatus fuero, *non erubeſcam*: inde: quia gloria mea verè maior eſt. ¶ Opponeret aliquis. Cùm debeas ædificare, & non deſtruere, noli impatienter nos cogere, ne fortè potius deſtruas quam ædifices. Contra hoc Paulus. Licet mihi opponatis quod cùm debeam ædificare, deſtruam: tamen ſcitote *quia quales ſumus per epiſtolas abſentes, tales erimus præſentes in facto*: & hoc ideò *vt non exiſtimer tanquam terrere vos* abſens *per epiſtolas*. Tanquam terrere benè dicit: quia ſi minaretur abſens, quod implere formidaret præſens: hoc vtique non eſſet terrere, ſed tanquam terrere. Exiſtimer ideò dico, *quoniam quidem* ipſi *inquiunt*. *Epiſtolæ* Pauli *graues ſunt*.i. ponderoſæ & multæ ſeueritatis. *Et fortes*.i. fortitudinem & quoddam imperium minitantes, *ſed præſentia corporis* eius *infirma* eſt. Contra hoc, quod ait fortes, *& ſermo* præſentiæ eius fuit *contemptibilis*.i. humilis ſatis & rudis: nunc autem grauis: vt, inquam, non èxiſtimer tāquam terrere vos: *hoc cogitet qui huiuſmodi eſt*.i. qui me dicit contemptibilem & infirmum. Cogitet, inquam, *quia quales ſumus abſentes, in verbo per epiſtolas miſſo, tales* erimus *et iam præſentes*: non ſolùm in verbo, ſed etiam *in facto*: quia quod per epiſtolam minamur, idem verbo & opere præſentes exercebimus. Verè quales ſumus abſentes verbo, tales præſentes erimus in facto. *Non enim* ſumus de veſtris pſeudo qui ſe impudenter inſerunt .i. ingerunt: non miſſi à Deo: nec certè *audemus nos inſerere*, vt (quod no-

A bis commiſſum non eſſet) vſurparemus illicitè. *Aut* non audemus inſerti à Deo nos *comparare quibuſdam* .i. pſeudo, *qui* non à Deo commendati *ſeipſos commendant*: commendatitias epiſtolas hinc inde deferentes: his non audemus nos comparare, vt menſuram officij noſtri inexpletam negligamus. Quidam enim ex electione regulariter inſerti, poſtea peruerſæ agendo, peruerſis ſe comparant. Non auſi ſumus inſerere nos: *ſed ipſi* ſumus *metientes noſmet ipſos in nobis*: vt menſuram à Deo nobis tra-

B ditam non excedamus: quod alienum eſt vſurpando, vt illi qui ſe inſerunt. Sumus etiam noſmetipſos *comparantes nobis*: nihil iniuncti officij linquentes inexpletum. Comparantes nos nobis, non ſubſiſtentes intra propoſitam metam. Et licet metiamur & comparemus nos nobis, tamen nos *non gloriabimur in immenſum*. Vel poteſt hucuſque conſtructio duci non ſupplendo ſumus ita. Nos metientes & comparantes nos nobis non gloriabimur. Nos autem qui vtique dignè poſſemus, non glo-

C riabimur in immenſum, *ſed* gloriabimur *ſecundum menſuram regulæ*, qua me & ſubditos idoneè regulaui. Tunc fortaſsè diceret aliquis hanc menſuram tibi vſurpaſti. Contra quod Paulus. *Quam menſuram menſus eſt nobis Deus*. Iterum ille, ſed non vſque ad nos. *Menſuram vtique dico pertingendi vſque ad vos*. Et verè pertingimus vſque ad vos. *Non enim ſuperextendimus nos quaſi* qui *non* ſumus *pertingentes ad vos* ſecundum menſuram nobis à Deo menſura-

D tam. Verè non ſuperextēdimus nos. *Nam vſque ad vos ex* menſura Dei *peruenimus in Euangelio Chriſti*, prædicando. Opponeret iterum. Ingreſſus es in alienum laborem. Contra hoc ait. Peruenimus ad vos, *non gloriantes in alienis laboribus*, id eſt, ſuper alienum fundamentum non ædificaui, non gloriantes dico: & non *in immenſum* duplicanda eſt illa negatio: verè peruenimus vſque ad vos. Nam etiam vltra vos, quod ſic ait.

Menſuram nobis datā excedere non debemus.

Non

Non in immenſum gloriantes, *ſed habentes ſpem creſcentis fidei veſtræ*, id eſt, per creſcentem fidem veſtram *magnificari in vobis*: viſo enim fructu fidei veſtræ dicetur. Magnus eſt doctor & inſtitutor fidei huius. Magnificari dico in vobis *ſecundum regulam noſtram*, id eſt, ſecundum hoc quod ex omni æquitate regulauimus vitam veſtram, magnificabimur in vobis. *Spem etiam* habentes euangelizare *in illa* loca *quæ vltra non ſunt*: & hoc *in abundantia*. In multis enim locis euangelizabo. Vel euangelizare in abundantia ſignorum & ſermonis: & *non* habentes ſpem gloriari *in aliena regula*, id eſt, in alieno regimine: ſcilicet, *in his* locis *quæ præparata*, id eſt, euangelizata *ſunt* ab alijs Apoſtolis. Ego nolo gloriari in aliena regula. Similiter autem *quicunque gloriatur*, videat vt *glorietur in Domino*, menſurante ſibi: nec temerè ſibi vſurpet, quod Deus alij menſurauit. Omnem vtique gloriantem oportet gloriari in menſura Domini. *Non enim* ille *qui ſeipſum commendat*, id eſt, qui ſe ſine Deo alterius ingerit regimini, vt pſeudo: *ille* vtique non eſt *approbatus* à Deo: *ſed ille quem commendat*, & cui propriam menſuram diſtribuit.

Gloriari oportet in menſura Domini.

CAP. XI.

VTINAM *ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ, ſed & ſupportate me. Aemulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Timeo autem ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua: ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Nam ſi is qui venit, alium Chriſtum prædicat, quem non prædicauimus, aut alium ſpiritum accipitis, quem non accepiſtis, aut aliud Euangelium quod non recepiſtis, rectè pateremini. Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe à magnis Apoſtolis. Nam & ſi imperitus ſermone, ſed non ſcien-*

97.di.cap.1 27.q.1.nuptiarum Gen.3 4.

A *tia. In omnibus autem manifeſtus ſum vobis. Aut nunquid peccatum feci, meipſum humilians, vt vos exaltemini? Quoniam gratis Euangelium Dei euangelizaui vobis. Alias Eccleſias expoliaui, accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum, & cùm eſſem apud vos & egerem, nulli oneroſus fui. Nam quod mihi deerat, ſuppleuerunt fratres qui venerunt à Macedonia, & in omnibus ſine onere me vobis ſeruaui, & ſeruabo. Eſt veritas Chriſti in me, quoniam hæc gloria non infringetur in me, in regionibus Achaiæ. Quare? Quia non diligo vos? Deus ſcit.*

B *Quod autem facio & faciam, vt amputem occaſionem eorum qui volunt occaſionem, vt in quo gloriãtur, inueniantur ſicut & nos. Nam eiuſmodi pſeudo-apoſtoli ſunt operarij ſubdoli, transfigurãtes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et nõ mirũ. Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in angelum lucis. Non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri iuſtitiæ, quorum finis erit ſecũdum opera ipſorum. Iterum dico, ne quis putet me inſipientem eſſe. Alioquin velut inſipientem accipite me, vt & ego modicum quid glorier. Quod*

26.q.1.epi & cap.nec mirum.de regul.licet Nec cle ve. mo.cap.5.

C *loquor, non loquor ſecundum Deum, ſed quaſi in inſipientia, in hac ſubſtãtia gloriæ. Quoniam multi gloriãtur ſecũdum carnem, & ego gloriabor. Libenter enim ſuffertis inſipientes, cùm ſitis ipſi ſapientes. Suſtinetis enim ſi quis vos in ſeruitutẽ redigit. Si quis deuorat. Si quis accipit. Si quis extollitur. Si quis in faciem vos cædit. Secũdum ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet, (in inſipientia dico) audeo & ego. Hebræi ſunt, & ego. Iſraëlitæ ſunt, & ego. Semen Abrahæ ſunt, & ego. Miniſtri Chriſti ſunt, & ego. Vt minus ſapiẽs dico: plus ego. In laboribus plu-*

D *rimis. In carceribus abundãtius. In plagis ſupra modũ. In mortibus frequẽter. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi. Ter virgis cæſus ſũ. Semel lapidatus ſũ. Ter naufragiũ feci. Nocte & die in profundo maris fui: In itineribus ſæpe: Periculis fluminũ: Periculis latronũ: Periculis ex genere. Periculis ex gentibus. Periculis in ciuitate. Periculis in ſolitudine. Periculis in mari. Periculis*

in falſis fratribus. In labore & erumna. In vigilijs multis. In fame & ſiti. In ieiunijs multis. In frigore & nuditate: præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium
q.7.plemq.24.
1.qua
ignis.
Ctor.9.
erſ 24.
eccleſiarum, Quis infirmatur, & ego nõ infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor. Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti ſcit, qui eſt benedictus in ſæcula, quod non mentior. Damaſci præpoſitus gentis Arethe regis cuſtodiebat ciuitatem Damaſcenorum, vt me comprehenderet, & per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum & ſic effugi manus eius.

DICo qui gloriatur, glorietur in Domino, & *ſuſtineretis modicum quod inſipientiæ meæ*.i. patienter ferretis aliquãtulum meæ gloriationis, quæ ſecundum reprobos inſipiẽtia dicitur, quod vtiq; verum concederem, ſi per hoc gloriam meã quærerem, ſed per cõmendationem mei hoc ſolum intendo, vt vos ab errore pſeudo doctorum retraham: quare dicitur quidem inſipientia, ſed non eſt inſipientia. Dico quaſi poſtulans, *vtinam* ſuſtineretis: non hoc modo: *ſed etiam* præcipio, *ſupportate me*, non contradicentes imperio meo, vt filij patrem, diſcipuli doctorem. Me vtiq; ſupportare debetis, *ego enim æmulor vos*.i. feruenti motu animi diligo: & hoc *æmulatione*.i. dilectione: nõ mei vt vos mihi aſcribere velim, ſed ęmulatione *Dei*: quia Dei ſolius vos eſſe volo. Tractũ eſt à ſimilitudine eius, qui ſpõſam alterius diligit: non ſibi, ipſi ſed ad vtilitatẽ & honorẽ ſponſi: ſicut Ioannes quando ſponſus Eccleſiæ.i. Chriſtus eſſet putatus: dilexit Eccleſiam.i. ſponſam non ſibi, ſed
m.3.29.
ſponſo Chriſto dicens. Qui ſponſam habet, ſponſus eſt; amicus autẽ ſponſi ſtat & audit eum. Aemulatio dicitur
Aemulatio motus animi dicitur.
motus animi, ſiue ad iram, ſiue ad amorem. Verè æmulatione Dei æmulor vos: ego *enim deſpondi vos*. Hæc deſponſatio Eccleſiæ incipiens à Baptiſmo durat vſque ad diem reſurrectionis omnium: in quo Eccleſia nu-

A ptui tradetur ſponſo ſuo Chriſto, recipienti tunc eam in amplexibus: quã à principio fidei ſubarrauit annulo Spiritus ſancti. Deſpondi vtiq; vos *vni*: & ſi vni, ergo non mihi. Et vni *viro*.i. qui vir legitimus: nõ ſicut ille de quo dictum eſt. Hic quem nũc habes, non eſt tuus vir. Deſpondi vos Ioan.4.18.
vni viro *exhibere*.i. vt exhibeam vos illi vni viro *Chriſto virginem*.i. incorruptos actu peccati. Virginem dico *caſtam*.i. carentem æſtu: quod nec voluntate conſentiat iniquitati. Ego Gen.3.4.
B quidem volo vos exhibere Chriſto: *ſed timeo ne ſicut ſerpens aſtutia ſua ſeduxit Euam: ita ſenſus veſtri* ſeducti *corrumpantur* ab iſtis pſeudo: & corrupti *excidant à ſimplicitate* fidei: *quæ* ſimplicitas *eſt in Chriſto Ieſu*. Fides enim Chriſti in ſimplicitate conſiſtit, non in verſuta duplicitate infidelitatis. Valde Corinthios deprimit: dum eos comparat Euæ, doctores vero eorum venenato ſerpenti. Timeo ne corrumpantur. Ne autem corrumpamini ab eis: non debetis eos pati.
C *Nam ſi is*.i. pſeudo *qui venit* à ſe non à Deo. Vel qui vænit, id eſt, qui venditur vobis. Hic enim prædicationẽ ſuam optime vendicat: ſi is, inquam, *prædicat alium Chriſtum, quem* nos *nõ prædicauimus* vobis: *Aut* ſi ab eo *accipitis alium ſpiritum, quem non accepiſtis* à nobis. *Aut* ſi ab eo recipitis *aliud Euangelium quod* Euangelium *non recepiſtis* à nobis. Si hęc, inquam, eſſent: tunc *rectè pateremini* eum, ſed quia alium Chriſtum non prædicant: Spiritum ſanctum non tribuunt quem à
D nobis accepiſtis: & aliud Euãgelium non prædicant: ideò à vobis patiendi non ſunt. Eos vtique pati non debetis ſed me: quia (vt de illis ſileam) *exiſtimo me nihil minus feciſſe*: per quod minus ſeparatus ſim *à magnis Apoſtolis*.i. à Petro: & ab illis qui videbantur eſſe columnę: de quorum magiſterio hi pſeudo (falſo tamen) ſe mihi præferunt: quia nec illorum diſcipuli ſunt. Hic callidè reſpondet eis, qui obijciebant ei, quod quia non eſſet Apoſtolus, non acciperet ſumptus de prædicatione, vt Petrus & alij. Nihil

hil vtiq; minus illis feci: *nam & ſi viſus ſim vobis imperitus ſermone*: quia ſimpliciter locutus ſum vobis: tamē ſcitote quod *non ſum imperitus ſcientia*. Sed quid hoc dico? *vobis autem in omnibus* tam ſcientia quam ſermone ſum *manifeſtatus in* nullo eſſe imperitus. Verè nihil minus magnis Apoſtolis feci: quia etiam plus illis. Et hoc latenter dicit, quaſi ſub quadam minoritate ſui redigens, hoc modo dicens. *Aut nunquid peccatum feci, humilians meipſum* ſubripiendo mihi id q ius prædicationis exigit, *vt vos per* meā humiliationem *exaltemini?* Niſi enim me ita humiliarem, nihil accipiēdo: maluiſſetis verbū Dei reſpuere, quā mihi miniſtrare. An, inquam, peccaui, *quoniā gratis* .i. nihil accipiēdo à vobis, *euangelizaui vobis Euangelium Dei?* Quærerent illi. Vnde ergo vixiſti? ait. Ego quidem *expoliaui alias Eccleſias, accipiens* ab illis *ſtipēdium ad miniſterium veſtri* .i. ad adminiſtrandum vobis Euangelium. Iterum illi. Forſitan nullo indigebas. Et ille. *Cùm eſſem apud vos, &* pro certo omnibus *egerem, nulli* tamen veſtrum *fui oneroſus*. Vbi ait oneroſus: plurimū eos de auaritia arguit. Iterum illi. Vnde ergo ſupplebas egeſtatem? Benè ait Paulus. *Nam quod mihi deerat, fratres qui venerunt à Macedonia ſuppleuerunt*, & ita in omnibus tam veſtimēto quā victu *ſeruaui me vobis ſine onere, &* ſimiliter *ſeruabo* de cętero. Et in hoc quod me reuera ſic ſeruabo, *veritas Chriſti eſt in me*. Quaſi diceret. Per veritatem Chriſti ſic me ſeruaturum aſſero. Veritas, inquam, Chriſti eſt in me, de hoc *quoniam* .i. quod *hæc gloria*, ſcilicet, quod ſic me ſeruabo, *non infringetur in me* hæc gloria: non tantùm in Corintho, ſed nec *in regionibus Achaiæ*. Iterū ſic agis, quia nobis inimicaris. Cōtra hoc Paulus. Non vtiq; infringetur: ſed *quare?* Dicetis me ideò facere, *quia non diligo vos? Deus ſcit*, quia vos diligo: ſed *q facio & faciam* nihil, ſcilicet, accipiēdo, hoc ideò facio, *vt amputem occaſionem eorum* pſeudo, *qui à me volunt* habere *occaſionem* accipiendi: quia ſi

Paulus dicit ſe non fuiſſe ſciētia imperitum.

A ego acciperem, tūc & illi. Amputem dico *vt* illi *inueniantur ſicut & nos*, nihil accipientes: in quo tamen facere aliquid ſicut nos valdè gloriantur, licet nos perſequātur. Vel ita. Vt amputem occaſionem pſeudo, qui volunt occaſionem accipiendi in quo gloriantur .i. in accipiendo: nō enim quærūt aliam gloriam, niſi vt aliqui, qui eliciant in eo inueniantur ſicut nos nihil accipientes. Intuenda eſt ſubtilitas Pauli. Si enim Paulus acciperet, continuò & illi: poſtquam autem de bonis eorum viuerent, auctoritatem viderentur habere prædicā-

B di eis: quod ſi ex auctoritate prædicarent, proculdubio fidem eorum corrumperent: & in hunc modum ſimilitudo Pauli nutrimentum eſſet corruptionis Corinthiorum. Diceret aliquis. Tu dicis vt inueniantur ſicut & nos, poſſunt ne pſeudo inueniri ſimiles nobis? Vtique ait Paulus. *Nam huiuſmodi pſeudo-apoſtoli ſunt ſubdoli operarij*, in eo, quia *transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti*: accipiendo ſi illi accipiant, abſtinendo ſi illi abſtineant, & in cæteris. *Et non* eſt *mirum*

Pſeudo ſe transfigurant in Apoſtol. Chriſti.

C *ſi* in Apoſtolos Chriſti ſe ſe transfigurant: *quia ipſe Satanas* caput eorum, plerunque *transfiguratur in angelum lucis*: & quia Satanas tranſit in angelum lucis: ergo *non eſt magnum* admirandum *ſi miniſtri ſatanæ*, id eſt, pſeudo transfigurantur facti velut miniſtri iuſtitiæ: *finis quorum* & miniſtrorum Satanæ & miniſtrorum iuſtitiæ *erit ſecundum opera ipſorum*.

¶ Gloriatus eſt ſuperius de Apoſtolatu ſuo, tradito ſibi à Deo: gloriatus eſt etiam de hoc, quod plus omnibus

D laborauit, gratis euangelizando Euangelium Dei & de cæteris: in quibus vtique iuſtè poterat gloriari: nunc verò tranſit vt referat quædam ſecundum carnem de gloria generis, quod tamen (ſicut apertè innuit) nullā intelligit gloriam: ſed tamen neceſſe erat, vt de carnalitate generis gloriaretur, cùm enim pſeudo de huiuſmodi ſe extollerent: niſi Paulus idem haberet, gloriarentur ſibi eſſe priuilegium, quod Paulo deeſſet, &

ſic inſipientium Corinthiorum fidem facilius ſubuerterent, quàm gloriam Pauli: dum in ſe eſſe oſtendit: nihilque ſibi conferre, vituperat eos qui de hac re gloriantur in qua fructus non eſt. Litera ſic iungitur. Dixi ſuperius. Vtinam ſuſtineretis inſipientiam meam: nunc *iterum* de eodem *dico*, *ne quis me putet inſipientem eſſe*, de præmiſſa gloriatione. *Alioquin*, id eſt, ſi propter præmiſſam gloriam inſipientiæ me arguitis: nunc *accipite me velut inſipientem:* dum de carnalitate glorior, quæ longè præmiſſa gloria eſt inferior. Dicit velut inſipientem: non enim iudicandus eſt verè inſipiens: quia gloriando de carnalitate non quærit in hoc gloriam ſuam: ſed ſolam Corinthiorum ædificationem, quod palam eſt in eo dum idem reprobat carnis gloriam. Accipite me velut inſipientem, *vt* ſicut pſeudo ſic *& ego glorier*, id eſt, referam de gloria carnis: quod, ſcilicet, hoc modo gloriari, *modicum* quid eſt: nec verè gloriæ immorandum. Benè dico inſipientem: *quia quod loquor* de gloria carnis, *non loquor ſecundum Deum*, apud quem humilitas commendatur: carnis gloria deprimitur, *ſed quaſi in inſipientia* hoc loquor. Quaſi dicit. Quia non verè inſipiens, dum non veram eſſe credit carnis gloriam. Loquor quidem in inſipientia immorando *in hac*, id eſt, carnali gloria: vbi eſt *ſubſtantia*, id eſt, in qua ſubſiſtere & pedem figere debemus. Et hoc ironicè: quia in gloria carnis nullo modo ſubſiſtendum eſſe intelligit. Diceret aliquis. Cùm gloria carnis non ſit ſecundum Deum, quare in hac immoraris? Ideò vtique *quoniam multi*, id eſt, pſeudo *gloriantur ſecundùm carnem:* ideò *& ego gloriabor*, id eſt, pauca referam de eadem gloria. Gloriabor, tum quia multi ſic gloriantur, prætereà *quia* vos *ſuffertis*, id eſt, graue onus eorum portatis. Suffertis dico *inſipientes*, id eſt, illos pſeudo in inſipientia gloriantes. Suffertis dico *libenter*, id eſt, à nullo coacti, quia ſic libet vobis

Carnis gloria non eſt ſecundum Deum.

A *cum ſitis ipſi ſapientes*, ironicè, id eſt, cùm vobis arrogetis ſapientiam malè conſonat hoc quod ſuffertis eorum inſipientiam. In quibus illos ſufferant exequitur dicens, vtique ſuffertis, *ſuſtinetis enim ſi quis* illorum pſeudo *redigit vos in ſeruitutem*, id eſt, cogit deſeruire ſibi vt ſeruos: *Si quis* etiam eorum *deuorat* bona veſtra. Illi enim pſeudo voraciter res eorum conſumebant. Suſtinetis etiam *ſi quis* eorum *accipit*, id eſt, capit vos ad ſe dolo, id eſt, ſi quis vos decipit. *Si quis* etiam eorum *extollitur*, dicendo ſe de genere Abrahæ, vos autem canes: hæc duo decipere & extolli opportuna erant ad deuorandum bona eorum: & ad redigendum eos in ſeruitutem. Suſtinetis ſi quis extollitur: & *ſi quis* ſe extollendo *cadit vos*, id eſt, improperat vobis quod incircumciſi eſtis: & huiuſmodi. Cædit dico non in abſconſo, ſed *in faciem*, id eſt, in oculis veſtris præſumit improperare vobis. Cędit vos, *dico. ſecundum ignobilitatem* generis, quàm improperat vobis. Illos vtique ſuſtinetis: nos autem minimè *quaſi fuerimus infirmi in hac parte*, id eſt, impotentes gloriari ſecundum carnem. Sed non ſumus in hoc infirmi: quia *in quocunque aliquis* eorum *audet* gloriari: *audeo ſimiliter ego.* Vbi ait audet, & audeo, notat potius præſumptionem eſſe, quam veram gloriam. Et quod dico, ego audeo, hoc *dico in inſipientia*, ſapientia enim admonet, neque ſe præferre: neque alium deprimere. Verè in quo audet quis, audeo & ego. Nam ſi illi *ſunt Hebræi*, id eſt, hebraica lingua diſerti: *& ego* ſimiliter. Hebræi dicuntur ab heber, prudentia, cuius hæc lingua reſeruata eſt. Si illi iterum gloriantur quod *ſunt Iſraelitæ*, *& ego* ſimiliter Iſraëlita ſum. Hebræi & Iſraëlitæ poſſent eſſe: nec tamen de Abraham vt Proſeliti, qui à gentilitate in circumciſionem tranſibant: ideò addidit. Si illi *ſunt ſemen Abrahæ* ſecundum carnem: ſimiliter *& ego.* ¶ Poſtquam in gloria generis ſe contulit illis. Tranſit ad gloriam miniſterij: non enim ſuffice-

Hebræi vnde dicuntur

ſufficeret illis pſeudo in veteribus gloriari: niſi etiam gloriarentur in diſcipulatu Chriſti. Vnde ſic ait. Si gloriantur quod *ſunt miniſtri Chriſti*, prædicantes Chriſtum, *& ego* ſimiliter adminiſtro Chriſtum. *Dico* & *ego*. *Plus* etiam ego ſum miniſter Chriſti quam illi: & hoc *dico vt minus ſapiens*, dum me præfero, illos humilio. Quod ait plus ego: exequitur ita per partes. Oſtenſus ſum plus eſſe miniſter Chriſti: *in laboribus pluribus* quos & manibus laborando: & immenſis periculis ſuſtinendo: ſæpius illis pertuli. *Abundantius* etiam oſtenſus miniſter Chriſti *in carceribus*: quam illi, qui vt viderentur Apoſtoli Chriſti quandoque ſe patiebantur incarcerari. Oſtenſus etiam miniſter Chriſti *in plagis ſupra modum* humanæ virtutis toleratis. Et *frequenter* oſtenſus miniſter Chriſti *in mortibus*, id eſt, in pœnis quæ mortem cuicunque inferre ſufficerent: & mihi ſecundum hominem: niſi quia Spiritus ſanctus reſeruabat me. Plagas enumerat dicens. In plagis benè dico: *à Iudæis* enim *accepi quadragenas*, id eſt, quadraginta percuſſiones *minus vna*. Nec hoc ſemel, ſed *quinquies*, id eſt, quinque vicibus. Traditio Iudæorum ſic habebat, vt aliquis contra ſynagogam agens quadraginta ictibus puniretur: ſi immiſericorditer contra eum agerent, ſed ſi miſericordes eſſent, de quadraginta quot vellent, ictus dimittere poſſent. Modo quia Paulum à verbo prædicationis compeſcere nequibant: ſecundum ritum ſuum ducebant in ſynagogam: & ne penitus immiſericordes arguerentur, vnum ictum crudeli aſtutia relaxabant adhuc de plagis. *Ter* etiam apud gentiles in Macedonia *cæſus ſum virgis*. *Semel* ab Epheſijs *lapidatus ſum*, quando puellam à phytonico ſpiritu liberaui. *Ter* etiam *feci naufragium*, id eſt, ter in mari naufragatus ſum. *Nocte* etiam *& die in profundo maris fui*. De hoc non legitur. Siue quemadmodum Ionas in mare demerſus ſit ibique à Deo reſeruatus. Siue in profundo,

Iudæorum traditio quæ erat. Deut. 25. 3.

Act 16. 22. Act. 14. 19.

Act. 27. 2.

A id eſt, in medio alti maris diei & noctis continuum paſſus ſit naufragium. Hæc naufragia patiebatur, dum ad prædicandum tranſiret nauigio. Oſtenſus etiam plus miniſter Chriſti *in itineribus ſæpe*. *Periculis*, id eſt, per pericula *fluminum*, quorum impetus paſſus ſum: & *per pericula latronum* verberantium & ſpoliantium me. Et per *pericula ex genere meo*, id eſt, quæ à Iudæis patiebar. Et per *pericula ex gentibus*, id eſt, quæ patiebar à gentilibus. Et per *pericula in*

B *ciuitate* ſæpè mihi illata. Et *per pericula latronum* vel beſtiarum in ſolitudine tolerata. Dum cauſa prædicationis nemora pertranſirem: per pericula etiam prætermiſſa in mari ſæpè tolerata. Per pericula etiam quæ *in falſis fratribus* ſæpè pertuli. Per hæc omnia præmiſſa oſtenſus ſum plus eſſe miniſter Chriſti quã illi. Oſtẽſus ſum etiam miniſter Chriſti *in labore & ærumna*, id eſt, in ærumnoſo labore: quando febres vel aliquos morbos patiebar: & me tamen laborare

C oportebat. In labore dico etiam habito *in multis vigilijs*: quia cùm tota die prædicaſſet: nocte laborabat vnde viueret. Vel orationi plerumque inuigilabat. Oſtenſus ſum etiam miniſter Chriſti: *in fame & ſiti*: & *in ieiunijs multis*: modo ſponte, modo penuria toleratis. Oſtenſus ſum etiam miniſter Chriſti *in frigore & nuditate*: quia ſi frigus me cogebat, nuditas erat quæ frigus fouebat. Hæc de quibus modo gloriatus ſum, in corpore pertuli: ſed *præter illa quæ ex-*

D *trinſecus*, id eſt, in corpore ſunt tolerata, eſt aliquid quod me vexat interius: ſcilicet, *quotidiana ſollicitudo omnium Eccleſiarum*, id eſt, quod omni die ſollicitus ſum de ſtatu totius Eccleſiæ. Hæc ſollicitudo eſt mea *inſtantia*, id eſt, aſſiduè mihi inſtat: & pungit, & grauiter me ſtimulat. Plus eſt inſtantia, quam ſollicitudo. Inſtantia enim vexatio dicitur corporis & animi. Sollicitudo ſolius animi. Verè pro omnibus ſollicitus ſum: quia *quis* fratrum *infirmatur*, cadens in peccatum: vel etiam per

Inſtantia plus eſt quã ſollicitudo.

morbum corporis: *& ego* ſtatim *non* A
infirmor, id eſt, non iudico infirmitatem eius meam eſſe condolendo? Et *quis* fratrum *ſcandalizatur* vel in cibo, vel in aliquo alio, *& ego* ſtatim *non vror*, id eſt, propter ſcandalizatum fratrem anxietate animi non comburor? Gloriatus ſum in præmiſſis *de his* quæ ſunt meæ infirmitatis: & adhuc de eiſdem *gloriabor ſi me gloriari oportet*: ſicut reuera neceſſe eſt, vt deprimantur pſeudo, & ædificetur Eccleſia. Et in his de quibus gloriatus ſum & gloriabor, Deus *ſcit quòd* in nullo horum *mentior*: qui eſt B
Deus & pater Domini mei Ieſu Chriſti: & per Ieſum Chriſtum familiaris mihi: *qui* Deus *eſt benedictus in ſæcula* per Chriſtum Ieſum: & per meam prædicationem. De hoc, inquam, non mentior, quod *Damaſci*, id eſt, apud Damaſcum *præpoſitus* illius *gentis*: Præpoſitus dico *Arethæ regis*, id eſt, ſub Aretha rege, qui ibi imperauit. Hic præpoſitus conductus prece & precio Iudæorum, *cuſtodiebat ciuitatem* Damaſcenorum, *vt me*
A.9.24. *comprehenderet*. Paulus enim baptizatus ab Anania, aliquamdiu remoratus Damaſci, affirmabat ibi in ſynagoga, quoniam hic eſt Chriſtus, & cætera. Quo zelo commoti Iudæi conuenerunt cum iudice vrbis, vt Paulus comprehenderetur, qui reus eſſet. Præpoſitus volebat me comprehendere: *& ego per feneſtram in ſporta demiſſus ſum à fratribus per murum*. Domus enim in qua hoſpitabatur, hærebat muro: *& ſic effugi manus*
A.9.25. *eius* præpoſiti. Non effugit vt reformidaret pati pro nomine Chriſti: ſed vt impleretur quod vox diuina dixerat de eo. Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram regibus & filijs Iſraël. Ego enim oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

CAP. XII.

***S**I gloriari oportet (non expedit quidem.) Veniam autem ad viſiones & reuelationes Domini. Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſiue in corpore, ſiue extra corpus: neſcio, Deus ſcit, raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum. Et ſcio huiuſmodi hominem, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit, quoniam raptus eſt* 13.q.2.fatē- iam 10.q.3 epiſt.an.pn
B *in paradiſum, & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui. Pro huiuſmodi gloriabor: pro me autem nihil, niſi in infirmitatibus meis. Nam & ſi voluero gloriari: non ero inſipiens. Veritatem enim dicam. Parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me: & dixit mihi. Sufficit tibi gratia mea: Nam virtus in infirmitate perficitur.* De cōſe di. 9.2 & ſacrā.32.q.3 ſi Paulus w prin 5.q 3. non omnis.
C *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Propter quod placeo * mihi in infirmitatibus meis: In contumelijs: In neceſſitatibus: In perſecutionibus: In anguſtijs pro Chriſto. Cùm enim infirmor, tunc potēs ſum. Factus ſum inſipiēs, vos me coegiſtis. Ego enim à vobis debui cōmendari. Nihil enim minus feci ab his qui ſunt ſupra modum Apoſtoli. Tametſi nihil ſum: ſigna tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patiētia, in ſignis & prodigijs, & virtutibus. Quid eſt enim quod minus habuiſtis præ cæteris Eccleſiis, niſi quod ego ipſe non grauaui* * Placens. De renūc. n·ſi §.ul. a vero cā.
D *vos? Donate mihi hanc iniuriam. Ecce tertio hoc paratus ſum venire ad vos: & non ero grauis vobis. Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Nec enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs. Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ego ipſe pro animabus veſtris; licet plus vos diligens, minus diligar. Sed eſto. Ego vos non grauaui, ſed cùm eſſem aſtu-* De cēſi.cũ Apoſtolus.

tus, dolo vos cæpi. Nunquid per aliquem eorum, quos miſi ad vos, circumueni vos? Rogaui Titum, & miſi cum illo fratrem. Nunquid Titus vos circumuenit? Nonne eodem ſpiritu ambulauimus, nonne eiſdem veſtigijs? Olim putatis quod excuſemus nos apud vos? Coram Deo in Chriſto loquimur. Omnia autem chariſsimi propter ædificationem veſtram. Timeo enim ne forte cùm venero, non quales volo inueniam vos; & ego inueniar à vobis, qualem non vultis, ne fortè contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones ſint inter vos: ne iterum cùm venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia & fornicatione, & impudicitia quam geſſerunt.

11. q. 3. anteceſſores in fine.

Deut. 17. Matt. 18. Ioan. 8. Hebr. 10.

GLoriatus ſum ſuperius de meis infirmitatibus. *Si iterum gloriari oportet* (ſicut vtique propter pſeudo opportunum eſt. Interpoſitio) ſi oportet, *non expedit quidem*, id eſt, me in nullo facit expeditum hæc gloria. Si, inquam, oportet, *veniam ad viſiones*, & cætera: aut iungitur ibi. Licet quantum ad me non expediat, tamen veniam ad viſiones & reuelationes *Domini:* & in illis gloriabor. Viſiones dicit & reuelationes, quia quod vidit reuelatum eſt eius cognitioni, ſed quidam habuerunt viſiones vt Pharao, & Nabuchodonoſor, nec tamen viſionum reuelationes. Nunc de ſe loquendo per tertiam perſonam, viſiones enarrat, dicens. *Scio hominem* (me, ſcilicet,) poſitum *in Chriſto: raptum* & cætera: & hoc factum eſt *ante annos quatuordecim*, nunc tranſactos. Quod tot annis reticuit, nondum aperiret: niſi contemptus ſui miniſterij eum vehementer vrgeret. *Raptum ſiue in corpore neſcio, ſiue extra corpus* raptum, *neſcio, Deus ſcit.* Si Paulus in corpore raptus eſt ad hanc viſionem, corpus quidem localiter motum non eſt: ſed anima quæ in carne premitur, incarcerata mole carnis, ita vt nihil

Raptus Pauli ſi in corpore.

A ſentiat, niſi prius aliquo ſenſu corporeo excitata. Anima quidem huius ita expedita fuit in tempore eius reuelationis, vt nihil ſentiret carneæ molis: ipſum autem corpus ita creditur temperatum, vt nullo pondere ſui agilitatem animæ perturbaret. Si verò extra corpus, anima quidem libera pondere carnis quo Deus voluit, potuit duci: ſed ſiue alio ducta ſit, ſiue ibidem ſubſtiterit: nihil impedit. quia poſtquam non ſenſit molem carnis ex voluntate Dei, videre potuit eum, quem in futuro videbit ſicuti eſt. B *Hominem huiuſmodi* ſcio *raptum vſque ad tertium cœlum*, id eſt, vſque ad tertij ordinis viſionem. Viſio cœlum dicitur: quia pluribus cœlatur, paucis aperitur. Primum cœlum, id eſt, prima viſio dicitur, qua Deus corporaliter oſtendit aliqua ſecreta: vt Gedeoni in ſicco vellere & madida area: & Machabæis qui viderunt ignitas acies in aëre, præfigurantes bellum. Secundum cœlum, id eſt, ſecunda viſio eſt, quando non per rem corpoream, ſed per imaginem C aliquid oſtenditur: vt beato Petro imagines omnium reptilium oſtenſæ ſunt, quando dictum eſt ei, macta & manduca: quarum imaginum res ibi non erant. Tertium cœlum, id eſt, tertia viſio dicitur illa, à duabus prædictis diuerſa, quando neque per rem, neque per imaginem rei oſtenditur: ſed ſicuti proprietas rei eſt, ſimplici veritate aperitur. Et hoc tertio modo manifeſta ſunt Paulo arcana Dei: non per rem, neque per imaginem. D Vel aliter ſicut Dionyſius Ariopagita nouem ordines angelorum in tres redigit. Angelos, archangelos, virtutes: dicens primum eſſe ordinem. Principatus, poteſtates, dominationes: ſecundum, Thronos: Cherubim & Seraphim dicens ordinem tertium. Et in quanta perfectione hic tertius ordo intuetur Deum, tam perfectè Paulus vidit & cognouit arcana Dei. Vel aliter: vt dicamus primum

Si in anima.

Cœlū dicitur viſio.

Iud. 6. 38. 2. Mach. 5. verſ. 2.

Actor. 10. verſ. 11.

cœlum corporeas cœli creaturas: ſolem, lunam, & cætera. Secundum cœlum incorporeas vt angelos. Tertium cœlum diuinam eſſentiam, ad cuius cognitionem raptus eſt Paulus. Scio etiam hominem huiuſmodi, *ſiue in corpore ſiue extra corpus: neſcio, Deus ſcit* hoc: ſcio *quoniam*, id eſt, quod *raptus eſt in paradiſum*, id eſt, in tam delitioſam quietem mentis: vt nihil ſentiret carneæ molis. Paradiſus enim dicitur hortus deliciarum. Et hic homo ita raptus, *audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*, id eſt, quæ iuxta quod homo eſt nemo intelligere ſufficit. Dicit Beatus Auguſtinus hæc arcana eſſe, quod vidit quomodo trinitas in vnitate, vnitas eſſet in trinitate. Et *pro eiuſmodi* homine qui ſic raptus audire meruit *gloriabor: ſed pro me*, id eſt, ſecundum vires meas *nihil* vnquam gloriabor, *niſi in meis infirmitatibus*. Ideò dico gloriabor. *Nam & ſi voluero gloriari:* ſiue in reuelationibus illis, ſiue in infirmitatibus meis, *non ero inſipiens*. Ideò *quia veritatem* in omnibus *dicam:* ſed neque hoc adhuc ſufficit: vt de omni veritate liceat gloriari addendum eſt: quia & veritatem dicam: & ad ædificationem Eccleſiæ per hoc proficiam, quod idem in ſequentibus ponit. Et licet ita poſſim gloriari: *tamen parco*, id eſt, parcè de gloria refero: *ne forte quis exiſtimet me eſſe ſupra id quod videt in me*. Videt enim me hominem miſerijs preſſum: ſed quia ex altera parte videt per me fieri miracula: putat de me ſupra humanitatem quam videt in me: vt illi qui voluerunt illi conſtruere aras. *Vel* exiſtimet de me ſupra id *quod audit ex me*, quem audit ſitire, algere, cæteris miſerijs ſubiacentem. Parco quidem gloriari & benè facio: quia *ne magnitudo reuelationum extollat me* in ſuperbiam: *datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ*, ſcilicet, *angelus*, id eſt, legatus *Satanæ*, principis dæmoniorum: quem immiſit, *vt me colaphizet*, id eſt,

Paradiſus quid.

Paulus raptus quæ arcana vidit.

Act. 14. 13.

A vt ſi ex magnitudine reuelationum erigere ceruicem volo: colaphum incutiat tentatio: & ſic quod Satanas intelligit ad pœnam, diſponit mihi Deus ad perfectionem. Quidam dicunt per ſtimulum carnis, quaſcunque tentationes intelligi: alij ſolum tentationem libidinis. *Propter quod*, id eſt, quia Satanas colaphizat me, *rogaui Dominum ter* (finitum pro infinito) id eſt, multipliciter: *vt* hic angelus *diſcederet à me: &* Dominus *dixit mihi* roganti. Quia ita tentaris Paule, hoc

B eſt gratia *mea:* & hæc *gratia ſufficit tibi*, id eſt, eſt tibi ſufficiens ad ſalutem: ſi enim hæc gratia, ſcilicet, cuſtodia humilitatis tibi deeſſet, omnis gratia tibi collata irrita foret. Hæc, inquam, gratia ſufficit. *Nam* omnis *virtus perficitur in infirmitate*, benè tolerata. Virtus enim quæ habet infirmitatem contrariam, cum qua legitimè certet vt poſtea coronetur, perfecta eſt. Hucuſque verba Domini, nunc Pauli. Quia virtus perficitur in infirmitate: *igitur libenter* amodo *gloriabor*

C *in infirmitatibus meis: vt* merito benè toleratæ infirmitatis: *inhabitet in me virtus Chriſti*, quam oportet in infirmitate perfici. *Propter quod:* quia p hoc inhabitabit in me virtus Chriſti: amodo benè *placeo mihi in infirmitatibus meis:* ſcilicet, *in contumelijs*, quas verbo & opere, pro Chriſto gaudeo pati: & *in neceſſitatibus* victus & veſtimenti: & *in perſecutionibus* de loco ad locum fugatus. Et *in anguſtijs* animi: his omnibus pro Chriſto toleratis. Ideò in infirmitatibus placeo mihi: *quia cum infirmor*

D in corpore, *tunc* meritò infirmitate carnis, *potens ſum* ſpiritu. Nunc multis modis gloriatus ſum: & ita me commendando *factus ſum inſipiens*, ſicut ſæpè dictum eſt: me extollens, alium deprimens: ſed *vos coegiſtis me* ad hanc inſipientiam. Vos vtique me coegiſtis vt me commendarem. *Nam ego debui commendari à vobis:* quod quia nō feciſtis: oportuit me facere. Vtique commendari debuiſſem

Virtutem perficit infirmitas.

buiſſem à vobis ? *quia nihil minus feci* per quod ſeparatus ſim *ab his* qui ſecundum vos *ſunt Apoſtoli ſupra modum* meum. Illi ſecundum vos ſupra me ſunt : ſed licet nihil ſim reputatione veſtra : *tamen ſigna apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos* : per quæ re-uera Apoſtolus eſſe comprobor. Facta dico *in omni patientia* apud vos habita : & *in ſignis*, curando claudos, illuminando cæcos. Et in *prodigijs* ſuſcitando mortuos. Et in *virtutibus* vt in curationibus febrium & huiuſmodi. Vel in virtutibus: humilitate, ſobrietate : & cæteris. Verè nihil minus illis feci : *quia quid eſt* hoc *quod habuiſtis minus cæteris Eccleſiis*: per quod illæ ſint præ vobis : *niſi* hoc *quod ego ipſe* qui debuiſſem, *non grauaui vos* : aliquid à vobis accipiendo? Ironicè. *Donate mihi hanc iniuriam*: quia iniurius fui dum vobis indulſi: in quo nemo alius ſuis indulſit Eccleſijs. Et ſicut in præterito non grauaui vos : ita de cætero non ero grauis vobis: ego qui *paratus ſum venire ad* vos. *Ecce hoc tertio* apparatũ : ideo *non ero grauis vobis*, quia *non quæro quæ veſtra ſunt : ſed vos* ipſos. Et iuſtè veſtra non requiro: *quia filij* carnales *non debent theſaurizare parentibus* carnalibus, *ſed parentes filijs*. Licet filij ſpirituales hoc debeant parentibus ſpiritualibus : ſed ego non ſolùm quæ ſpiritualis pater debet filijs : ſed etiam omnem dulcedinem carnalis patris exhibeo vobis. Non quæro quæ veſtra ſunt : ſed ego *libentiſſime impendam vobis* & ſpiritualia: & ſi qua habuero carnalia quæ velitis : *& ſuper* hoc *etiam* quòd *impendam*, ipſe ego impendar *pro animabus veſtris*, id eſt, paratus ſum mori pro vobis ſaluandis : *licet* ego *plus diligens* vos : quia & ſpirituali & carnali lege , *minus diligar à vobis*: Licet plus diligens vos , minus diligar à vobis: *tamen eſto*, id eſt, concedatur iſtud : non enim curo propter hoc inſequi vos modo. Obijcietis iterum mihi, quod callidè, ne quid in propria perſona à vobis acciperem me continui : vt per legatos meos callidius,

Theſaurizare debẽt parentes filijs.

A & amplius acciperem. Quod ſic ait. *Ego quidem non grauaui vos* (ſicut probatum eſt) accipiendo quicquam à vobis in propria perſona : ſed dicetis hoc , quod *cùm eſſem aſtutus* , & ex aſtutia ipſe nollem accipere , *dolo vos cepi* , id eſt , dolosè decepi vos, quod per me nolui , per alios à vobis extorquendo. Vel aliter vt tota litera dicat hoc ſolum ita. Ego quidem (ſicut oſtenſum eſt)non grauaui vos: ſed eſto,id eſt, iſtud concedetis;quod negare nequitis : ſcilicet quod ego non grauaui vos in propria perſona:

B Sed tamen obijcietis iſtud quod cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi. Sic dictum eſt. Non vtique decepi vos: quia ſi hoc facerem, per aliquem eorum quos miſi , vos deciperem : ſed per neminem eorũ decepi vos. Quod ſic ait. *Nunquid per aliquem eorum quos miſi ad vos , circumueni vos?* Minimè. Circumueniret, ſi diſcipulis ſuis iniungeret : vt commendando ſe quæcunque poſſent, ſibi callidè cõgregarent. Verè per neminem eorum quos miſi: circumueni vos. Nam

C neque per Titum , neque per alium. Quia ſic ait. Ego quidem *rogaui Titum*, vt iret ad vos , *& cum illo miſi fratrem*. Hic frater creditur fuiſſe Barnabas : qui frater & coadiutor erat prædicationis. Paulo enim & Barnabæ leguntur Apoſtoli dediſſe dextras ſocietatis. Titum vtique miſi: ſed, *nunquid Titus circumuenit vos?* Minimè. *Nonne* ego & Titus *ambulauimus* in verbo Domini *eodem ſpiritu*, id eſt, eadem voluntate, vel eo-

D dem Spiritu ſancto repleti ? *Et nonne* ambulauimus *ijſdem veſtigijs* , id eſt , ijſdem operibus : quod id & non aliud quàm ego Titus operatus eſt ? Sicut enim veſtigia indicia ſunt ambulationis , ſic opera voluntatis. Quod dico me nihil accepiſſe à vobis & cætera præmiſſa *olim* .i. ex quo incepi me commẽdare : *putatis* quòd per hãc commendationem quaſi rei in aliquo *excuſem nos* inde *apud vos*.i. quod hæc non loquamur ſecundum veritatem , vel ad inſtructionẽ veſtri: ſed vt ſic tegamus culpam noſtram.

Galat. 2. 9. Apoſtoli Paulo & Barnabæ dextras ſocietatis dederunt.

A Scitote autem quod quicquid loquimur: *coram Deo*, id eſt, quaſi in præſentia Dei *loquimur* : ſi enim ipſe Deus adeſſet: nihil eorum quę dico timore falſitatis mutare oporteret. Loquimur coram Deo nos poſiti *in Chriſto*. Loquimur hæc non ſolùm quia vera ſunt: ſed etiam *propter veſtram ædificationem* : vt vos per hæc ædificati à pſeudo nō ſeducamini. O *chariſſimi*. Ideò hæc omnia loquimur. Hic bene ſuppleuit dicendo propter veſtram ædificationem: quod ſupra deerat vbi ait, licet gloriari : veritatem enim dicam. B Ideo autem ædificationi veſtrę tam ſtudioſè incumbo: *quia timeo ne forte* (quod facilè contingere poteſt) *inueniam vos non quales volo* , id eſt, incorrectos *cum venero : & tunc ego inueniar à vobis qualem me* inuenire *non vultis*.i. ex diſtrictione iuſtitiæ culpas veſtras punientem. Hæc duo ſcilicet, ne inueniam vos non quales volo, primum exequitur. Deinde illud, ne inueniar à vobis qualem non vultis, dicens. Videte ne inueniam C vos quales non volo: ſcilicet *ne fortè* (ad quas leuiter declinatis) *ſint inter vos contentiones:* quod de benignitate baptizātium litigabāt viciſſim: ne etiam ſint *æmulationes* .i. inuidiæ quod alter alteri inuidet, de merito baptizatoris. Neue ſint inter vos *animoſitates:* quod alter alterum cogebat agere cauſam coram infidelibus iudicibus. Neue ideo ſint *diſſenſiones*: Propterea enim diſcordia erat inter eos & odium. Neue ſint *detractiones* quod D bona proximi quæ ſunt detrahendo: mala quæ non ſunt imponatis. Neue ſint *ſuſurrationes*.i. occultæ proximorum deprauationes. Neue ſint *inflationes* .i. ne hic qui oculus eſt in Eccleſia , ſpernat eum qui pes eſt : ne fortè pro hac inflatione ſint inter vos *ſeditiones:* vt alter alterum verberibus præſumat affligere. Cauete hæc non ſint inter vos : *ne iterum cùm venero*, iterum *humiliet* , id eſt , affligat *me Deus apud vos*, ſi incorrectos inuenero. Quādo prima vice venit: omneſq; infideles repperit : humiliatus quidem eſt apud eos, & afflictus diuerſis vexationibus : ſed nunc deterius humiliabitur, ſi quos fideles fecit , apoſtatantes adhuc repererit. Humiliet me Deus , *& lugeam multos* : ſi enim tres ſunt, multi videntur. Multos dico , *ex his qui ante* prius miſſam Epiſtolam *peccauerunt : &* admoniti per Epiſtolam , *non egerunt pænitentiam* de prædictis malis. Etiam ſuper, id eſt, *de immunditia*: cùm omne carnis peccatum, immunditia dici poſſit: illud libidinis quod eſt contra naturam antonomaſticè vocat immunditiam. Nec de *fornicatione*, nec *impudicitia, quam geſſerūt*.i. quam in geſtu: & aſſiduo vſu habuerunt, pœnitētiam egerunt. Fornicationem vocat non lege coniugalį tangere mulierē. Impudicitiam vocat , impudicum habitum. Cùm vxore enim qui ſe intemperanter habet, impudicus eſt.

Fornicatio quid vocatur. Impudicitia quid vocatur.

CAP. XIII.

ECCE *tertio hoc venio ad vos: & in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum. Prædixi enim & prædico, vt præſens vobis, & nunc abſens his, qui ante peccauerunt & cæteris omnibus: quoniam ſi venero iterum, non parcam. An experimētum quæritis eius , qui in me loquitur Chriſtus? Qui in vobis non infirmatur, ſed potens eſt in vobis. Nam etſi Crucifixus eſt ex infirmitate , ſed viuit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi ſumus in illo , ſed viuemus cum eo ex virtute Dei in vobis. Voſmetipſos tentate , ſi eſtis in fide, ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos , quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt? Niſi forte reprobi eſtis. Spero autem quod cognoſcitis , quia nos non ſumus reprobi. Oramus autem Deum, vt nihil mali faciatis : non vt nos probati pareamus , ſed vt vos quod bonum eſt, faciatis. Nos autem vt reprobi ſimus. Non enim poſſumus aliquid aduerſus veritatem, ſed pro veritate. Gaudemus enim quoniam nos infirmi ſumus , vos autem potentes eſtis. Hoc & oramus veſtram conſummationem. Ideò enim hæc abſens ſcribo , vt non præſens du-*

1.q.5 §.1. & c. plauit. Deut.19 15.

28.q.1.ſi enim. ante finem.

rius

rius agam ſecundum poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem. De cætero fratres gaudete. Perfecti eſtote. Exhortamini, idipſum ſapite. Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum. Salutate inuicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes ſancti. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti: & charitas Dei: & communicatio S. Spiritus ſit cum omnibus vobis. Amen.

OSTENDIT quid intelligeret, dicens: non quales volo. Nũc oſtẽdit quod dicebat: Inueniar à vobis qualem non vultis. Litera tamen ibi iungitur. Ne cum venero &cæt. Dicerent illi. Tu ne venturus es? *Ecce* ait Paulus, *tertiò*, hoc apparatu non dico veniam: ſed iam *venio ad vos.* Nec cum venero patiar vos: ſed *ſtabit*, id eſt, ſtare oportebit *omne verbum:* ſeu eorum qui accuſant, ſeu qui defendunt. Stare verbum dicitur cum verũ eſſe probatur. Stabit dico *in ore duorum vel trium*: nec quarumlibet perſonarum ſed *teſtiũ*.i. eorum qui idonei ſunt ad teſtificandum. Dicerent illi. Minitaris te venturum, ſed cum veneris quid facies? Contra hoc Paulus. Veniam vtique & non parcam: *quia prædixi vobis*, cùm eſſem *præſens*, me non parciturum vlterius: *&* idem nunc abſens *prædico* per epiſtolam: *vt præſens*.i. tanta virtute quanta pręſens vobiſcum agebam. Prędico, inquam, *his qui ante* prius miſſam Epiſtolam *peccauerunt*: nec adhuc correcti ſunt: & cæteris omnibus quicunq; in peccatum labuntur: hoc vtique prædico: *quoniam*.i. quod *ſi venero iterum* (ſicut diſpono) *non parcam* iterum, ſicut prius peperci, cum ex ignorantia peccauiſſetis. Dicerent iterum illi. Quicquid modo minetur, tamen cum venerit leuiter poterit placari. Ad hoc Paulus. Quod non parcam, ſatis non creditis: ſed *an quæritis* vos *experimẽtum eius Chriſti*, id eſt, vt ideo maneatis incorrecti, vt potentiam vltionis Chriſti experiamini, *qui* Chriſtus *loquitur in me?* Non enim hæc quæ loquor à me ſunt: ſed à Chriſto. Salu-

A briuseſt, vt vos corrigatis: quam dedignantes corrigi, validam manum Domini experiamini. *Qui* Chriſtus *non infirmatur inter vos*.i. non infirmus apparuit vobis, non operando miracula: *ſed potens eſt in vobis*, id eſt, potentia eius manifeſtata eſt vobis per miracula, quæ Chriſtus operatus eſt per nos in medio veſtri. Verè Chriſtus potens eſt. *Nam & ſi* obijcitis mihi eum in Cruce damnatum, impotentem apparuiſſe. Fateor quidem *Crucifixus eſt:* ſed *ex infirmitate*,

B .i. ſecundum infirmitatẽ mortalitatis & paſſibilitatis: quam in carne noſtra aſſumpſit, ſed licet ita Crucifixus ſit: *tamen viuit* .i. potentialiter agit *ex virtute Dei*.i. ſecundùm deitatem: cuius virtus ab eo non receſſit: & in quo omnis diuinitas corporaliter habitauit. Verè Chriſtus viuit ex virtute Dei: *nam nos* longè inferiores illo viuemus ex virtute Dei. Quod ſic ait. Nos quidem *infirmi ſumus in illo*.i. in ſimilitudine illius, vt quemadmodum ille pro nobis: ſic & nos pro eo patiamur. Sic quidem infirmi

C ſumus: *ſed viuemus*. i. potentialiter agemus in vobis *ex virtute*.i per virtutem *Dei*, quam habemus familiarẽ *in eo*.ſ. Chriſto. Ne autem nos viuentes ex virtute Dei diſtrictius agamus in vobis: *tentate voſmetipſos*.i. ſubtili conſideratione inueſtigate vos. Tentate dico, *ſi adhuc eſtis in fide*, quam accepiſtis per me. Si enim in meritis baptizantium confidũt: ſi vetera reducunt, in fide non ſunt: quia gratiæ Dei detrahunt. Tentate ſi e-

D ſtis in fide: & vos in fide inuenti ipſi probate vos, id eſt, bonis operibus probabiles facti: fidem veſtram decorate. Quod ſi in fide non eſtis, vos ſoli damnamini. Nihil à me requiritur: quia *an non cognoſcitis voſmetipſos*: in eo *quòd Chriſtus* Ieſus, id eſt, fides Chriſti Ieſu *in vobis* poſita *eſt*, per miniſterium meum: *niſi fortè* quod leuiter eſſe poteſt, vos *eſtis reprobi*, id eſt, à Deo reprobati, dum vos indignos exhibuiſtis ſacramentorum fidei. Dicerẽt illi. Nec mirum ſi nos reprobi, cùm ipſe reprobus ſis. Ad hoc

Paulus.

Paulus. Quicquid vos opponatis: tamen *ſpero* quod bene *cognoſcitis* hoc de nobis: *quod nos in nullo ſumus reprobi*: & licet in nullo reprobi, ſed in omnibus inueniamur probati: tamē nolumus vos eſſe malos, vt quidam prælati, qui vt videatur probitas eorum exercendo prælationem ſuam, gaudent culpis ſubditorum. Nos autem non ſic: *ſed oramus Deum vt* vos *nihil mali faciatis*: & *non* oramus hoc *vt* nos *appareamus probati*. Si ex auctoritate prælationis vindicaret culpam ſubditi, tunc probatus appareret. Hoc non oramus: *ſed vt vos faciatis quod bonũ eſt*: *nos* vero nihil dignum vltione inuenientes in vobis *vt ſimus* id eſt, appareamus *reprobi*. Tunc prælatus non eſt quidem: ſed apparet reprobus, quando non inuenit in quo exerceat poteſtatem commiſſi iudicij. Iterum ſunt quidam prælati: qui licet ſubditi eorum boni ſint, vexant tamen eos ex imperio ſuſceptæ poteſtatis. Contra hos Paulus. Ideò oramus vt non ſimus reprobi, vobis facientibus quod bonum eſt: *quia nos non poſſumus aliquid aduerſus veritatem*, id eſt, vbi vera iuſtitia eſt, eam impugnare non licet. *ſed* poſſumus *pro veritate* tuenda: ſi quis eam malè vel agendo vel dicendo impugnat. Ideò oramus vt vos faciatis quod bonum eſt: *quia gaudemus quando nos infirmi ſumus*, & poteſtas noſtra locum non habet perfectis omnibus. *Vos autem eſtis potentes*, puram habentes cōſcientiam, & ideo iudicium noſtrum non formidantes. Non ſolum gaudemus: *ſed etiam oramus* hoc vt vos potentes ſitis: ſcilicet *veſtram conſummationem*, id eſt, iuſtitiæ veſtræ perfectionem. Et *ideo* quia gaudemus & oramus hoc: ego *abſens ſcribo hæc vobis*. Propterea *vt* cum fuero *præſens non agam durius*, *ſecundùm poteſtatem* apoſtolatus mei. Nec vtique ſi ex poteſtate agerem, graue vobis eſſe debe-

A ret: quia *hanc* poteſtatem *dedit mihi Dominus in ædificationem* veſtram, *& non in deſtructionem*. ¶ Poſtquam de his quæ fecerant ſatis eos corripuit: tranſit vt in his quæ de futuro reſtabant corripiat illos, dicens. In his præmiſſis ſic vos habete vt doceo & *de cætero*, id eſt, in futuro *fratres gaudete* id eſt, ſic agite vt de opere veſtro gaudiũ ſemper expectetis: & vt verè gaudeatis: *perfecti eſtote*: & vos perfecti *exhortamini* imperfectos ad perfectionem. Vos vero imperfecti *idem* B *ſapite cum* perfectis exhortātibus vos, & *habete pacem* cum illis .i. ne abutamini correctione eorum: ſed cũ omni modeſtia amplectimini iuſſa eorũ: quia ſi idem ſapitis & pacem habetis, ſic *erit vobiſcum Deus pacis*: qui diſcordes abijcit, concordes eligit. Et idem Deus dilectionis erit vobiſcum: quia non ſufficit pacem habere niſi ſecundum Deum ſequatur diligere. Et vt pax & dilectio Dei ſit vobiſcum: *ſalutate* vos *inuicem in oſculo* .i. alter oſculetur alterum, mortificata omni C contentione inter vos. In oſculo dico non quod ore tantùm fiat, & non corde: ſed in oſculo *ſancto*: quod nulla iræ ſcintilla in occulto cordis lateat. Et ſic debetis vos inuicem ſalutare: quia *ſalutant vos omnes ſancti*: commendantes vobis dilectionem exemplo ſui. Salutatio propria Pauli ſequitur. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti* .i. Dominus noſter Ieſus Chriſtus dans gratiam, qua peccata dimittit. *Et charitas Dei*, id eſt, Deus pater cuius charitas pro ſalute hominum, filium voluit incarnari. *Et communi-* D *catio S. Spiritus*, id eſt, ſpiritus communiter procedens à patre & filio. Vel communicatio Sancti Spiritus .i. Spiritus ſanctus communicās vobis gratias ſuas, *ſit cũ omnibus vobis, amen*:

& vt ita fiat vos laborate, & Deus concedat.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM AD GALATAS.

GALATAE *ſunt græci. Hi verbum veritatis primũ ab Apoſtolo acceperunt: ſed poſt diſceſſum eius tentati ſunt à falſis Apoſtolis: vt in legem & circumciſionem verterentur. Hos Apoſtolus reuocat ad fidem veritatis*, ſcribens eis ab Epheſo.

PROLOGVS BEATI BRVNONIS IN EANDEM.

Galatia locus eſt in Græcia.

GALATIA locus quidem eſt in gręcia: & in ea Paulus per aliquod tempus conuerſatus fuerat, prædicans Galatis verbũ Dei: quos etiam in fide fundauerat. Et quamdiu Paulus apud eos remoratus eſt, ſatis honeſtè ſe habuerunt in fide: ſed Paulo inde reuerſo, pſeudo doctores (quorum labor erat perſequi Eccleſiam Chriſti) introierunt ad eos impiè deſtruendo, quod Paulus religioſè ædificauerat: dicentes Paulo non eſſe credendum, neque doctrinam eius tenendam: quia nec cum Chriſto conuerſatus fuerat in terris: nec ab eo edoctus vel electus: nec ſaltem à Petro, vel ab his qui cum Chriſto conuerſati fuerant, erat inſtructus. Hi etiam pſeudo gratiæ Dei plurimum derogabant: dicentes eam non ſufficere ad ſalutem niſi circuncíſio, & cætera veteris legis tenerentur. in quo Paulum malè docuiſſe arguebant, cum legem deſtrueret: quàm (ſicut omnibus notum eſt) Deus per Moyſem dederat. quam ipſe Chriſtus dum inter homines conuerſabatur, obſeruauerat: & hoc dicentes apud eos qui ſimplices erant, videbantur inducere cõgruas rationes: quibus fallacijs iam A adeo fuerant ſeducti, quod niſi ſollicitudo Pauli cito per hanc Epiſtolam occurreret, iam ſe diſponebãt ad circuncidendum, & ad cætera legalia. In hac autem Epiſtola Paulus agit de commendatione perſonæ ſuæ, quam pſeudo deprimebant. Agit etiam de deſtructione veteris legis: non quod improbet eam eo quòd tenenda fuit. Agit etiam de commendatione gratiæ Chriſti. Hæc tria ſunt hic materia. Se in hunc modum commendat: quod cum illi obijciant ei ſe non vidiſſe Chriſtum, nec ab eo electum vel B inſtructũ: probat quod longè dignius alijs Apoſtolis electus ſit à Chriſto, & edoctus; Illos enim dum mortalis inter mortales conuerſaretur elegit, & docuit ſecundum infirmitatem carnalis intellectus: adhuc enim carnales erant: nec myſteria diuinitatis capere poterant: quia licet accepiſſent ſpiritum: nondum tamen datus erat: niſi tantum ad remiſſionem: quod idem Ieſus plane innuit: vbi ait. *Multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modo: cùm autem venerit ſpiritus* &c. C Illos, inquam, adhuc mortalis quaſi carnales docuit: ſed Paulum iam factus immortalis, iam ſedens in dextera patris: iam dato Spiritu ſancto elegit, vocauit, & docuit: & ſic apparet: quod in quo Paulus videbatur inferior, longè cæteris eſt glorioſior. Veterem legem ſic improbat: oſtendens eam datam vt eſſet in tempore, & veniente gratia ſtatim finem haberet: velut vmbra veniente corpore: quæ lex quamdiu durauit, nihil D aliud quam graue iugũ & onus importabile & inutile fuit: quia neminem iuſtificare potuit. Deſtructa lege gratiam Chriſti commendat: vt eam quæ ſola ſufficit ad ſalutem, & ſine qua nec ante datam gratiã nec poſt: aliquis potuit ſaluari. De his omnibus ſic agit: ea intentione vt Galatas volentes Iudaizare retrahat ne faciant, nec vltra pſeudo magiſtros audiant.

(·.·)

Paulus in hac Epiſtola agit de cõmendatione ſui.

Ioan.16.12.

EPISTOLÆ AD GALATAS.

CAP. I.

PAVLVS Apoſtolus non ab hominibus, neq; per hominem: ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum patrem qui ſuſcitauit eum à mortuis: & qui mecum ſunt omnes fratres, Eccleſiis Galatiæ, Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto: qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti ſeculo nequam, ſecundum volũtatem Dei & patris noſtri: cui eſt gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Miror quod ſic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti in aliud Euangelium, quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui qui vos conturbant: & volunt cõuertere Euangelium Chriſti. Sed licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: ſi quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Modo enim hominibus ſuadeo, an Deo? an quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Notum enim vobis facio, fratres, Euangelium, quod euangelizatum eſt à me: quia non eſt ſecundum hominem. Neq; enim ego ab homine accepi illud, neque didici: ſed per reuelationem Ieſu Chriſti. Audiſtis enim conuerſationem meam aliquando in Iudaiſmo: quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam: & proficiebam in Iudaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo: abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum. Cùm autem placuit ei qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me: vt euãgelizarem illum in gentibus, continuò non acquieui carni & ſanguini. Neque veni Hieroſolymam ad anteceſſores meos

A *Apoſtolos, ſed abij in Arabiam: & iterum reuerſus ſum Damaſcum. Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum: & manſi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrẽ Domini. Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. Deinde veni in partes Syriæ & Ciliciæ. Eram autem ignotus facie eccleſiis Iudeæ, quæ erant in Chriſto. Tantum autem auditũ habebant, quoniam qui perſequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat; & in me*

B *clarificabant * Deum.*

* *glorificabant.*

PAVLVS &c. In hoc principio hæc tria, circa quæ maxime verſatur: ſcilicet commendationem ſui, improbationem legis, approbationẽ gratiæ breuiter colligit, dicens. *Paulus Apoſtolus* nomen ſuum (quod in omni Eccleſia notum fuerat) ad auctoritatem ponit. Paulus, inquam, Apoſtolus: *non ab hominibus*, eligentibus eum, *neq; per hominem*, conſecrã-

C tem eum: vt illi obijciunt per Ananiam. Ideò ait, non ab hominibus neque per hominem. Quidam enim non ab hominibus, ſed à Deo electi: per hominem tamen ſunt conſecrati, & è conuerſo. Vel ita. Paulus Apoſtolus non ab hominibus eligẽtibus: vel conſecrantibus eum: neq; per hominem .i. non per Chriſtum mortalem, & in humanitate viuentem, *ſed per Ieſum Chriſtum* ſuſcitatum. De eo quod ſequitur, ſuſcitauit, conuenien-

D ter accipimus ſuſcitatum. Dicerent illi: Etiam ſi Chriſtus legem deſtruat, non credimus: quia diſſentit à Deo, qui legem dedit. Ideò ſubdit Apoſtolus per Chriſtum ſuſcitatum: *& per Deum patrẽ, qui ſuſcitauit eum à mortuis:* quem fruſtra mori vellet, ſi alio modo per legẽ iuſtificare poſſet hominem: ſed quia legem irritam vidit, legem excluſit, vt per gratiã Chriſti perficeret in quo lex deficiebat. Paulus, inquam, *& omnes fratres qui mecum ſunt*, ſcribimus *Eccleſiis Galatiæ*. Ideo fratres ſibi in ſalutatione iũgit: quia obijciebant pſeudo, Paulum

ſolùm

ſolum eſſe in deſtructione legis, quã Petrus & alij in ſuis paterentur Eccleſijs. Vbi ait, ſe non ab homine, ſed à Chriſto ſuſcitato:& à Deo patre factum Apoſtolum:ſatis in hoc ſe cõmendauit. *Vobis* ô Galatæ ſit *gratia*.i. his qui peccauerunt, ſit ſecũda remiſſio. His qui in iuſtitia permanſerunt: ſit perſeuerantia gratiæ. Sit etiam vobis *pax*, id eſt, tranquillitas animi, *à Deo patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto:* qui vterque & poteſt & vult. Modo commendabit gratiam Chriſti per oppoſitum improbãdo legem dicens. *Qui* Christus *dedit ſemetipſum* non aliud ſacrificium: quia nihil præter eum ſufficeret. Semetipſum dico, qui tantus erat. Semet, ad diſcretionem: ipſum ait ad magnitudinem. Dedit ſemetipſum *pro peccatis noſtris* delendis: quæ ſi lex deſtruere poſſet: monſtrum putaretur: quia iam pater ſuperfluè in mortem traderet filium. Nec vt peccata præcedẽtia ſolummodò tolleret, mori voluit: ſed *vt* deſtructis peccatis, *eriperet nos de præſenti ſeculo:* in quo vidit neminem poſſe morari ſine peccato. In quo notatur maxima virtus Chriſti, qui in fornace peccatorum nos liberat ab incendio peccati.* Eriperet, dico, quaſi vi conuerſationis bonę de ſeculo: ſed *nequam* .i. ſecundum nequitiã peccati, Chriſtus à ſeculo ſuos eripit. Quòd Chriſtus in mortẽ ſe dedit, hoc factũ eſt *ſecundum voluntatem Dei & patris noſtri:* qui quia legẽ inutilem vidit: vt nos ſaluaret, ex pietate filium in mortẽ tradidit. Et ꝙ Chriſtus dederit ſe pro peccatis noſtris in mortem per voluntatem Dei: ſcito te ex eo: quia *cui* Chriſto cum Deo *eſt gloria* de remiſſione peccatorum, nõ legi *in* hæc præſentia *ſecula:* & permanebit in ſecula: & permanebit in ſecula horũ *ſeculorũ* conſecutiua: *amen*, .i. verè ita eſt, quòd Chriſto gloria, nõ legi. Amen quandoq; affirmatiuum, quandoq; optatiuũ eſt. Et quia Chriſtus dedit ſe pro peccatis noſtris ſecũdum voluntatẽ Dei:& legem euacuauit: *miror* ergo *quod ſic*.i. tam vehemẽter omnibus mandatis meis dereli-

** Eriperet de præſenti ſeculo nequam.i. de conformitate præſentis mundi, qui non al licit. & tãtò plus capit, quantò æterna minus videntur.*

A ctis: & *tam cito*. Parum enim eſt temporis ex quo diſceſſi à vobis. Miror, inquam, de hoc quod *transferimini*. Vt grauius eos deprimat: ſic ait. Trãſferuntur enim inſenſibilia: vt lapides, ducuntur irrationalia. Aguntur ratione homines: ſed iſtos iudicat inſenſibiles: vnde in ſequenti vocat eos inſenſatos. Miror quòd transferimini *ab eo* .ſ. Deo. *qui* Deus *vocauit vos* non merito legis, ſed per gratiam. Vocauit dico & interius aſpirando, & prædicatores adhibendo *in gratiã*

B Chriſti, id eſt, ad hoc vt eſſetis participes gratiæ Chriſti. Transferimini dico *in aliud Euangelium*. Secundùm illos, veterem legem vocat Euangeliũ: *quod* tamen Euangeliũ *nõ eſt aliud* à noſtro: *niſi ſunt* illi aliqui *qui vos cõturbant*.i. pſeudo, qui veterem legem carnaliter docẽtes, diſſentire faciunt ab Euangelio Chriſti: cũ quo idem eſt intellectum ſpiritualiter. Conturbãt, dictũ eſt à ſimilitudine turbatę aquæ: in qua nihil clarè diſcerni poteſt. Ita iſti intellectum Galatarum turbauerant, quod iam malum à bono non

C diſcernebãt. Conturbãt vos, *& volunt conuertere Euangelium Chriſti*. Conuertere dictum eſt, à ſimilitudine alicuius iter agentis: qui ab obſtante ſibi retro, cõuertitur: ſic & iſti Galatæ, accepta fide chriſti per Euangeliũ Pauli, iam bene directi fuerant in ſemita boni operis: à quo volebant eos conuertere illi pſeudo. Vbi ait, volunt: innuit Galatas nondum opere conſenſiſſe illis: licet aſſenſu. Illi volunt conuertere: *ſed licet nos*, id eſt, ego vel ipſe Petrus, *aut angelus* malignus

D veniens *de cælo*, id eſt, in ſplendida figura vt facilius ſuadere poſſit. Si enim emergẽs de tenebris inferni toruum & informem ſeſe ingereret ad decipiendum, non tam idoneus eſſet. Vel angelus bonus veniens de cęlo: ſi *euãgelizet præterquã*.i. pręter hoc *quod euangelizauimus vobis:* ſiue ſit Apoſtolus ſeu angelus: illum non ſolùm audeo ſeparare à corpore chriſti: ſed etiam *ſit anathema*: vt ipſe ſeparatus ſit ſeparatio illorum. Hic callidè reſpõdet illis, qui obijciebãt illi,

quod Iudaicos ritus non pateretur in Eccleſijs ſuis: non intelligentes Petrũ ideo pati: nõ quod illud approbaret, ſed ne ruditatem fidei eorum potius his conceſſionibus nutriendã, quam nimia aſperitate deſtruendam terreret. Hoc autem ſolis patiebatur Iudæis: ſed Paulus qui gentibus prædicabat, non habebat eis indulgere in his in quibus nunquam fuerãt: quod etiam poſtmodum vt fides Chriſti ſolida eſſet difficiliori labore deſtruere oporteret. Et quia nec angelum, nec Apoſtolum pateremur aliud vobis prædicantem: igitur ſi quis pſeudo euangelizauerit vobis, præter id quod accepiſtis à me, anathema ſit. Et hoc nunc iterum dico de pſeudo, ſicut modo prædixi de nobis & de angelo. Vel ita. Prædixi vobis cum apud vos eſſem, me omnes pſeudo excommunicaturum: ſic etiam *nunc iterum dico. Si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit*. Dico anathema ſit: & hoc & cætera premiſſa, zelum Chriſti habẽs dico: quia an *modo ſuadeo hominibus*, .i. an ſecundum voluntatem hominum ſuaſibiliter loquor: *an* ſuadeo *Deo*.i. ad gloriam Dei? Quaſi diceret. Ideò dico. Anathema ſit &c. quia olim quidem ante fidẽ ſuadebã hominibus, prædicãs legẽ: ſed modo in fide ſuadeo gloriã Dei: ideo non iam ſuadeo hominibus, quia non quæro placere illis: *an* .n. *quæro amplius placere hominibus?* Si legem prædicaret, quã homo virtute ſua poterat operari: tunc placeret hominibus. Sed nolo placere, quia *ſi adhuc placerem hominibus*, prædicando legem: *iam non eſſem ſeruus Chriſti*: dum quod attribuerem legi, detraherem gratiæ Chriſti. Vel ita. An modo ſuadeo hominibus, an Deo? Si legem prædicaret, hominibus ſuaderet: quæ enim lex præcipit, homo ſatis poteſt operari: vt abſcindere pelliculam, immolare pecudem, & huiuſmodi. Quod ſi per hæc ſaluum diceret hominem: Deo detraheret ſalutem hominis, & aſcriberet homini. Cætera non mutãtur. ¶ Ad illud quod ſuperius dixit, non

A ab hominibus, neque per hominem: hic reſpondere incipit. Litera tamen prope iungitur. ideò hominibus placere non quæro, ſed Chriſto: quia euangelium meum non eſt ſecundum hominem, ſed à Deo. Et ideò *facio vobis notum fratres euangelium*: non illud vetus, ſed *quod euangelizatum eſt à me*. hoc de eo facio vobis notum, quod *non eſt* mihi traditum *ſecundum hominem*. Et hoc probat. Verè non ſecundum hominem, *qui neq. accepi illud* euangelium *ab homine*, conſecrante me in hoc miniſte- Euangeliũ Paulus à quo accepit.

B riũ: *neq. didici* illud ab homine. Poſſet cõſecrari à Deo: & tamen poſtea diſcere præcepta illa ab homine. Nõ accepi ab homine, nec didici: *ſed per reuelationem Ieſu Chriſti*, id eſt, per Ieſum Chriſtum apertè reuelantem mihi: non per parabolas loquẽtem, ſicut alios Apoſtolos docuit, dum in carne eſſet adhuc mortalis, & illi intellectu infirmiores. Verè non didici illud ab homine, quia nec ante conuerſionem: nec poſt conuerſionem. Ante conuerſionem prius oſtẽ-

C dit dicens. *Audiſtis cõuerſationem meã aliquando*, id eſt, tempore infidelitatis habitam in Iudaiſmo: hoc audiſtis *quoniam*, id eſt, quod *perſequebar Eccleſiam Dei ſupra modum* perſecutorũ: nemo enim tam violens erat in ſeruos Dei. Perſequebar dico *& expugnabam illam* ſecundum quoſdã: multos enim volentes conuerti, adhuc ſpirans minarum & cædis, retroduxi. Plures etiam iam fideles fidem negare coegi: expugnabam, dico, *&* Paulus [illegible] cutor.

D *proficiebã in Iudaiſmo*. Lex enim mea magis ac magis per me in incrementum proficiebat. Proficiebam dico agendo *ſupra multos coætaneos*: qui iuuenes & laborioſi erant, vt ego. Coætaneos dico, non Proſelitos: ſed in *genere meo*: ita filios Abrahæ vt ego & in lege nutritos. Et dico *exiſtẽs æmulator*, id eſt, imitator & amator: non tantùm legis: ſed etiam *paternarum traditionum*. Prophetæ enim præter legem quaſdam traditiones dederunt: vt Zacharias ieiuniũ primi, & ieiunium quarti &c. Traditio- Zach. 8. verſ. 19.

num,

num, dico, *mearum*, quia tam bene o-perabar illas, quòd quaſi meæ propriæ eſſe videbâtur: & cũ ego ita perſequerer Eccleſiam Chriſti, apparet quod ante conuerſionem Euãgelium non didici. Subdit, quod poſt ſubditionẽ nõ didicerit. Ego ita perſequebar Eccleſiam Chriſti: *ſed cum placuit* ei ex gratia non ex merito: ei dico qui *quam* potentialiter *me ſegregauit de vtero matris meæ:* de quo nunquam exirem, niſi miſericordia eius extraheret me: tam miſericorditer *vocauit me per gratiam ſuam* ad fidem. Vel ita. Qui me ſegregauit de matre mea, id eſt, à ſynagoga, in qua puer nutritus & doctus fueram: nec de ſinu vel gremio, ſed de ipſo vtero ſynagogæ. Phariſæus enim eram inter principes legis: & me inde ſegregatum vocauit ad fidem per gratiã ſuã: non quia zelum legis habueram: vocauit, inquam, *vt reuelaret in me filium ſuum.* Si quis enim vocationem mei conſiderat, intelliget omnem ſalutem ex Chriſto: nullam ex lege, quæ mihi nõ profuit. Nec ideo ſolùm vocauit, vt in ſimilitudine mei reuelaret gratiam ſuam: ſed ad hoc etiam *vt euangelizarem illum in gentibus*, & notam facerem miſericordiam Dei. Cùm ita Deo de me placuit, *continuò non acquieui carni & ſanguini*, id eſt, Iudæis male ſuadentibus mihi: qui nihil aliud ſunt, quam caro voluptuoſa. Et ſanguis. i. anima non ſecũdum rationẽ: ſed ſecundùm quod per motum ſanguinis turpia cupit. *Neque* continuo *veni Hieroſolymam ad* Apoſtolos *anteceſſores meos:* quia me in fide anteceſſerant, vt docerer ab illis: *ſed* continuo *abij in Arabiam.* Hæc Arabia eſt, in qua eſt mons Syna, prope Aegyptum in deſerto. *Et iterum* ab Arabia *reuerſus ſum Damaſcum. Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam:* non vt quaſi minus ſapiens interrogarem: ſed ſolummodo *videre Petrum. Et manſi apud eum diebus. xv.* & tam breui ſpatio ſi indigere non ſatis poſſem doceri. Petrum ibi vidi: *ſed alium Apoſtolorum neminem* illo tempore *vidi: niſi Iacobum fratrem Domi-*

A *ni*, qui Epiſcopus erat Hieroſolymis. Et ſic apparet quod poſt conuerſionem nihil didici: *quæ autem ſcribo vobis*, ſcilicet quòd nec ante, nec poſt didicerim, credite: quia in his *non mentior. Ecce* enim *loquor* hæc *coram Deo:* quod ſi Deus præſens adeſſet, nihil in ſermone meo falſitatis argueret. *Deinde* viſis Petro & Iacobo, *veni in partes Syriæ & Ciliciæ.* Ego vero *eram ignotus facie Eccleſiis Iudææ, quæ erant in Chriſto:* quod ſi me non viderint: apparet me nihil ab eis didiciſſe. Facie quidem eram ignotus:

B *ſed auditum tantummodo habebant* de me. Hoc, inquam, audierant: *quoniam* .i. quod Paulus *qui perſequebatur nos aliquãdo*, id eſt, tempore infidelitatis, *nunc euangelizat fidem* Chriſti: *quam* fidem *expugnabat aliquando:* & hoc audientes *in me* conuerſo, *&* ſic prædicante *clarificabant Deum*, & magnificabant miſericordiam Dei.

CAP. II.

C *DEinde poſt annos quatuordecim, iterũ aſcẽdi Hieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito. Aſcendi autem ſecundum reuelationem: & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus. Seorſum autem his qui videbantur aliquid eſſe: ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem. Sed neq. Titus qui mecum erat cum eſſet gentilis, compulſus eſt circumcidi: ſed propter ſubintro-*

D *ductos falſos fratres, qui ſubintroierunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Ieſu, vt nos in ſeruitutem redigerent. Quibus neque * ad horam ceſſimus ſubiectioni: vt veritas Euangelij permaneat apud vos. Ab his autem qui videbantur eſſe aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea intereſt Deus enim perſonam hominis non accipit.) Mihi autem qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt. Sed econtra cum vidiſſent quod creditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut & Petro circumciſionis: qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatu circunciſionis, ope-*

Iudæi ſunt caro voluptuoſa.

** non habet neque.*

Deu. 10 17 Rom. 2. 19. Ephe 6. 9 Coloſſ 3 25. Act. 16. 22

ratus eſt & mihi inter gentes. Et cùm cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi: Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe: dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis: vt nos in gentes: ipſi autem in circumciſionem, tantum vt pauperum memores eſſemus. Quod etiam ſollicitus fui hoc ipſum facere. Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti; quia repræhenſibilis erat. Prius enim quam venirent quidam ab Iacobo, cum gentibus edebat. Cùm autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe: timens eos qui ex circunciſione erant. Et ſimulationi eius conſenſerunt cæteri Iudæi: ita vt Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. Sed cum vidiſſem quod non rectè ambularent ad veritatem Euangelij; dixi Cephæ coram omnibus. Si tu, cùm Iudæus ſis gentiliter viuis, & non Iudaicè: quomodo gentes cogis iudaizare? Nos natura Iudæi; & non ex gentibus peccatores. Scientes autem quod non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti: & nos in Chriſto Ieſu credimus, vt iuſtificemur ex fide Chriſti: & non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro. Quod ſi quærentes iuſtificari in Chriſto, inuenti ſumus & ipſi peccatores: nunquid Chriſtus peccati miniſter eſt? Abſit. Si enim quæ deſtruxi, iterum hæc reædifico; præuaricatorem me conſtituo. Ego enim per legem legi mortuus ſum, vt Deo viuam. Chriſto confixus ſum cruci. Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei: qui dilexit me, & tradidit ſeipſum pro me. Non abijcio gratiam Dei. Si enim per legem iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.

8. diſt contempta.

Rom. 3. verſ. 20.

D*Einde poſt annos quatuordecim* à primo aduentu tranſactos: *iterum aſcendi Hieroſolymam cum Barnaba: aſſumpto etiam & Tito.* Aſcendi dicit ſecundum ſitum loci. Paulus ideo ſecundò venit Hieroſolymam, adducens ſecum idoneos teſtes, Barnabam de Iudæis, Titum de gentilibus: quia Eccleſiæ quibus prædicabat, op-A ponebant ei, quod diſſentiret in prædicatione à Petro & ab aliis. Quam dubietatem remouere volens, cum teſtibus aſcendit Hieruſalem: non quòd dubius eſſet in aliquo: ſed vt certũ fieret his qui dubitabant, quod non diſſentiret à Petro. *Aſcendi* non tantum quia ſic volui: ſed etiam aſcendi *ſecundum reuelationem* .i. quia reuelauit mihi Deus ſic oportere fieri: & tunc non didici ab illis: ſed *contuli eum illis Euangelium*, dicens. Sic & ſic prædico: nonne & vos eodem modo? Diceret aliquis. Reticuiſti B quædam, quæ gentibus prædicas. Non vtique ait Paulus: ſed Euangelium *quod prædico in gentibus*. Nec inde verbum ſubticui: contuli publice cum tota Eccleſia. *Seorſum autem*, id eſt, ſeparatim contuli *cum his qui videbantur eſſe aliquid*, id eſt, cum Apoſtolis; non tamen ſeorſum cum his vt alios excluderem, & priuatè cum his agerem: ſed prius ſermo meus publicè fuit ad omnes, nunc ad iſtos. Vel ita. Contuli cum illis ſeorſum factis his, id eſt, Apoſtolis, ne viderer C impotens eſſe defendere Euãgelium meum ſine auxilio eorum. Ideò ſic contuli *ne fortè* (quod cõtingere poſſet) *currerem*, id eſt, currere putarer, *aut cucurriſſe, inuacuum*, niſi per hanc collationem approbarem meum Euangelium. Nec tantum conferendo illud comprobaui; *ſed neque* etiam *Titus qui mecum erat, cùm eſſet* natione *gentilis, compulſus eſt circuncidi.* Per hoc quod ait compulſus, innuit illos pſeudo multum laboraſſe cõtra D Paulum, vt circuncideretur Titus. Nec tãtum Titus non eſt compulſus ad hoc: *ſed neque etiam ad horam ceſſimus ſubiectioni.* Quia ſic ait. Non eſt compulſus circũcidi: nec *propter ſubintroductos falſos fratres.* Infideles enim Iudęi quibus Paulus, quia infidelibus non reſponderet, præmio conducebãt falſos fratres: per quos Paulum impugnarent. Propter illos, inquam, *qui* doloſè *ſubintroierunt explorare libertatẽ noſtram* .i. fidem quæ nos liberos facit à iugo legis: *quam* libertatem *habemus in Chriſto Ieſu.* Ex-

plorare

plorare ideo, *vt nos*, ſi poſſent, *redige-rēt in ſeruitutem*.i. in veterem legem quæ grauis ſeruitus eſt. Per hoc fidem Chriſti multum commendat, quia vocat libertatem: legem deprimit quā vocat ſeruitutem. Propter illos, inquam, *neque* ſaltem *ad horam ceſſimus ſubiectioni*.i. legi quæ cedentes ſibi ſubijcit ſeruituti. Ideò non ceſſimus, *vt veritas Euangelij* noſtri *permaneat apud vos*.i. vt ſicut prædicauimus legem eſſe inutilem, gratiam eſſe ſufficientem, ita ſemper crederetis. Paulus alio tempore Hieroſolymam veniens, vt omnem de ſe ſuſpitionem tolleret: Timotheum iā circumciſum iterum fecit circuncidi: non quod crederet aliquid iam conferre circūciſionem: ſed quia impoſuerant ei quidam ipſum dixiſſe, legem omni tempore fuiſſe inutilem. Quod vt nihil eſſe probaret, Timotheum exhibuit ad circuncidendum: ſed modo Titum circūcidi nulla ratione voluit: quia ſi modo cū veniſſet Hieruſalem, vt probaret nihil eſſe circumciſionem, cum circūcideret, Dicerent eccleſię gentium: ecce falſitas Pauli quem vellet nollet, Titum, in Hieruſalem circūcidere oportuit. Oſtendit per illam collationem Euangelij quod poſt conuerſionem nō ſit inuētus inferior Petro & alijs. Adiungit etiam quòd ante conuerſionē lōgè dignior illis fuerit ſub lege: callidè tamen quaſi pro nihilo ſibi ſit dignitas, quam ante fidem habuit. Litera ſic iungitur. Contuli cum illis, & apparui ſecundum poſt acceptam fidem irreprehenſibilis ſicut illi: *ſed quales fuerint aliquando*.i. ante fidem Petrus & alij, qui videbantur ab his ſecundum carnē ſapientibus eſſe aliquid: hoc memorare quales illi fuerint qualis ego ſub lege *nihil mea intereſt*.i. nihil cōfert in mea re. Verùm quidem eſt quod ego tunc dignior illis eram, ſed tamen non curo huiuſmodi gloriā. Videbantur dicit, quantum ad illos qui Petrum & alios ita iudicabant magnos; Paulum nihil. Ideò quales tunc fuerint, dicere prætereo. Scio enim quòd *Deus non acci-*

A *pit perſonam hominis*.i. Deus non habet acceptum hominē propter perſonam generis: diuitiarum vel ſcientiæ. Dicere quàles prius fuerint: ideò nihil intereſſe dico in mea re: qa hoc ſolùm mihi ſufficit ad commēdationem, quod Petrus & alij *qui dicebātur eſſe aliquid, nihil mihi contulerunt*.i. in nullo me correxerunt. In nullo mihi profuerunt, dum contuli cum eis Euangelium. Vel per, autem, copuletur dicere, quales fuerint ante fidem, nihil mihi cōfert: ſed hoc dicere quod B illi qui videbantur eſſe aliquid, nihil mili contulerunt: ſatis eſt ad cōmendationem. Nihil quidem contulerūt mihi, ſed etiam affectantes ſocietatem noſtram, mihi & Barnabæ diſcipulo meo dederūt dextras ſocietatis. Quod ſic ait. Nihil contulerunt: *ſed* econtrario *cum* illi *vidiſſent quod creditum eſt mihi* à Deo *Euangelium præputij*.i. gētilitatis eadem dignitate *ſicut Petro* creditum eſt Euāgelium *circunciſionis*.i. in Iudæos. Econtrario dicit ſeūndum opinionem eorum qui C Paulum indigniorem iudicabant Petro. Benè dico cùm vidiſſent: viderūt enim, *quia* idem Deus *qui operatus eſt Petro*.i. ad gloriam & commēdationem Petri miracula per eum fecit *in Apoſtolatu circunciſionis:* ſimiliter *operatus eſt & mihi*.i. ad mei commēdationem *inter gentes:* gentium enim Apoſtolus erat. Cùm vidiſſent creditum eſſe mihi Euangelium: *& cum* idem per effectum *cognouiſſent:* vidētes *gratiam quæ data eſt mihi* (plures enim quam illi, cōuertebam ad fidē) Cognouiſsēt dico *Iacobus, & Cephas,* D *& Ioannes, qui videbantur eſſe columnæ*.i. ſuſtentatores Eccleſiæ. Ij enim honoratiores cæteris erāt: quia Chriſtus eos in ſecretioribus ſuis ſemper admittebat: coram quibus transfiguratus fuit in monte. Ij, inquam, hoc cognoſcentes, *dederunt mihi & Barnabæ dextras ſocietatis*, intelligentes nos nō inferiores illis, ſed pares. Non diſcipulos ſed ſocios. Coniungere dextras, ſignum erat concordiæ, quo ſe inuicē confęderabant antiqui. Societatem nobiſcum pacti ſunt: ita *vt* *Matt.17.a.*

nos prædicaremus *in gentes: ipſi autem in circunciſionem*. Hoc tantum ſingulare nobis imponẽtes: *vt eſſemus memores pauperum*, qui erãt Hieroſolymis', quod illi niſi per nos non poterãt. *Quod*, ſcilicet, benefacere pauperibus non ſolum volui, ſed *etiam ſollicitus fui facere*, ita quod *hoc ipſum*.i. nõ minus feci, quam illi precati ſunt. ¶ Poſtquam oſtendit illos nihil contuliſſe ſibi, & ſe potius neceſſariũ illis, ſecũdum memoriam pauperum: addit quoddam maius: ſcilicet, quod cum ipſe eſſet irreprehẽſibilis: reprehenſibilem etiam oſtendit Petrum, dicens. Conferens cum Petro & alijs nihil mihi contulit, ſed ego contuli Petro. Quia *cùm veniſſet Cephas Antiochiam* ego *reſtiti ei:* nec in occulto, ſed *in faciem* i. in conſpectu Eccleſiæ. Ideò reſtiti: *quia erat reprehenſibilis:* & ſi non per intellectum, tamen per exẽplum. Ideò Paulus reſtitit Petro in faciem: quia Petrus non peccabat in ſe: de quo quidem ſecreto eſſet corrigendus: ſed peccabat in cauta ſimulatione, corrumpẽdo Eccleſiam. & qui in publico peccabat, publicè arguendus erat: qui enim viderãt offenſionem, neceſſe erat vt ijdẽ viderent offenſæ emendationem. Petrus vtiq; erat reprehenſibilis: *quia priuſquam venirent quidam* conuerſi *de Iudæis ab Iacobo*, qui cathedrã habebat Hieroſolymis: priuſquã hi venirent: Petrus *edebat cum gẽtibus*, ſine diſcretione ciborum. Prius ſic faciebat: *ſed cùm* illi *veniſſent*, *ſubtrahebat ſe* à mẽſa gentilium: nec latenter ſubtrahebat: ſed *ſegregabat ſe*.i. ſeorſum faciebat Iudæorum menſam à grege gentilium. Vel in alia domo. Vel in alia menſa: *timens* offendere *eos qui erant ex circunciſione*.i. Iudæos, ſi participaret gentilibus: *&* huic *ſimulationi eius* (Non enim credebat diſcretionem vllam Iudæi & gentilis: ſed tantùm pro euitando ſcandalo ſimulabat) ſimulationi, inquam, eius *conſenſerunt cæteri Iudæi: ita vt etiam Barnabas*, diſcipulus meus, *duceretur ab eis* Iudæis *in eãdem ſimulationem:* & nollet communicare gentilibus. Petrus ſimpli-

Peccans publice, publice arguendus.

A citer non conſiderans per hoc corrumpi fidem Eccleſiæ, declinabat à ſcãdalo Iudæi fratris, per hanc ſimulationem: *ſed* ego *cum vidiſſem, quod non rectè ambularent* Petrus, & qui cũ eo erant: non rectè dico *ad* comprobandum *veritatem Euangelij*, qui prędicauerant ritus Iudaicos iam inutiles: nec eſſe tenẽdos. Cùm hoc vidiſſem, *dixi Cephæ coram omnibus* (ſic enim oportebat, dum eius ſimulatio totius Eccleſiæ eſſet corruptio.) Hoc, inquam, dixi, *ſi tu*, Petre, *cùm ſis* natione *Iudæus viuis*.i. viuere ſoles *gentiliter:* nihil iudicans immundum: *&* B *non* viuis vltra *Iudaice*, vt ſecundum ritus, illos cibos de immũditia damnes: ſi, inquam, tu naturalis Iudæus non Iudaizas: *quomodo*.i. qua ratione *gentes* quæ nunquam Iudaizauerunt, *cogis iudaizare*, exemplo tuo: licet nõ ita prædices? Niſi enim in hoc publicè correctus eſſet à Paulo: ſeque ideò reprehenſibilem confiteretur, putarent non ſolum Iudęi, ſed etiam gentiles inutilem eſſe fidem ſine lege. C ¶ Hucuſq; ſatis probauit ſe non eſſe inferiorem Petro, & alijs: immò neceſſarium & correctorem eorũ. Modo tranſit ad improbandam legem, quod nullo modo tenẽnda ſit, dicẽs. Gentes vtique non debent iudaizare: quia *nos per naturam Iudæi:* ſi amodo iudaizamus: inutiliter agimus. Quod ſic ait. Nos quidem ſumus Iudæi per naturam in Iudaiſmo nati: & ſemper inſiſtentes operi legis. Iudæi ſumus, *& non* ſumus *peccatores ex gentibus*.i. D non peccauimus ad ſimilitudinem gentium, adorantes idola, & huiuſmodi: quod non fecerant Iudæi. Et cùm ſimus per naturam Iudæi: tamẽ non iuſtificamur ex operibus legis. Et nos hoc *ſcientes quod nullus homo iuſtificatur ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti*, vt gentiles: ſic *& nos* Iudæi *credimus in Chriſto Ieſu, vt* ſic *iuſtificemur ex fide Chriſti* tantum: *& non ex operibus legis. Propter quod*.i. quia nos Iudæi *ex* fide ſola iuſtificamur non ex lege: ergo *omnis caro*.i omnis gentilis carni obediẽs: Deum neſciens; *non iuſtificabitur ex operibus*

Petrus a Paulo reprehenſus.

legis,

legis, ſi ea fecerit. Si enim Iudæo non proſunt opera, multò minus gentili. Carnem vocat gentilem, quia nunquam in cultu legis Dei, ſed ſemper fuit in opere carnis. Vel ita, quia ſi Iudæus nō eſt iuſtus ex lege, multò minus caro.i.peccator ex gentibus. Probat iterū idem per impoſſibile, & inconueniens. Dico quod ex fide Chriſti iudificabimur: quod ſi ita non eſt: hoc eſt quod ait. *Si nos quærentes iuſtificari in Chriſto*.i.per fidem Chriſti: nō dico putati exiſtimationem ſtultorum non curo: ſed ſi per fidē Chriſti quærentes iuſtificationem *inuenti ſumus* vt gentiles *etiam nosipſi peccatores*: quia legem deſeruimus, ad fidem Chriſti tranſeuntes: ſi hoc, inquā, eſt: tunc Chriſtus miniſter eſt peccati: ipſe enim docuit legem non eſſe tenēdam: ſed ex fide eſſe omnem iuſtificationem. Sed quia exhorrebat Chriſtum dicere miniſtrum peccati: dicit hoc ſub admiratione ſic. *Nunquid* aliquis inſenſatus audet dicere quod *Chriſtus miniſter eſt peccati? Abſit* hoc, vt Chriſtus miniſter ſit peccati. Verè Chriſtus non eſt miniſter peccati. Nā ego deſtruxi legem, quam non reędifico: ne me conſtituam præuaricatorem. Si enim deſtructā legem reædificās: ideò præuaricationis reus ſum: tunc benè ſequitur quod Chriſtus, quia legem excluſit, non eſt miniſter peccati. Quia ſic ait. *Si* legalia *quæ deſtruxi hæc iterum reædificabo*: docens ea eſſe tenenda; tunc profectò *conſtituo me præuaricationem* legis, quam reduco. Ipſa enim lex pręcipit ſe contemni, poſtquam venerit gratia: vt ibi per Moyſen: Prophetā ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris: ipſum audietis tanquam me. Quaſi diceret. Interim donec veniat, audite me: cū venerit (me derelicto) confugite ad eum. Reædifico ideò dicit: Imponebant enim ipſi quidā, quod prius ſtultè docuiſſet legem non eſſe tenendā: ſed modo correctus, reducebat legē. Verè ſi legem reędifico, pręuaricatorem legis me conſtituo. *Nam ego* deſerui legem, per ipſam legem ita pręcipientem, ne veniente gratia teneretur. Et non dicit deſerui: ſed *mortuus ſum legi*.i. ita legem deſtruxi: ſicut nūquam amplius ad illam reuerſurus: quomodo à morte non fit reuerſio ad vitam. Legi ideò mortuus ſum, *vt viuam Deo*.i.per gratiam Dei. Verè deſerens legem, viuit Deo per fidem: nam ceſſat à malo, & operatur bonum. Quod ſic ait. *Cōfixus ſum cruci Chriſti*.i.affixos habeo ſenſus meos per virtutē crucis Chriſti: ne quamdiu in fide Chriſti ſum, liceat porrigere manum vel pedem ad opus malum. Confixus ſum cruci Chriſti.i. ad gloriam Chriſti, qui me ſic confixit, & per hæc habemus ceſſare à malo. Chriſtus ſi voluiſſet, aliud genꝰ mortis elegiſſet: ſed voluit vt nec ipſum genus mortis myſterio careret; præſignans hoc in affixione ſuorū membrorum, quæ ſecundum veterem hominem paſſibilis & mortalis vſq; ad diem crucis ſuſtinuerat: vt ſicut mēbra ſua confixa, ſecundùm virtutem hominis ad aliquos actus extendere non potuit, quod in illa cruce ſic cōfigebat hominem iuſtitiæ, vt quādiu fidem Chriſti non violaret: ad actum iniuſtitiæ declinare non poſſet. Confixus ſum cruci, ceſſans à malo. *Viuo autem iam non ego*, qui eram ſecundū legem: *ſed viuit in me Chriſtus*.i. viuo ego ipſe factus Chriſtus per conformitatem: & per hanc partē habemus operari bonum. Viuo vtiq; Deo per fidem, per dilectionem, per traditionem. Hoc ita ait. Ego viuo: *quod autē nunc viuo*, poſitus *in carne*, quia licet caro impugnet ſpiritum, tamē ſpiritus in me viuit, & iugulat deſideria carnis, quod miraculum eſt ita viuere in carne. Quia vero ſic viuo *in fide*.i. per fidē *filij Dei viuo*, & nō per opera legis, ſed per dilectionem Chriſti: *qui dilexit me*, hominem perſonaliter vniēs ſibi. Viuo etiam *&* per traditionē: quia Chriſtus *tradidit ſemetipſum* in mortem *pro me*, redimendo à morte: quod non poterat effici per legem. Et quia per fidem viuo, & non per legem: igitur non reduco legem. Quod tamen ſic ponit. *Non abijcio gratiam Dei*: quia reducere legem, eſſet

Populus gentilis caro dicitur.

Deut. 18.15

Crucis myſterium

eſſet abijcere gratiam. Ideò non reduco legem, quia non per legem iuſtitia. *Si enim per legẽ* eſſet *iuſtitia, ergo Chriſtus gratis* .i. ſuperfluè *mortuus eſt*, vt iuſtificaret: cum per legem habeatur iuſtitia: ſed Chriſtum ſuperfluè mortuum nolletis concedere.

CAP. III.

*O Inſenſati Galatæ: quis vos faſcinauit nõ obedire veritati? Ante quorum oculos Ieſus Chriſtus proſcriptus eſt, & in vobis crucifixus? Hoc ſolum à vobis volo diſcere. An ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu fidei? Sic ſtulti eſtis, vt cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini. Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? ſi tamen ſine cauſa. Qui ergo tribuit vobis ſpiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei? Sicut ſcriptum eſt. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Cognoſcite ergo, quia qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abrahæ. Prouidens autem ſcriptura, quia ex fide iuſtificat gentes Deus; prænunciauit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide ſunt benedicentur cum fideli Abraham. Quicunq; enim ex operibus legis ſunt: ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim. Maledictus omnis * qui non permãſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis: vt faciat ea. Quoniam autem in lege nemo iuſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt, quia iuſtus ex fide viuit. Lex autem non eſt ex fide: ſed qui fecerit ea viuet in illis. Chriſtus autem nos redemit de maledicto legis: factus pro nobis maledictum: quia ſcriptum eſt. Maledictus omnis * qui pẽdet in ligno, vt in gẽtibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Ieſu: vt pollicitationem ſpiritus accipiamus per fidem. Fratres (ſecundum hominem dico) tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat. Abrahæ dictæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius. Nõ dicit & ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in vno, & ſemini tuo qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico, teſtamentum*

Gen. 15.6. Rom.4.3. Iacob.2.23. — Gen.12.3. — Deu.27.26 * homo. — Abac.2.4 Rom 1.17. Leuit.18.5. — * homo. Deu.21.23. — Hebr.9.17.

A *confirmatum à Deo: quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt lex: non irritum facit ad euacuandã promiſſionem. Nam ſi ex lege hæreditas, iã non ex promiſſione. Abrahæ autem per repromiſſionem donauit Deus. Quid igitur lex? Propter tranſgreſſionem poſita eſt: donec veniret ſemen, cui promiſerat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem vnius non eſt, Deus autem vnus eſt. Lex ergo aduerſus promiſſa Dei? Abſit. Si enim data eſſet lex, quæ poſſet viuificare: verè ex lege eſſet*
B *iuſtitia. Sed cõcluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. Prius autem quam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur: concluſi in eam fidem quæ reuelãda erat. Itaq; lex pædagogus noſter fuit in Chriſto: vt ex fide iuſtificemur. At vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo. Omnes enim filij Dei eſtis per fidem, in Chriſto Ieſu. Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Iudæus, neque græcus: non eſt ſeruus, neq; liber: non eſt maſculus, neq;*
C *fœmina. Omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu. Si autem vos Chriſti: ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundum promiſſionem hæredes.*

ET quandoquidem per fidem iuſtitia, & non per legem: *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit vt non crederetis veritati.* Veritatem habetis in vobis, ſcilicet, fidem Chriſti, quæ verè iuſtificat, & nõ crediris ei. Faſcinatos dicit, accuſans inſipiẽtiam eorum: nõ enim differunt à vetulis, quę
D credunt quoſdam faſcinatores ſolo viſu poſſe corrumpere quos volunt. Vos dico faſcinatos *ante oculos quorũ* (quia ipſam veritatem habetis & cognoſcitis) & in oculis veſtris *Chriſtus Ieſus proſcriptus eſt*. Proſcriptus dicitur, qui à regno & hæreditate ſua depellitur. Ij autem Chriſtum à regno & hæreditate ſua depellebant: dum ſeipſos in quibus regnare debebat, & qui eius erant hæreditas, Chriſto ſubducebant. Non ſolùm proſcriptus: ſed etiam Chriſtus eſt *in vobis crucifixus*. Non enim magis viluit

De pe. diſt. 3. totam. — 23. q. 4. hec autem §. ex his. — De conſe di 4. quomodo in fi. 29 q. 2 in prin. De coniu. ſeruorum cap. 1. — *Faſcinati.* — *Proſcripti quis dicatur.*

Chriſtus

Chriſtus in oculis Iudæorum & Pilati, quam in vobis, qui ſic eum cõtemnitis. Vel ita. Ante oculos quorum Chriſtus proſcriptus eſt in alijs, quos malo exemplo deprauaſtis, & etiã in vobis ipſis, qui Chriſtum repellitis à vobis. Et licet ita ſit proſcriptus, tamen ipſe pro vobis eſt crucifixus, nec ita eſſet proſcribendus. Hoc euidẽter inſeruit: modo reuertitur ad illud. O vos inſenſati, licet modo ſatis probauerim fidem valere, legem irritam eſſe; & licet vos inſenſati ſitis, tamen voſipſos faciam confiteri, & probare quod ex fide ſit iuſtitia & non ex lege. Quod ſic ait. Multa alia occurrũt per quæ hoc probare poſſem, ſed *hoc ſolum* ſufficit, & hoc *volo diſcere à vobis, an accepiſtis Spiritum ſanctum ex lege, an ex fide?* Ex lege non: quia vos gentiles legem non habuiſtis. Et non ita ſimpliciter ponit, ſed addit ex operibus legis: an ex auditu fidei, deprimens legem, cuius opera erãt importabilia: commendans fidem, quæ facillimè ex ſolo auditu habetur. Et cum ex fide ſpiritum accepiſtis: *ſic* modo *ſtulti eſtis: vt cùm per ſpiritum cœperitis* ſaluari: *nunc carne*, id eſt, per carnalem legem *conſummemini*, id eſt, perficiamini. Plurimum deſipitis cùm illud quod minus eſt (ſcilicet incipere) ſpiritui datis: & illud quod maius (id eſt, perficere) attribuitis carni. Et quia per carnem conſummationem quæritis: *ſine cauſa eſtis paſſi tanta.* Vos quidem multa paſſi eſtis ab infidelibus: ſed fruſtra. Sine cauſa dico vos tanta paſſos: tamen hac conditione, *ſi ſine cauſa*, id eſt, ſi incorrigibiles eſtis. Si enim pœniteatis, præſto eſt indulgentia. Et ſic dicens reuelat ſpem eorum. Per illos quos ex fide ſola probauit habere ſpiritum, quia nunquam legem habuerant. Vult modo probare de ſe, quod cùm vtrumque habuerit, legem & fidem: per fidem tamen ſpiritum accepit, non per legem: quod niſi probaret, dubietatẽ relinqueret. Vnde ſic ait. Quandoquidem vos ex fide ſpiritũ accepiſtis, & non ex lege: *ergo* Paulus *qui tribuit vobis* ſpiritũ .i. per ma-

A nus cuius accepiſtis Spiritum ſanctũ: *& qui operatur virtutes* & miracula *in vobis*, dicite modo an *ex operibus legis* habuit ſpiritum? *an ex auditu fidei?* Ex vobis per ſimile iudicare poteſtis: quia ex fide non ex lege: licet vtrumq; habuerit. Ex fide habetur ſpiritus. Ex fide habetur iuſtitia; & ex fide promiſſio. Litera ſic iungitur. Ex fide ſic habetur ſpiritus, ſicut ex eadẽ fide habetur iuſtitia. Iuſtitia vtiq; ex fide. *Nam Abraham credidit Deo*, id eſt, fidem habuit: *&* hoc credere, *reputatum eſt ei* ſufficiens *ad* habẽdam *iuſtitiam.* Et quia Abraham per fi-

B dem habuit iuſtitiam, *ergo cognoſcite:* quia *quicunque* ſunt *ex fide*, & non ex lege (ſicut nec Abraham tunc erat) *hi* per fidem *ſunt filij Abrahæ* .i. iuſti: quia imitatores fidei ſunt Abrahæ. Non ſolum per fidem habetur ſpiritus & iuſtitia: ſed etiam in fide habetur benedictio: ſicut ibi legitur. O Abrahã *in te*.i. in ſimilitudine fidei tuę, *benedicentur* non ſolùm Iudæi: ſed etiam *omnes gentes.* Sed antequã ponat hanc auctoritatem, prędicit quomodo intelligendũ ſit illud, *in te*, dicens.

C *Scriptura* in Geneſi *prouidens*.i. oſtendens Deum prouidiſſe: ſic enim ab æterno Deus deliberauit: prouidens, inquã, hoc *quia* .i. *quod Deus iuſtificat* non ſolùm filios carnis Abrahæ: ſed etiam *gentes*: iuſtificat dico nõ ex lege: ſed *ex fide.* Illa ſcriptura longè ante tempus gratiæ prænũciauit.i. oſtẽdit Deum pręnunciaſſe Abrahę: quia in te per imitatam fidem benedicentur omnes gentes. ¶ Notandum eſt, quod cum debeat probare de benedictione, ait. Iuſtificat ex fidę: intelligens, quod vbi pręcedit iuſtitia, ibi ex ne-

D ceſſitate ſequitur benedictio. Quod hic vocat benedictionẽ, idẽ intelligit promiſſionem: teſtamentum, hæreditatem. Præterea videdum eſt, quod nõ incõgruo ordine ex fide prius habetur ſpiritus, dehinc iuſtitia. Ad vltimum benedictio. Poſt fidẽ enim ſtatim datur ſpiritus; ſine quo nemo poteſt benè operari. Dehinc per adiuuãtem ſpiritũ, ſequuntur opera iuſtitię. Poſt iuſtitiam ſequitur benedictio, id eſt,

id eſt, iuſtorum operum retributio. Et quia ſcriptura ſic ait, per fidem mediante iuſtitia benedictionẽ conſequi: *igitur ij qui ſunt ex fide*.i.qui eſſe ſuum collocant in fide: quod vtiq; Dauid & multi alij cum eſſent ſub lege: ſubſiſtere tamen habebãt ex fide. Ij vtique qui ſunt ex fide *benedicentur cum Abraham*, non circumciſo, *ſed fideli*.i.non per legem, ſed per fidem Nec hoc prætereundum eſt, ꝙ Abrahã ex fide iuſtificatus ſit priuſquã circumciſus fuerit. Verè ex fide ſolũ habetur benedictio: nam ex lege nõ habetur, ſed potius maledictio. *Quicũque enim ſunt*.i. ſubſiſtere ſe credũt *ex operibus legis*: ij ſunt *ſub maledicto*. Et hoc probat. Verè ſunt ſub maledicto.
Deu.27.26 *Nam* ita *ſcriptum eſt* in Deuteron.i.in abbreuiatione legis: quando Moyſes datã legem breuiter recapitulauit. Et omnibus præceptis collectis poſtea ait. *Omnis ille qui non permãſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis* huius (non dico permanſerit volũtate: ſed ita vt faciat omnia ea) *maledictus ſit*. Et hoc dicens Moyſes idem erat ac ſi diceret. Hanc legem non trado vobis, ad habẽdam in ea iuſtificationem: ſed ad deprimendam duritiam veſtram. Et ſcitote fugiendum vobis eſſe ad gratiam, vt maledictum legis euacuet gratia Chriſti. Ipſe etiam Petrus dicit tantum eſſe onus legis; quãtum nec ipſi patres eorũ portare po-
Act.15.10. tuerunt. ¶ Probauit modo per Abraham & Moyſen, iuſtitiam haberi ex fide, & benedictionem: hoc vtrumq; eſſe ex fide iterũ probat per Abacuc Et conſiderãdum eſt quomodo fidẽ ſemper præferat legi: & per Abrahã q fuit ante legẽ, & per Moyſen eiuſdem legis datorẽ: & per Abacuc, ſub ipſa lege viuẽtem. Ex fide habetur iuſtificatio. *Quia autem in lege nemo iuſtificatur* (non dico apud exiſtimationem hominum) ſed *apud Deum*, *manifeſtum eſt* in Abacuc: *quia* ait quod *ex fide* ſit homo *iuſtus*: & qui iuſtus eſt, *viuit*.i. promiſſam benedictionẽ apprehendit: & ſi ex fide ſola iuſtus viuit, tunc non ex lege. Opponeret ille: verũ quidem, quod per fidẽ opor-

A tet iuſtificari hominem: ſed tamẽ lex adiuuat fidem, & quodammodo neceſſaria eſt fidei. Quod ita infert. Ex fide viuit iuſtus, nõ ex lege. *Lex autem non eſt*.i. non pẽdet *ex fide*, nec vllum adiumẽtum eſt fidei. Sed vultis ſcire, quid melius faciat? Hoc, ſcilicet, *qui fecerit ea*, quæ lex præcipit, *viuet in illis*.i. ꝙ habet dimittetur ei: ſed nihil meritò legis augmentabitur ei. Quia dixerat ſuperius. Maledictus omnis qui non fecerit præcepta legis: diceret ille. Quandoquidẽ Moyſes ſic ait. Licet ſimus in fide: neceſſe tamen eſt
B vt faciamus legem, ne maledictum Moyſi incurramus. Contra hoc Paulus. Licet Moyſes maledixerit omni non facienti legem: non tamen ideò adhæreatis legi: *Chriſtus* enim *redemit nos de* illo *maledicto legis*: quod & Moyſes cum malediceret, intellexit. Redemit nos Chriſtus *factus pro nobis* redimendis: non ſolũ maledictus: ſed etiam *maledictum*. *Chriſtus pro nobis factus eſt maledictum.* Si quis enim crucifigentium Chriſtum voluit maledicere alicui, maledicebat dicens. Sic tibi contingat, quomodo illi crucifixo. Verè pro nobis factus eſt ma-
C ledictum: *quia ſcriptum eſt* in Deuteronomio. *Omnis qui pendet in ligno* ſit *maledictus*. Chriſtus autem in ligno Deu.21.23 pendens: non vtique ex culpa proprij criminis: ſed in eo ſolo maledictus, quòd pęnã maledicti ſuſtinuit. Moyſes enim præceperat, vt ſi quis reus damnaretur: in ipſa damnatione ipſi malediceretur. Vel ita. Omnis qui pendet in ligno ſit maledictus. Deus enim primo homine creato, benedixit ei ſi in obedientia perſtitiſſet: ſed quia peccauit, maledixit ei: ꝙ male-
D dicere nihil aliud fuit, niſi ſpoliare eũ de conceſſa impaſſibilitate & immortalitate. Chriſtus verò carnẽ veteris Adæ aſſumens, fuit maledictus: quia paſſibilis & mortalis. Quod in eo palam fuit, dũ in ligno pependit, pati enim non poſſet: ſi impaſſibilis eſſet. Obijceret ille gẽtilis. Et ſi Chriſtus ſoluit maledictum legis, nobis non habentibus legem nihil profuit. Contra hoc Paulus. *Chriſtus redemit nos*: *vt* ſicut in Iudæis, ſic *in gentibus*

fieret

fieret benedictio.i.repromiſſio *Abrahæ* habẽda *in Christo Ieſu*, non per legem. Fieret dico promiſſio: ita *vt accipiamus pollicitationem*.i. rẽ frequenter pollicitam. Pollicitationem dico ſpiritus.i. factam nobis per ſpiritum Vel ſpiritus, quia iam Spiritum S. per quem iam partim deificamur arram habendę beatitudinis accepimus. Accipiamus dico non per legem: ſed *per fidem*. Quod modo probauit per auctoritatem legis & prophetæ, ſcilicet, per fidem accipere benedictionem: idem probat per legem humanæ cõſuetudinis dicẽs. Quia ſicut teſtamẽtum cuiuſlibet hominis legaliter factum deſtrui non poteſt: ita lex teſtamentum Dei irritum facere non poteſt. Quod ſi obijciũt legem eſſe antiquiorẽ hoc teſtamento, & vetus non debere deſtrui per nouũ, nihil dicũt: cùm hæc promiſſio facta ſit Abrahæ longe ante legem. Litera ſic iũgitur. Quòd per auctoritates modo probaui: idem *fratres* nunc *dico ſecũdùm hominem*.i. per humanas cõſuetudines affirmo ſic. *Teſtamẽtum hominis*, licet ſit cuiuſlibet vilis hominis: *tamen* teſtamentum hoc *confirmatum*.i. legaliter factum, vt ſint ibi teſtes: moriturus teſtator &c. Hoc teſtamẽtum *nemo ſpernit*, vt inexpletum deſerat. *Aut nemo ſuper* hoc, aliud teſtamẽtum *ordinat*. Et ſicut teſtamentum hominis nemo deſtruit: ita lex teſtamentũ Dei non facit irritũ. Antequã hoc ponat, præmittit ꝙ verè teſtamẽtum Dei factũ ſit, & poſtea quod teſtamentũ antiquius lege fuerit. Teſtamẽtum hominis nemo ſpernit: teſtamẽtum aũt à Deo factũ eſt: quia *Abrahæ dictæ sũt ꝓmiſſiones*. Nõ dicit quod de diuerſis fuerint promiſſiones: ſed idẽ multis repetitionibus & diuerſis tẽporibus eſt pollicitũ. Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones: *&* per Abrahã dictæ sũt *ſemini eius*.i. Chriſto. Sicut quãdo promittitur patri fecunditas filiorũ, augmentum hæreditatis, licet filius eius nondũ ſit: tamen in patre promiſſio ſit filio. Promiſſio facta eſt ſemini: hoc dicit, *& nõ* dicit, facta eſt *ſeminibus*. Vel ita. Semini dicit, non dicit, in

A ſeminibus *quaſi in multis* debeãt hæreditare gentes: *ſed quaſi in vno*.i. *ſemine tuo* hæreditabunt gentes: *qui* ſemẽ *eſt Chriſtus*. Bona eſt relatio, quia propriũ ſequitur. Hic oſtendit teſtamentum Dei factũ eſſe ad Abraham, nũc oſtendit teſtamentum eſſe antiquius lege. Dico promiſſiones factas Abrahæ: de eodem autem *dico quod hoc teſtamẽtum confirmatum eſt à Deo*: iurauit enim Deus illud ſe impleturum. Hoc, inquam, teſtamentum lex non facit irritũ: *quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt*. Si enim teſta- *Nota elegantiæ regulam.*

B mentum cuiuſlibet hominis non fit irritum: quantò magis teſtamentum Dei quod cum iuramento pollicitus fuit: & Abrahæ tanto viro, & tãta antiquitate temporis irritum non erit? *Lex non facit irritum ad euacuandam promiſſionẽ*.i. vt euacuetur promiſſio. Quod ait lex nõ facit irritum, ſic debemus intelligere facit irritum: vt ipſa lex iuſtificet: benedictionem tribuat: ſicut per fidem fieri promiſſum eſt Abrahæ. Verè euacuetur promiſſio: ſi teſtamentum ſit irritum per legem. *Nam ſi hæreditas* habetur *ex lege*

C (quod tamen eſſe nequit) ſi *ex lege*: *iã non* habetur *ex repromiſſione*. Quia ſi nõ ex repromiſſione: falſus eſt Deus qui promiſit. quod ſi ita eſt: ergo nec vllo modo habetur. Sed verus eſt Deus qui promiſit: ergo ex repromiſſione eius & non ex lege. Si ex lege, non ex repromiſſione: ſed ex repromiſſione habetur. Verè ex repromiſſione: quia *Abrahæ donauit Deus* hæreditatem *per repromiſſionem*: ergo non per legem. Et quia probo per legem, nec iuſtitiam, nec haberi benedictionem: *igitur* oppones mihi *quid* profuit *lex*? Fruſtra videtur eſſe

D data, cum neq; iuſtificet neq; ſaluet. Verum quidẽ ait Paulus, quod neq; iuſtificat, neq; ſaluat, nec tamẽ ideò inutilis: quia *poſita eſt propter trãſgreſſiones* multiplicandas: addidit .n. peccatũ præuaricationis quod non erat. Et neceſſe erat vt abundarent tranſgreſſiones. Vbi enim abundauit delictum: ſuperabundauit gratia. Vel ita. Poſita eſt lex propter vitandas

Lex ad tempus fuit poſita.

tranſgreſſiones: lex enim puniens reum, timere facit peccatum. Iterum ille. Si propter tranſgreſſiones: ergo lex vtilis tenenda. Minimè ait Paulus: quia lex ad tempus poſita eſt, *donec veniret ſemen* .i. Chriſtus de quo ait. In ſemine tuo &c. *cui* ſemini *promiſerat* .i. promiſſo facta fuerat. Lex dico *ordinata* .i. non permanſura: ſed ſecundùm ordinem ſuum in tempore diſpoſita. Prius enim lex naturalis: dehinc iſta lex ſcripta. Ad vltimum gratia, *ordinata*, dico, *per angelos*.i. per Moyſen & Aaron, qui fuerunt nuncij Dei ad populum: Vel per cœleſtes angelos: quorum miniſterio tradita fuit lex Moyſi. Iterum ille. Quod per angelos factum eſt: deſtruere malum eſt. Contra hoc Paulus. Ita dico per angelos ordinata vt eſſet *in manu* .i. in poteſtate *mediatoris* Chriſti. Angeli enim quicunq; fuiſſent, hoc voluerunt, vt veniente fide, euacuaretur lex. Et quia modo dixerat mediatoris: qui enim medius eſt duas extremitates coniungens: videtur diuerſus eſſe ab ijs quæ coniungit: ne putaretur Chriſtus, dum mediator eſſet inter Deum & hominem: vel non eſſe Deus, ſed aliud à Deo: cui coniungebat hominem. Vel ſi Deus eſſet, putarentur duo, vnus qui coniungeret medius duo extrema: alter Deus, cui coniungeretur homo. Et ad remouendum hoc ſubdit. Dico mediatoris: *mediator autem* concedo quod *nõ eſt vnius rei* tantũ mediator, ſed duarũ extremitatum: quia propter vnũ non diceretur medius: & licet non ſit vnius mediator, ſed duorum: tamen propterea non ſequitur ꝙ ſint duo dij: *ſed vnus* tantùm *eſt Deus*. Vel aliter. Lex eſt poſita in manu mediatoris: hic autem mediator non eſt vnius .i. Iudaici populi tantum: ſed eſt vnus.i. æquè gentilis ſicut Iudæi. Hoc inde conſtat, quia eſt Deus tam benè gẽtilis ſicut Iudæi. Infert à ſuperiori: ꝗa teſtamẽtum hominis nemo ſpernit: aut ſuperordinat. Teſtamentum autem ante legẽ factum eſt: ergo lex non deſtruit promiſſa Dei. Sed hoc ſub interrogatione ſic ponit: *an* fa-

A tendum eſt quod *lex* ſit *aduerſus promiſſa Dei*: vt per legẽ habeatur quod per fidem promittitur? *Abſit* hoc vt lex ſic aduerſetur promiſſis Dei, vt efficiat benedictionem, quæ per fidẽ promittitur. Verè lex non eſt aduerſus promiſſa Dei, vt poſſit benedictionem dare. *Nam ſi lex data eſſet quæ poſſit viuificare* .i. promiſſam benedictionem dare: tunc *verè iuſtitia eſſet ex lege*, niſi enim iuſtitia præceſſerit: benedictio nequit apprehendi: ſed ex lege non eſt iuſtitia. *Scriptura* enim

B *concluſit*.i. oſtendit concluſa. Vel ſcriptura .i. eadem lex & per additũ peccatum quaſi violenter concluſit, & concluſa eſſe oſtendit *omnia ſub peccato*: ideò omnia concluſa ſunt ſub peccato, *vt* ſic concluſi crederent: & illis tandem credentibus, *daretur promiſſio* .i. promiſſa benedictio, non ex lege, ſed *ex fide Ieſu Chriſti*: poſſet enim putari, quod licet crederẽt, nõ tamen meritò fidei acciperent benedictionem. ¶ Nota ideò cõcluſit omnia ſub peccato, vt crederent: niſi e-

C nim homines ita ligarentur ſub vinculo peccati, quod nec viribus ſuis reſpirare poſſent: nunquam ad miſericordiam quæ in fide conſtat, confugerent. Sed quamuis lex viuificare nõ poſſit, tamẽ opportuna fuit: quia *priuſquam veniret fides*, nos Iudæi poſiti *ſub lege cuſtodiebamur* .i. ſub cuſtodia legis nutriebamur ad venturam gratiam. Sub lege dico *concluſi*.i. conſtricti in carcere velut ſerui. Minabatur enim pœnam, non promittebat requiẽ. Cuſtodiebamur dico ex hac

D cuſtodia tranſituri *in eam fidem quæ* tunc figuris legis velata, *erat reuelanda* per Chriſtum. Et quia ſub lege cuſtodiebamur in fidem, *itaque lex fuit pædagogus noſter*: nutriẽs nos ponendos *in Chriſto*: ideò in Chriſto, *vt* nos Iudæi *iuſtificemur ex fide* Chriſti, non ex lege. Pædagogus dicitur nutritor pueri: qui ſemper ſequitur pedẽ eius. Similiter lex Pædagogus noſter fuit: nutriens pueritiam & ſimplicitatem noſtram: ſicut ſolet puer nutriri verberibus & minis. Nos pueri eramus ſub Pædagogo. *At vbi* .i. poſtquam

Pædagogus dicitur nutritor pueri.

venit

venit fides.i. maturitas morum, & iā adulti ſumus: nos Iudæi *iam non ſumus ſub pædagogo*.i. ſub lege. Ideò nos Iudæi amplius non ſumus ſub lege: *quia* vos *omnes* Galatæ, gentiles *eſtis, filij Dei per fidem*, habitam in Chriſto Ieſu nō minus quam nos. Et ſi vobis nihil minus eſt apud Deum per fidē quam nobis: fruſtra teneremus legē, quæ per nos probatur nihil conferre nobis. Quia ſi nos Iudæi legem quia inutilē dimittimus: vtiq; vos qui nō habuiſtis, inſania eſſet apprehendere. Benè dico vos filios Dei in Chriſto Ieſu. *Quicunq; enim baptizati eſtis in Chriſto*.i.in inſtitutione Chriſti Ieſu: *induiſtis Chriſtum*. Induere dicit. Homo enim per peccatum nudus & pœnuriam patitur & ignominiam: ſed in baptiſmo veniēs ad Chriſtum induit eum,& ad tegendam nuditatē ſuā & ad gloriam. Benè dico quicunque: *Non eſt* enim *Iudæus neq; græcus: Non eſt ſeruus neque liber. Non eſt maſculus neque fœmina*.i. non natio, non conditio, non ſexus differens eſt in fide Chriſti. *Omnes enim vos vnū* corpus *eſtis* per fidem *in Chriſto Ieſu. Si autem vos* eſtis *Chriſti*: cum Chriſtus ſit Abrahæ. Supra enim dictum eſt:& ſemini tuo qui eſt Chriſtus: *ergo* per Chriſtū vos gentiles *eſtis ſemen Abrahæ*. Et ſi ſemen: ergo *hæredes* benedictionis eius: non per legem, ſed *ſecundum promiſſionem*.¶ In eodē quod ſuperius probauit adhuc immoratur: ſicut enim probauit non amplius reuertendum eſſe ad legem, quia pædagogus fuit. Fide autem perfectis, pædagogo nō eſt opus. Idem adhuc alijs rationibus probat, ſcilicet, Iudæos nō amplius debere operari ſub lege: propterea q̄a lex loco tutoris & actoris fuit: quo tutore & actore nō indiget maturitas fidei. Et hoc probat per ſimilitudinem pupilli: quē pater moriens ſub tutore & actore eſſe diſponit: donec maturitas ætatis faciat eū dignum libertate. Tutor pueri dicitur, qui contra impugnantem tuetur eū, ne exhæredari poſſit. Actor pueri dicitur: vel idem, vel alius: ſed pro diuerſa cauſa; ſcilicet, quia agit & diſ-

Tutor.

A penſat bona pupilli. Soluit cēſus: Reſpondet pro eo in cauſis. Lex ſimiliter tutor & actor dicitur. Homines enim parum habentes diuinæ cognitionis: & in eodem ſatis miſeri & pupilli, indigebant prius lege quæ conſtringeret eos vt ſeruos: vt ſub hac diſtrictione nutriti, migrarēt ad perfectionem fidei: & tūnc lex erat eis tutor per pręcepta quæ dabat, dicens. Ne facias hoc & illud: quod ſi feceris, morte morieris. Sic per data præcepta tutabatur eos lex, & defendebat contra irruētia vitia: à quibus timore ceſſabāt, nondum dilectione.

B Lex etiam erat eiuſdem populi actor: per ſacrificia quib⁹ agebatur apud Deū, vt expiarentur à peccatis. Litera ſic iungitur. Non ſolum per id quod præmiſſum eſt, ſcilicet, quia lex pædagogus fuit, probo non vltra manendum eſſe ſub lege: ſed etiam per hoc quod lex loco tutoris & actoris fuit: quibus quia vltra non indigemus, legem tenere iniuſtum eſt. Vel aliter iungitur, vt ſit aduerſa ſententia, ita. Quia vnum ſumus in Chriſto, & per fidem ſemen Abrahæ ſumus:

C verum quidem eſt, quia propter hæc non iam debemus tenere legem: ſed tamen neceſſaria fuit, dum tutore & actore adhuc pupilli indigebamus. Et ſecundum hanc continuationem cauſa quę prius non erat reddita modo ſupplebitur.

CAP. IV.

D DICO *autem: Quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cum ſit Dominus omnium: ſed ſub tutoribus & actoribus eſt vſque ad præfinitum tempus à patre. Ita & nos cùm eſſemus paruuli, ſub elemētis mūdi eramus ſeruientes. At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factū ex muliere, factum ſub legē, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem eſtis filij Dei, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra * clamātem Abba pater.*

24. q. 4. quidā ver. ebionita.

De cōſe. di. 4. proprie in fine.

** noſtra. Marc. 14. Rom. 8.*

A

*Itaq; iam non eſt ſeruus, ſed filius. Quia ſi filius, & hæres per Deum. Sed tũc quidem ignorantes Deum: his qui natura non ſunt dij, ſeruiebatis. Nunc autem cùm cognoueritis Deum (immò cogniti eſtis à Deo) quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſeruire vultis? Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos. Timeo * ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis. Eſtote ſicut ego, quia & ego ſicut vos. Fratres, obſecro vos, nihil me læſiſtis. Scitis autem quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iampridem: & tentationem veſtram in carne mea non ſpreuiſtis, neque reſpuiſtis: ſed ſicut angelum Dei accepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum. Vbi eſt ergo beatitudo veſtra? Teſtimonium enim perhibeo vobis, quia ſi fieri * potuiſſet, oculos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi. Ergo inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis? Aemulantur vos non benè: ſed excludere vos volunt, vt illos æmulemini. Bonum autem æmulamini in bono ſemper, & non tantum cum præſens ſum apud vos. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Vellem aũt eſſe apud vos modo, & mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis. Dicite mihi, qui ſub lege vultis eſſe. Legem nõ legiſtis? Scriptum eſt enim, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de ancilla ſecundũ carnem natus eſt: qui autem de libera, per repromiſſionẽ. quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta. Vnum quidem in mõte Sina, in ſeruitutem generans: quæ eſt Agar. Sina enim mons eſt in Arabia: qui coniunctus eſt ei, quæ nũc eſt Hieruſalem, & ſeruit cum filijs ſuis. Illa autem quæ ſurſum eſt Hieruſalẽ, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Scriptum eſt enim: Lætare ſterilis quæ non paris: Erumpe & clama quæ non parturis: quia multi filij deſertæ, magis quam eius, quæ habet virum. Nos autem fratres, ſecundum Iſaac promiſſionis filij ſumus. Sed quomodo tũc is qui ſecundũ carnem natus fuerat, perſequebatur eũ qui ſecundum ſpiritũ; ita & nunc. Sed quid dicit ſcriptura? Eijce ancillam, & filiũ eius. Non enim hæres erit filius ancillæ, cum filio liberæ. Itaque fratres non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ: Qua libertate Chriſtus nos liberauit.*

* habet vos.

* poſſet.

Gen. 16. verſ. 15.

Sina mons eſt in Arabia.

Eſaia 54. verſ. 1.

23. q. 4. qui ſecundum carnem.

Rom. 9. 8.

Gen. 21. 16.

32. q. 2 non omnis &. q. 4. recurrat.

DIxerat quidem non amplius opus eſſe pædagogo: ſed cauſam nõ poſuerat quare: quam hîc ſubdit, dicens: Licet vos modo vnũ in Chriſto pædagogo non egeatis: tamen dico quod vos iam indiguiſtis. Sicut videtis quod *quantocunque tempore* ſecundum diſpoſitionem patris *paruulus eſt*: hic qui eſt *hæres* futurus quanto tempore, ſiue xx. ſiue xv, paruulus eſt.

B

Licet ſit deſtinatus hæres, tamen *nihil differt à ſeruo*: quia ſæpè cõſtringitur, & verberatur à tutore ſuo: *cùm* .i. quamuis *futurus ſit Dominus omnium*: nihil differt: ſed pupillus ille *eſt ſub tutoribus*, qui tuentur hæreditatem eius, ne violenter auferatur: & *ſub actoribus* qui cauſas pro eo agunt, & de hæreditate eius diſponunt. Eſt vtique ſub illis *vſque ad tempus* quod *præfinitum* eſt à patre ſuo .i. quamdiu pater ſuus conſtituit eum eſſe alieni iuris. Conſuetudo enim erat vſq; ad xx. & II. annos, puerum eſſe ſub pa-

C

trono: ne diſſiparet illicitè ſubſtantiam ſuam. Quia Paulus non adaptat omnem ſimilitudinem: bonum eſt vt adaptemus ſingula. Quanto tempore: hoc enim fuit à primo homine vſque ad Chriſtum: hic qui eſt futurus hæres, ſcilicet, Iudaicus populus: cui erat repromiſſa ſalus, quamdiu hic hæres eſt paruulus omni tempore vſque ad Chriſtum, in cognitione Dei paruulus fuit: & cum paruulus eſt, nihil differt populus ille à ſeruo. Si enim præcepta ſibi faceret, vitabat pœnam: ſin autem, torquebatur vt

D

ſeruus aſperrimè: nihil interim differt à ſeruo, licet ſit futurus Dominus omnium bonorum hæreditatis: ſic populus ille preſſus ſeruitute legis: ſi de lege tranſiret ad fidem, conſtituendus erat Dominus cęleſtis hæreditatis. Paruulus nihil differt à ſeruo: ſed eſt ſub tutoribus & actoribus .i. ſub lege quæ tutatur eum per præcepta: & agit pro eo per ſacrificia. Eſt vtique ſub illis vſq; ad tempus quod

Iudæi erant futuri hæredes cæleſtis patriæ

præfinitum

præfinitum à Deo patre: in quo tempore de ſeruitute legis transferretur ad libertatem fidei. Et quemadmodum paruulus hæres ſub tutoribus & actoribus eſt: ita & nos cum eſſemus paruuli in cognitione Dei, eramus non liberi, ſed ſeruientes ſub elemẽtis .i. ſub legalib⁹. Quia ſicut puer per elementa alphabeti, tranſit ad cognitionem literarũ; ſic per legem tranſeũdum erat ad cognitionem Dei, in fide habendam. Elementum dicitur vel quaſi eleuamentũ: per hoc enim ad ſcientiam quis eleuatur. Vel quaſi elimentũ, ab elimo, elimas. Vel quaſi hylemẽtum: hyle enim materia. *Eramus ſub elementis mundi* .i. quæ lex & mundana promittebat, & carnalia docebat. Prius ſic paruuli eramus. *At vbi* .i. poſtquam *venit plenitudo tẽporis*, ſiue tempus plenitudinis. Plenitudo ideo: quia quæcunque expectata fuerant in anteactis ſæculis, tũc fuêre completa. Tunc enim perfecta iuſtificatio, quæ antea non fuerat. Tunc præſens & plena ſaluatio, quam ante diem illum expectabat Abraham cũ cæteris ſanctis. Vel aliter. Poſtquam venit plenitudo .i. finis & cõſummatio temporis, quod conſtituerat primum præterire Deus: tunc *miſit Deus filium ſuum.* Cùm filius Dei vbiq; totus & præſens eſſet: hoc mittere nihil aliud fuit, quam quod eum qui inuiſibilis erat, in forma ſerui viſibilem exhibuit. Filium dico, quẽ adeò humiliauit, vt *factum ex muliere* .i. vt eũ qui infactus & ſempiternus erat, facturam nouam ex muliere vellet ſuſcipere. *Factum* etiã *ſub lege:* quia ſub lege vixit: & legem impleuit, dũ hoſtia pro illo data fuit. Ideò ſub lege, *vt* precio ſanguinis dato *redimeret eos qui erant ſub lege.* Niſi enim ſub lege fieret, legemq; teneret, à lege liberare, & legem deſtruere non poſſet, ſicut oportuit vt mortem guſtando, mortem deſtrueret. *Vt* redimeret, & vt redempti *reciperemus adoptionem filiorum* .i. eſſemus filij ſuſcipiẽtes adoptionem .i. hæreditatem æternam, quam nobis gratia Dei adoptauit. Vbi ait factum ex muliere. Quæritur

Elementũ dicitur quaſi eleuamẽtum.

A cum vbiq; Deus totus eſſet, quomodo magis fuerit in vtero virginis? Cuius rei ponunt ſancti ſimilitudinem huiuſmodi: quod ſicut anima dum eſt in corpore, corpus ipſum ſenſificat; regit & viuere facit: ſegregata à corpore: alibi quidem tota ſimiliter eſt, nec tamen ibidem officiũ facit: Ita diuinitas, licet alibi tota ſit, vt in vtero virginis: nõ tamen ſequitur quod idem operetur alibi quod in vtero virginis. Superius notaſſe debuimus, quod quemadmodũ paruulus ille, ſi prius, quam veniat ad matu-

B ros annos, moritur, hæreditatẽ amittit: ſic qui de lege ad maturitatẽ fidei tranſire noluerit: expers fit hæreditatis. Dicerent Galatæ: Vos quidem Iudæi recipietis adoptionem filiorum: ſed quid proderit nobis? Ad hoc Paulus. Non ſolùm nos ſumus filij: ſed quod vos Gentiles ſimiliter eſtis filij: probat hoc quod *Deus miſit ſpiritum filij ſui* .i. eundem quem filius habuit, vel quem filius dedit: miſit, dico *in corda noſtra* .i. meum & veſtra: ſpiritum dico *clamantem* .i. clamare nos facientem: *Abba* Iudæos: *pater* Gen-

C tiles. Et quandoquidem vtrique filij ſumus & clamamus. *Itaque iam non eſt* aliquis *ſeruus, ſed filius. Quia ſi filius:* erit *etiam hæres* beatæ hæreditatis. Et quod ita futurum ſit: teſtor vobis per Deum. Vel ita. *Hæres* erit *per Deum* .i. per miſericordiam Dei, non per legem. Nunc reducit eis ad memoriam priorem ſtatum, quem habuerunt in cultura idolorum: probans pro nihilo idola dimiſiſſe, ſi legem accipiunt. Lex enim iam eſt idololatria ex quo venit gratia. Quia

D qui legem putat eſſe ad iuſtificandum neceſſariam: derogando Deo, quod Dei eſt, legi attribuit: quemadmodũ idololatræ attribuebant quod Dei erat, idolo. Nunc etiam ſi legem accipiunt, deterius erit quam prius: tunc enim per ignorantiam: nunc verò ſcientes & prudentes manum mittent in ignem. Litera ſic iungitur. Nunc eſtis filij: ſed tunc quidem ante conuerſionem ſeruiebatis his, qui non erant dij: & ſi per opinio-

Deus qui vbique eſt, quomodo in vtero fuit.

Legem antiquam ſeruare, eſt ferme idololatrare.

nem, non tamen per naturam. Tunc ſic ſeruiebatis: ſed nunc cum cognoueritis Deum cōtra hoc quod ait ignorantes: & dicens cum cognoueritis Paulum dixiſſe eos & corrigo: immò cum vos *cogniti*.i. approbati eſtis *à Deo: quomodo*.i. qua ratione *conuertimini iterum*, quia olim in eodem eratis, *ad elementa*.i.ad illa legalia *infirma*.i.etiam tempore ſuo impotentia iuſtificare quemlibet: *&* etiam in illa infirmitate *egena*.i.alieno auxilio egentia. Hoc enim tātulum quod faciebat * niſi per auxilium futuræ fidei nō poterat: *quibus* elementis modo *ſeruire vultis* & *denuo*. Lex enim amodo vobis erit idem, quod idolū fuit olim. Verè conuertimini ad legem. *Nam* vos *iā obſeruatis dies*.i.ſabbata. Obſeruatis etiam *menſes*.i.innouationes lunæ. *Et tempora*.i. ieiunia Hebræorum, in temporibus ſtatuta. Obſeruatis etiam *annos*.i. ſeptimum annum: & iubileum more Hebræorum. Et quia ſic agitis *timeo vos*.i. nihil adeò in vobis timeo ſicuti vos. Timeo, inquam, *ne fortè* (quod cito cōtingere poteſt) *laborauerim in vobis ſine cauſa*.i.ſine fructu vtilitatis. Sed ne me fruſtra laboraſſe contingat: *eſtote ſicut ego*, non curantes legalia, *quia & ego* fui olim legalis *ſicut vos* eſſe vultis, & deſerui. Modo videte, quam inſipienter hoc velitis. Vel ita. Eſtote ſicut ego, quia ego ſum ſicut vos, gētiliter viuēs. Imponebatur Paulo ab illis pſeudo, quod odio haberet Galatas: & ideò non aperuiſſet illis omnem veritatem: de quo modo excuſat ſe: & laudat eos de priori conuerſatione; in qua ſe multum benignos exhibuêre Paulo. Ideò etiam ſic blāditur: quia poſt pauca verba aſperius eſt eos aggreſſurus. Litera ſic iungitur. Eſtote ſicut ego: & *obſecro vos* vt ſitis *fratres* mei, piam affectionem habentes erga me: *nihil* enim *læſiſtis me* in aliquo: quare ego odiens vos debuerim ſubticuiſſe veritatem. Nihil me læſiſtis: ſed ſcio (& vos benè *ſcitis*) *quia euangelizaui vobis per infirmitatem carnis*: non tamen ſpiritus: quia ſi infirmabar: & contempti-

*fiebat.

A bilis eram ſecundùm carnem: in virtute ſpiritus per miracula fortis apparebam. Prædicaui per infirmitatē: nec pauco tempore: ſed iam pridie, quod tædio vobis eſſe poſſet mea infirmitas. Et cum tanta me premeret infirmitas, *vos* tamen *non ſpreuiſtis* cum prædicabam, neque reſpuiſtis cum primum ad prædicandum veneram: *tētationem veſtram* factam *in carne mea*. In infirmitate enim mea tentabat vos Deus: quaſi diceret. Si infirmitatem Pauli abijciūt, rei ſunt. Si benignè ſuſcipiunt, digni ſunt. Reſpuere plus eſt quam ſpernere: ſicut

B penitus abijcere magis eſt, quam patiendo contemnere. Non me ſpreuiſtis, *ſed excepiſtis me ſicut angelum Dei*: & *ſicut Chriſtum Ieſum*. Et cum per hoc appareat nullam odij, ſed multam eſſe cauſam dilectionis: Malè ſentit qui me ſuſpicatur inimicari vobis. Et quia in exceptione mei adeò benigni fuiſtis: *ergo vbi eſt beatitudo veſtra*, qua ſic prius Euangelio obediebatis? Et verè beatitudo, *quia* ipſe *teſtimonium perhibeo vobis*, *quod ſi fieri poſſet eruiſſetis oculos veſtros*, *& dediſſetis mihi*. Poſſe fieri intelligit,

C quod opportunum eſt fieri. Et quia tanta vi dilectionis mihi deuincti eratis: *ergo* nec credendum eſt quòd ego *factus ſum inimicus vobis*: quod ideò putatis: quia ſum *dicens verum vobis*? Si veritatem reticerem, & vos blandimentis palparem, ſic me iudicaretis amicum. Ego non ſum inimicus vobis: ſed illi *æmulantur*, id eſt, diligunt *vos non benè*: ſed ideò quia *volunt vos à fide Chriſti excludere*. Ita *vt* poſtquam vos plenius in errorem ſuum duxerint: vos *æmulemini illos*: & exigant à vobis imperioſè, quod

D voluerint: ſed nolite æmulari illos: ſed *æmulamini* & me & quemlibet *bonum*. Nec aliquando in malo ſi fortè ſuadeam: ſed *ſemper in bono*: *& non tantùm cum præſens ſum apud vos* æmulamini me: ſed etiam cum abſens fuero. Idem quod ſuperius probauit, ſcilicet, legem non eſſe tenendam: adhuc probat per verba ipſius eiuſdem legis. Sicut enim poſtea oſtendit

Reſpuere plus eſt quam ſpernere.

Bonos æmulari debemus.

veniente

veniente libertate fidei repudiãda eſt ſeruitus legis. Litera ſic iungitur. Aemulamini me,& quemlibet bonum. Illos verò ne æmulemini:quod ſi eos æmulari vultis, ô filioli mei, dicite mihi. Illuc vſq; pendet conſtructio Eos qui prius erant filij ſecundum integritatem fidei, diminutiuè filiolos appellat:quia volentes adhęrere per uerſis, plurimum diminuti erant in bono filiationis. *Filioli mei quos ego parturio* .i. de quorum inſtructione, maximo conatu laboro. Parturire enim dicitur labor ille,quem in emiſſione pueri mater patitur, prius quã puer extra mittatur. Quos parturio *iterum*. Olim enim cũ infideles eratis,multum laborem habui in vobis. Parturio & laboro in vobis,donec in Chriſto reformemini : in fide cuius deformati eſtis: quia illis pſeudò ſaltem cõſenſiſtis. Nec ait donec reformemini; ſed *donec Chriſtus formetur in vobis*. Chriſtus enim deformatus eſt, & formã ſuam perdidit in vobis ſeductis. Vel deformatus eſt in vobis .i. in ſimilitudine veſtri. Audientes enim alij quomodo fidei Chriſti detrahitis : dicunt exemplo veſtro inſufficientem eſſe ad ſalutem fidem Chriſti. Vt magis eos deterreret, aggrauauit dictum dum ait, donec formetur Chriſtus, quem,quaſi diceret, deformaſtis. Filiolos vos appello:ſed licet *abſens* dicam filiolos : tamẽ modo *vellem eſſe præſens apud vos, & ſic mutare vocẽ meam :* quia ſi modo vos appello filiolos:pręſens dicerem, vos alienos detrahentes Deo, & multa alia opprobria: quæ Paulus licet diceret, ſi præſens eſſet, noluit tamen in epiſtola ſcribere, ſciẽs epiſtolam permanſuram:& de correctione eorum cõfidens, quorum improperium durare noluit: & meritò, cũ eſſent corrigendi. Si apud vos eſſem, mutarem vocem.Ideò *quoniam* nunc *confundor* .i. verecundor *in vobis*. Laudaueram enim fidem veſtram apud alias eccleſias,quæ audientes corruptionem veſtræ fidei,æſtimant me reum mendacij, & ſuper hoc erubeſco. Vos filioli mei *dicite mihi*. Vel ſi placet:

Parturire quid dicitur.

A non oportet illuc vſque protendere ſic continuando. Aemulamini me, quod vtique debetis, quia vos eſtis filioli mei quos iterum parturio &cęt. Sententia verborum non mutatur. Et quia confundor in vobis ſeductis: modo dicite & reſpondete mihi: *vos qui ſub lege vultis eſſe, non legiſtis vos legem?* Complexionem facit illis vtrinq; ferientem, quia ſi legem non legerunt, ſtultum eſt tranſire ad illud quod neſciunt. Si autem legerunt, cùm eadem lex veniente fide prohibeat ſe teneri, plurimum deſipiunt qui eam tenere volunt. B Alterum tamen membrum complexionis exequitur, hoc eſt ſi legem legerũt. Dicerent illi. Quid inde ſi legem legimus? Ideò quæro an legiſtis, quoniam ipſa lex ſe non eſſe tenendam apertè innuit. *Scriptum eſt enim* in lege: quoniam *Abraham habuit duos filios*. Multos quidem filios habuit Abraham, ſed de his duobus conueniens figura fuit ad fidem & legem. Hæc autem verba non eadem inueniuntur in Geneſi:ſed æquè valentia. De quibus duobus filijs Moyſes to- C tum ad finem vſque deſcripſit, quod non fecit de cæteris. Quia Paulus nõ ſecundùm ſingula allegoriam ſequitur, bonum eſt vt in eiſdem verbis eam aperiamus. Abraham qui interpretatur pater multarum gentium: habens duos filios, ſignificat Deum habentem duos filios,id eſt,duos populos: Gentilem,ſcilicet,& Iudæum. Non tamen quod ſinguli eorum ſint filij Dei, niſi qui in vtroque populo, digni fuerint inuenti. Duos filios habuit Abraham.*Vnum de ancilla*,id eſt, Hiſmael de Agar.*Et vnum de libera*.i. D Iſaac de Sara. Filius de ancilla ſignificat Iudaicum populum, filium ancillæ .i. legis, qui benè dicuntur filij ancillæ,qui velut ſerui ſeruiebant timore, pœnæ & amore carnalium in carnalibus.Filius autem liberæ,ſignificat populum fidelem, qui in libertate fidei Deo ex dilectione ſeruit, non ex timore : nec propter temporalia,ſed propter ęterna.Et licet vterque eſſet filius Abrahæ,tamen diuer-

Abraham duos filios habuit.

Abraham pater multarum gentium interpretatur.

ſo modo nati. *Qui* enim fuit *de ancilla*, ſcilicet, Hiſmael de Agar: hic *natus eſt ſecundum carnem:* quia & Agar iuuencula erat, & fœcunda. Similiter legalis populus natus eſt de ancilla .i. de lege ſecundum carnem: quia & in carnalibus & amore carnaliũ ſeruiebat: ſi peccaret, ſtatim in carne puniri timebat. Filius *autem qui* fuit *de libera*, ſcilicet, Iſaac, de Sara natus eſt non ſecũdum carnem. Sara enim vetula erat & ſterilis, ſed *per repromiſſionem* Dei. Deus enim ſicut piè promiſerat virtute ſua, naſci fecit filium de ſterili & decrepita. Similiter populus fidelis qui fuit de libera .i. natus ex fide quæ libera eſt per dilectionem: nõ ſicut ex ancilla per timorem. Hic populus natus eſt per repromiſſionem: quia Deus miſericorditer promiſerat, ſe per fidem facere ſaluationem: ideò eram per repromiſſionem: quia non ſeruit Deo deſiderio carnalium, quæ videt, ſed amore ſpiritualiũ quæ nemo vidit: ſed per ſolam repromiſſionem Dei habiturum ſe confidit. *Quæ* omnia, ſcilicet, Abrahã habuiſſe duos filios. Hunc de ancilla ſecundum carnem. Hunc de libera per repromiſſionem. Hęc omnia *dicta ſunt per allegoriã* .i. per alium intellectum quam ſit literalis hic habendum. Ipſe tamen nõ ſingulorum allegoriã exequitur, niſi ſolũ de ancilla & libera. Verè ſunt dicta per allegoriam. *Hæc enim* .i. ancilla & libera: *ſunt* .i. ſignificant, *duo teſtamenta*, vetus & nouum. *Vnum quidem* teſtamentum .i. legem *generans* filios *in ſeruitutem*: quia & timore pœnæ, & pro carnalibus ſeruiebant. Illud vnum dico datum *in monte Sina:* ibi enim lex data fuit in deſerto. Sina interpretatur mandatum: & per montem altitudinem ſuperbiæ accipimus, vt dicamus generans in ſeruitutem in monte Sina, id eſt, in ſuperbia mandati. Iudæi enim qui ſoli legẽ habebant, ſuperbiebant, dicentes ſe populum Dei, alios non populum, ſed canes. Vnum teſtamẽtum datum eſt in monte Sina, *quæ eſt Agar* .i. quod teſtamentum ſignificat Agar. Relatio bona eſt per quæ:

[Sin]a man[da]tum in[ter]preta[tur].

A quia ſequitur proprium fęminini generis. Agar interpretatur alienatio, ex ipſo nomine innuens vetus teſtamentum alienandũ eſſe & deſtruendum. Idem ſignificauit hoc quod nõ in terra repromiſſionis, ſed in deſerto datum fuit, quod nunquam per opera huius legis venturi eſſent in veram terram repromiſſionis. Verè in ſeruitutem: *nam Sina eſt mons in Arabia*. Per hoc enim quod dum eſſent in captiuitate, accipiebant hanc legẽ, ſignificabatur quod lex in captiuitate data generabat eos in ſeruitutem: nunquam per opera legis venturos

Agar alienatio interpretatur.

Sina mons eſt in Arabia.

B in libertatem. ¶ Idem allegoricus innuit intellectus. Arabia enim humilitas vel afflictio interpretatur. Vnde ſic dicimus: Sina mons eſt in Arabia .i. mandatum: & ſuperbia eſt in afflictis ſeu (quod idem eſt) humiliatis. Per hoc enim quod ſuperbiebant de mandato, & ſępiſſimè velut mali ſerui affligebantur per legem, apparet quod lex illa generaſſet eos in ſeruitutem. Sina mons eſt in Arabia, *qui* mons *coniunctus eſt*, id eſt, aſſimilatus *ei Hieruſalem*, id eſt, Iudaico populo videnti Deum: quia aliæ gentes

Allegoricus intellectus. Arabia q. d. interpretatur.

C tunc temporis neſciebãt Deum. Hieruſalem dico, *quæ nunc eſt*, id eſt, quæ in præſentibus videt, & colit Deum non in ſpiritalibus: & ideò non viſura in futuro. Mons ille coniunctus eſt: non quod radices eius porrigantur vſque Hieruſalem, ſed aſſimilatus Iudæis; quia per montem Sina ſignificatur ſuperbia eorum, qua de mãdato ſuperbierunt. Per Arabiam ſignificatur afflictio eorum qua peccantes per legem affligebantur more ſeruorum. Ei Hieruſalem quæ nũc eſt, & quæ ſeruit timore pœnæ, non

D amore: *Seruit* dico *cum filijs ſuis*, id eſt, cum Proſelitis: qui de gentilitate in circunciſionem tranſeunt. Vel ſeruit tota inſimul ſynagoga cum filijs ſuis proprijs. Hic illo genere ſeruitutis, hic alio. Hieruſalem quæ nunc eſt ſeruit: *ſed illa Hieruſalem quæ eſt ſurſum*, id eſt, non carnalia, ſed ſpiritalia appetens, hæc *eſt libera:* quia non ex timore, ſed ſeruit ex dilectione:

dilectione: nec temporalia quęrit, ſed æterna. Hæc eſt Eccleſia fidei, *quæ ſuperior Hieruſalem eſt mater noſtra.* Eccleſia enim nos genuit in libertatem fidei. Verè libera. Nam lætatur, erumpit, & clamat. Verè mater. Nam filij eius multi. Quod ſic ait. Libera eſt mater noſtra. Nā ſic de ea ſcriptū eſt in Eſaia. *Iſa.54.1.* *Lætare* tu Sara *ſterilis quæ* modo *non paris: erumpe & clama quæ non parturis*.i. quę nec de pariendo laboras. Ideo lætare: *quia magis multi filij tui deſertæ* Saræ quam ſint filij eius Agar, *quæ* nunc *habet virum.* Habebat Agar Abraham cohabitatione, non tamen dilectione. Carebat Sara Abraham cohabitatione, quem tamē habebat dilectione, quia colebat & diligebat eam vt legitimam vxorem. Eſaias qui poſt longa ſecula fuit ab Abraham, fruſtra ſic loqueretur de Sara & Agar. Ad literam. Quare ſic intelligendum eſt. Verè libera eſt: nam ſic ait Eſaias. O tu ſterilis Eccleſia. Quia quædam ſteriles quæ poſtea pariunt per gratiam: vt eadem Sara & Elizabeth: ideo addit, tu ſterilis quæ non paris lætare animo. Erumpe etiam exteriori gaudio & clama, .i. inuita alios ad congaudendum tibi. Tu dico quę non ſolùm non paris, ſed nec etiam parturis.i. ſpe carens in tempore legis de pariendo nō conaris. Probauit quod ſit libera: probat etiam quod ſit mater. Litera tamen reſpondet ad proximum: ideo lætare &c. quia filij deſertæ, id eſt, Eccleſiæ, quę in tempore legis cohabitatione à Deo derelicta fuit non dilectione. In tempore etiam legis magis dilexit Deus libertatem fidei, quam ſeruitutem legis. Filij inquam deſertæ magis multi ſunt, quam ſint filij eius legis, quæ nunc habet virum: tunc enim lex multos generabat: ſed qui fideles erant, vt Moyſes & Prophetæ, vidētes duritiam eorum, nec ſaltem cogitabant eos de ſpiritualibus docere, quos quotidie in carnalibus mandatis videbant tranſgreſſores eſſe. Lex quidem tunc habebat virum, id eſt, Deum cohabitatione, non ta-

A men dilectione. Duæ matres ſunt: altera libera, altera ancilla: *ſed nos fratres* ego & quicunque fideles, *ſumus filij* non ſeruitutis, ſed *promiſſionis*, id eſt, per promiſſam gratiam Dei *ſecūdum*.i. in ſimilitudinem *Iſaac*, qui non lege carnis, ſed virtute diuini promiſſi natus fuit. Oſtendit nos eſſe natos in ſimilitudine Iſaac: quia eadem ſigna quorum figura præceſſit in illo: videntur hodie in filijs Eccleſiæ. Et tamen aduerſatur coniunctio literæ, hoc modo. Licet ſimus filij pro-

B miſſionis: tamen *quo modo tunc* in tempore Abraham, hic *qui ſecundum carnem natus fuerat*, id eſt, Hiſmael *perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritum* natus eſt, ſcilicet Iſaac. Hiſmael enim natu maior verberabat Iſaac adhuc tenerum: quem videbat Dominum ſibi, & hæredem futurum: *ita etiam* fit *nunc*, quod qui carnales ſunt perſequuntur ſpiritales & affligunt: & quia ſicut Iſaac affligebatur ab Hiſmael: ita & nos ſpirituales affligimur à carnalibus. *Carnales ſpiritales perſequuntur.* Itaque fratres per hoc apparet qūod nō ſumus

C filij ancillæ: fuimus quidem ſerui olim ſub lege: ſed iam ſumus filij liberæ, id eſt, gratiæ. Sed interſerit quædam dicens: qui ſecundum carnem ſunt, perſequuntur nos: ſed non eſt curandum: ipſi enim eijcientur: & nos in hęreditatē introibimus. Quod ſic ait. *Quid dicit ſcriptura?* In eodem Moyſe inuenitur: *Gen.21.16.* quia cùm Sara vidiſſet Agar & puerum eius ſuperbiētes cōtra ſe & Iſaac, ait ad Abraham: *Eijce ancillam & filium eius.* Similiter

D filij gratiæ dicunt: Domine eijce ancillam, id eſt, legem: & filium eius, id eſt, Iudaicum populum. *Non enim filius ancillæ*, id eſt, legis, *hæres erit* in promiſſa beatitudine *cum filio liberæ*, id eſt, fidei, quemadmodum filius Agar ancillæ non fuit hæres cum filio Saræ liberæ. *Itaque fratres iam non ſumus filij ancillæ* (ſicut expoſitum eſt) *ſed liberæ. Qua libertate*.i. per hanc libertatem quam habemus, *Chriſtus* habens eandem, *liberauit nos* per eam.

CAP. V.

Actor. 15. verſ. 2.

STATE, & nolite iterum iugo ſeruitutis cõtineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circuncidamini, Chriſtus nihil vobis proderit. Teſtificor autem rurſum omni homini circuncidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ. Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis. Nos enim ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus. Nam in Chriſto Ieſu, neque circunciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides, quæ per * charitatem operatur. Currebatis benè: quis vos * faſcinauit veritati non obedire? Nemini conſenſeritis. Perſuaſio hæc non eſt ex eo qui vocauit vos. Modicum fermẽtum totam maſſam corrumpit. Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud ſapietis. Qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicunq; eſt ille. Ego autem fratres, ſi circunciſionem adhuc prædico: quid adhuc perſecutionem patior? Ergo euacuatum eſt ſcandalum crucis. Vtinam & abſcindãtur, qui vos conturbãt. Vos enim in libertatem vocati eſtis fratres, tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem ſpiritus ſeruite inuicem. Omnis enim lex in vno ſermone impletur. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Quia ſi inuicem mordetis & comeditis, videte ne abinuicem conſumamini. Dico autem in Chriſto. Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Hæc enim ſibiinuicem aduerſantur, vt non quæcunque vultis illa faciatis. Quia ſi ſpiritu ducemini, nõ eſtis ſub lege. Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quoniã qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Fructus autem ſpiritus eſt charitas, A gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Aduerſus huiuſmodi non eſt lex. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerũt cum vitijs & concupiſcentijs. Si viuimus ſpiritu, ſpiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

* dilectionem. * impedimit. Supra 3. 1. Cor. 5. Matt. 22. 33 Leuit. 19. 11 Rom. 13 8. 23. q. 6. iam vero § item cum Galatas & 19 q. 2 duæ ſunt, de regu. licet. 32. q. 4 in eo. De preben. auaritia. 2. Cor. 12. 21. diſt. denique. 6. q. 1. illi qui. De reli. c. 1. Apoc. 22. Rom. 13. 1. Pet. 2.

LIcet enim Chriſtus ſub lege fuerit: lex tamen non eſt dominata ei qui peccatum non habuit: ſed ex ſola libertate fecit, quicquid fecit. Et B quia filij liberæ ſumus: & per Chriſtum libertatem apprehendimus, ſicut ex eadem lege apertè colligitur, inſania eſt, vt qui per fidem liber eſt, ſeruum ſe faciat per legem. Et ideò quia liberi eſtis *ſtate*, id eſt, perſeuerate in hac libertate fidei, *& nolite contineri iugo ſeruitutis*, id eſt, atteri onere legis *iterum*. Et benè iterum: quia *ſi* vos fideles iam *circuncidimini*, idem eſt, quod ad idola conuerti, quibus antea ſeruiebatis. Dicerent illi. Nolumus omnem legem ſuſcipe- C re niſi ſolam circunciſionem quam habuit Abraham, qui fuit ſine lege. Contra hoc Paulus. Nolite contineri iugo legis: *quoniam Chriſtus*, id eſt, fides Chriſti *nihil proderit vobis*, ſi circuncidamini: & ecce *ego Paulus*, cuius auctoritas vbique vulgata eſt: hoc *dico* & affirmo *vobis*, quod ſi circuncidamini fides Chriſti non proderit vobis. Nõ ſolum quia Chriſtus non proderit vobis: ſed etiam propter importabile onus legis non de- D betis circuncidi. Quia ſic ait. *Teſtificor rurſum*, id eſt, vel ſicut olim dum eram in lege teſtificabar: Vel *rurſum* .i. iterum hoc adduco ad idem diſſuadendum quod per præmiſſa diſſuadebam. Teſtificor *omni homini circuncidenti ſe: quoniam* .i. quod ipſe *eſt debitor vniuerſæ legis faciendæ*. Circunciſio enim exigit, vt ſequantur cætera opera legis: quemadmodũ fides poſt baptiſmum exigit, vt ſequantur opera fidei. Et ne putetis vos poſſe circuncidi, niſi onus legis per omnia portetis: VerèChriſtus nihil proderit

vobis:

vobis: nam ſi circuncidamini: *euacuati eſtis à Chriſto*, id eſt, inanis facta eſt vobis fides Chriſti. Dicerent illi. Malumus à Chriſto euacuari quam non circuncidi, ſicut Deus mandauit. Ad hoc Paulus. Non ſolum à Chriſto, ſed etiam *excidiſtis à gratia* Dei vos, *quicunque in lege iuſtificamini*, id eſt, per legem iuſtificationem quæritis. Hic benè determinat, quomodo prohibeat circumciſionem: ſcilicet, vt per eam non quærant iuſtificationem: cùm tamen paſſus ſit circuncidi Timotheum, vt tolleret à ſe ſuſpicionem: vterque tamen Paulus & Timotheus intelligens nihil conferre iuſtitiæ circumciſionem. Verè nemo iuſtificatur in lege: *nam nos* ſolum qui ſumus *ex fide, expectamus ſpem iuſtitiæ*, id eſt, beatitudinem quæ ex iuſtitia ſperatur. Et quod expectatio noſtra certa ſit, conſtat ex eo, quia expectamus per ſpiritum, ſic nos ſperare inſinuantem. Ideò ex fide tantùm ſpem habemus: *nam in Chriſto Ieſu* .i. in fide Chriſti Ieſu: *neque circunciſio aliquid valet, neque præputium, ſed* ſola *fides, quæ* tamen non ſit ocioſa, *ſed operetur:* Nec contumelioſè, ſed *per dilectionem* Dei & proximi. Fides ſola valet in Chriſto: & in hac fide vos *benè*, id eſt, per dilectionem *currebatis*, id eſt, operabimini. Sed *quis impediuit vos* malè ſuadendo *non obedire veritati*, quam à me didiciſtis? Vt autem obediatis veritati, ne conſenſeritis alicui carnalium: quia *hæc perſuaſio* eorum *non eſt ex eo*, id eſt, ſecundum Deum, *qui* per gratiam ſuam *vocat* vos ad regnum. Ideò ne conſenſeritis, quia *modicum fermentum*, id eſt, vel ſaltem conſenſus, vel ſola perſuaſio, vel illi pauci malè ſuadentes: hoc, inquam, modicum *corrumpit totam maſſam*, & facit acidam, id eſt, vel totam Eccleſiam, vel omnia bona eorum. Modicum quidem fermentum corrumpit totam maſſam: ſed vos non corrumpemini. *Ego* enim *confido in vobis*, & hoc *in Domino*, id eſt, per cooperantem vobis gratiam Dei, *quod nihil aliud ſapietis*, quam quod ſanum eſt, &

A ego vos docui. Vos non aliud ſapietis: *ſed* ille *qui conturbat vos*, id eſt, qui puritatem fidei veſtræ admixtione infidelitatis turbidam facit, ille *portabit iudicium*, id eſt, ſuſtinebit damnationem: etiam ſi ſit Petrus, aut angelus de cœlo. Modo reſpondet ad illud quod imponebant ipſi pſeudo: ſcilicet, quod prius quidem deſtruebat circunciſionem, ſed modo Hieroſolymis correctus à Petro, & ab alijs prædicabat circūciſionem. Quod falſum eſſe comprobat dicens. Illi vos conturbant: ſed ego non conturbo vos. *Si autem* fratres ſicut illi

B imponunt, *adhuc prædico circunciſionem*. adhuc ideò, quia dum erat Iudæus, prædicabat eam. Si, inquam, ſic prædico adhuc: ſicut à principio prædicationis patior perſecutionem à Iudæis. Quia ſicut imponunt ſi prædico circunciſionem: *ergo euacuatum eſt ſcandalum crucis*. Iudæi enim ſcandalizabantur in hoc, quod per ſolam crucem prædicabam iuſtificari hominem: quod ſi cruci admiſceam

C circunciſionem: & ex vtroque dicam iuſtificari, placati ſunt mihi Iudæi. Ego non vos conturbo, ſed illi conturbant vos. Et *vtinam* non ſolum pellicula præputij: ſed *penitus abſcindantur* illi *qui vos conturbant*. Non intelligit Paulus membrorum abſciſionem: ſed ſicut abſciſi teſticuli non generant; ſic iſti abſcindantur, ne quemlibet generare poſſint in errore ſuo. Conturbant vtique vos, dum in ſeruitutem legis redi-

D gere volunt. *Nam vos fratres vocati eſtis in libertatem* Dei. Hoc tantummodo videte: *ne libertatem* veſtram *detis in occaſionem carnis*, id eſt, ne propter libertatem licentius vos poſſe peccare credatis. Nec hoc faciatis: *ſed ſeruitute inuicem per charitatem ſpiritus*, id eſt, per ſpiritalem dilectionem agentes. ❡ Accepta occaſione vult oſtendere, eis facilitatem nouæ legis quæ in vno ſermone impletur: & hac iterum occaſione corripit eos à detractione, dicens: Seruite inuicem per charitatem. *Nam omnis lex impletur*

in vno ſermone: in hoc, ſcilicet: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum:* ſicut in epiſtola ad Romanos expoſuimus. Cap.13. Lex præcipit dilectionem: *quod ſi* ſpernentes legem *inuicem mordetis*, detrahendo alter alteri: nec ſolum mordetis, ſed etiam *comeditis*, id eſt, bona proximi per inuidiam penitus deuoratis: *Videte ne conſumamini*, id eſt, ne deuoremini *inuicem*, id eſt, tu: quia detrahis proximo: ille quia detrahit tibi. ¶ Poſteaquam ſatis probauit legem non eſſe tenendam, incipit nunc approbare fidem & gratiam. Litera ſic iungitur. Videte ne conſumamini ſecundum ſuaſionem carnis: mordendo & comedendo vos inuicem: ſed *dico vobis ambulate ſpiritu*, id eſt, perficite benè operando ſecundum quod hortatur vos ſpiritus, id eſt, ratio. Ambulate dico ſpiritu: & hoc *in Chriſto*, id eſt, quod tantum licet facere per Chriſtum: & non aliud: vt quis ſecundum rationem operetur. Si in Chriſto eſtis, ſecũdum ſpiritum ambulabitis. Etiam aliud bonum inde prouenit, quia *deſideria carnis*, & ſi per impugnationem ſentiatis: *non* tamen actu *perficietis*. Sed licet non perficiatis: tamen *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum:* & ſic impugnationem ſentitis. Vel dicamus iterum. Benè dico deſideria carnis: nam caro concupiſcit aduerſus ſpiritum: *& ſpiritus*, id eſt, ratio concupiſcit ea quæ ſunt *aduerſus carnem.* Verè caro & ſpiritus alter aduerſus alterum concupiſcit. *Hæc enim*, id eſt, caro & ſpiritus *aduerſantur ſibi:* non caro carni: nec ſpiritus ſpiritui: ſed *inuicem*, id eſt, caro in ſpiritum, ſpiritus in carnem. Aduerſantur, ita *vt non faciatis omnia illa quæcunque vultis:* ſeu carnales, ſeu ſpiritales. Nemo enim adeò iuſtus, qui nõ ad vicem cadat. Nemo adeò malus qui non ab aliquo quod caro ſuadet, ſe aliquãdo cohibeat. Dixit quod ſi viuimus, ſpiritu ambulare poſſumus. Quia ſi ſpiritum ſequimur, deſideria carnis non perficimus: quæ caro pugnat aduerſus ſpiritum: de qua pugna carnis & ſpiritus modo vult

A dijudicare dicens: Caro contra ſpiritum: ſpiritus pugnat contra carnem. *Quia ſi* vos *ducimini ſpiritu*, id eſt, ratione, *iam non eſtis ſub lege.* Lex enim poſita eſt vt peccatores cohibeat: ſed ſi ſecundum ſpiritum agitis, iam nõ peccatis, & qui non peccat liber eſt à lege. Qui ſpiritu ducitur, non eſt ſub lege: qui autem carne, ijs captiuatur ſub lege. Quod æquipollenter ait: Opera ſpiritus neminem redigunt ſub lege: ſed *opera carnis* illa *ſunt manifeſta*, non oportet improperare ea. *Opera ſpiritus neminem redigunt ſub lege.* Turpitudo enim eorũ omnibus eſt B nota & captiuitas. Ideò non curat deteſtari carnis opera: quia ſola eorum nomina ſatis aſſignant fœditatem. Opera carnis dico *quæ ſunt* hæc, ſcilicet, *fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria.* Fornicationem vocat cum meretricibus, vel cõiugatis pollui. *Fornicatio quid vocatur.* Immunditiam, turpitudinem illam quæ fit præter naturam. Et etiam in inceſtis oſculis, & in tractatione polluta. *Immunditia quid vocatur.* Impudicitiam vocat etiam ſi non ſit fornicator, vel immundus: ſed in verbis & habitu: & motatione *Impudicitia quid vocatur.* C membrorum non ſit pudicè temperatus. Luxuriam vocat ſuperfluitatem carnis, ſiue in gula, ſiue in coitu. *Luxuria quid vocatur.* Quæ luxuria etiam haberi poteſt in vxore ſi ſuperfluè ea vtatur. Opera carnis etiam ſunt *ſeruitus idolorum, veneficia, inimicitiæ*. i. longa odia. *contentiones* in verbis, *æmulationes*, quod quilibet inuidens laborat vſurpare ſibi bonum alterius. *Opera carnis quæ ſunt.* Sunt etiam *iræ*, id eſt, ſubitæ commotiones animi. Et de ira *rixæ*, quando res agitur pugnis. D Sunt iterum *diſſenſiones*, quæ ſępè fiũt in Eccleſia. Sunt etiam *ſectæ*, pro quo in græco habetur hęreſes. Sunt etiam *inuidiæ*, id eſt, malus liuor animi: qui licet ſe non conſecuturum ſciat rem proximi, inuidet tamen ei: eumque eam habere nollet. Iterum *homicidia: ebrietates*, id eſt, conſuetæ ſupra modum potationes: & *commeſſationes & ſimilia his quæ modo prædico vobis, ſicut olim prædixi*, cum vobis primum prædicaui; vt caueatis ab illis: *quoniam qui talia agunt*, hi *non conſequentur regnum Dei:* ſi in hoc

actu

actu comprehenſi ſunt. Hæc prędicta A
ſunt opera carnis: ſed opera ſpiritus *ſunt hæc*. Et nõ ait opera, ſed ad commendationem, ait *fructus ſpiritus*. His enim operibus frui prodeſt & oportet. Fructus, inquã, ſpiritus eſt *charitas* .i. dilectio Dei & proximi: de qua charitate ſequitur *gaudium* & *pax*. Gaudium vocat lætam conſciẽtiam. Pacem ad omnes ex dilectione concordiam. Eſt etiam fructus ſpiritus *longanimitas*.i. ſpes. Si enim tardat retributio: nõ tamen minus ſperat, vel impatiẽter expectat. Et eſt opus ſpiritus *patientia*: qua quæcunq; toleramus aduerſa. Et *bonitas* .i. pia affectio animi: etiã ſi non habet quid tribuat. *Benignitas*.i. largitas communicandi quæ habet. *Manſuetudo*, quod ita tractabilis & affabilis eſt omnibus. Et *fides* quæ rectè credit in Deum. *Modeſtia*.i. temperãtia verborum & actus. *Continentia*, qua etiam à licitis continet ſe aliquis. *Caſtitas*, quod caſtè vtitur licitis, vt vir vxore. Hæc ſunt opera ſpiritus: & *aduerſus* opera *huiuſmodi nõ eſt lex*: ſicut ſupra diximus, non eſtis ſub lege. Hæc ſunt opera carnis. Hæc ſunt opera ſpiritus: *qui autẽ ſunt Chriſti, faciunt opera ſpiritus*. Quod ſic ait. *Crucifixerunt hi qui ſunt Chriſti, carnem ſuam*: quod nullos ſenſus quãdiu in Chriſto ſunt, inclinare queunt ad vitia. Illi dico certantes *cum vitijs & cum concupiſcentijs*. Vitia accipit in actu. Concupiſcentias in voluntate. Nõ ſolùm carnem crucifigamus, ne malum operemur: ſed etiam *ambulemus ſpiritu* .i. proficiamus benè operando ſecũdùm quod admonet ratio. iuſtũ eſt vt ambulemus ſpiritu, *quia viuimus ſpiritu*: & ſi iuſtificati viuimus ſpiritu: ſequitur vt etiã ambulemus ſpiritu. Viuit homo per iuſtificationem fidei. Ambulat cum operatur ea quæ fides exigit. Et ſi viuimus & *ambulamus*: in hac ambulatione *non efficiamur cupidi inanis* .i. mundanæ *gloriæ*. Non eſt peccatum ſi benè agentes laudamur: ſed ſi laudari cupimus: nõ ſimus cupidi inanis gloriæ. Nos dico qui hoc cupimus *inuicem prouocantes*: quia ſuperbia

Fructus ſpiritus quis eſt.

Gaudium læta conſcientia dicitur.

Patientia eſt opus ſpiritus.

quæ non patitur parem: niſi præferatur omnibus, indignatur, prouocans ad litem. Et ſi non apertè prouocare audentes: ſaltem animo *inuidentes inuicem*.i. alter alteri.

Superbia parem non patitur.

CAP. VI.

FRATRES. *Et ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis: conſiderans*
B *teipſum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. Opus autem ſuum probet vnuſquiſque, & ſic in ſemetipſo tantum gloriam habebit, & nõ in altero. Vnuſquiſq; enim onus ſuum portabit. Communicet autem is qui catechizatur verbo, qui ſe catechizat in omnibus bonis. Nolite errare. Deus non irridetur. Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corru-*
C *ptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitã æternam. Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus, nõ deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes: maximè autẽ ad domeſticos fidei. Videte qualibus literis ſcripſi vobis mea manu. Quicunque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circuncidi: tantum, vt crucis Chriſti perſecutionem non patiantur. Neque enim qui circunciduntur, legem cuſtodiunt,*
D *ſed volunt vos circuncidi, vt in carne veſtra glorientur. Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. In Chriſto enim Ieſu, neque circunciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura. Et quicunque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia & ſuper Iſrael Dei. De cætero nemo mihi moleſtus ſit. Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro fratres. Amen.*

50. diſtinct. ponderetur.

23. q. 4 ſi quis à Catholica & ca. forte. 13. q. 1 Eccleſiat. De pæ. & renũ. ex eo. 2. Theſ. 3.

** deſtituamus.*

Poſtquam

POſtquam in communitate omnem Eccleſiã correxit & inſtruxit; nunc diuiſim admonet prælatos, vt in lenitate inſtruant peccãtes ſubditos: & econuerſo admonet ſubditos, vt æquo animo in omni obediẽtia audiant prælatos, dicens. Quia viuitis ſpiritu, ambulate ſpiritu: *vos* autem *qui ſpiritales eſtis*.i. prælati. Omnis enim perfectus etiam ſi officio careat, imperfecto tamen prælatus eſt. Vos, inquam, ſpiritales licet *in aliquo delicto præoccupatus fuerit aliquis:* nec mirum ſi peccat quia homo. Præoccupatus dicit non quod ex induſtria peccauerit, ſed quia prouidere ſibi neſciuit. Vos, inquam, prælati *inſtruite* hominem *huiuſmodi in ſpiritu* non furoris, ſed in ſpiritu *lenitatis*. Nunc de plurali tranſit ad ſingularem, loquens ſimiliter cuilibet prælato. Cùm lenitate corrige delinquentem tu quicunque prælate: *conſiderans teipſum, ne tu etiam tenteris* ſimiliter. Sæpè enim Deus ſic piè diſponit: vt qui indignando obhorret caſum proximi, in idẽ præcipitetur, vel in peius. Nec ſolùm inſtruatis delinquentem: ſed etiam *portate onera alter alterius:* prælatus onus ſubditi. Portate dico compatiendo, orando, & ieiunando vt fiat ei remiſſio. *Et ſic* viciſſim ſupportando vos *adimplebitis legẽ Chriſti*. Chriſtus enim neſcius peccati, dum peccata noſtra in cruce portauit; hanc in ſe legem attulit, vt alter ſic portaret peccatum proximi. Conſiderate ipſum, ne ſimiliter tenteris. *Nam ſi quis* inconſideratè agens, *exiſtimat ſe eſſe aliquid, cùm* ex ſe *nihil ſit*. & ſi gratia in eo aliquid ſit: ipſe ſic opinãs *ſeducit ſeipſum*.i. ſeductor ſui ipſius eſt. Nolite ſeduci, ſed *vnuſquiſque probet*.i. videat an probabile ſit *opus ſuum: & ſic* probatus *habebit gloriam* tãtummodo *in ſemetipſo*.i. apud ſe in conſcientia, *& non in altero*.i. non in conſideratione & contemptu alterius. In ſe debet gloriari non in altero. *Nam vnuſquiſque* ſeu iuſtus, ſeu peccator, *portabit* in die illo *onus ſuum*.i manipulum ſuum, quẽ opera ſua colligere digna ſunt, ſeu bonum,

Onus ſuum quiſque portabit.

A ſeu malum. Vel ita de peccatore tantum ſermo ſit. Tu vt iuſte ne glorieris in contemptu peccatoris. Nam vnuſquiſque peccator portabit onus ſuum.i. pondus peccati ſui. ¶ Admonitis prælatis, quales ſe debeant exhibere ſubditis; admonet ſubditos vt reuerenter obediant prælatis, dicens. Prælatus cum lenitate inſtruat ſubditum. *Is autem qui catechizatur*.i. qui inſtruitur, licet non exemplo boni operis: ſed ſaltem *verbo:* Is, inquam, *communicet* & obediat *et in omnibus bonis* quæ facit & hortatur. *Ei* dico

B *qui ſe catechizat*.i. qui inſtruit illum. Dico communicate his qui vos inſtruunt: & *nolite errare*.i. nolite vos excuſare, dicentes non eſſe obediendum eis qui verbo benè docent, & non ſic agunt: ideò nolite ſic errare: quia *Deus non irridetur*.i. non calua occaſione decipietur: quod ſi deciperetur, irriſibilis eſſet. Verè non irridetur: *quia quæ ſeminauerit homo, hæc vtique metet*. Et verè ſeminata metet: *quoniam qui ſeminat in carne ſua*.i. qui operatur corruptibilia carnis deſideria:

C hic vtiq; *metet de carne corruptionem*, quia ſeminauit corruptionem. *Qui verò ſeminat in ſpiritu*.i. ſecundũ rationem. hic *metet de ſpiritu ſpiritalia*, ſcilicet, vitam æternam. ¶ Poſtquam diuiſim prælatos, deinde ſubditos inſtruxit; iterum omnem Eccleſiam mixtim admonet, dicẽs. Vos prælati in lenitate ſubditos inſtruite. Vos ſubditi in omni bono his qui vos inſtruũt, communicate. Omnes autem tam prælati quã ſubditi æquè

D *bonũ facientes non deficiamus benè operando.* Nec deficere debemus in operando: quia metemus mercedem operis tempore ſuo.i. opportuno, *non deficientes* in metendo. Et quia metemus non deficiẽtes: *ergo dum tempus* operandi *habemus*.i. in hoc mundo: *operemur bonum ad omnes: maximè tamen ad domeſticos fidei*. Prius enim fidelibus neceſſaria miniſtrare debemus, dehinc ſi ſuperabundat etiam infidelibus. Ab hoc loco Apoſtolus propria manu præſcripſit epiſtolam: ne Galatæ ambigerent hãc epiſtolam

eſſe Pauli:quia deſtruebat hic circunciſionem:de quo illi pſeudo dixerant Galatis, quod modo Paulus doceret circumciſionem. Vnde ſic ait:Vt hæc præcepta credatis eſſe mea: *videte qualibus literis ſcripſi vobis*, ab hinc *mea* propria *manu*, vt cognitione ſcripturæ meæ certi eſſetis, hanc Epiſtolam eſſe meam. Et his quæ ſcripſi, obedire debetis, non illis. *Quicunque enim volunt placere* illis Iudæis *in carne*, id eſt, in carnalibus perſuaſis, *hi cogunt vos circuncidi.* Cogunt vtique, quia importuno ſermone vos compellunt ad id, quod rationibus comprobare neſciunt. Cogunt vos circuncidi: hoc *tantummodò* intendentes, *vt non patiantur* à Iudæis *perſecutionem crucis Chriſti*, quam prædicant. Iudæi enim crucem Chriſti cum circunciſione benè concedebant prædicari. Verè ideo tantum ne patiantur, quia amore legis nihil faciunt. Quod ſic ait. Hi pſeudo *qui circunciduntur non cuſtodiunt legem: ſed* pro eo ſolo *volunt vos circuncidi: vt glorientur* apud alios *in carne veſtra* circunciſa. Aiunt enim illis. Videte quantum incrementum per nos lex veſtra habeat, illi gloriantur in carne. *Sed mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Ego enim nec quæro, nec prædico gloriam, niſi crucis. *Per quem* crucem. Crux enim ſecundum Priſcianum, de dubijs generibus eſt. Et ſecundum Haimonem in græco maſculini: & ideo translator noluit mutare relationem. Per quem crucem: vel per quem Chriſtum crucifixum, quod idem valet. *Mundus eſt mihi crucifixus*: ita quod nihil amplius de ſuis oblectamentis offerat mihi mũdus. Ego etiam crucifixus ſum mundo: quod ſi mihi mundus aliqua offert: ita crux Chriſti me cõfirmatum aſtrinxit, quod non poſſim declinare ab illa. Ideò in cruce tantum glorior: *quia in Chriſto Ieſu neq; circumciſio valet aliquid, neque præputium; ſed ſolum modo noua creatura*, id eſt, fides quæ innouat mentem: & etiam carnem quam facit à peccatis liberã.

Crux ſecũdum Priſcianum eſt dubij generis.

A Non ideo addidit præputium, quod aliquid putaret illud valere ad fidem; ſed vt oſtenderet circunciſionem nõ plus conferre in Chriſto, quam præputium. Ego tantùm glorior in cruce: *& quicunque hanc regulam* crucis *ſecuti fuerint*, vt in ea tantum glorientur, *pax* ſit *ſuper illos* Galatas qui non peccauerunt. *Et miſericordia*, id eſt, ſecunda remiſſio his qui lapſi ſunt. Et non tantum ſuper illos: ſed etiam *ſuper* omnem *Iſrael.* Non qui fuerit carnis, ſed *Dei*. In Chriſto tan-
B tum quærite gloriam. *De cætero*, id eſt, de circunciſione (quam excludo) *nemo mihi moleſtus ſit.* Vel ita in præterito me moleſtati eſtis: ſed de cætero .i. amodo videte ne quis mihi moleſtus ſit. Nec debetis me moleſtare. *Ego enim porto in corpore meo ſtigmata Domini Ieſu Chriſti.* Stigma dicitur ſignum, quod fit calido ferro. Hic autem Paulus cathenas & cętera tormenta ſuſtinens: pro Chriſto ſtigmata .i. ſigna, quod miles Chriſti eſſet, in corpore portabat. *Gratia Domini no-*
C *ſtri Ieſu Chriſti ſit cum ſpiritu veſtro fratres. Amen.*

Stigma quid dicitur.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM PAVLI AD EPHESIOS.

EPheſii ſunt Aſiani. Hi accepto verbo veritatis, perſtiterunt in fide. Hos collaudat Apoſtolus; ſcribens eis ab vrbe Roma de carcere, per Tichicum diaconum.

D
PROLOGVS B. BRVNONIS IN EANDEM.

EPHESVS ciuitas eſt in Aſia. Non hæc eſt Aſia quæ diuidit orbẽ, ſed eſt prouincia quædam in Græcia: habens ſeptem ciuitates: quarum Epheſus metropolis eſt: quibus Ioannes relegatus in Pathmos inſulã ſcripſit apocalypſim. Hi Epheſij audito verbo fidei à Paulo, crediderunt: & opera fidei lauda-

biliter operati ſunt : quibus Apoſtolus dum Romæ eſſet in carcere, ſcripſit hanc Epiſtolam: ſollicitè prouidẽs eis, ne forte de eo quod in fide bene perſtiterãt ſuperbirent; & hoc virtuti ſuç aſcriberent. Quod ſicut inceperat in eis miſericordia Dei, pie conſummabat. In hac aũt Epiſtola materiam habet beneficia Dei. De quibus in hũc modum agit: oſtendens ea eſſe nõ ex merito hominis, ſed ex beneplacito Dei. Oſtendit etiã beneficia Dei eſſe huiuſmodi, quod nemo tanta perfectione aſcendit in illis, quin adhuc relinquatur ei quo aſcendere poſſit. Sicut enim homo ſemper habet quo recidat; ita ſemper habet quo creſcat. Agit etiam hîc, quomodo patres debeant præeſſe filijs, filij parẽtibus ſubijci. Similiter de dominis & ſeruis. De vxoribus & maritis quanta confœderatione ſibi viciſſim pro modo conditionis & ſexus debeant ſubſeruire. De beneficiis Dei in hunc modũ ideo agit: ne Epheſij de bono quod agunt occaſionem habeãt ſuperbiendi: dum nihil ex ſe, ſed totum ſe habere audiunt ex miſericordia Dei. Iterum ideo ne torpeant in bene agendo: dum audiunt ſe poſſe inueniri quo creſcant in obſequio Dei. Hos
Act. 20. 27. Epheſios Paulus diſcedens ab eis in vnum conuocauit, dicens eis: Ecce ſanam fidem tradidi vobis : videte ne hãc irritam faciatis. Ego enim amodo liber ſum: ſed ſi male egeritis, Deus hoc requiret à vobis. Pro his verbis & huiuſmodi ſolertiores fuerunt prouidere ſibi.

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

CAP. I.

PAulus Apoſtolus Ieſu Chriſti per volũtatem Dei, ſanctis omnib⁹ qui ſunt Epheſi: & fidelibus in Chriſto Ieſu, Gratia vobis & pax à Deo
Cor. 2. 5. Petr. 1. 3. *patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Be-*

A *nedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto: ſicut elegit nos in ipſo ante mũdi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate. Qui prædeſtinauit nos in adoptionẽ filiorum per Ieſum Chriſtũ in ipſum: ſecundũ propoſitum volũtatis ſuæ: in laudem gloriæ gratiæ ſuæ: in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo: in quo habemus redemptionẽ per ſanguinem eius in remiſſionem peccatorum, ſecundum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit* *De pœnit. diſt. 4. Benedictus &c. in dorno.*
B *in nobis in omni ſapientia & prudentia: vt notum faceret nobis ſacramẽtum voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitũ eius quod propoſuit in eo, in diſpẽſatione plenitudinis temporũ inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis & in terra ſunt in ipſo. In quo etiã nos ſorte vocati ſumus: prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, vt ſimus in laudẽ gloriæ eius nos qui ante ſperauimus in Chriſto.*
C *In quo & vos cum audiſſetis verbum veritatis, Euangelium ſalutis veſtræ recepiſtis. In quo & credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto: q eſt * pignus hæreditatis noſtræ in redemptionem acquiſitionis in laudem gloriæ ipſius. Propterea & ego audiens fidem veſtrã quæ eſt in Chriſto Ieſu, & dilectionem in omnes ſanctos, non ceſſo gratias agens pro vobis: memoriam veſtri faciens in orationibus meis, vt Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater gloriæ det vobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis in agnitione e-* ** arra.*
D *ius illuminatos oculos cordis veſtri : vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis eius: & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis ei⁹ in ſanctis: & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus ſecũdum operationem potentiæ virtutis eius, quã operatus eſt in Chriſto Ieſu, ſuſcitans illum à mortuis. Et conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnẽ principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem. Et omne nomen quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo : ſed etiam in futuro : & omnia ſubiecit ſub pedibus eius. Et ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius*

& plenitudo eius: qui omnia in omnibus adimpletur.

PAulus &c. *Paulus Apoſtolus Chriſti Ieſu:* quem Chriſtus Ieſus Apoſtolum gentibus conſecrauit. Vnde apparet quod vobis Apoſtolus ſit. Paulus, inquam, Apoſtolus Chriſti: non per meritum ſuum, ſed *per* ſolã *voluntatem* & bonum placitũ *Dei.* Sic & vos quod boni eſtis nõ merito veſtro, ſed gratiæ Dei referatis. Paulus, inquã, Apoſtolus, per voluntatẽ Dei ſcribit *omnibus ſanctis*.i. perfectiorib⁹ qui in virtutibus ſanciti ſunt: Scribit etiam *fidelibus*.i. minus perfectis: qui tamen bene ſeruauerunt integritatẽ fidei: Fidelibus dico *in Chriſto Ieſu*.i. qui fidem Chriſti Ieſu cuſtodiunt. Sãctis dico & fidelibus *qui ſunt Epheſi.* Optat hoc Paulus. *Gratia* ſit vobis perſeuerans, qui non peccauiſtis: his qui ſaltem in venialibus lapſi ſunt, ſit gratia ſecundæ remiſſionis. Sit etiam vobis *pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto*, ſicut ſæpe expoſitum eſt. ¶ Vt oſtendat omne beneficium eſſe ex miſericordia Dei: in primis de beneficiis ſuis Deo gratias agit, dicens. *Benedictus ſit Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti*, qui ſi pater eſt Chriſti: nos autem fide filii Chriſti: ſic per Chriſtum pater nobis eſt. Benedictio noſtra in Deo, nihil aliud eſt quam laudare & magnificare gloriam eius. Benedictio autẽ Dei in nobis exaltatio noſtri eſt: & prouectus noſtræ ſalutis. Hic nunc exequitur duas electiones Dei in nobis. *Primam* qua nos ab æterno tales futuros elegit. *Alteram* in tempore, quando nobis ſpiritum cooperãte nobis miſericorditer infudit: & vtriuſque electionis completiones adiungit. Primum ponẽs eã quæ tẽpore vltima fit, in qua immortalitatem & impaſſibilitatem recuperaturi ſumus. Hanc autẽ quia dignior eſt, proponit ei quę completur: vbi anima per miſericordiam Dei ab onere peccatorum liberatur dicens: Benedictus ſit Deus *qui benedixit*.i. exaltauit nos. Ideo per præteritum quod futurũ eſt deſignauit: vt oſtenderet ſe adeo certum de

Duæ electiones Dei in homine.

A hac futura benedictione, quomodo aliquis cert⁹ eſt de eo quod videt præteriſſe. Ideò etiam ſic ait: quia intellexit ſanctos iam ſecũdum animas cõregnare Chriſto. *Benedixit nos Deus in omni benedictione.* Omni ideo, q̃a ſufficiens: Benedictione dico *ſpirituali:* licet.n. ſecundum corpus fiat hęc benedictio: tamẽ eſt ſpiritualis: quia ſicut ſpiritus hominis ſolo intuitu gloriæ Dei ſuſtẽtabitur; ſic corpus pabulo viſionis Dei ſaturabitur. Benedictione dico habita iam quibuſdã ſecũdum animas: & plene ſanctis omnibus

B honorãda: nõ in hac terra: ſed *in cœleſtibus:* vt etiã dignitate loci benedictio hæc commẽdabilior ſit. Benedixit dico: ſic *in Chriſto Ieſu*.i. in operatione Chriſti Ieſu, in quo pater omnia operatur. Oſtenſa impletione alterius electionis: ſubdit electionem quæ ſecundũ iuſtificationem animæ impletur hoc tempore: determinans prędictam impletionẽ eſſe ex miſericordia Dei per electionẽ, de qua ſubdit dicẽs. Sic nos Deus ex gratia benedixit: *ſicut ex* ſola gratia elegit nos

C *ante conſtitutionẽ mundi.* Vbi planum eſt nõ præceſſiſſe meritum hominis. *Elegit nos* dico *in ipſo Chriſto* in quo omnia fecit: vel in ipſo permãſuros. Ad hoc elegit, *vt eſſemus ſancti & immaculati;* sãcti poſitione bonorũ: immaculati emũdatione malorũ. Eſſemus vtiq; tales *in cõſpectu eius*.i. vt cõſpiceremus eũ ſolũ & in nullo mundum attẽderemus. Vel in cõſpectu eius.i. qui ab eo conſpiceremur. Elegit nos, dico, *in charitate*.i. in ſola dilectione.

D Dicta electione quæ hic completur ſecundũ iuſtitiã animæ, ſubdit illã electionẽ cuius iã præpoſuit cõpletionem, dicens. Elegit nos vt eſſemus ſancti: q̃ etiã *prædeſtinauit*.i. præordinauit ab æterno: vel præparauit in tẽpore *nos in adoptionẽ filiorũ* habẽdã. Noluit dicere immortalitatẽ, ſed vt totum referret gratię Dei in adoptionem.i. in incorruptionẽ filiorum ex ſola adoptione Dei nobis conceſſam. Adoptionem dico habendã *per Ieſum Chriſtum.* Nos dico venturos in ipſum: vt ſicut ipſe, ſic & nos im-

mortales & impaſſibiles. Prædeſtinauit dico *ſecundum propoſitũ voluntatis ſuæ*.i.ſecundum voluntatẽ ſuam propoſitam. Propoſitam.i.ſic ab æterno preordinatã:vel propoſitã.i.oblatam omnibus ſaluandis:niſi culpa eorum impedierit. Prædeſtinauit, inquã, ex ſola voluntate *in laudẽ gloriæ*, *gratiæ ſuæ*.i.ad hoc vt laudetur gratia ſua,in qua gratia multiplex eſt gloria. Sunt .n. quædã gratiæ Dei, vt iſta tẽporalia quæ pie miniſtrat: in quibus non eſt gloriãdũ, ſed in incorruptione multiplex eſt gloria. Et hoc dixiſſe debueramus: quia primũ incipit cõmuniter à benedictionibus,quæ fiũt publicè omnibus iuſtis. Dehinc deſcendit ad illas quæ fiunt Apoſtolis. Tertiò ſubdit de illis,quas Deus dedit Epheſijs. ¶ Poſita duplici electione & dignioris completione præmiſſa: ſubdit completionem alterius,dicẽs. *In qua gratia gratificauit nos*.i. gratos nos fecit *in dilecto filio ſuo*,id eſt,in fide dilecti filij ſui: quem quia diligit & nos filios filij ſui diligit. *In quo filio habemus redemptionem*. Nec per vile precium: ſed *per ſanguinem filij* effuſum. In quo etiam habemus *remiſſionem peccatorum*. Omnes habent redemptionem: quia precium ſufficiens redemptioni omniũ ſi vellent datũ eſt. Sed hi ſoli habent remiſſionẽ, qui ſe dignos redẽptione Chriſti exhibuerunt. Habemus remiſſionem *ſecundũ diuitias eius*.i. ſecundum gratiã eius in hoc diuitem: quia & originalia & actualia: & ſiue pauca fuerint, ſiue multa, omnia ſine differẽtia remiſit. Enumeratis beneficijs quæ ſanctis fiunt in publico,ab hac communitate, deſcendit ad Apoſtolos,dicens. *Qua gratia abũdauit in nobis* Apoſtolis: *ſuper*.i.magis quã in cæteris. Et dignum fuit: quia ab his accepturi erant alij. Abundauit dico *in omni ſapientia & prudentia*. Sapientiam de cognitione diuinorũ dicit. Prudẽtiam quaſi prouidẽtiã qua Paulus bene ſciebat prouidere ſuis Eccleſijs. Omni,non quia omnia ſcirent: ſed quia quicquid ſibi neceſſe erat tã de diuinis, quã de humanis in prõptu habebãt. Ita ſupera-

A bundauit: *vt nobis* Apoſtolis *notũ faceret ſacramentum*.i. ſecretum *voluntatis ſuæ*.i. ordinẽ redẽptionis humanæ. Sacramẽtum dicitur quaſi ſecretum:eo quod non omnibus, ſed paucis illud liceat aſpicere. Notũ faciet ſacramentum hoc.ſ. inſtaurare *ſecũdum bonũ placitum eius*,non ſecũdum meritũ hominis: quia nullum erat ꝙ bonum placitum *in eo* Chriſto *propoſuit*.i. præordinauit ab æterno. Vel propoſuit.i.palam expoſuit Deus bonum placitum ſuum ſi velit. Propoſuit dico *in diſpenſatione plenitudinis* B *temporum*.i.in plenitudine temporũ. Tempus enim gratiæ, plenitudo tẽporum dicitur. Vel quia omnia ante prædicta & expectata in eo per Chriſtũ fuere completa. Vel plenitudo i. finis & cõſummatio temporum quæ Deus ante tẽpus gratiæ præire cõſtituerat. Plenitudine dico congruè diſpẽſata. Prius enim voluit Deus experiri homines, quod libertate arbitrij & naturali lege nihil poſſent. Dehinc ſcriptam legem tradidit, per quã iterum impotentes euadere peccatum C apparuerũt Et poſtquã homo vndiq; ſe cognouit impotentem: tũc demũ appoſuit Deus opportunè gratiam: cuius adiutorio poſſet homo quod per ſe non poterat. *Inſtaurare* dico *omnia in Chriſto*.i. per Chriſtũ, *quæ in cœlis ſunt* imperfecta: *& quæ in terra* ſunt per peccatum corrupta. Ad hoc enim Deus fecit hominẽ & redemit, vt diminutionem angelorum reintegraret ſaluato homine. Ideò etiam Chriſtus carnem accepit, vt hominẽ D corruptum in peccatis reſtauraret in iuſtitia. Sed hoc reſtaurare diuerſis modis accipitur. Chriſtus enim fuit cauſa reſtaurationis angelorum,non quantum ad eos neceſſitas. Angeli enim puri erant: licet quibuſdam ſocijs imminuti. Chriſtus vero cauſa & neceſſitas reſtaurationis hominum. Cauſa vt per eum reintegraretur lapſus angelorum Neceſſitas ideo,quia niſi reſtauraretur à chriſto, perditus erat per peccatũ. Inſtaurare dico quæ in terra ſunt: ita ꝙ *in ipſo* permaneãt. Niſi .n. in fide eius permanſerint, re-

Sacramẽtũ quaſi ſecretũ dicitur.

Tempus gratiæ plenitudo tẽporũ dicitur.

ſtauratio corũ nulla erit. Vel aliter. Inſtaurare in Chriſto ea quæ in cælis ſunt i. ſanctos quorũ animæ iã in cælis regnant cum Chriſto: & ea quæ in terra ſunt: in ipſo i iuſtos. qui ſi adhuc conuerſatione tenẽtur in terra, puritate tamen vitę iam in ipſo ſunt. Dicerent Epheſij. Vos quidẽ Apoſtoli ad tantã altitudinẽ vocati eſtis, ad quã nos poſſe peruenire ſtultum eſſet ſaltem opinari. Ad hoc Paulus. *In quo* Chriſto *etiam nos* Apoſtoli *vocati ſumus:* non merito noſtro, nec dignitate generis, ſed *ſorte*.i.diuina electione. Sors dicitur diuina electio; vt quãdo humanum iudicium deficit, conferunt ſe homines ad electionẽ Dei. Non ſolum gratia vocati ſumus: ſed etiam *prædeſtinati*.i.præparati ſumus *ſecundum propoſitum eius*.i. ſecundùm quod pietas eius de nobis propoſuit. Eius dico: *qui* ſicut hæc in nobis, ſic *operatur omnia in* ſingulis *ſecũdum cõſiliũ voluntatis ſuæ*.i ſecundũ volũtatẽ ſuã conſilio & diſcretione agentem. Vel ita. Non ſolum vocat nos ex gratia, ſed etiã qui omnia quæ poſt vocationẽ ſequuntur: operatur in nobis ſecundũ conſilium ſuæ volũtatis: ſicut dictum eſt. Ideò vocati & prędeſtinati, *vt ſimus in laudem gloriæ eius*.i. vt digna laude glorificemus Deũ, q̧ vult laudari à nobis. Nõ quod laus noſtra quicquam conferat illi: ſed vt habeat cauſam benefaciendi nobis. Simus dico; *nos qui antequam* vos *ſperauimus in Chriſto*. In tempore tantũ vos præcedimus, ſed ſi vultis in gloria non præcedimus. Sed fortaſſis præcedetis nos: cum dona Dei in ſola electione conſiſtant nõ in genere. Vel in prioritate tẽporis. Nũc ab Apoſtolis deſcenſum facit ad beneficia Dei, ipſis collata Epheſijs, dicens. *In quo* Chriſto *vos* vocati eſtis ſicut nos: & prædeſtinati non ex merito veſtro: ſed *cum audiſſetis verbum veritatis:* quia ex ſola gratia miſit ad vos prædicatores, & vos interius inſpiratos audire fecit. Nec ſolùm vocati, ſed in quo Chriſto vos etiã credẽtes *ſignati eſtis*, vt appareatis de militia Chriſti, *Spiritu ſancto*. Spiritu dico *promiſſionis*

Sors diuina electio dicitur.

Laus quare à Deo requiritur.

A id eſt, vel quem Deus nobis promiſit, vel qui ſpiritus iam ſecundùm animam deificans nos: promittit nobis immortalitatem corporis in futuro. *Qui* ſpiritus *eſt pignus*.i. arra & principium habendæ *hæreditatis noſtræ*, nobis promiſſæ in futura gloria. Signati eſtis *in redemptionem*.i. vt appareatis de his quos Chriſtus redemit: Redemptionem dico *acquiſitionis*. Per hanc enim & nos Deũm acquirimus, & Deus nos acquiſiuit. Vocati eſtis & ſignati & cætera *in laudem* B *gloriæ ipſius*.i.vt per vos laudetur gloria eius. Modo determinat intentionem ſuam dicens. Quia vocati crediſtis, & Spiritu ſancto ſignati eſtis: *Propterea ego* (& ſancti qui mecũ ſunt) *ago gratias pro vobis*, & agẽs gratias non ceſſo. Hic bene innuit, non eſſe torpendum illis ſecuritate ſuæ iuſtitię. ſed omni hora de incremento perfectionis laborandum. Ego, inquam, non ceſſo audiẽs fidem veſtrã *quæ eſt in Chriſto Ieſu*. Hoc ad minus perfectos reſpicit, de quibus in prin- C cipio ait, fidelibus in Chriſto Ieſu. *Audiens* etiam *dilectionem veſtrã* habitam *in omnes ſanctos*. Hoc ad perfectiores reſpicit. De quibus ibidem ait, omnibus ſanctis. *Non ceſſo, gratias agens pro vobis, faciens memoriam veſtri in orationibus meis*, pro habendis bonis. Quaſi diceret. Sicut iam accepta bona intelligo eſſe ex gratia Dei, ſic ſentio de omnibus quæ habituri eſtis. Facio memoriam veſtri: *vt Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti*, cuius ſecundum humanam naturam Deus eſt, & pater glorię eius. Chriſtus enim D ſecundum deitatem quę in eo gloria eſt, Dei filius eſt. vt Deus & pater *det vobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis:* vt reuelatè poſſitis intelligere myſteria Dei. Sapientię dico, & reuelationis habitæ *in agnitione eius:* vt Deum eiuſque myſteria cognoſcatis. Det etiam vobis *illuminatos oculos:* non dico corporis, ſed *cordis veſtri*. Tãgit hic ſtultum errorem quorundam (maximè gentilium) qui in primitiua fide, quia conſueuerant idola ſua, quæ habebant manu tra-

ctare, putabant cœca mente Deum rē huiuſmodi eſſe: quæ & oculis carnis videri, & manibus poſſet palpari Det vobis illuminatos oculos: *vt ſciatis quæ*.i.quam digna res:& *quam* valens *ſit ſpes*. Non tantùm res ſperata: ſed ſolummodo ſperare beatum eſt. Quæ ſit ſpes *vocationis eius* .i. rei ad quam vocamur: vel vocatorum.i. electorum eius. Et quę ſint diuitię gloriæ hæreditatis eius.i.quam digna ſit hæreditas eius:in qua ſunt diuitiæ,id eſt,nulla pœnuria: ſed omnis copia. In qua etiam eſt gloria.i. permanens gaudium ſine admixtione doloris. Hęreditatis dico diſtribuendę in quibuslibet ſanctis. Et vt ſciatis quæ ſit *magnitudo virtutis* .i. virtus eius magna & incomprahenſibilis. Et cùm hæc magnitudo futura ſit per omnes ſanctos, *ſupereminens* tamen futura *in nos* Apoſtolos:qui prius alijs credidimus. Et quod hanc virtutem Deus operetur in nos, probo per hoc:quia iam *eſt operatus eam in Chriſto*. Quod ſic ait. Virtutem hanc futuram in nos affirmo ſecūdum operationem potentiæ virtutis eius.i.ſecūdum virtutem eius potentialiter operantem: quam virtutem operatus eſt in Chriſto. Et hāc virtutem exponit, approbans per hoc quod ſimiliter & poſſit & operetur in nobis. Operatus eſt virtutem in Chriſto: *ſuſcitans illum à mortuis*: per quod & nos ſuſcitabit,& apparet quod poſſit. *Et illum*.ſ. Chriſtum ſuſcitatum *conſtituens,ad dexteram*.i ad æqualitatem *ſuam in cæleſtibus*, & ita quod *ſupra omnem principatum,& poteſtatē & virtutem,& dominationem*. ¶ Hic quatuor ordines angelorum habemus: & per hoc quod ſequitur *omne nomē*, intelligimus reliquos ordines. *Quod* nomen *nominatur*.i. nominabile eſt, *non ſolum in hoc ſeculo: ſed etiam* quodcunq; nominabitur *in futuro*. Hoc ideo addidit, ne quis obiiceret ei. Secundum hoc quod parū de angelis modo cognoſcitis, concedo Chriſtum ſupra poni illis: ſed ſecundum hoc quod de illis in futuro plenius cognoſcetis, caro Chriſti nō ſupraponetur illis. Cōtra

Sperare ſolummodo beatum eſt.

Quatuor Angelorum ordines hic diſtinctè à B. Paulo enumerantur.

A hoc ait. Nō ſolum quod nominatur in hoc ſeculo: ſed etiam ſupra omne illud quod de angelis cognoſcetur in futuro, eum ſupraposuit omnibus & omnia ſuppoſuit ei. Quidam enim ſunt ſuprapoſiti multis, qui licet inferiores,non tamen ſunt ſubiecti eis. Vnde ait. *Omnia ſubiecit ſub pedibus eius*.i. tam plena ſubiectione, vt ille qui pedibus ſubſternitur. Vel ſub pedibus.i. ſub humanitate Chriſti omnia ſubiecit. Diceret ille. Et quid per hoc probas, ſi Chriſtum ſuſcitatum ſuper omnia poſuit: & omnia ipſi

B ſubiecit? Benè per hoc probo ait Paulus: *quod ipſum* chriſtum Deus *dedit caput ſupra omnem Eccleſiam: quæ* Eccleſia *eſt corpus ipſius* chriſti. Et putatis quod in capite glorioſus: & in corpore remaneat ignominioſus? Eccleſia eſt corpus, *& plenitudo eius* chriſti: qui chriſtus per eā adimpletur. Niſi enim iuſti reſuſcitentur eūdo vſque ad vltimum iuſtum,corpus chriſti remanet imperfectum. *Qui*

C Chriſtus licet plenitudine Eccleſiæ *adimpleatur*, ipſe tamen eſt *omnia* .i omnis perfectio: in *omnibus*.i.in ſingulis membris: quia nec ipſa membra poſſunt adimplere eum, niſi per ipſum.

Pſal. 8. 8.

CAP. II.

ET vos cùm eſſetis mortui delictis et peccatis veſtris, in quibus aliquādo ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi huius, ſecundùm*

D *principē poteſtatis aeris huius ſpiritus: qui nunc operatur in filios diffidentiæ: in quibus & nos omnes aliquando conuerſati ſum⁹ in deſiderijs carnis noſtræ: facientes voluntatem carnis, & cogitationum. Et eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri. Deus autē qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos; & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati. Et conreſuſcitauit & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu: vt oſtenderet in ſeculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos*

** conuiuificauit.*

** v. q. i. ſciunt de peccato hanc ſocietatem.*

*in Chriſto Ieſu. Gratia enim ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus factura: creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. Propter quod memores eſtote, quod aliquando vos qui gentes eratis in carne, qui dicebamini præputium ab ea quæ dicitur circuncisio in carne manufacta. Qui eratis illo in tempore ſine Chriſto alienati à conuerſatione Iſrael & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Chriſto Ieſu vos qui aliquando eratis longe, facti eſtis propè: in ſanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra: qui fecit vtraq; vnum, & medium parietem maceriæ ſoluēs inimicitias in carne ſua. Legem mandatorum decretis euacuās: vt duos condat in ſeipſo in vno nouo homine faciens pacem: vt reconciliet ambos in vno corpore: Deo per crucē, interficiens inimicitias in ſemetipſo. Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuiſtis; & pacem his qui propè: quoniā per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad patrem. Ergo iā non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei: ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarū: ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu: in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino. In quo & vos coædificamini in * habitaculum Dei in Spiritu ſancto.*

* *tabernaculum.*

DIXIT ſuperius Epheſios ex electione Dei vocatos: Spiritu S. ſignatos: ſeque pro eis orare: vt quod Deus piè cœpit in illis, quotidiano perficiat incremento: & poſtquam tàm dignos eos dixit in hac nouitate gratiæ, reducit eis ad memoriā priorem ſtatum, quem habuerunt in peccatis. Vt memores immunditiæ ſuæ non audeant præſumere, niſi de gratia Dei: quaſi merito ſuo aliquid nouitatis habuerint. Iterū propter hoc commemorat eis ſtatum infidelitatis: vt cùm videant quod gratia Dei eos de iniuſtitia ad iuſtitiam traxerit, certum habeant quod ſi iam iuſti la-

A borent: Deus qui illis iniuſtis contulit: multò amplius & libentius conferet iam iuſtificatis, ſi promereri voluerint. Litera ſic iungitur. Nos Apoſtoli credidimus: & vos ſimiliter credidiſtis. Vel ibi. Deus ſuſcitauit Chriſtum à mortuis: & vos ſimiliter ſuſcitauit à morte peccati. Vel cum verbo quod inferius ſequitur, ſic conſtruere poſſumus. Chriſtum dedit caput ſupra Eccleſiam: & vos conuiuificauit Chriſto. Quocunque tamen iungatur: ibi tamen pendet ſentētia vbi ait. Chriſtum dedit caput ſupra

B Eccleſiam, & vos dedit membra ipſius. *Vos*, inquam, *cum eſſetis mortui delictis & peccatis*. Mortui ideò, quia ita conſepulti peccato, quod nulla vi humana poterant euadere laqueum peccati. Delicta vocat, quando quod Deus præcipit non faciendo deſerimus. Peccata dicit actus illos, fornicari, furari, & huiuſmodi. Peccatis dico veſtris .i. quæ iam conſueſcendo in illis, quaſi veſtra propria feceratis. Quomodo in peccatis fuerint exequitur, dicens. *In quibus* peccatis vos *aliquando* .i. tempore infidelitatis, *ambulaſtis* .i. de malo in peius præcipita-

Delicta & peccata ſunt diuerſa.

C bamini, *ſecundum ſæculum mundi huius* .i. ſequentes ſæcularitatem, quæ nunquam de Deo, ſed ſemper ſollicita eſt de mūdanis. Et vt magis aggrauet peccatum, addit non ſolū ſecundum ſęculum: ſed etiā *ſecundum principem ſpirituum* .i. ſecundum diabolū qui princeps eſt, imperium habēs ſuper cęteros malignos ſpiritus. Vel ſecundū principē ſpiritus, vt collectiuè accipiamus, quaſi dæmoniorum. Vel ſecundum principem ſpirituum .i. aliorum dæmonum. Sicut .n. in bonis angelis quidam prælati ſunt, quidam

D ſubditi: ſic in malignis diſtinctiones eędem ſunt: & tamen vnus ſolus omnibus prælatus eſſe creditur. Principem dico *poteſtatis aëris huius* .i. qui poteſtatem habet in hoc aëre: commouet enim plærumque ventos & turbines in aëre, quibus noceat hominibus, & fructibus terræ: vt ventus ille qui à regione deſerti veniens, ſubruit domum, & filios Iob op-

Dæmon poteſtatem quandoq; habet in aëre.

b. 1.19. preſſit ab eo, permiſſione tamen Dei creditur immiſſus. Quos malignos ſpiritus ideò in aëre conuerſari Deus diſpoſuit: quia ſi in terra cum hominibus eſſent, & fructus terrę corrumperent, & homines ipſos intolerabiliter affligerent. Per hoc autem quod eos vocauit ſpiritus, vult curioſos reddere homines, vt prouidè agant: agant: quia hoſtis qui imminet, inuiſibilis eſt. Per hoc iterum quod in aëre eſſe dixit, de eodem nos admonet, quia inſidiator propè eſt. *Qui* princeps diabolus *nunc*, quando vos gratia Dei ab eo liberauit, *operatur in filios diffidētiæ*.i.de quorum ſalute nos diffidimus. Spiritus enim ſignificabat Paulo, in quibus laborare deberet, & in quibus non: ſciens cor eorum impœnitens. Vel in filios diffidentiæ, qui diffidunt de ſalute: audientes enim quod reſurrecturi ſint cœlum aſcenſuri, ſtultum hoc iudicant: & ideò nolunt conuerti. Et cum de tantis peccatis gratia Dei ad iuſtitiam vos traxerit, videte ne vnquam præſumentes: gratiæ Dei detrahatis. Quod ad augmētū perfectionis peruenire poſſint ex ſequētibus indicat, quaſi reſpondendo obijcientibus ſibi Epheſijs. Nobis tanto onere peccati prius depreſſis, non licet ſperare de aliqua perfectione, ſed ſufficit ſi aliquo modo poſſimus ſaluari. Ad hoc Paulus remouendum ſe & Apoſtolos parificat illis: quia ante fidem ſimiliter fuerūt in peccatis, tamen diſſimili modo ſicut indicabunt ſequētia. Vnde ſic ait. *In quibus* peccatis *etiam nos* Apoſtoli, ſicut vos Epheſij omnes (etiam Petrus) *aliquando*.i ante fidem, *cōuerſati ſumus*. Verè in peccatis: nam *in deſiderijs carnis noſtræ*: vt quod caro ſuggerebat, deſiderare mus. Nec ſolum in deſiderijs, ſed et iam *facientes* opere *voluntatem carnis*: ſicut comedere ad ſuperfluitatem, & luxuriari. Facientes etiam voluntatem *cogitationum*, in quibus nō ita caro delectatur, vt laborare de gloria mundi. Vel dictante auaritia multa pati pro congregandis multis. Nec tantùm in actualibus iſtis: ſed et-

A iam *eramus* nos Iudæi *filij iræ*.i.geniti ad vindictam tolerandam: *natura*, id eſt, propter originale nos Iudæi, ſicut & cęteri: licet tunc falſo opinaremur per circuncisionem mundari à peccato Adæ. Ira Dei nihil aliud eſt, quā vindicta. Si continuemus, vel ad illud quod ait. Nos credidimus: & vos credidiſtis. Vel ad illud. Suſcitans Chriſtum & vos ſuſcitauit: tunc hic benè verſus erit. Si autem inferius ad illud, conuiuificauit, porrigatur conſtructio, nondum finitur verſus ita

Ira Dei vindicta eſt.

B dicendo. Cùm eſſetis mortui, conuiuificauit vos Chriſto: Deus autem fuit qui conuiuificauit. Vel ſi ibi finis eſt, verſus ſic continuabimus. Nos quidem eramus in peccatis: *ſed Deus qui diues eſt* & copioſus *in miſericordia*: miſericordia enim eius ſuper omnia opera eius. Deus vtique *propter charitatem ſuam nimiam*, id eſt, incomprehenſibilem *qua* charitate *dilexit nos*. Putarent illi. Dilexit nos iuſtificatos, ſed non quod diligit aliquos in peccato. Ad hoc Paulus. Di-

Pſal. 144.9.

C lexit dico etiam *cùm eſſemus mortui peccatis*. Ne videatur abſurdū, quod Deus diligere dicitur hominem in peccatis; creaturam enim ſuam vbique ſemper diligit, ſed malum quod in ea eſt, odit. Deus, inquam, quia dilexit nos *conuiuificauit*.i. viuere *nos* fecit per iuſtitiam animę, *Chriſto*.i. ad ſimilitudinem Chriſti, quod ſicut ille iuſtus, ſic & nos iuſti. *Gratia cuius*, ſcilicet, Dei vt nos, ſic etiam vos *eſtis ſaluati*.i.conuiuificati per iuſtitiam animæ. Vel ſi pendeat infra

D conſtructio, vt dicamus conuiuificauit nos & vos Chriſto: tunc dicemus cuius gratia eſtis ſaluati de futura ſaluatione. Cōuiuificauit nos prima reſurrectione animæ: *conreſuſcitabit* etiam ſecunda corporum reſurrectione. Propter certitudinem quam inde habet, quod futurū eſt ſignificat per præteritum. *Et* nos conreſuſcitatos Chriſto *fecit conſedere*, vt iā in quiete regnaturos. Conſedere dico Chriſto *in cœleſtibus* vt hæc beatitudo commendabilior ſit etiam ex loco. Conſedere dico Chriſto *in Chriſto Ieſu*: &

cum

cum eo & per eum: ideò conuiuificauit, & reſuſcitatos conſedere fecit: *vt* per hoc *oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus* his .i. futuris *diuitias gratiæ ſuæ* .i. diuitem gratiam ſuam *abundantem in nobis*. Gratiæ dico factæ *in bonitate* .i. ex ſolo beneplacito ſuo, quia ad promerendum gratiam nullum præceſſit meritum. Bonitate dico facta *ſuper nos* .i. quæ nos ſuperauit: quia tãta eſt, quod nec eam intellectus noſter capere ſufficit. Et hæc omnia dico *in Chriſto Ieſu*: in ipſo enim, & per ipſum, hæc omnia in nobis operatur Deus: ideò voluit Deus hæc nota fieri his qui erant futuri, vt intelligeret homo quanta (ſi vellet) ſperare poſſet de bonitate Dei. Modo ponit illud, quod meritum videtur hominis .i. fidem: & meritum nõ eſſe oſtendit. Verè in bonitate: *nam vos per gratiam ſaluati*, id eſt, iuſtificati eſtis. Concedo etiam vt apponas *per fidem*: etenim, id eſt, fides non eſt ex vobis promerentibus vt fidem habeatis. Verè fides *nõ* eſt *ex vobis*, nam eſt donum Dei: & non ex operibus veſtris. Et ideò Deus omnia ex gratia, & nihil ex operibus eſſe voluit, *vt non glorietur aliquis*. Videns enim angeli caſum & hominis fuiſſe ex ſuperbia, multum prçcauere voluit homini à ſuperbia. Et ſicut fides ex dono Dei, ſic opera quæ fidem ſequuntur per gratiam Dei. Benè dico, vt ne quis glorietur in fide: nam etiam in operibus quæ ſequuntur fidem, non reliquit Deus homini vnde poſſet gloriari. Quod ſic ait. *Nos ſumus factura ipſius* Dei, cùm nihil in bono eſſemus *creati in Chriſto*, id eſt, per Chriſtum Ieſum *in bonis operibus: quæ* opera *præparauit nobis Deus, vt in illis ambulemus*, per eum proficiamus & creſcamus. Vel factura ſit ablatiuus: ita factura, id eſt, per facturam Dei ſumus creati in Chriſto. Nihil ibi mutatur. Quod ſupra ait. Nos fuimus in peccatis ſicut vos, modo determinat dicens Iudæos non tam grauiter peccaſſe, ſicut gentiles: ſed licet ante fidem etiam viles Iudæi abominarẽtur gentiles; Deus tamen

Fides eſt donũ Dei.

Iudæi non tam grauiter peccauerunt: ſicut gentiles.

A ſine diſcretione perſonarum parificauit eos: non illis qui prius improperabant eis, ſed ſanctis ac perfectis. Et per hoc probat eos & gratiæ Dei multum obnoxios: & quod de incremento iuſtitiæ, ſecurè (ſi volunt) poſſunt laborare, dicens. *Propter quod*, vt ne quis veſtrum glorietur, *eſtote memores quod aliquando tempore* infidelitatis *vos gentes* .i. tales quales in peccato geniti eratis *in carne* .i. in operibus carnis. Vos dico *qui præputium* .i. ipſa immunditia *dicebamini ab ea circunciſione* .i. à Iudæis, quæ dicitur circunciſio, id eſt, ipſa munditia. Et nihil eſt: quia hçc circunciſio in carne
B erat non in corde. *Facta* etiam *manu* cuiuſcunque, non per Spiritum ſanctum. Memores etiam eſtote: quia *illo tempore* infidelitatis *eratis ſine Chriſto*: quia Chriſtus non promittebatur vobis. Eratis *& alienati à conuerſatione Iſrael* .i. Iudaici populi: non enim tunc cõuerſabantur vobis. Vel ſi fortè cum eis conuerſabamini, vt proſeliti; eratis *hoſpites teſtamentorum*, id eſt, inſtabiles .i. modo euntes: modo redeuntes ad legem ducebamini. Teſtamentorum ideò pluraliter dicit:
C quia Moyſes ſuum, Eſaias ſuum, & quilibet propheta ſuum habebat teſtamentum. Eratis etiam tunc *nõ habentes ſpem promiſſionis* factç ad Abraham: nec enim licebat tunc gentibus ſperare ſalutem: & eratis *ſine Deo*, idola adorantes. Vos dico *in hoc mundo* .i. his mundanis adhærentes. Olim ſic eratis: *ſed nunc vos*, qui aliquando eratis longè à Deo & à Iudæis, *facti eſtis propè*: vtrique *in Chriſto Ieſu*, id eſt, per Chriſtum Ieſum. Et quomodo per Chriſtum determinat. *In ſanguine*, id eſt, per effuſionem ſanguinis
D *Chriſti*. Probat de vtroque: ſed de Iudæis primum, dicens. Verè facti eſtis propè Iudæos: *quia ipſe* Deus *eſt pax noſtra* .i. pacificauit nos ſimul, gentiles & Iudæos: *qui* Deus *facit vtraque* .i. Iudęum & gentilem *vnum* per vnitatem fidei: & morum, & ſacrificij. Vnum autem hoc modo: *ſoluens parietem medium*, id eſt, qui in medio poſitus, alterum ſeparabat ab altero.

Teſtamentum ſuum habuit quilibet propheta.

Hic

Hic paries fuit ex parte Iudæorũ, obſeruationes eoru ex parte gẽtilium, cultus idolorum. Et hunc parietẽ eorum ſoluit, dum idololatriam & ritus Iudaicos euacuauit. Parietem dico *maceriæ*. Maceria dicitur ſecũdum quoſdam, paries firmiter compactus & connexus. Hic paries erat maceriæ .i. fortis: & ad deſtruendum difficilis: quia Iudæi authoritate legis & prophetarum, ritus ſuos tuebantur. Gentes autem per philoſophiã, ſuum (in quo malè cõſueuerant) defendebãt. Vel dicitur maceria congeries lapidum ſine cœmento congregata. Sic ille paries fuit maceriæ, id eſt, debilis, & Chriſto leuis ad diruendum: vt ſicca congregatio lapidũ, & ſoluto medio pariete, *ſoluit in carne ſua* quã aſſumpſit *inimicitias* vtriuſque populi. Deſtructis enim ritibus Iudæi & gentilis, iam non erat vnde inimicarentur ſibi. Quomodo ſoluerit inimicitias oſtendit in parte Iudęorum, quorũ ratio magis oppugnabat: ſed quia gentibus nulla ratio erat, de his nihil ſubdidit. Soluens inimicitias, quia *euacuans legem* carnalium *mandatorum: decretis* .i. datis mandatis ex diſcretione inuentis: ideò euacuãs hinc legem inde idolum: *vt duos*, id eſt, Iudæum & gentilem *condat vtrumque in ſemetipſo*: & quia in ſe cõdere poſſet adhuc diuiſos addit. Condat, inquam, *faciens pacem* .i. pacificans eos ſibi viciſſim. Et in quo pacem fecerit, ſubdit. Faciens pacem dico *in* ſe *vno nouo homine*. Nouo, quia homo gratiæ: ideò nouo: quia ſi eſſet legalis, oppoſitus eſſet gentili: ſi iterum gentilis, oppoſitus eſſet Iudæo: & neuter conſentiret inimico ſuo. Probauit quod gẽtilis ſit propè Iudæum: probat eundem eſſe propè Deum, dicens. Et ideò ſoluens inimicitias *vt reconciliet Deo ambos*, id eſt, Iudæum & gentilem copulatos *in vno corpore*, id eſt, in Eccleſia. Reconciliationis modum ſubdit. Reconciliet dico, *interficiens* ipſe Chriſtus *in ſemetipſo inimicitias* quæ erant inter Deum & hominem. Ita *in ſemetipſo* quod per crucem, id eſt, per mortem crucis.

Maceria quid dicatur.

A ¶ Hæc autem omnia parum prodeſſent, niſi prædicata forent: ideò addit. *Et* ipſe Chriſtus *veniens* in carnem, *euangelizauit* per Apoſtolos *pacem* ad Deum reſtitutam *vobis* gentibus, *qui longè fuiſtis* à Deo: quia ſine Chriſto & ſine Deo in hoc mundo eratis. Euangelizauit *etiam* pacem *his*, id eſt, Iudæis *qui propè erant*: quia Deum colebant. Hoc prædicare fecit: *quoniam per ipſum* Chriſtum ambo & Iudæus & gentilis, *habemus acceſſum ad patrem* Deum: non ambo poſiti *in vno ſpiritu* fidei: cùm hic prius eſſet

B in ſpiritu legis, hic in ſpiritu idoli. Et quia ambo in eodem ſpiritu poſiti acceſſum habemus ad Deum: ergo vos gentiles Epheſij *iam non eſtis hoſpites* teſtamentorum ſicut illi improperabant. *Et* iam non eſtis *aduenæ*, id eſt, non vltra vocamini Proſeliti: quia licet tunc ſtabiles eſſent in lege, ſemper tamen dicebantur aduentitij. Non eſtis hoſpites, *ſed eſtis conciues*. Nec eorum qui vobis improperabant, ſed *ſanctorum*, id eſt, quorumlibet perfectorum. *Et* non eſtis aduenæ, ſed *domeſtici*, id eſt, na-

C turales de domo. Nec eorum, ſed domeſtici *Dei*. Vos dico *ſuperædificati* hodie pietas: cras ſuper hanc ædificabitur humilitas. Et ſic ſuperædificati *ſuper fundamentum*, id eſt, doctrinam *Apoſtolorum & Prophetarum*: quorum doctrina, fundata eſt Eccleſia. Vel ſuper fundamentum, id eſt, Chriſtum: ſuper quem Apoſtoli & Prophetæ fundati ſunt. Aedificati *ipſo* dico *Chriſto Ieſu* exiſtente *lapide*: propter firmitudinem *ſummo*, id eſt, conſummante iuſtitiam veſtram *an-*

D *gulari*, id eſt, vtrumque populum Iudęum & gentilem in ſe connectente. Lapis iſte vbi ad literam fuerit, certum non habemus: fuiſſe tamen credimus, quod donec in cõſummatione vtriuſq; parietis non idoneè poni potuit: ſed in ſummo mirabili conuenientia vtrumque parietem coagulauit. Hic lapis ſignificauit Chriſtum, Iudæum, & gentilem in perfectione fidei copulantem. Qui Chriſtus ſicut eſt ſummus conſummator

iuſtitiæ: ſic eſt & principium iuſtitiæ. Quod ſic ait. *In quo* lapide *omnis ædificatio conſtructa* per fidem, *creſcit* per operationem, *in templum ſanctum:* vt ſit homo templum in quo habitet Deus. Sanctum dico *in Domino* .i. per Dominum. *In quo etiam* lapide Chriſto *vos* gentes *coædificamini* cũ Iudæis *in habitaculum* .i. ad hoc vt ſitis habitaculum *Dei*. Coædificamini dico *in Spiritu ſancto*, id eſt, per Spiritum ſanctum, purificantem vos Deo.

CAP. III.

H*vivs rei gratia, ego Paulus vinctus Chriſti Ieſu pro vobis gentibus: ſi tamẽ audiſtis diſpẽſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis. Quoniã ſecũdum reuelationem notum mihi factum eſt Sacramentum, ſicut ſupra ſcripſi in breui: prout poteſtis legentes intelligere prudẽtiam meam in * miniſterio Chriſti: quod alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum: ſicuti nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius, & Prophetis in ſpiritu eſſe gentes cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis eius in Chriſto Ieſu per Euangelium: cuius factus ſum miniſter ſecundum donum gratiæ Dei, quæ data eſt mihi, ſecundum operationem virtutis eius. Mihi enim omniũ ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, in gẽtibus euãgelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti: & illuminare omnes quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creauit: vt innoteſcat principatibus * & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapiẽtia Dei: ſecundum præfinitionem ſæculorum quam fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro. In quo habemus fiduciam & acceſſum in confidẽtia per fidem eius. Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti: ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur: vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ, virtutem corroborari per ſpiritum eius in interiore homine, habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris: in charitate radicati & fundati: vt poſſitis comprehendere cũ omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum. Scire etiam ſupereminentẽ ſcientiæ charitatem Chriſti, vt impleamini in omnẽ plenitudinem Dei. Et autem qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quam petimus, aut intelligimus ſecũdum virtutem quæ operatur in nobis: ipſi gloria in Eccleſia & in Chriſto Ieſu: in omnes generationes ſæculi ſæculorum. Amen.*

Sap.1.19.

* alias myſterio.

1.Cor.15. verſ.9.

* alias principibus.

A B

VT magis obnoxios reddat gratiæ Dei, dicit quod Deus fecerit eũ Apoſtolum propter illos. Vinctus eſt etiam pro eiſdem. Reuelauit etiã ei Deus myſteria ſua propter eorum vtilitatẽ. Vos coædeficamini in Chriſto: & *gratia huius rei* vt & vos coædificemini. *Ego Paulus vinctus Ieſu Chriſti*, quem afflictum non oportet contriſtari. Vinctus vtiq; *pro vobis gentibus*. Si enim ſaluti veſtræ nõ prædicarem, nequaquam in vinculis eſſem. Pro vobis dicco:ita *tamen ſi audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei* .i. gratiam, ſcilicet,

C

Apoſtolatum ex gratia Dei mihi traditum. Gratiam dico diſpenſatam à Deo: quia Deus benè diſpenſauit apud ſe, quare me Apoſtolũ conſtituit. Vel quã gratiam ego diſpenſo vobis & cæteris Eccleſijs. Si, inquam, audiſtis gratiam, *quæ data eſt mihi in vobis* .i. ſicut verè crediſtis me eſſe Apoſtolũ vobis; ita verè credite me eſſe vinctum pro vobis. Gratia vtiq; hæc data eſt mihi: *quoniam ſacramentum* .i. ſecretum Dei, *factum eſt mihi notum ſecundum reuelationem*, id eſt, ita vt reuelatè ſciam inde loqui. No-

D

tum factum eſt dico, ſicut *ſupra ſcripſi vobis in breui* ſermone: vbi ait. Ipſe eſt pax noſtra: & eſt vera, vſque ad: Ergo non eſtis hoſpites. Ita ſcripſi *prout* benè *poteſtis intelligere*. Poteſtis vtique *legentes*, id eſt, ſi attentè perlegitis illud. Intelligere dico non tantùm ſacramentum: ſed etiam poteſtis intelligere *prudentiam meam*, habitam *in myſterio*. Idem eſt

quod

quod in ſacramento *Chriſti:* quia & myſterium noui: & prudenter aperire ſcio, *quod* myſterium *non eſt cognitum filijs hominum in alijs generationibus*.i.in alijs ætatibus. Vel ſi aliquibus non ita cognitum, *ſicut nunc reuelatũ eſt ſanctis Apoſtolis eius:* nec in hoc videar gloriari: quia reuelatum eſt in Spiritu ſancto *etiam prophetis* .i. quibuslibet illuminatis ſenſu hoc myſterium, ſcilicet, *gentes eſſe cohæredes* Iudæis in futura ætate: & hic eſſe *concorporales* .i. in eodem corpore Chriſti .i. in Eccleſia eſſe etiam *conparticipes promiſſionis* factæ ad Abrahã. Cohæredes dico concorporales cõparticipes eſſe *in Chriſto Ieſu:* qui fecit vtraq; vnum eſſe ſic *in Chriſto:* & hoc *per Euangelium:* prædicatione cuius ad fidem veniunt. Quod Euãgelium non eſt meum, ſed *cuius* Euãgelij *factus ſum miniſter*. Nec hoc ex merito meo, ſed *ſecundum donum gratiæ Dei:* quam gratiam iterum nõ promerui vt haberem, ſed *quæ data eſt mihi ſecũdum operationem virtutis* eius: quia virtus eius operata eſt multa per meã infirmitatem. Data eſt mihi. Et cui mihi? Mihi vtiq; *minimo omnium ſanctorum*. Data eſt gratia hæc, ſcilicet, *euangelizare in gentibus diuitias Chriſti inueſtigabiles* .i. incomprehenſibiles. Datum eſt etiam mihi *illuminare omnes* de hoc: quæ.i.*quam* digna *ſit diſpenſatio*.i.impletio *ſacramenti abſconditi à* priotibus *ſæculis*. *In Deo* tamen .i. in notitia Dei exiſtentis: qui Deus ignorare non potuit: *quia omnia creauit*. Ideò euangelizare, illuminare, *vt* ſapientia Dei per Eccleſiam quæ in prædicatione noſtra conſtituitur, Sapientia, inquam, Dei per hoc *innoteſcat principibus & poteſtatibus* .i. ordinibus angelorum, exiſtentibus *in cæleſtibus*. Angeli enim neſciẽtes ſaluationẽ hominum, mirantur & laudant Deum: cum per prædicationem Apoſtolorum: viſa conuerſione intelligãt ſaluationem eorum. *Sapientia Dei multiformis:* quia hunc lenitate ſermonis, hunc aſperitate infirmitatis cõuertit: in diuerſo modo in diuerſis. Multiformis dico, oſtenſa *ſe-*

...ientia ... quali ... eſt multi... ...rmis.

A *cundum præfinitionem ſæculorum* .i. in ſæculis à Deo ordinante præfinitis. *Quam* præfinitionem .i. hoc quod in ſæculis ſe facturum præfinierat, *fecit* .i. compleuit *in Chriſto Ieſu Domino noſtro: in quo* .i. per quem Chriſtum *habemus fiduciam* accedẽdi ad Deum. Nec ſolum fiduciam, ſed etiam habemus *acceſſum ad Deum:* non timentes repulſionem: ſed *in confidentia* .i. de introductione confidentes. Confidentia dico habita *per fidem eius*, ſcilicet, Chriſti, cui & in quẽ credimus.

B Commemorauit ſe propter vtilitatẽ eorum conſecratum à Deo Apoſtolum. Vinctum etiam ſe propter eos, reuelata ſibi eſſe myſteria Dei ad inſtruẽdum eos. *Propter quod*, quia hæc omnia facta ſunt propter vos: quia etiã acceſſum habetis ad Deum per fidẽ Chriſti nobiſcum. Propter hoc non modo precor, ſed quaſi rem debitam *peto:* & à vobis exigo, *ne deficiatis in tribulationibus meis*. Ideò per hãc exhortationem vult eos præmunire Paulus: quia dubitabat ne fortè

C tribulatione & afflictione magiſtri contemptui haberẽt, quod ab eo qui cõtemptibiliter tractabatur didiciſſent. Tribulationibus dico meis, habitis *pro vobis*. Ideò enim Deus me permittit affligi: vt qualis veſtra ſit fides in tentatione mea apparere faciat. Deus enim Abraham, & quoslibet alios nõ ideò tentauit, quod quid futurum eſſet ignoraret: ſed vt fidem eorum probabilem indicaret mundo, *quæ* tribulatio *eſt gloria veſtra*. Si enim à tribulatione mea vires boni

Tribulationes quare quibuſdam à Deo infliguntur.

D operis ſumitis, tunc digni eſtis gloria. Si autem propter me tribulatum deficitis, ignominia digni eſtis. *Et gratia huius rei* .i. ne deficiatis: quia hæc res grata eſt mihi, vos, ſcilicet, non deficere.: ideò *flecto genua*. Sicut per genu erigitur corpus, & humiliatur; ita per genu erectum & flexum, elatio mentis & humiliatio accipitur. Paulus vtiq; genua carnis flectebat, vt humilitatem ſpiritus innueret. Flecto genua *ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti:* qui & pater nobis eſt cum ſimus filij Chriſti, cuius pater

eſt. *Ex quo* patre .i. ex inſtitutione & exemplo cuius eſt nobis *omnis pater-nitas* .i. ſunt nobis omnes patres: *quos vel in cœlis* habemus angelos prouiſores nobis. *Vel* quos habemus *in terra*, vt Epiſcopos, & quoslibet Eccleſiæ patres. *Paternitas* non ita ſimpliciter eſt: ſed *nominatur* .i. quicunque nominabiles dignitate virtutū ſunt nobis patres. Vel ita. Paternitas nominatur.i. ij prouiſores noſtri patres dicuntur ſolo nomine .i. nuncupatiuè tantum, non ſubſtantialiter quod Deus ſolus eſt. Flecto genua ad Deū: *vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ* .i. abundanter & glorioſè, ſcilicet, cum potentia. Det dico *virtute corroborari* .i. vt vos corroborati ſitis in bono. Et hanc virtutem in vobis nō veſtram eſſe credatis: ſed *per ſpiritum eius:* vt gratiæ Dei omnia aſcribatis Det dico virtutem non exterius, ſed *in interiore homine.* Ideò Deus virtutem iuſtitię in anima ordinauit: quia ſi eſſet in corpore quod omni aduerſitati expoſitum eſt, ſicut corpus, tam cito deficeret virtus quæ longè melius ſed[illegible] anima: de quo ait Chriſtus. Poſtquam occiderint corpus, animæ non habent quid faciant, vt det vobis ſpiritum: & vt det vobis *habitare Chriſtum in cordibus veſtris:* non quod ibi corporaliter ſedeat: ſed *per fidem.* Licet vbi ſpiritus, ibi Chriſtus: tamen neutrum eſt ſuperfluum: quia ſpiritus per dilectionem, Chriſtus per fidem. Flecto genua ideò vt vos *radicati & fundati in charitate.* A ſimilitudine arboris in altum radicatæ: & ex abundantia humorum, quibus in alto radices abundant copioſè fructificantis. ait, Radicati, id eſt, fructificántes in charitate: & fundati .i. ſuper fundamentum in quo firma ſit & creſcat ædificatio domus Dei. *Vt* vos, inquam, radicati & fundati *poſſitis comprahendere*, intellectu & vtilitate *cum omnibus ſanctis* .i. ſicut compræhendunt omnes ſancti, *quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum.* Latitudo, à dextera in ſiniſtram, crucis Chriſti, amplitudinem dilectionis ſignificauit: qua etiam pro inimicis orauit. Longitudo crucis à capite in pedes perſeuerantiam dilectionis ſignificauit: quia cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. Sublimitas crucis .i. pars illa quæ ſupereminebat capiti: in qua Pilatus titulum ſcripſit, reſpectum diuinum ſignificauit: vt innueret Chriſtus, ſe non amore mundi pati, ſed vt faceret voluntatem patris ſui, qui eſt in cœlis. Profundum dicta eſt pars illa crucis, quæ in terra fixa fuit: quod profundum deſignat occultam gratiam Dei: qua ſine meritò bona multiplicat ſuis eiſdem neſcientibus, quare ſic faciat. Hæc tamen in ipſis intelligimus, ſic exponendo. Poſſitis compræhendere quæ ſit latitudo, id eſt, quam latos oporteat vos eſſe in charitate: vt etiam benè faciatis his qui vos oderint. Et longitudo, id eſt, quam longos & perdurantes in dilectione oporteat vos eſſe: vt etiam ſi expedit non formidetis mori pro Deo vel proximo. Et quæ ſit ſublimitas: quomodo ſuperno reſpectu, non reſpectu mundi quælibet bona faciatis. Et quod ſit profundum .i. occulta gratia Dei in vobis, qua vos ſine merito iuſtificauit: & prouehit vt *etiam* poſſitis *ſcire charitatem Chriſti*, id eſt, quomodo Chriſtus vos dilexerit. Charitatem dico *ſupereminētem* omni *ſcientiæ.* Nulla enim ſcientia compræhendere ſufficit, quanta ſit charitas Chriſti. Vel ita. Poſſitis ſcire charitatem ſcientiæ Chriſti, ſecundùm ſcientiam. Ignorantes enim plerumque diligimus. ſed ſi cognitionem rei quā diligimus habeamus, multò magis in bonitate rei cognitæ diligenda accendimur. Ideò ait charitatē ſcientiæ *Chriſti* .i. ſecundum ſcientiam de Chriſto habitam. Charitatem ſcientiæ dico ſupereminentem charitati ignorantiæ. Bonum quod ignoratur minus diligitur. Poſſitis comprehendere & ſcire: ideò *vt impleamini* eundo *in omnem* .i. in omnium bonorum *plenitudinem Dei* .i. ex Deo habitam. Ego flecto genua vt vos poſſitis comprehendere & ſcire. *Ipſe autem Deus potens eſt facere omnia quæcunque* op-

Ioan 13. verſ. 1.

Mat. 10. 28.

Crucis partes quid repræſentant.

Charitas Chriſti eſt incomprehenſibilis.

Bonū quod ignoratur minus diligitur.

A B C D

portuna ſunt. Facere dico *abundanter ſupra quam petimus, aut ſupra quam intelligimus.* Nemo enim hominum auderet hoc petere à Deo vt filium ſuũ Deum, hominem faceret: quod tamen fecit. Nemo etiam intelligere poſſet quo ordine pietatis hominem perditum reſtaurauit: & innumera bona quæ facit: & ideò benè ait, ſupra quam petimus, aut intelligimus. Et quod tanta potens ſit facere probare poſſumus: eundo *ſecundum virtutem, quæ* virtus eius *operatur in nobis:* quia ſi conſiderantur ea quæ nobis contulit poteſtas miraculorum, & multa alia. Per hæc planè colligimus, quod ex voluntate potens ſit de cætero conſummare omnia in nobis. Ei autem qui ſic potens eſt facere, *ipſi* ſoli non humanæ virtuti, ſit *gloria in Eccleſia*, id eſt, in conſideratione bonorum, quæ confert Eccleſiæ, *&* etiam *in Chriſto Ieſu:* quia nec ipſi Chriſto ſecundum hominem de bonis quæ geſſit gloria debetur, ſed Deo. Gloria dico permanens *in omnes generationes.* Ab Abel enim primo iuſto nulla præterijt generatio, quæ non haberet aliquos in quibus gloriaretur Deus. Generationes dico *ſæculi* à principio vſque ad finem. Sæculi dico *ſæculorum:* in quo multa ſęcula continentur: ipſi gloria. *Amen:* pro certo ita eſt.

Deus à principio mundi ſemper habuit aliquos in quibus gloriaretur.

CAP. IV.

1. Cor. 7. 10

OBSECRO *itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine: cum patientia ſupportantes inuicem in charitate. Sollicitiſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma. Vnus Deus, & pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Vnicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Propter*

Rom. 12. 10
1. Cor. 12.
93. diſt. eſto.
1. q. 1. hi qui & ca. hanc regulam.
De conſe. di. 4. itaq.
2. Cor. 10. 13

A *quod dicit. Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Quod autem aſcendit, quid eſt niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ. Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos vt adimpleret omnia. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos: quoſdam autem Prophetas. Alios verò euãgeliſtas. Alios autem paſtores & doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei: in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudi-*
B *nis Chriſti, vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſq; mẽbri augmentum corporis facit, in ædificationem ſui in charitate. Hoc igitur dico & teſtificor in Domino, vt iam nõ am-*
C *buletis, ſicut & gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratũ habentes intellectum: alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis propter cæcitatẽ cordis ipſorum: qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in auaritiam. Vos autẽ non ita didiciſtis Chriſtum, ſi tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, ſicut eſt veritas in Ieſu. Deponite * vos ſecundum priſtinam cõuerſationem veterẽ hominem qui corrumpitur, ſecundum deſideria erroris. Renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, &*
D *induite nouum hominem qui ſecundum Deũ creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Propter quod deponentes mẽdacium, loquimini veritatẽ vnuſquiſq; cum proximo ſuo, quoniã ſumus inuicẽ mẽbra. Iraſcimini, & nolite peccare. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur iam non furetur: magis autem laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſſita-*

Pſal. 67. 19
Ioan. 3.
De hære ... ex immu... & ca ... in vne.
1. Cor. 12.
12. diſt. de ... iou.
Rom. 1. 9.
* alias deponere.
De conſe. diſt. 4. ca.
Rom 6.
Coloſ. 3 1.
Hebr. 12.
1. Pet. 2. 1.
De con... 4. qui ... & cap. illud ... primo
De pœ. d... 2. ... renuit...
De apoſt... quidam.

Zach.8.16. *tem patienti. Omnis ſermo malus ex ore*
Pſalm.4.5. *veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus eſt*
Iacob 4.7. *ad ædificationem fidei, vt det gratiam*
1.Pet.4. *audientibus. Et nolite contriſtare Spiri-*
tum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in
die redemptionis. Omnis amaritudo, &
ira, & indignatio, & clamor, & blaſphe-
mia tollatur à vobis, cum omni malitia.
Coloſ.3.12. *Eſtote autem inuicem benigni, miſeri-*
cordes, donantes inuicem, ſicut & Deus
in Chriſto donauit vobis.

POſtquam admonuit eos diuer-
ſis modis ne intumeſcerent de
bonis gratiæ Dei, neué torperent, ſed
ſemper de proficiendo in melius vi-
gilarent, quæ vtraque admonitio vi-
detur verſari circa magis perfectos,
tranſit ad moralem inſtructionem:
quæ magis pertinere videtur ad mi-
nus perfectos. Prius inſtruens omnes
in communi. Dehinc conditiones
ſexus & ætates diuiſim. Litera ſic iun-
gitur. Quia Deus potens eſt facere
vobis ſupra quam petimus aut intel-
ligimus. *Itaque obſecro,* id eſt, per om-
nia ſacra *vos* adiuro, *ego vinctus in*
Domino, id eſt, propter Dominum,
quem in vinculis offendere non eſt
minima culpa. Obſecro, inquam, *vt*
ambuletis per gradus virtutum *dignè*,
vocatione qua vocati eſtis. Non enim
vocati eſtis ad complenda deſideria
carnis: ſed vt ſecundum ſpiritum
carnem mortificetis, ſcilicet, ambu-
letis *cum omni humilitate*, & in ani-
mo habita, & foris oſtenſa. Culpa e-
nim eſt intus eſſe humilem: & foris
ſimulare ſuperbiam, cum ſic de ſe oc-
caſionem tribuat maledicendi: & oc-
cultetur virtus cuius imitatione po-
tuit inſtrui proximus. Foris autem
humilem, intus eſſe ſuperbum, nulli
dubium quin ſit culpabile in omni
humilitate, *&* in omni *manſuetudi-*
ne: vt tractabilis ſit ad omnes & affa-
bilis: *& cum* omni *patientia* ſeruata
in quibuslibet aduerſis, *ſupportantes*
inuicem alter alterum ſi moleſtiam
intulit ei. Vel ſupportantes .i. compa-
tiendo proximo ſi fortè lapſus fue-
rit: cumque adiuuando oratione, &
ieiunio. Supportantes dico *in chari-*

A *tate*, non in expectatione vindictæ.
Vos dico ſolliciti ſeruare vnitatem
in vobis, vt ſit apud vos idem velle,
idem nolle. *Vnitatem* dico *ſpiritus* .i.
quam dictat Spiritus ſanctus *ſeruare*
eam in *vinculo pacis:* quæ pax exterius
ſeruata vinculum eſt, & nutrimen-
tum ſpiritualis vnitatis. Et vt hanc v-
nitatem ſeruetis, *eſtote vnum corpus* .i.
vnum in operatione. Et eſtote *vnus*
ſpiritus .i. vnum in voluntate. Ita ſitis
vnum corpore & ſpiritu, *ſicut* res illa
ad quam *vocati eſtis* vna eſt. Quod ſic
B ait. Vos eſtis vocati *in vna ſpe* .i. ad
vnam rem ſperatam. Spe dico *voca-*
tionis veſtræ .i. qua digna eſt veſtra
vocatio. Iterum debetis eſſe vnum
corpus, & vnus ſpiritus: quia *Domi-*
nus vnus vobis dominatur: & *fides*
veſtra *vna* eſt, & indifferens: & *baptiſ-*
ma veſtrum *vnum* eſt, omnes æquè
iuſtificans: non ſecundùm quod qui-
dam dicũt, ſecundùm merita diuer-
ſorum baptizantium dignius vel in-
dignius. Et eſt *vnus Deus* .i. creator
C omnium: & vnus *pater omnium*, qui
vos ſecundum dilectionem filiorum
gubernat. *Qui* Dominus Deus pater
dominando, creando, diligendo, *eſt*
ſuper omnes poteſtate. Eſt etiam *per*
omnia loca: nec vllatenus ab eo licet
effugere. Qui ſi ita communiter eſt
ſuper omnes & per omnia, tamen in
omnibus electis eſt familiarius, dan-
do gratias ſuas. ¶ Hic poteſt intelligi
trinitas. Super omnes pater. Per om-
nia filius. In nobis amor patris & filij
.i. Spiritus S. Quia dixerat ſumus vnũ
corpus, vnus ſpiritus, vnus eſt nobis
D Dominus, vna fides. Ne per hoc malè
opinarentur omnes æqualiter eſſe in
hac noua gratia; vt nemo prælatus,
nemo ſubditus, nemo ſeruus, nemo
Dominus: determinat hoc dicens.
Licet vnum ſimus, vnumque Deum,
& vnam fidem habeamus: tamẽ *vni-*
cuiq; noſtrum data eſt gratia Dei, non Gratia data eſt vnicuique noſtrum.
eadem omnibus, ſed *ſecundum men-*
ſuram donationis .i. donatoris *Chriſti*.
Huic illa gratia, huic iſta: & plerum-
que in eadem gratia diuerſitas: quia
hic minus, hic plus habet de eadem
gratia. *Propter quod* comprobandum

 (ſcilicet

(ſcilicet quod ſit donator gratiarũ) Spiritus ſanctus *dicit* in Pſalmo: Homo Chriſtus *aſcendens in altum* .i. ſuper altitudinem cœlorum. *Captiuitatem* .i. humanam naturam prius à paradiſo & cęlo expulſam *reduxit* in ſe homine *captiuã:* quia à loco (qui ipſi per peccatum naturalis erat) ablatã, reuexit ad cœlos, ſcilicet, ad patriam prius ipſi (niſi peccaret) deſtinatam. Homo enim in puritate creatus paradiſum habuit ad habitãdum : vt ibi peracta obedientia inde transferretur ad cœlos: ſed quia peccauit & repromiſſum cęlum perdidit, & à loco habitationis.i.à paradiſo depulſus in terra iſta captiuatus eſt : quam terrã peccatum ita homini fecit naturalẽ, ſicut iuſtitia quamdiu in ea fuit paradiſum naturalẽ fecit. Iterum Chriſtus deſtructo peccato hominis , humanam naturam à miſeria iſta (qui locus iam ipſi per peccatum naturalis erat) captiuam: quia à naturali loco ablatam reduxit ad priorem patriam, ſcilicet, ad cœlos. Sed quantò prior captiuitas miſerior , tantò ſecunda glorioſior. Aſcendens Chriſtus vtique in altum, *dedit dona hominibus :* quia miſit Spiritum ſanctum in corda diſcipulorum. Et quia dedit dona , probatum eſt Chriſtum eſſe donatorem gratiarum. Quis autem intellectus colligi debeat ex eo quod ait, aſcendens in altum, vult explanare : non tamen digrediens ab intentione. Dico aſcendens. Sed *quid eſt*.i. quid per hoc intelligendum eſt *quod* Dominus *aſcendit ?* Aſcendens & aſcendit pro eodem habet : niſi hoc intelligamus, quod ſi aſcẽdit ſequitur, quod prius quam aſcenderet *deſcendit* .i. in humili loco fuit. Si enim aſcendit, ſequitur quod de inferiori ad ſuperius aſcendit. Deſcendit dico *in inferiores partes terræ*.i. in infernum: qui vtique in terra , ſed in inferiori parte eſſe creditur. Ideò probauit eũ qui aſcendit prius in humili loco, ſicut verum hominẽ habitaſſe, vt ſcientes Chriſtum datorem gratiarũ ſicut nos ſumus ita eſſe hominem: fiducialius ab eo petamus gratias ſuas : qui

A niſi cõparticipaſſet humanitati noſtræ, multo nobis inexorabilior eſſet. Et quia ille aſcendit primum , igitur qui deſcendit & *qui aſcendit ſuper omnes cœlos*, ipſe vnus & idẽ eſt indiuiſus Chriſtus , homo , Deus. Vel aliter. Quid eſt quod aſcendit humanitas Chriſti , niſi quia primum deſcendit diuinitas in inferiores partes terræ .i. ad vniẽdam ſibi humanitatem inter homines ? Si enim vſque ad globum Solis & Lunæ deſcẽderet , infra eſſet: ſed ad terras deſcẽdere fuit inferius. Et licet alius videatur aſcendens , id

B eſt, homo: alius deſcendens ,i. Deus: tamen qui deſcendit & qui aſcendit ſuper omnes cœlos: ipſe idẽ eſt vnus diuiſa perſona. Sic iterũ benè ad intentionem. Quia cum tantam videamus eius potentiam vt homo Deus ſuper cœlos aſcenderit : fiducialiter poſtulare poſſumus ab eo qui omnia poteſt. Aſcẽdit ideò *vt adimpleret omnia* donis ſuis: iuxta quod idẽ ait. Niſi ego abiero: paracletus non veniet ad vos. Poſtquam probauit Chriſtum donatorem gratiarum , oſtendit diuerſitatem donorum. Benè dico ad- *Ioan.16.* *Gratia Dei ſunt diuerſa.*

C impleret omnia: *etenim* ipſe Chriſtus *dedit quoſdam quidem* .i. diſcretè ab alijs *Apoſtolos. Quoſdam autem* dedit *Prophetas* , qui reuelarent ſcripturas. *Alios vero Euangeliſtas*.i. prædicatores. *Alios autem paſtores & doctores* .i. Epiſcopos , qui de menſa corporis Chriſti ſubditos paſcant : & de nouo & veteri teſtamento doceant. Ideò alios & alios dedit *in opus miniſterij:* quia ſi vni omnia daret, dum vnus ad omnia non ſufficeret , miniſteria Chriſti imperfecta remanerent. Miniſterij dico valentis *ad conſummationem ſanctorum* , id eſt, vt qui iam iuſti

D ſunt ad perfectionem aſcendant. Miniſterij etiam valentis *in ædificationem corporis Chriſti* , id eſt , ad hoc vt de ijs qui adhuc ſunt increduli ædificetur corpus Chriſti , id eſt, Eccleſia. Dicerent illi quos (ne propter vnitatem Eccleſiæ ſe debere eſſe æquales putarent) admonuit: parum prodeſt quod fidem accepimus : ſi ſemper in ſubiectione nos oporteat permane-

re.

re. De hoc cenſolatur eos dicens. Ne graue ſit vob ſi alij ſubijciuntur: alij præferuntur. Cito enim huius diuerſitatis erit finis. Diuerſitatis dico nõ amplius duraturæ, niſi *donec occurramus* ſecũdum deſiderium ſanctorũ, ait. Occurramus omnes exiſtentes *in vnitate fidei* .i. quibus vna de Chriſto fides: *&* exiſtentes in vnitate *agnitionis filij Dei*, id eſt, in vnitate bonorum operum fidem ſequentium, per quæ opera filius Dei agnoſcitur. Vel in vnitate agnitionis Dei, vt de cognitione Deitatis non laboremus: *donec occurramus in virum perfectum*, id eſt, vt ſimus perfectus vir, impaſſibilitate & immortalitate recepta. In virum perfectum dico, ſcilicet, *in menſuram* .i. in metam *ætatis Chriſti*. Aetatis dico *plenitudinis*, id eſt, in qua Chriſtus plenitudinem habuit, ſcilicet, poſt reſurrectionem factus impaſſibilis & immortalis. Vel aliter. Occurramus in virum perfectum, ſicum dictum eſt: & in metam ætatis Chriſti XXXIII. annorum & dimidij: quæ ætas fuit plenitudinis. Poſtquam enim ad illam ventum eſt, non eſt quo creſcat caro: nec in augmento virium, nec longitudinis. Omnes enim ſiue iuniores ſiue ſeniores in eodem puncto ætatis reſurrecturi ſumus: in quo Chriſtus mundum exiuit & reſurrexit. Ideò alios Prophetas: alios doctores vel paſtores dedit: *vt iam* olim quidem ſic fuimus: ſed amodo *non ſimus paruuli* intellectu. Nec ſimus ex nobis *fluctuantes:* modo benè modo malè agentes: *&* vt non per alios *circunferamur modo* hac modo illac, *omni vento doctrinæ*. Alludit ſimilitudini. Mare enim mundum; ventus, ſeductores; nauis, Eccleſiam: quæ modo infra, modo ſupra perſecutione malorum depellitur, ſignificat. Doctrinæ dico factæ *in nequitia hominum:* nequiſſimi enim ſunt ſeductores huiuſmodi. Doctrinæ etiam factæ *in aſtutia*, latenter ſeducunt ſimplices: Aſtutia dico tendente *ad circumuentionem erroris* .i. vt nos circumueniant de errore ſuo. Non ſimus fluctuantes: *ſed creſcamus in charitate*, id

Ætas Chriſti fuit ætas plenitudinis, & in ea omnes reſurgent.

Doctrina aſtuta, ſeducunt ſimplices.

A eſt, in dilectione Dei & proximi. *Veritatem*, id eſt, puram à mendacio doctrinam non ſolum audientes: ſed etiam facientes opere. Creſcamus eundo *per omnia* bona cooperatione & conſenſu. Creſcamus dico in illo adiuuante in quo ſatis creſcere poſſumus, quia *qui eſt caput*, id eſt, altitudo in qua ſemper aſcendendum eſt & qui eſt *Chriſtus* rex noſter; *ex quo* capite Chriſto *totum corpus* Eccleſiæ *compactum* eſt per fidem. Et quia nondum ſufficit, poſſent enim compingi in eãdem fidem, & ſeinuicem non B ſequi; ſicut ligna ſolummodo compacta, ſi trahatur vnum non ſequitur alterum. Et hoc malum eſſet ſi membra caput non ſequerentur: ideò addit corpus eccleſię compactum per fidem, *& connexum per charitatem*. Dilectio enim clauus eſt, quo ſine diuiſione ligantur. Compactum dico & connexum *per omnem iuncturam fidei*, charitatis, & omnium virtutum. Iuncturam dico quæ eſt cauſa *ſubminiſtrationis* .i. vt alterum membrum ſubminiſtret alteri. Subminiſtrationis dico factæ *ſecundum operationem* C *quæ* fit in menſuram vniuſcuiuſque membri Eccleſię. Aliud enim membrum magis, aliud minus ſecũdum quod facultas ſibi eſt, ſubminiſtrat. Totum in quam corpus ſic cõpactum & connexum facit *augmentũ corporis* Eccleſiæ. Secundũ incrementum iuſtitiæ in fidelibus facit: & valẽs *in ædificationem* ſui corporis .i. Eccleſię cuius membrum eſt: *ædificationem* ſicut ſupra ſecũdum incredulos qui ædificantur ad fidem. Augmentum & ædificationem dico *factam in charitate* .i. ſecundum dilectionem Dei D & proximi. Vel ita conſtruamus, non mutata ſententia. Ex quo totum corpus cõpactum & connexum per omnem iũcturam ſubminiſtrationis facit augmentum corporis in ædificationem ſui: facit dico ſecũdum operationem diſtributam in menſuram vniuſcuiuſq; membri: & hoc totum in charitate, quia Deus quoſdam dedit Apoſtolos, alios Euãgeliſtas, alios doctores, hoc autem ad conſumma-

Dilectio eſt clauus ligans.

tionem veſtri. Iterum, quia totũ corpus Eccleſiæ compinxit & connexuit per iuncturã fidei & charitatis: igitur *hoc dico* & præcipio vobis: nec ſimpliciter dico, ſed *etiam teſtificor in Domino* .i. in hac admonitione veſtri Deũ teſtem adduco: ne amplius quicquã de vobis à me. ſed (ſi peccatis) de manib⁹ veſtris requiraſ. Hæc verba Paulus habuit ad illos, quando conuocata Eccleſia Epheſiorum ait. Non amplius faciem meam viſuri eſtis: ſtate in eo quod vos docui: Mundus enim ego ſum amodo à ſanguine veſtro: videte quid feceritis, quia requiretur de manibus veſtris. Teſtificor, inquã, in Domino, *vt iam non ambuletis ſicut* olim ambulaſtis: *& gentes* adhuc *ambulant*. Vbi ait iam, ſignificat eos prius ambulaſſe. Non ambuletis ſicut gentes ambulant *in vanitate* .i. in ſæcularitate *ſui ſenſus*. Senſus enim mundi vanitas eſt. Gentes dico *habentes intellectum* i. naturalem rationem *obſcuratam tenebris* .i. adeò vt per totum tenebræ & nihil ſit luminis. Gentes dico *alienati à vita Dei*.id eſt, ab æternitate in qua Deus viuit. Alienati cognitione & participatione ſicut idem ait. Alienati *per ignorantiam*, quia ignorant vitam Dei: quæ ignorantia eſt in illis *propter cæcitatem cordis* .i. propter excæcatum cor eorum. Cùm enim prius prędicatum eſt illis verbum Dei, facultatem habuerunt intelligendi: & non intelligendi: ſed quia elegerunt ignorare: ideò excæcati ſunt adeò quod iã impotentes ſint, ꝙ bonum eſt animaduertere Hæc non ideò loquitur illis quod Epheſij in aliquo malè errauerint: ſed quia verebatur ne faciles eſſent ad ritus gẽtilium retrahi: in quibus ante fidem fuerant conuerſati. Quod non errauerint colligitur ex eo: quod paulò inferius vocabit eos ſanctos: *qui* excęcati *deſperantes*. Cùm enim audiunt homo reſurget in gloria, conregnabit Chriſto: & cætera: friuolum hoc putantes deſperant: & ideò tradiderunt ſemetipſos, & non tantum conſenſu & voluntate euntes in operationem omnis immunditiæ: quia quod male voluerunt: deterius operati ſunt. In operationem immunditiæ dico: in auaritia: Quantò enim immundius operabantur, tantò auidiores facti ſunt immunditiarum. Vel aliter. *Tradiderunt ſe in immunditiam & in auaritiam*, Gentes ſic impudicè & immundè ambulant: *vos autem non ita didiciſtis Chriſtum ambulaſſe*, quem ſequi debetis. Hac tamen conditione dico: *ſi audiſtis* .i. intellexiſtis *illum* Chriſtum, *& ſi edocti eſtis in ipſo*.id eſt, in informatione ipſius: quod vtique verum eſt: quod audiſtis eum, & in ipſo edocti eſtis: non de falſitate ſed *ſicut eſt veritas in Ieſu*. His enim quæ docui vos de Chriſto, nihil falſitatis admiſcui: vt Nicolaitæ, qui prædicant Chriſtum non improbaſſe communem vſum mulierum: & cæteris falſitatibus veritatem Chriſti confundunt. Et quia ſecundum veritatem edocti eſtis in Chriſto: igitur *deponite vos veterem hominem*. Vel ita. Edocti vtique eſtis in Ieſu deponere vos veterem hominem: non quod carnem ab eo diriuatam deponatis, quæ ſemel deponitur per mortem: ſed deponite eum *ſecundum priſtinam conuerſationem*, id eſt, ſecundum vetuſtatẽ operationis peccati. Deponite etiam eum *ſecundum deſideria erroris*, id eſt, vel de errore venientia: vel in errorem præcipitantia: qui vetus homo in ipſo ſuo opere corrumpitur. Quanto enim frequentius peccat, tantò ipſa caro magis debilitatur & deformatur. Vel in eadem ſententia rectè ſequamur literam. Deponite veterem hominem qui corrumpitur: non ſolum ſecundum opus, ſed etiam deponite ſecundum deſideria erroris. Veterem deponite, *nouum autem* hominem *induite*. Et ideò *renouamini*: iam enim per baptiſmũ ſemel noui facti ſunt, ait. Iterum renouamini in *Spiritu S.* illuminatore *mẽtis veſtræ*. Vel intrãſitiuè renouamini ſpiritu mentis veſtræ .i. ſequendo ſpiritalem mentem veſtram: & ſic renouati induite nouũ hominẽ. Nouũ ideò quia noua facit omnia, *qui* nouus homo *creatus eſt*.

Non

Act. 20. 25. — *Senſus mundi vanitas eſt.* — *Nicolaitarum error.*

Non ſecundum legem carnis: ſed *ſecundum Deum*: de Spiritu ſancto conceptus & natus. Induite dico Chriſtum *in iuſtitia* ſeruata ad proximũ: *&* in *ſanctitate*, id eſt, poſſidentes vos ipſos in ſanctificationem Deo. Sanctitate dico & iuſtitia non ſimulationis, ſed *veritatis*: ne ſimulemus nos eſſe iuſtos, cum mali ſimus. *Propter quod*, id eſt, quia vetus homo deponendus eſt, nouus induendus. Ideo aſſumamus membra noui, deponentes membra veteris. ſ. *deponentes mẽdacium*, quod membrum veteris eſt. *Loquimini vnuſquiſq; veritatem cum pximo ſuo.* Veritas enim membrum eſt Chriſti. Veritatem loqui debemus cum proximo: *quoniam ſumus membra inuicem*, id eſt, alter alterius. Sic qui defraudat proximum, in corpore ſuo fraudem facit. Iterum induendo nouum. *Iraſcimini* contra peccata fratrum: *&* in iraſcendo *nolite* ſic *peccare*, vt de contemptu peccati improuide ruatis in contemptũ proximi. Sic enim peccatum odiendum eſt, vt nihil minus diligatur creatura Dei. In iraſcendo autem non peccabitis, ſi *ſol*.i. diuinitas illuminãs vos. Vel ſol, id eſt, illuminata ratio veſtra *non occidat* .i. non deſtruatur *ſuper* .i. propter *iracundiam veſtram*: quod ira in vobis non ſuperet rationem. Sol occidat ſuper iracũdiam, à ſimilitudine eorum dictum eſt: qui bus in valle poſitis, mons magnus ſupereſſet: ſuper quẽ eis occideret ſol, dum altitudo montis à valle ſolem auerteret. Vel aliter quaſi diceret. Video vos non poſſe penitus contineri ab ira. Patior vos. Iraſcimini & ita, quod nolite peccare, id eſt, iram actu conſummare. Et hoc cauendum vtile erit ſi ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram .i. ſi priuſquam veniat veſpera, deponatur ira. Dicerent illi. Præcipis; nolite peccare: ſed quomodo poteſt hoc ne peccemus fieri? Ad hoc ait. Vt peccatum euaderet poſſitis, *nolite locum*.i. opportunitatem peccãdi *dare diabolo* in vobis, ſed fugite eum. Nolite locũ dare

Veritas membrũ eſt Chriſti.

A diabolo: ſed ille *qui prius furabatur, iam* amodo *non furetur.* Ad literam *Sed magis laboret* .i. laborare eligat *operando manibus ſuis*. Non homicidia vel huiuſmodi: ſed *quod bonum* & vtile *eſt*. Et adeo laboret vt habeat ſibi: *& vnde tribuat* proximo *neceſſitatem patienti*. Iterum aliud. *Omnis ſermo malus non procedat*: id eſt, nullus ſermo malus procedat *ex ore veſtro. Sed ſi quis* ſermo eſt *bonus* & vtilis *ad ædificationem fidei*, id eſt, vt proximũ ædificet in fide: ille procedat Ita tamen

B *vt det gratiam audientibus*, vt gratus ſit ijs qui audiunt, & loco, & tempore. Vos prælati (ſicut dictum eſt) docete. Et vos auditores *nolite contriſtare*: non dico ſolum eos qui vos inſtruunt, ſed qui in eis loquitur *Spiritum ſanctum*. Spiritum, dico, *Dei*. Videte quam grauis culpa: quia ſi prædicatorem & ſpiritum in eo loquentem, & ſi ſpiritum offenditis & Deũ, ita qui prædicatorem offendit, Deũ offendit: Nolite cõtriſtare ſpiritum, *in quo ſpiritu ſignati eſtis*, vos enim cera, ſpiritus ſigillum impreſſum

C vobis. Signati dico *in die redemptionis*, id eſt, baptiſmi, in quo ab omni peccato redempti eſtis: Nolite contriſtare ſpiritum, ſed *tollatur à vobis omnis amaritudo* animi, *& ira*, id eſt, ſubita commotio animi *& indignatio*. Si enim ignobilis ſuperabundat vobis nobilibus, ne indignemini. *Et clamor*, ne inordinatè conclametis litigando. *& blaſphemia* facta in Deum vel proximum. Qui enim ſic ait: Quare hoc Deus fecit? Videtur dixiſſe, quod Deus non bene fecerit. Vt breuiter omnia remoueam: hæc *cũ omni*

D *malitia*, id eſt, & omnis malitia *tollatur à vobis*. Ne ſitis amari vel blaſphemi: *ſed eſtote benigni*; id eſt, largi inuicem alter dando alteri. Et ſi non habetis, quid detis, eſtote ſaltem *miſericordes* animo, *donantes inuicem*, id eſt, indulgendo alter alteri, *ſicut Deus donauit vobis* peccata *in Chriſto*, id eſt, per Chriſtum.

(∵)

CAP. V.

*ESTOTE ergo imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi: & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſt⁹ dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationẽ, & hoſtiam Deo * in odorem ſuauitatis. Fornicatio autem, & omnis immũditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas quæ ad rem nõ pertinet, ſed magis gratiarum actio. Hoc enim ſcitote, intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod eſt idolorum ſeruitus) non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei. Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis .n. aliquando tenebræ, nunc autẽ lux in Domino: vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate. Probãtes quid ſit beneplacitum Deo. Et nolite cõmunicare operibus infructuoſis tenebrarũ, magis autẽ redarguite. Quæ .n. in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere. Omnia aũt quæ arguũtur, à lumine manifeſtãtur. Omne .n. quod manifeſtatur lumen eſt. Propter quod dicit. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Videte itaque fratres quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes ſed vt ſapientes, redimentes tẽpus quoniam dies mali ſunt. Propterea nolite fieri imprudentes: ſed intelligẽtes quæ ſit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria: ſed impleamini Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritalibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Deo & patri. Subiecti inuicẽ, in timore Chriſti. Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino: quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: ipſe ſaluator corporis eius. Sed ſicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri diligite vxores veſtras, ſicut &*

* non habet Deo.
46. di. clericum 33. q. 4. in eodem.
1. q. 1. cum omnis 1. ſicut vrgeri. in ſi. & q. 3. ſaluator De exceſſ. prala vt clerici.
Coloſſ. 3.
De pœ. di. 4 § hanc ſocietatem.
Coloſſ. 3. 5.
Rom. 12.
1 Theſſ 4.
35. di. vinolentum.
De conſe. di 2. in calice.
De iureiur & ſi Chriſtus. De cõſe. di. 1. de hymnis.
32. q 6. c. ſi.
De ſacra vnct. vnic.
1. Cor. 11. verſ. 3.

A *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea vt illã ſanctificaret, mũdans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi: ſed vt ſit ſancta & immaculata. Ita & viri debent diligere vxores ſuas, vt corpora ſua. Qui ſuam vxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo .n. vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eã, ſicut & Chriſtus Eccleſiam: quia membra ſumus corporis de carne eius, & de oſſibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem,*
B *& adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnũ eſt. Ego autem dico, in Chriſto & in Eccleſia. Verumtamen & vos ſinguli vnuſquiſque vxorem ſuam ſicut ſe ipſum diligat, vxor autem timeat virum ſuum.*

Coloſſ. 3. 18.
1. Pet. 3. 1.
47. di. ſicuti. § neceſſe.
Gen. 2. 28.
Mat. 19. verſ. 5.

ET quia Deus donauit vobis peccata: *ergo eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi*, dimittendo alter alteri. Nec ſolùm donando imitamini, ſed etiam *ambulate in dile-*
C *ctione*, vt alter alterum diligat, *ſicut & Chriſtus dilexit nos.* Dilexit vtique: etenim *tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* In veteri lege oblationes dicebantur panes propoſitiones, luminaria, & huiuſmodi. Hoſtia verò quod mactabatur in altari: in Chriſto verò oblatio fuit omnia illa bona quæ geſſit vſque ad diem mortis. Hoſtia autem dictus eſt, quando ſeipſum obtulit in ara crucis: & illa vetus hoſtia dicebatur eſſe ſuauiſſimus
D odor Deo, ſecundum ſacrificium Chriſti, quod præfigurabat: ſecũdum ſe enim fœtidum erat. Eſtote imitatores Dei, non autem fornicatores. Quod ſic ait. *Fornicatio & omnis immunditia* (ſicut ſæpe expoſuimus) *aut auaritia*, nõ ſolùm dico nõ ſit: ſed *nec* etiã *nominetur in vobis* .i. ne vos tales improuide exhibueritis: vnde q̃s malè ſaltẽ poſſit opinari. Dico non nominetur in vobis, *ſicut decet ſanctos*, ꝙ eſtis vos, non tãtùm corã Deo, ſed etiã prouidere bona corã hominibus.

Oblationes panes propoſitionis dicebantur Hoſtia.

Vocans

Vocans eos ſanctos, innuit ſe nō ſcribere hæc, quia peccauerint: ſed propter hoc ſolum, vt ſibi de cætero prouideant. Fornicatio non nominetur in vobis: *aut turpitudo, aut ſtultiloquium: aut ſcurrilitas.* Turpitudinem vocat attrectationes, & illas mulierū deoſculationes. Sultiloquium in illis qui laborant appoſitè loqui mulieribus, ad perſuadendum. Scurrilitas eſt pectere & ornare ſe, vt placeant illis qui iudicant curialitatem, quæ ſcurrilitas *non pertinet ad rem*.i. non ſpectat ad aliquam vtilitatem: & ideo non nominetur in vobis, *ſed magis actio gratiarum*, id eſt, ſic honeſte vos habete: vt in vobis agant gratias Deo qui bona veſtra viderint. Ideò hæc non nominentur in vobis, quia qui huiuſmodi eſt, non habet hæreditatem in regno Dei. Vel ita. Non ſolùm ideo non nominentur in vobis, quia non pertinēt ad rem: ſed etiam ideo quia auferunt regnum Dei. Quod ſic ait. *Scitote hoc intelligentes*.i. ſubtili intelligentia hoc diſcutiētes, *quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod*.ſ. auarum eſſe *eſt ſeruitus idolorū.* Dum enim auarus magis diligit pecuniam quam Deum, eā ſibi facit Deum. Fornicator, inquā, cum illis, *non habet hæreditatem in regno Christi & Dei:* & ne ab hæreditate regni alieni ſitis videte: *Nemo ſeducat vos verbis inanibus*, id eſt, falſis & mendacibus. Hoc ait propter illos Nicolaitas, qui ſuadebant Deo non diſplicere quæcunque carnalia. Videte, nemo ſeducat vos. *Nam propter hæc* quæ ſuperius prohibita ſunt, *venit ira*.i. vindicta *Dei in filios diffidentiæ*, id eſt, de quorum ſalute diffidimus: vel qui de ſalute Dei diffidunt. Et quia propter hæc venit ira Dei, *ergo nolite effici participes eorum* .i. fornicationis, immunditiæ, aut auaritię. Ideò nō debetis participare his: quia modo difficilius eſſet vobis peccare, quam olim: tunc enim per ignorantiam: ſed nunc prudentes manū mitteretis in ignem. Quod ſic ait. *Eratis aliquādo*.i. ante fidem *tenebræ*.i. ignorantes: *nunc autem lux in Domino* .i.

Turpitudinē quid vocat Apoſtolus.

Scurrilitas quid eſt.

Auarus pecuniā Deū facit.

A illuminati per Dominum. Et ideo *ambulate vt filij lucis* debent ambulare. Ambulate dico in omni bonitate habita in vobis, & iuſtitia ſeruata ad proximum, & in veritate vt vera verba dicatis. Ideò in his: quia ſic ambulare eſt non ſimpliciter opus, ſed *fructus lucis* .i. fructiferum opus illuminatorum. Ambulate vt filii lucis, *probantes* .i. probabiliter conſiderantes, *quod eſt beneplacitum Deo.* Et vt quod beneplacitum eſt ei faciatis, *nolite communicare operibus tenebrarum*, .i. tenebroſorum. Operibus dico *infructuoſis* & inutilibus: nolite cōmu-
B nicare, *ſed magis redarguite* opera tenebrarum. Non debetis communicare: *quia turpe eſt etiam dicere: nedum facere ea quæ fiunt ab ipſis in* occulto. Qui enim malè agit lucē odit. Opera tenebrarum redarguite: modo aſſumit. *Omnia autem quæ arguuntur à lumine* .i. repræhenduntur ab illuminatis: manifeſtantur per confeſſionē: & dum *arguuntur* pœnitent ſe malè egiſſe. Et vtile eſt ſi manifeſtantur.
C Omne .n. quod ſic per confeſſionem manifeſtatur lumē eſt .i. iam incipit eſſe in lumine iuſtitiæ cū pœnitet ſe malè egiſſe. Vel aliter. Omnia quę arguuntur à lumine (ſicut dictū eſt) manifeſtātur ipſis qui repræhenduntur: prius.n. ignorabāt pōdus peccati ſui, quod per repræhenſionē agnoſcunt. *Omne autē* ꝙ *ſic manifeſtatur, lumē eſt*, quia in eo quod iā cognoſcit peccatū ſuū, quodāmodo illuminatur, & appropinquat iuſtitiæ. *propter* ꝙ cōpro-
D bādum.ſ. quod tenebræ fiūt lumē per manifeſtationē, *dicit* Spirit. S. in me. Hęc.n. auctoritas alibi non inuenitur in ſcripturis. Dicit inquam ita. *Tu qui dormis* per ignorantiam in peccato: *ſurge* per cognitionē peccati, ſeu per confeſſionem: & cognito peccato *exurge à mortuis* .i. à peccatis quæ generant mortē. Vel à mortuis.i. à numero mortuorū .i. peccatorum: faciēdo fructus dignos penitētiæ: *&* ſic tibi exurgenti *illuminabit Chriſtus*, in fundendo gratiā. ¶Dixit ſuperius redarguite opera tenebrarū: quæ enim arguuntur per manifeſtationē, de te-

Ioa.3. v.20.

Dormiens in peccato qualiter ſurgere debet.

nebris

nebris fiunt lumen. Et quia de redargutione tanta ſequitur vtilitas, vt quod tenebroſum eſt, fiat lumẽ. *Itaq. fratres* redarguite opera tenebrarum: & vt libere redarguatis, *videte quomodo ambuletis caute*.i. ne forte inueniatur in vobis, quod in aliis redarguitis. Cautè ambuletis, *non quaſi inſipiẽtes:* qui enim quod in ſe eſt, in alio repræhendit: inſipienter agit: dum ꝙ ſibi in alio diſplicet, in ſe ſibi placet: Non quaſi inſipientes: *ſed vt ſapientes* .i. prius purgantes conſcientiam: & tunc liberè mala proximi redarguẽtes. Caute, inquam, ambulate. Nos dico, *redimẽtes tempus*. Secundũ beatũm Gregoriũ tempus redimere, eſt anteacta mala fletibus diluere. Cũ.n. male agimus, tempus perdimus: cùm vero mala quæ geſſimus per pœnitẽtiam emendamus, & deinceps bene agimus, tẽpus perditũ redimimꝰ. Vel redimentes. i. præparãtes vobis tempus. Tũc.n. tempus redimimus cum nos ad agendũ ꝙ bonum eſt idoneos præparamus. Sicut enim q male agit, tempus perdit; ſic qui bene agit tẽpus quidẽ habet, ſed nõ redimit: ſed præparando ſe, vt ſit idoneus ad bene agendũ: his præparationibus tempus redimere dicitur. Videte vt cautè ambuletis, & tempus redimatis, *quoniam dies mali*.i. homines in diebꝰ iſtis mali *ſunt*. Et *propterea* quoniã dies mali ſunt: *nolite fieri imprudentes*.i. improuidè arguẽtes, *ſed intelligentes*:i. ex intelligentia & calliditate mala proximi corripientes. Intelligentes, dico, *quæ ſit voluntas Domini*. Voluntas.n. Dei eſt magis humiliter condeſcẽdere proximo, quã nimia aſperitate eũ deterrere. Nolite fieri imprudentes: *& nolite inebriari vino, in quo* vino *eſt* cum ebrietate *luxuria: ſed inebriamini Spiritu ſancto*. Quod ſic ait. Impleamini Spiritu ſancto, *loquẽtes vobiſmet ipſis*.i. cũm intellectu eorũ quæ profertis. Loquentes, dico, *in pſalmis*. Pſalmus dicitur cãtus ille, qui motu manuũ fit in inſtrumento illo, quod dicitur pſalteriũ. Vnde ſic ait. Loquẽtes in pſalmis.i. in his quæ pertinent ad inſtructionem mortalitatis. Loquentes *in hymnis*. Hymnus dicitur laus Dei cum cãtico, Hymnos etiam hic vocat: vel laudes Dei vel geſta ſanctorum ſimiliter ad gloriam Dei. Loquentes etiam *in canticis ſpiritalibus*. Cãticum dicitur exultatio de cœleſti bono: & ideo ait ſpiritalibus: quibus canticis maximè vtũtur monachi, agentes ibi in deſiderio futuræ beatitudinis. Non ſolum cum intellectu loquentes Pſalmos, Hymnos, Cantica: ſed etiam operantes quod loquuntur. Quod ſic ait. *Cantantes* in hymnis *&* canticis, *& pſallentes*.i. bene operantes in pſalmis. Cantare in hymnis & canticis pro modo ſuo operari eſt. Cantantes dico, & pſallentes *Domino in cordibus veſtris* .i. ex dilectione non quaſi coacti. *Agentes* etiam *gratias ſemper* Deo & patri, qui & creauit & diligit. Gratias dico *pro omnibus* ſeu aduerſis, ſeu proſperis. Agentes dico *in nomine*.i. ad glorificandũ nomẽ *Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Vos dico *ſubiecti inuicem* alter alteri *in timore*.i. in dilectione *Chriſti*. Poſtquam hæc præcepta in publico dedit, admonet ſeparatim ſexus & conditiones, quomodo coherere debent alter alteri. Litera ſic iungitur. Dico ſubiecti eſtote inuicẽ, ſed *mulieres* alio genere ſubiectionis *ſubditæ ſint viris ſuis*, ita ſubditæ *ſicut Domino*. Ideò viris ſubiiciantur vt Domino: *quoniam vir caput*.i. rector *eſt* & principium *mulieris*: *ſicut & Chriſtus caput* eſt *Eccleſiæ*, gubernando eã quam formauit de latere ſuo. Sicut enim de coſta viri mulier, ſic de latere Chriſti Eccleſia. *Ipſe* etiam Chriſtus *ſaluator* eſt *corporis eius*.i. Eccleſię eam enim ſaluat: ſed vir regere quidem poteſt mulierẽ, ſed ſaluare nequit. Et licet in hoc differant, quod Chriſtus ſaluat Eccleſiã; vir non ſaluat mulierẽ: tamẽ non propterea minor ſit ſubiectio. Sed *ſicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto; ita & mulieres ſubiectæ ſint viris ſuis in omnibus* quæ oportet. Mulieres ſubdantur viris. Vos autem *viri* non dico eſtote ſubditi mulieribus, ſed *diligite vxores veſtras*: nec parum, *ſed ſicut Chriſtus dilexit* Eccle-

Tempus redimere quid eſt.

Tempus perdit qui male agit.

Pſalmus quid dicitur.

Hymnus quid dicitur.

Canticum quid dicitur.

Vir eſt caput mulieris.

Eccleſiam. Dilexit vtiq; : etenim *tradidit ſeipſum* in mortem *pro ea*, *vt ſanctificaret illam à* peccatis : *mundans eā lauacro aquæ.* Hic aquā oſtēdit neceſſariam ablutioni. Mundans dico *in verbo.* Verbum dicit prolationē trinitatis. Verbo dico *vitæ*.i. in quo verbo accipitur vita iuſtitiæ. Vel verbo vitæ.i. Chriſto qui in baptiſmo vitam nobis iuſtitiæ reſtituit. Sanctificaret ideo *vt* in die nuptiarum ipſe *ſibi exhiberet Eccleſiā* decore virtutum *glorioſam, non habentē maculam*.i. aliquid criminale, *aut rugam* .i. doloſitatem: *aut aliquid eiuſmodi:* quod vel macula videatur eſſe vel dolꝰ : *ſed vt ſit ſancta*, poſitione virtutum : *&* vt *ſit immaculata*, remotione vitiorum. Sicut Chriſtus Eccleſiam : *ita diligant viri vxores :* ita etiam debent diligere *vt corpora ſua.* Verè ita vt corpora. *Qui enim diligit ſuam vxorem, diligit ſeipſum.* Vxor enim caro viri eſt, & ideo debet eam diligere. *Nemo.n. vnquam habuit odio carnem ſuam, ſed nutrit* cibis, *& fouet eam* veſtimentis. Martyres etiā qui carnes ſuas tradiderūt ad ignem, dicuntur dilexiſſe carnem, dū eam voluerunt pati ad horam, vt ſic requieſceret in æternum: Sicut infirmusqui carnem ſuam medico tradit ad vrendum & ſecādum, vt per aſperitatem vnius diei habeat lōgo tempore quietam ſanitatē corporis. Nutrit dico & fouet. *Sicut Chriſtꝰ* nutrit & fouet *Eccleſiam* .ſ. nos qui Eccleſia eius ſumus : ideò nutrit nos Eccleſiā ſuā: *q̨a ſumus mēbra corporis eius* Chriſti.i. Eccleſię. Nos dico exiſtentes quidam *de carne eius.* Hi ſunt infirmi minus fortes in Eccleſia. Quidā vero exiſtentes *de oſſibus eius*.i. de robuſtioribus in Eccleſia. Chriſtꝰ carnē habuit, ſecundū infirmitatem cuius tædebat & pauebat. Habuit oſſa.i. rationem ſecundū quam dicebat. ſpiritus prōptus eſt. Sic hodie in Eccleſia quidam caro, quidā oſſa dicūtur. In hoc etiā verbo mittit nos ad primā creationē, quādo Adā vidēs Euā creatam ait. Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea. *Propter hoc*, quia vxor caro viri eſt, *relinquet homo patrem &*

Verbū dicit Apoſtolus prolationē trinitatis.

Vxor quare à viro diligenda.

Geneſ.2.23.

A *matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo*, vir & vxor, *in carne vna.* Cùm homo caro ſit patris & matris in carne, quorum originem habuit; magis dicitur vir caro mulieris, & ſecundum naturam creationis, quæ de viro mulier formata eſt. Et ſecundū vim illius coniūctionis in qua mirabiliter tranſeunt in vnitatem carnis, adeò vt dicant phyſici : quod ſi ſanguis viri & mulieris, qui carnaliter commixti ſint, in eodē vaſe ponatur, indiuiſibiliter commiſcetur. Si verò ſanguis eorū qui rē ſimul nō habue- B rint, ſimiliter ponatur, nō ſic admiſcetur, ſed ſanguis viri per ſe & mulieris, ſicut ante vel poſt poſitū eſt, remanet. Propterea quia vna caro sūt. vir debet vxorem diligere. Præterea ideo quia *hoc* .i. relinquet homo patrem & cætera: *eſt magnum* .i. magnæ rei *ſacramentum.* Quod.n. ait. Relinquet homo patrē, ſignificat filiū Dei reliquiſſe patrem, dum ipſe per naturā deitatis inuiſibilis, ſicut pater ſub forma ſerui præbuit ſe viſibilē. Reliquit iterū matrem.i ſynagogā in qua C nutritus erat, & adhæſit vxori ſuæ.i. Eccleſiæ quā ſibi anulo fidei deſponſauit. Hoc, inquam, eſt ſacramētum. *Ego autem dico* rem huius ſacramenti exiſtere *in Chriſto, & in Eccleſia*, ſicut dictum eſt. Si omnis alia cauſa in cōiugio ceſſaret, celebrandū tamē eſſet pro ſola dignitate rei cuius figura eſt. Sed licet res huius ſacramēti in Chriſto tantùm ſit & in Eccleſia, non in viro & muliere : *veruntamen & vos ſinguli*, non ille vxorem proximi: ſed D *vnuſquiſq; diligat ſuam ſicut ſeipſum. Vxor autem* non ſolum diligat, ſed etiā *timeat virum ſuum.* Sic viri ad vxores, & vxores ſe habeant ad viros.

Sanguinis mira commixtio.

CAP. VI.

FILII, *obedite parentibus veſtris in Domino. Hoc enim iuſtum eſt. Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod eſt mandatum primum in promiſſione : vt bene ſit tibi, & ſis longæuus ſuper ter-*

I.di.cap.1.

Coloſſ.3.20 Exod.20. Eccl.1.2. Matt.19. 37.di.legiti 47.di.ſicu hi.§.neceſſ

ram

ram. Et vos patres nolite ad iracundiam A *prouocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina et correctione Domini. Serui obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore. In ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti facientes voluntatē Dei ex animo, cum bona voluntate ſeruientes, ſicut Domino & non hominibus: ſcientes quoniam vnuſquiſq; quodcunque fecerit bonum, hoc percipiet à Domino: ſiue ſeruus, ſiue liber. Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas, ſciētes quia & illorum & veſter Dominus* B *eſt in cœlis, & perſonarum acceptio non eſt apud Deum. De cætero fratres cōfortamini in Domino: et in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli: quoniam nō eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritum alia nequitiæ in cœleſtibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.* C *State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti lorica iuſtitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis. In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Et galeam ſalutis aſſumite, ac gladium ſpiritus quod eſt verbum Dei: per omnē orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtātia & obſecratione pro omnibus ſanctis, & pro me, vt detur mihi ſermo in apertione oris mei, cùm fidu*D*cia notum facere myſterium Euangelij, pro quo legatione fungor in cathena iſta: ita vt in ipſo audeam, prout oportet me loqui. Vt autem & vos ſciatis quæ circa me ſunt quid agam, omnia vobis nota faciet Tichicus, chariſſimus frater & fidelis miniſter in Domino, quē miſi ad vos in hoc ipſum, vt cognoſcatis quæ circa nos ſunt, & conſoletur corda veſtra. Pax fratribus, & charitas cum fide à Deo patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto. Gratia cū omnib⁹ qui diligūt Dominū noſtrū Ieſum Chriſtū in incorruptione. Amen.*

Rom. 3. 21. Coloſſ. 3. 15. Act. 10. Iacob. 2. 1. Pet. 1. 17.

VOs etiam *filij obedite parentibus veſtris*: ita tamen quod *in Domino*: in his enim quæ contra fidem ſunt, parentes audiendi non ſunt. Obedite dico: *hoc enim iuſtum eſt*: hoc ſ. Honora patrem tuum & matrem, quod mandatum primum eſt in ſecunda tabula. Duæ tabulæ datæ ſunt Moyſi. In prima poſita ſunt tria mādata, pertinentia ad Deum. ſ. Diliges Deum tuum, & Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Et non aſſumes nomē Dei tui in vanū. In ſecunda tabula ſeptem mandata poſita ſunt, ad homines pertinentia: hoc autem: *Honora patrem*, præpoſitū eſt aliis ſex. *Hoc* etiā *mādatum fuit datum in promiſſione*: quia ſtatim poſt mandatū ſubiuncta eſt mandati promiſſio. hæc. ſ. *vt bene ſit tibi* honoranti patrem: *& vt ſis longæuus ſuper terram* hanc. & in vera terra repromiſſionis longæuus, quia permanens. Filij obediant parentibus. *Et vos patres nolite filios veſtros prouocare ad iracūdiam: ſed educate illos in diſciplina*: docentes eos quæ eis addiſcenda ſunt, *& in correptione*: vt ſi peccauerint, quomodo decet corripiatis. Diſciplina, & correptione dico *Domini*. i. ſecūdum Dominum facta. Filij obedite parentibus: vos etiam *ſerui obedite Dominis*, etiam *carnalibus*. Obedite dico *cum timore* animi *& tremore* corporis. Et *in ſimplicitate cordis veſtri*. i. ſine omni doloſitate: obedite illis *ſicut Chriſto* obediretis. Vos dico *non ſeruientes* illis *ad oculum*. i. vt in facie Domini deuoti ſitis: retro autem ſuperbi. Dico non ſeruientes ad oculum: *quaſi per* hoc *placeatis hominibus*: *ſed ſicut ſerui Chriſti, ex animo*, non coacti facientes *voluntatem Dei*. i. ſicut bonum eſſet vobis facere voluntatem Dei: ita ſitis ſeruientes illis *cum bona voluntate ſicut Domino*: *& non* ſicut *hominibus*. Ideò ait ſicut Domino, cum enim pro peccato ſuo vel parentum ſerui facti ſint: ſi hanc pœnā peccati patienter tulerint Deo magis obedire videntur quam homini: qui eos ſub hac cōditione pro peccato redegit. Seruite illis ſicut

Tabula decalogi.

Domi-

Domino: *ſcientes, quoniã vnuſquiſq; ſiue ſeru⁹ ſiue liber percipiet à Domino* remunerãte ſibi *quodcũq; bonum fecerit.* Serui obedite Dominis: *& vos Domini facite illis eadem*: nõ quod illis ſeruiatis, ſed vt labores eorũ piè remuneretis. Eadem facite illis: *remittentes minas*.i. nolite eos vexare minis, *ſcientes quia idem Dominus illorum & veſter eſt in cœlis.* Et ſcientes *quoniam acceptio perſonarum non eſt apud Deum:* non enim minus diligit ſeruum, quã liberum: ſolummodò bonus ſit. Poſtquam ſingulares admonitiones ad ſexus & conditiones fecit, reuertitur ad communem Eccleſię admonitionem: timens defectum eorum: & ſciens eos non amplius viſuros faciem ſuam. Sic filij ad parentes: ſerui ad Dominos ſe habeant: & è conuerſo. Vos autem *fratres* in communi *de cætero*.i. in futuro: *confortamini* .i. fortes eſtote *in Domino:* & vt confortemini *ſtate in potentia virtutis eius*.i. potentes eſtote per virtutem eius. Virtutem hic vocat arma quæ ſequuntur: quibus potentes ſunt contra hoſtes: vt autem fortes & potentes ſitis: *Induite vos armaturam Dei:* vt armis Dei induti *poſſitis* more pugnantium *ſtare aduerſus inſidias diaboli*, id eſt, diabolum inſidiantem vobis: & ne in hac pugna negligentes ſitis: *quia non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem*, id eſt, contra viſibilem hoſtem. Vbi ait colluctatio, innuit pugnam eſſe de proximo. *Sed* eſt nobis colluctatio *aduerſus principes*, id eſt, malignos ſpiritus: qui etiam aliis ſpiritibus principantur: *& etiam aduerſus poteſtates*, .i. eos ſpiritus qui ſuper principes potentiam habent. Et *aduerſus rectores mundi:* non quod ſeculum hoc regant: ſed rectores *tenebrarum harum*, .i horum in peccatis tenebroſorum: eos enim tantum, non alios regunt. Et eſt nobis pugna *contra ſpiritualia*.i. contra inuiſibiles hoſtes. Spiritualia dico *nequitiæ*; nequiſſimi enim ſunt hi ſpiritus. Hæc autem pugna eſt *in cœleſtibus*.i. non pro terrenis: ſed vt cœleſtia gaudia auferant à vobis.

Virtutem arma vocat Apoſtolus.

A Vel ſecundum Auguſtinum, contra ſpiritualia habitantia in cœleſtibus, .i. in aere: & *propterea* quia contra principes & ſpiritualia pugna eſt: *accipite* ideo ſpiritualem *armaturam Dei*.i. virtutes, *vt* per hæc arma *poſſitis reſiſtere in die malo*, id eſt, in tempore hoc qui dies malus dicitur: quia ſancti in hoc tentationibus affliguntur. Nec ſolùm reſiſtere: ſed etiam poſſitis *ſtare perfecti* cõſummata iuſtitia. Stare dico *in omnibus* tam aduerſis quam proſperis. Et quia in hac

Tẽpus hoc dies malus dicitur.

B pugna armatura Dei neceſſaria eſt: ergo accipite Cingulum. Loricam: ſcutum &c. Quod ſic ait. *State in* pugna *ſuccincti lumbos veſtros*, id eſt, habentes cingulum in lumbis, quo reprimatur luxuria. Succincti dico, *in veritate:* ne forte extra ſimuletis caſtitatem, intus laſciuiam habeatis. Vel ſuccincti lumbos in charitate: quod dilectio Dei cingulum ſit lumborũ, mortificans in nobis luxuriam. State etiam *induti loricam iuſtitiæ*.i. iuſtitia ſit vobis lorica, ſine læſione quoslibet ictus excipiens. Non

C ideo dicit veritatem cingulum lumborum: & iuſtitiam eſſe loricã: quin è conuerſo idẽ dicere bonum eſſet. State etiã *calciati pedes*.i. affectiones veſtras bene habentes munitas. Non dico tantũ in Euãgelio: ſed etiam *in præparatione Euangelij*. Vt primum in vobis oſtendã, quod alijs Euãgelizabitis, Hæc n. preparatio bona eſt. Euãgelij dico pacis .i. per quod inter Deũ & hominẽ pax reformatur. Calciati pedes vos dico: *ſumentes in omnibus*

D impugnationibus *ſcutũ fidei*.i. fidem, ſcutum & protectionẽ vobis. *In quo* ſcuto fidei *poſſitis extinguere omnia ignea tela* illius *nequiſſimi* aduerſarij. *Aſſumite etiam galeam ſalutis*.i. ſpes & deſiderium æternæ ſalutis ſit vobis galea, qua caput hoc inuoluatis. Sicut enim caput dignius membrũ eſt, ſic futura ſalus dignior reſpectus eſt. Aſſumite etiam *gladium Spiritus ſancti:* quod.i. *qui gladius verbum Dei eſt*. Et hoc gladio .ſ. verbo Dei feriuntur hoſtes & cadunt. Vos dico *orantes per omnem*.i. per omnis modi *orationem*

Oratio & obſecratio diuerſa ſũt

& per omnẽ obſecrationem. Oratio dicitur vt ſimpliciter, Deus adiuua me, obſecratio cum adiuramento: vt per paſſionẽ tuam libera nos Domine. *Orantes,* dico, *omni tẽpore* non lingua tantũ: ſed *ſpiritu*.i.ex corde. *Et in ipſo,* .i.in orando ſitis *vigilãtes in omni inſtantia & in* omni *obſecratione* , facta *pro omnibus ſanctis*. Facta *etiam pro me* ad hoc, *vt detur mihi ſermo in apertione oris mei*.i.vt aperto ori accõmodetur gratia ſermonis: & vt detur mihi *cum fiducia notum facere myſterium*.i. ſecretum Euangelij mei. *Pro quo* myſterio reuelando *fungor legatione poſitus in cathena. Ita* detur cum fiducia *vt audeam in ipſo* Euãgelio *loqui, prout me oportet*, non amplius venturus ad vos. De his quæ vobis agenda ſunt, ſic vos docui. *Vt autem & vos ſciatis* tribulatiões, *quæ circa me ſunt:* & quid ego agam in illis. *Tichicus chariſſimus frater & fidelis miniſter in Domino, nota faciet vobis omnia: quem* Tichicum *miſi ad vos in hoc ipſum, vt cognoſcatis* per eum *quæ circa nos ſunt: & vt conſoletur corda veſtra* cum audieritis me pati pro nomine Chriſti: pro quo omne onus leue eſt, omne iugum ferre ſuaue eſt. Hic Tichicus fuit per quem hanc Epiſtolam miſit: intendens per vtrunq; eos conſolari. Vobis *fratribus* ſit *pax & charitas cum fide* .i. & fides *à Deo patre & Domino Ieſu Chriſto. Gratia* ſit *cum omnibus qui diligũt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Diligunt dico *in incorruptione* .i. in integritate dilectionis. Dictum eſt à ſimilitudine ſponſæ, quæ ſe maritum diligere probat, dum ei integritatem ſuam reſeruat. Vel ita. Gratia ſit illis in incorruptione .i. in ſpe incorruptionis.i.vitæ æternæ. *Amen.*

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM AD PHILIPP.

Philippenſes ſunt Macedones: Hi accepto verbo veritatis, perſtiterũt in fide: nec receperunt falſos Apoſtolos. Hos collaudat Apoſtolus: ſcribens eis à Roma de carcere per Epafroditum.

A

PROLOGVS B. BRVNONIS IN EANDEM.

PHILIPPI ciuitas eſt in Macedonia: inde Philippenſes. Ii autẽ de numero eorum fuerunt, quos in ſecunda Epiſtola ad Corinthios adeo magnificauit Paulus, dicens: ſeipſos primum dederunt: deinde ſua. Apud hos Philippẽſes aliquãdiu cõuerſatus fuerat Paulus, prædicans eis verbum Dei: & per eum ſuſceperunt fidem Chriſti: quibus confortatis in mandatis Dei, diſ- 2.Cor.8.

B

ceſſit ab eis. Sed cum Romæ eſſet in vinculis, propter abſentiam & tribulationẽ paſtoris, exiſtimauerunt perſecutores iuſtitię & pſeudo-apoſtoli: deprauatores veritatis, ſibi datã eſſe opportunitatem aggrediendi, quos Paulus inſtruxerat Philippenſes: vt & facilius cederẽt perſecutioni, propter afflictionem & contemptũ magiſtri: & vt pſeudo opportunius per-

C

uerterent fidem eorum, abſente Paulo, qui confirmaret eos. Quam vtrãque pugnam (ſcilicet perſecutorum & pſeudo-doctorum) Paulus intelligens, ſcripſit eis hanc Epiſtolã: in qua agit de illa duplici pugna perſecutorum & pſeudo doctorum. Eo modo vt approbet eos perſecutionem libẽter debere pati pro fide Chriſti: cum Apoſtolum ſuum gaudentem audiant in vinculis: quia dignus habitus ſit pro nomine Ieſu cõtumeliam pa-

D

ti. Cùm etiam ſciant Ieſum pro ſalute eorum paſſum. Iis & alijs cauſis patientiam cum humilitate commendat eis. Iterum doctrinam eorum pſeudo illis adeo deprimit, vt vocet eam ſtercora: & multas dat rationes, quare non ſint audiendi. Et in hunc modum agens de hac vtraq; pugna, intendit eos armare in hoc bello per hanc Epiſtolam, ne vel cedant perſecutioni, vel conſentiant errori.

CAP. I.

93.diſt.legimus.

PAVLVS *& Timotheus ſerui Ieſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu, q ſunt Philippis cum Epiſcopis et diaconibus. Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro: & Domino Ieſu Chriſto. Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri, ſemper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens, ſuper communicatione veſtra in Euangelio Chriſti à prima die vſq; nunc: confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſq; in diem Chriſti Ieſu: ſicut eſt mihi iuſtum hoc ſentire pro omnibus vobis, eo quod habeã vos in corde, & in vinculis meis & in defenſione & confirmatione Euangelij: ſocios gaudij mei omnes vos eſſe. Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodo cupiam vos omnes in viſceribus Ieſu Chriſti. Et hoc oro, vt charitas veſtra magis ac magis abũdet in ſcientia & in omni ſenſu: vt probetis potiora: vt ſitis ſinceres & ſine offenſa in diem Chriſti: repleti fructu iuſtitiæ per Ieſum Chriſtum, in laudem & gloriam Dei. Scire autem volo vos fratres: quia quæ circa me ſunt, magis ad profectum venerunt Euangelij: ita vt vincula mea manifeſta fierẽt in Chriſto in omni prætorio, & in cæteris omnibus, vt plures è fratribus in Domino confidẽtes in vinculis meis, abundantius auderent ſine timore verbũ Dei loqui.*

23.q.4.quã magnum. in fin.

Quidam quidem & propter inuidiam & cõtentionem: quidam aũt & propter bonã voluntatẽ Chriſtum prædicant: quidam ex charitate, ſcientes quoniã in defenſione Euangelij poſitus ſum. Quidã autẽ ex contẽtione Chriſtũ annunciãt, nõ ſincere; exiſtimãtes preſſurã ſe ſuſcitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur: & in hoc gaudeo, ſed et gaudebo. Scio.n. quia hoc mihi proueniet ad ſalutẽ per veſtrã orationẽ & ſubminiſtrationẽ ſpiritus Ieſu Chriſti, ſecundũ expectationem & ſpem meam: quia in nullo cõfundar, ſed in omni fiducia ſicut ſemper: & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam ſiue per mortẽ. Mihi.n. viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Quod ſi viuere in carne, hic mihi fruct⁹ operis eſt, & quid eligam ignoro. Coarctor autem è duobus: deſiderium habẽs diſſolui, & cum Chriſto eſſe, multo magis melius: permanere autem in carne, neceſſarium eſt propter vos. Et hoc confidens ſcio, quia manebo & permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum, & gaudium fidei: vt gratulatio veſtra abũdet in Chriſto Ieſu in me: per meum aduentum iterũ ad vos. Tantũ digne Euangelio Chriſti conuerſamini: vt ſiue cùm venero & videro vos; ſiue abſens audiam de vobis: quia ſtatis in vno ſpiritu vnanimes, & collaborantes fidei Euangelij: & in nullo terreamini ab aduerſarijs, quæ eſt illis cauſa perditionis, vobis autẽ ſalutis. Et hoc à Deo. Quia vobis donatũ eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini: idem certamen habentes, quale & vidiſtis in me, & nunc audiſtis de me.

7.q.1.c.fin. De tœ.di.2. qui vult ix ſi.2.Regum. 94 c 7.q.1. c.ſi de venũ niſi ℣.porro.

PAul⁹ &c. Nomina dignitatis hic non appoſuit: ſciens Philippẽſes nõ dubitare de apoſtolatu Pauli: quẽ magiſtrum & Apoſtolum ſuum cõfitebantur, dum ſicut illis tradiderat Paulus, in fidẽ operabantur: ſed intẽdens commendare eis humilitatem, cum patientia humilitatis nomen (ſe ſeruum dicens) inſeruit. Vnde ſic ait, *Paulus & Timotheus.* Nõ ideo Timotheũ appoſuit, quod cũ Paulo Epiſtolam ſcripſerit, ſed quia in eadem voluntate Paulo cõceſſit: ideo etiã quia ſicut in ſequentibus innuit, miſſurus erat eis in proximo Timotheũ: cui vt in omnibus obedirẽt, dignũ fuit præſcribere cõmendatione Pauli. Paulus & Timotheus *ſerui Ieſu Chriſti:* ſic & vos ſeruitutem Chriſti in omni humilitate patientes cuſtodite. Paulus, inquam, & Timotheus ſcribunt *omnibus ſanctis qui ſunt Philippis.* Sanctis dico *in Chriſto Ieſu* .i. in fide Chriſti Ieſu ſancitis & confirmatis. Vbi ait omnibus ſanctis, cõmunitatẽ Eccleſiæ intelligit .i. ſubditos: quibus in eadẽ ſalutatiõe prælatos adiũgit, dicẽs.

Sacerdotes interdum Epiſcopi nuncupati.

Scribunt omnibus ſanctis .i. ſubditis *cum epiſcopis* i. & epiſcopis *& diaconi-b⁹* in eadē Eccleſia. Hic per epiſcopos accipimus presbyteros, cum in eadē ciuitate non ſit, putandum plures eſſe epiſcopos. Vel ſi etiam Philippi regio eſſet diuerſas habens ciuitates, abſurdè tranſiret ab epiſcopis ad diacones, intermiſſis presbyteris. Nec abſurdum eſt, ſi ſacerdotes dicantur epiſcopi: cum ſecundum Auguſtinū quilibet paterfamilias, quia ſuperintendit domui, epiſcopus poſſit dici.

Imò & paterfamilias epiſcopus poteſt dici ſecundum Auguſtinū.

Paulus, inquā, & Timotheus ſic ſcribunt. *Gratia vobis & pax à Deo noſtro patre, & Domino Ieſu Chriſto.* Sicut ſæpè expoſitum eſt. Hic modo in primis mixtim de vtraq; pugna cōmendans eis humilitatem cum patientia agit, vſq; illud inferius, vbi ait. Scire aūt &c. Quaſi diceret. Audiēs fidem & patiētiam veſtram, *gratias ago Deo meo*.i. mihi benè in vobis fauēti. Noſtrum dicimus Deum: quādo pie cōcedit ꝙ precamur. Gratias, inquā, ago Deo meo *in omni memoria veſtri:* quia quoties audio aliquid de vobis (quia digna fide Chriſti ſunt) gratias ago Deo, non in quadam: ſed in omni memoria veſtri. In omnibus bonū audiens de vobis: Gratias, inquā, ago Deo in omni memoria veſtri faciens deprecationem pro vobis omnibus: quia nemo ſe indignum mea interceſſione facit: Et hoc *cum gaudio.* Si peccarēt illi, precaretur quidem pro eis, ſed in triſtitia. Quia vero perfecti ſunt, reſtat vt oret pro eis cū gaudio. *Faciens*, inquit, *deprecationem in cunctis orationibus meis.* Nunquam enim oro quod pretermittā vos. Orationibus dico non raro, ſed *ſemper*.i. continuè celebratis. Ago, inquam, gratias ſemper.i. *de communitate veſtra* oſtēſa *in Euangelio Chriſti.* Communicaſtis enim Euangelio Chriſti, credēdo quam cito audiſtis. Faciendo etiā opera fidei: & prædicando aliis mecū fidem Chriſti. Vel ita. Gratias ago ſuper communicatione veſtra, id eſt, de hoc quod res veſtras cōmunes exhibuiſtis omnibus ſanctis. Communicatione, dico, facta in Euangelio.i.

A ſecundū Euangeliū Chriſti: quia vos primum Deo: dehinc veſtra ſanctis tradidiſtis, & in Euangelio per hæc & omnia præcepta adimplendo. Cōmunicatione dico incœpta *à prima die* conuerſionis veſtræ *vſque nunc* .i. ad præſentem diem. Ago gratias: faciens pro vobis deprecationē: & hoc ipſum.i. ſicut poſtulo integrum confidens me impetraturum. Non tamē ex virtute veſtra, ſed ideo *confidens,* quia Deus *qui cœpit in vobis bonū opus,* ipſe idem *perficiet*. Ideò ait cœpit, &

B perficiet: & vt ſuperius gratias ago: vt oſtendat principium & finem iuſtitiæ ſuæ totum ex gratia Dei eſſe. Ideò etiam ait confidens: quia ſi pietas Dei bona cœpit in illis qui mali erant, multò magis credendum eſt, vt in ijs qui iam iuſti ſunt, perficiat conſummationem. Perficiet dico *vſque in diē Chriſti Ieſu:* in morte cuiuſque, quātum ad eum qui moritur, incipit dies Chriſti. Ex hoc enim iā nihil facit præter voluntatem Chriſti, qui dū viueret diē ſuū habuit, faciens

Dies Chriſti: quæ dicatur.

C bonū vel malū, quod voluit. Vel ſi dicimus diem Chriſti, diem iudicij, tūc erit ad probationem. Ita perficiet in vobis opus bonum vſque .i. aſſiduè faciens, hoc in iuſtis vſque in diem Chriſti Ieſu .i. quamdiu mundus durabit. Confidens & faciens deprecationem tantam *ſicut eſt iuſtum*.i. non minus precor pro vobis quā iuſtitia veſtra & benignitas, qua me honorificè ſuſcepiſtis exigit. Iuſtum, inquā, eſt mihi qui nullius beneficio ingratus ſum: ſed benignè recompēſo. Sicut, inquā, iuſtum eſt *mihi* non ſolum

D deprecari, ſed etiam *ſentire* hoc *pro vobis*: ſentio n. tribulationem veſtrā ex vi compaſſionis, ac ſi eā in carne mea ſuſtinerem. Pro vobis dico omnibus: quia oēs perfecti eſtis. Sentire me dico & ſentio, *eò quod habeam vos* non in labijs tantum, ſed *in* ipſo *corde*. Tribulor enim interius pro veſtris tribulationibus. Habeo vos in corde, & dum ſum *in vinculis*, & dum ſum in defenſione: & poſitus in confirmatione Euāgelij. In vinculis meis habeo vos in corde, memorans vos

pati

pati perſecutionem ſicut & me. *Et in defenſione Euangelij*.i.in quo defendo fidem contra pſeudo, qui nitūtur peruertere eam. Habeo vos in corde, memor, quod vos cū pſeudo pro tuenda fidę veſtra decertatis. Per vincula & defenſionē vtriuſq; pugnę eorum facies mentionē, confortat eos in vtraq;. Habeo etiā vos in corde, *in confirmatione* Euangelii.i.quādo ſimplicibus Chriſtianis confirmo fidem ſuam per ſcripturas &c. Memor ſum vos ſimiliter fidem ſimpliciū confirmare. Et ſicut memor ſum tribulationum veſtrarū: ſic & vos eſtote participes humilitatis meę. Inutilis.n.eſt patientia, quam non comitatur humilitas. Quales habeo vos in corde: tales .ſ. *oēs vos eſſe ſocios gaudij mei*, remuneratiōis meæ in æterno gaudio, ſicut.n.tribulationis meæ, ſic participes eritis gaudij. Verè habeo vos in corde. *Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodo*.i. quam infinito deſiderio ego *cupiam oēs* vos eſſe, non in pedibus Chriſti: ſed *in viſceribus Chriſti Ieſu*,i. non in inferioribus: ſed inter magis dilectos Dei qui dicuntur viſcera eius. Et quia ſic cupio de vobis, ideo *oro hoc, vt charitas veſtra magis*, proficiendo *abundet*, temperata *in* omni *ſcientia*.i. in omnimoda diſcretione. Ideo ſcientia neceſſaria eſt charitati, quia ſi ſine diſcretione fuerit: plerūque ſic obhorrebit aliquid veniale in proximo, vt intemperatè repræhēdendo ſuſcitet litem, vel aliquid maius crimen. Cùm ſi diſcretè ageret, melius per lenitatē proximum corrigeret; ideò ait charitas abundet in omni ſcientia. Et quia quidam habentes ſcientiam, plerūq; actum eius obliuiſcuntur: addit, *& in omni ſenſu*, .i.in omni animaduerſione, vt ſemper memoriter animaduertamus & in promptu habeamus ſcientiam. Abundet, ita *vt* nō tantum bona à malis, ſed etiam *probetis*.i. probabiliter eligatis *potiora*.i. de bonis meliora. Probetis ita *vt ſitis ſinceres*.i. puri in vobis: *& ſine offenſione* ad proximum: ſic eundo *in diem Chriſti*, quod nihil in die iudicii mundandum inueniatur in vobis. Vos dico *repleti* tunc in die Chriſti *fructu*.i. remuneratione *iuſtitiæ* veſtræ quā hic habuiſtis. Repleti dico *per Ieſum Chriſtū*, diſtributorē illius fructus. Iuſtitię dico habitę *in gloriā & laudem Dei*.i.ita vt dicatur in vobis glorioſus & laudabilis Deus in ſanctis ſuis. Vel ita. Tales ſitis in diem Chriſti. Vos dico interim dum viuitis repleti non iuſtitia (quæ facultatem nō habeat operādi) ſed fructu, .i.operibus iuſtitiæ, vt & iuſtitia & opera iuſtitiæ in vſu vobis ſint. Repleti dico per Ieſum Chriſtū: ex quo omnis iuſtitia. Et hoc in gloriam & laudem Dei.i. vt Deo totum & vobis nihil aſcribatis. Gloria Dei, dicitur claritas deitatis. Laudem Dei accipimus in ijs, quę videmus corporalibus oculis. Sinceres, ſi componimus ex ſyn & cæra, ꝓducitur media ſyllaba, nominatiuꝰ ſingularis ſincerus: habēs duo pluralia ſynceri & ſynceres: vt diaconus diaconi & diacones. Si ſecūdum Iſidorū ex ſine & carie componimꝰ, media ſyllaba corripitur, & ſingulari caret. ¶ Hucuſq; mixtim de vtraque pugna tractauit: hic ſeparatim de pugna perſecutorum incipit, dicens. Audiens bona de vobis, gratias ago. Deprecor cum gaudio confidens de vobis. Ego ſic ago. *Vos autem volo ſcire fratres ea quæ circa me ſunt*. Hęc ideò eis notificat, vt exēplo ſuo ad patiētiam & humilitatem eos inducat. Scire, inquam, vos volo: quia ea quæ circa me ſunt. Circa ideo, quia vndique circūuallant me mala. Vel circa quia extra in corpore affligor, ſed intꝰ in anima vires cōgrego. Ea, inquā, quæ circa me ſunt: *venerunt ad profectū Euāgelij magis* quā ad detrimentū: ſicut ipſi putauerunt ꝙ ligato Paulo, alligatū eſſet verbum Dei. Venerunt ad profectū, *ita vt vincula mea*.i.vtilitas vinculorum meorum *manifeſta fierēt in Chriſto*.i. in magnificatione nominis Chriſti. Manifeſta dico *in omni prætorio, & in cæteris omnibus*.i. apud principes, & apud inferiores. Et ſi.n. vbiq; non ſciatur Paulus eſſe in vinculis, tamē vtilitas vinculorū ſuorū vbiq; diffunditur: dū fides Chriſti

Patiētia eſt inutilis, ſi nō comitatur humilitas.

Charitas deitatis dicitur gloria Dei.

Synceres.

per eũ dilatata vbiq; prædicatur. Vel ita. Venerunt ad profectum, ita vt ipſa eadẽ vincula mea fierent manifeſta in Chriſto .i. quæ pro Chriſto patiebar. Manifeſta dico in omni prætorio, & in cæteris omnib⁹ locis. vbique.n.dicebãt, videte conſtantiã Pauli, qui etiã in vinculis non ceſſat prædicare fidẽ Chriſti. Ita fierẽt manifeſta, *vt plures ex fratribus confidentes in Domino, vinculis meis* .i. propter vincula mea in quibus poſitus audacter prædicabam, exemplo meo cõfiſi auderẽt abundantius loqui gẽtibus ſine timore verbum Dei: qui prius propter timorẽ non audebant. Ii ſunt boni fratres: ſed *quidam quidem* .i. diſcreti à bonis, quia peruersè *prædicant Chriſtum* & *propter inuidiam*: quia volunt diminuere nomen Pauli, in quo non eſt alligatum verbum Dei. Et ſi non putent ſe poſſe vſurpare ſibi laudem Pauli: prædicãt etiã propter cõtentionẽ, certãtes ſe parificare Paulo in laude prædicationis. *Quidam autẽ* qui boni ſunt *prædicant Chriſtum*: & ſi non patiantur tribulationẽ *propter bonam voluntatem*, habitã ad omnes: quia vellent venire oẽs homines ad agnitionem veritatis. *Quidam* etiam ſimiliter boni ex *charitate*.i. ex priuata dilectione, quam habent erga me, prędicant Chriſtum: *ſcientes quoniam* ego *poſitus ſum* in vinculis *in defenſione*.i. propter defenſionem *Euangelij*. Vel ita. Scientes quoniam ego ſum poſitus .i. ordinatus à Deo in defenſione.i. ad hoc vt defendam Euangelium: ij prædicabant ex priuata charitate dicẽtes. Dilectus noſter Paulus, quia ligatus eſt, non poteſt modo inſtruere Eccleſias ſuas, ſuppleamus vicẽ eius; ne forte quod ędificauit, euertãt illi pſeudo. Et ſic carnalis dilectio erat ad profectum Euangelii. *Quidã autẽ* peruerſi ſicut illi ex priuata charitate: ſic iſti *ex contentione* .i. ex priuato odio *annunciant Chriſtum, non ſincerè*, id eſt, nõ in puritate, *exiſtimãtes ſe* hoc modo *ſuſcitare preſſuram*, id eſt, aggrauationem *vinculis meis* .i. mihi poſito in vinculis. Ii .n. peruerſi diſputauerant cum Paulo, & Paulus

...uli prædicantia ma... fuit.

A ſuperauerat eos: nunc autem quod audierant ab eo prædicabant: ideo vt cùm diceretur eis, quare verba eius.ſ.damnati Pauli prædicatis: dicerent hoc non à nobis, ſed ſic ab illo accepimus: portet ille pænam iſtorũ. & ijs verbis infideles concitati vehementius deſæuiebant in Paulum. Obijceret aliquis ad hoc quod ſuperius ait. Vincula mea venerunt ad profectum Euangelij: in bonis quidem qui exemplo tuo animati prædicauerũt, profuerunt quidem: ſed in ijs qui ex inuidia & contentione prædicabant, vincula tua nil profuerunt. Ad hoc

B Paulus. Profuerunt vtiq; etiam in ijs: *quid enim* nocet *dum* .i. ſolum modo *annũcietur Chriſtus omni modo*, ſ. *ſiue per occaſionem* ſuſcitandi mihi preſſuram, vt faciunt pſeudo: *ſiue per veritatẽ*, vt annunciãt boni. Ego nõ curo quicũq; ſit annunciãs: ſolũmodo auditores in fide proficiãt. *Gaudeo in hoc* quod Chriſtus annũciatur per occaſionẽ: & in hoc gaudeo, ꝙ ſuſcitãt mihi preſſurã: nec modo ſolũ: *ſed* ſemꝑ

C *gaudebo* in eodem. In Deo gaudeo & gaudebo: *ſcio n.quia hoc*.i. ꝙ preſſura mihi ſuſcitatur, *proueniet mihi in ſalutẽ* per veſtram orationem intercedentẽ pro me: *& per ſubminiſtrationẽ* .i. ꝓ fulcimẽtũ & ſuſtẽtaculũ ſpiritus. Sicut enim columna in medio poſita ſuſtentat domũ, ne cadat; ſic ſpirit⁹ fulcit me. *Spiritus* dico *Ieſu Chriſti*.i. quẽ Chriſt⁹ dat, pro quo patior: proueniet dico in ſalutẽ *ſecundũ expectationẽ & ſpem meam*.i. non minus ſalu-

D tis conferẽs quã expecto & ſpero. Expectatio dicitur longanimitas in ſuſtinendo, ſine certitudine tamẽ. Spes vero certa præſtolatio: ideo ſecũdum ſpẽ, *quia non confundar*.i. non erubeſcã in aliquo, vt ego deficiam in Euãgelio Chriſti propter inſtantem tribulationem. Non cõfundar: *ſed ſicut ſemper*.i. de præterito magnificat⁹ eſt: *ita & nunc*.i. in futuro *magnificabitur Chriſtus*: nõ ſolũ in anima: ſed etiã in fragiliori parte.i. *in corpore meo*. Magnificabitur vtiq; *ſiue per vitã ſiue per mortẽ*.i. & in vita corporis & in morte. Debeo magnificare Chriſtũ ꝑ vitã:

Expectatio & ſpes differunt.

nam

nam *Chriſtus eſt viuere mihi*.i. ego ad aliud non viuo, niſi vt magnificem Chriſtum. Debeo magnificare per mortem:nam Chriſtus eſt mihi *lucrū mori*.i. ad moriendum: ipſum enim Chriſtū accipiens lucror,ſi pro Chriſto morior. Vel ita. Per mortē debeo magnificare Chriſtum:nam mori eſt mihi lucrum.i.nam in morte lucror ego,accipiens in cęlis retributionem laborum meorum. Et cum mori ſi' mihi lucrum: reſtat vt eligam mortem.Aduerſa ſententia:ſed tamen licet mori ſit lucrum: *viuere in carne eſt mihi fructus operis:* hic .ſ. quod per vitā magnificabitur Chriſtus.Et quia mori mihi eſt lucrum tantæ beatitudinis: & viuere in carne eſt mihi fructus magnificandi Chriſtum:en.i.ecce: *quid* horum *eligam ignoro:* vitam an mortē:ideò ignoro quia coarctor. Vel nō ſolū ignoro, ſed etiā *coarctor:* habēs deſideriū *è duobus*.i.de diſſolui, & de permanere in carne; ſed *diſſolui & cū Chriſto eſſe multò melius*, quantū ad me. *Permanere aūt in carne neceſſariū eſt propter vos:* vt Chriſtus per me magnificetur in vobis. *Et hoc*.i. quod neceſſarius & vtilis ero *confidens. Scio quoniam manebo* & etiam diu *permanebo omnibus vobis ad profectū veſtrū, & ad gaudium fidei veſtræ*.i. vt de merito fidei veſtræ gaudeatis. Tunc habet iuſtus gaudium de fide, cum iam non timet aduerſa: & ſecurus eſt de præmio. Permanebo vobis ad profectum: *ita vt gratulatio*.i.exultatio veſtra, vel actio gratiarum. Vtrumque enim ſignificat gratulor:& gaudeo & gratias ago. Gratulatio, inquam, veſtra *abūdet in Chriſto*.i. in laudē Chriſti *Ieſu:in me*.i. in cōſideratione mei Abundet dico *per meum aduētum iterum* factum *ad vos*. Abundabit vtiq: *tantūmodo* videte *vt* vos *conuerſemini dignè Euangelio Chriſto*.i.ſicut decet & docet Euāgelium,quod accepiſtis Ita dignè,*vt ſiue cum venero & videro vos,ſiue abſens* quocunque modo fuero: vel abſens vel præſens audiam de vobis hoc: *quia ſtatis in vno* Spiritu S iuſtificāte vos. Et quia in eodem ſpiritu ſtare poſſent: hic in humilitate,

Iuſtus gaudium habet de fide cum non timet aduerſa.

A hic in caſtitate: tamen non habentes inter ſe dilectionem: ideò addit *vnanimes* in dilectione: & *collaborantes* per patientiam tribulationum *fidei Euangelÿ*.i. quām fidem in Euangelio didiciſtis. Audiam etiam quod vos *in nullo terreamini ab aduerſarÿs: quæ* cauſa, ſcilicet, quod volunt terrere vos,*eſt illis cauſa perditionis:vobis autem*, qui interriti ſtaris, eſt *cauſa ſalutis. Et hoc* vobis eſt *à Deo*, quod non terremini: ideò, *quia vobis donatum eſt pro Chriſto*.i. pro merito chriſti: *non ſolum vt credatis in eum: ſed etiam*
B *vt patiamini pro illo*. Vos dico, *habentes idem certamen quale & vidiſtis in me*, cùm apud vos eſſem: & quale *nunc audiſtis de me* quod patior Romæ. Vos autem imitamini quod me in humilitate pati videtis, ſectantes patientiam & humilitatem.

CAP. II.

S*I qua ergo cōſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis,ſi qua ſocietas ſpiritus,ſi qua*
C *viſcera miſerationis: implete gaudium meum, vt idem ſapiatis: eandem charitatem habentes, vnanimes idipſum ſentientes.Nihil per contentionem,neq; per inanem gloriam,ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicē arbitrantes: non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes,ſed & ea quæ aliorum. Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu. Qui cùm in forma Dei eſſet, nō rapinā arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit,formam ſerui accipiens: in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt ho-*
D *mo: Humiliauit ſemetipſum,factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtriū, & infernorum. Et omnis lingua cōfiteatur, q̄a Domin⁹ Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.Itaq; chariſſimi mei (ſicut ſemper obediſtis) non in præſentia mea tantum, ſed multò magis nunc in abſentia*

Rom.14. verſ.11. De immu. eccle. decet. libr. 6.

tia mea, cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate. Omnia autem facite ſine murmurationibus, & hæſitationibus: vt ſitis ſine querela, & ſimplices filij Dei, ſine reprahenſione in medio nationis prauæ & peruerſæ: inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo: verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Chriſti: quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui. Sed & ſi immolor ſupra ſacrificium, & obſequiũ fidei veſtræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis. Idipſum autem & vos gaudete & congratulamini mihi. Spero autem in Domino Ieſu, Timotheum me cito mittere ad vos: vt & ego bono animo ſim, cognitis quæ circa vos ſunt. Neminẽ enim habeo tam vnanimem, qui ſincera affectione pro vobis ſollicitus ſit. Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. Experimentum autem eius cognoſcite, quoniam ſicut patri filius, mecum ſeruiuit in Euangelio. Hunc igitur ſpero me mittere ad vos, mox vt videro quæ circa me ſunt. Confido autem in Domino, quoniam & ipſe veniam ad vos cito. Neceſſarium autem exiſtimaui Epaphroditum fratrem & cooperatorem & commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum, & miniſtrum neceſſitatis meæ mittere ad vos: quoniam quidem omnes vos deſiderabat, & mæſtus erat propterea quod audieratis illũ infirmatum. Nam & infirmatus eſt vſque ad mortem, ſed Deus miſertus eſt eius. Non ſolum autem eius, verumetiam & mei, ne triſtitiam ſuper triſtitiã haberem. Feſtinantius ergo miſi illum, vt viſo illo iterum gaudeatis, & ego ſine triſtitia ſim. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino: & eiuſmodi cũ honore habetote, quoniam propter opus Chriſti vſq; ad mortem acceſſit, tradens animam ſuam: vt impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obſequium.

1. Pet. 4. 9. — *De ele. officij.* — *q. 7. ca. 2. §. ſcio quoſdã.* — *2. Cor. 13. verſ 5.* — *45. diſt. licet nonnunquam.* — *63 di. noſce.* — *8. q. 1. ſunt in eccleſia de renun. quidam.*

DIxit ſuperius. Vincula quæ circa me ſunt, venerunt ad profectum Euangelij, quod etiam vos patimini, vobis eſt cauſa ſalutis: & ita vobis pati donatũ eſt pro merito Chri-

A ſti. Ex iſtis nunc infert dicens. Quia & me pati profectus eſt Euangelij: & ꝙ pro Chriſto ſimiliter patimini vobis eſt cauſa ſalutis: ergo fratres implete gaudium meum, quod gaudium iã incepiſtis, ex quo pro Chriſto contumeliam paſſi eſtis. Implere gaudium intelligit, ſi ita pro Chriſto patiantur vt habeãt humilitatẽ patientiæ ſemper aſſociatã. Hic enim apertius hortabitur eos, vt cum patientia habeãt humilitatẽ: ne ſi patiuntur pro Chriſto, ideò ſe quaſi digniores cæteris præferant. Patientia enim ſine humilitate inutilis eſt. Implete gaudium
B meũ *ſi qua conſolatio* vobis eſt *in Chriſto*. i. ſi ex Chriſto conſolationẽ quæritis in aliquo. Vel (vt de Chriſto ſileam) *ſi quod ſolatium charitatis*. i. fraternæ dilectionis habere vultis, tunc implete gaudium meum. Vel ita. Si qua conſolatio mihi datur apud vos in Chriſto. i. propter amorem Chriſti: & ſi quod ſolatiũ charitatis. i. fraternæ dilectionis mihi eſt apud vos quod me pro fraterna charitate conſolari velitis, tunc implete gaudium meum. Et *ſi* eſt vobis *qua*. i. aliqua *ſo-*
C *cietas ſpiritus*. i. ſi in Spiritu ſancto ſocietatem habetis cum alijs Eccleſijs. Et *ſi* ſunt in vobis *aliqua viſcera*. i. aliqui pij affectus *miſerationis*. i. exhibitionis miſericordiæ, *implete gaudium meum*. Viſcera hic ponũtur quaſi miſericordia: pius autem affectus (etiã ſi nihil operetur) miſericordia dicitur. Effectus autem miſericordię miſeratio vocatur, ideò tam obnixè obteſtatur eos: quia vult eos tenere humilitatem, ſine qua patientiam eorum intelligit irritam. Implete dico gaudium: ita *vt ſapiatis idem*, id eſt, vt
D proſperitates proximi tam benè ſapiant in vobis, ac ſi veſtræ ſint. Sapiatis dico, *habentes eandem charitatem*, id eſt, ad omnem proximum æquam dilectionem. Licet enim quandoque oporteat habere maiorem familiaritatem ad quoſdam; ſicut Chriſtus habuit ad Ioannem, hæc tamen non eſt dicenda charitas, ſed maior familiaritas quæ habetur ſecundum quod quidam ſunt opportuniores ad

Pius affectus miſericordia dicitur.

quædam, alij minus. Sitis etiam *ſentientes idipſum* in aduerſis proximi: vt anguſtiam eius non ſolum in animo ſentiatis: ſed ſic pũgat vos vt propria. Vos dico *vnanimes*.i. æquum animum cõpaſſionis ad omnem proximum habentes. Vos iterum *nihil facientes per cõtentionem:* vt alter qui magis patitur contendat ſe præferre alteri minus patiẽti. Vel nihil diſponẽtes de rebus eccleſiaſticis per contentionem. *Neque* facientes aliquid *per inanem*.i. propter mundanam *gloriam*, *ſed* eſtote *arbitrantes* alios *ſuperiores vobis inuicem:* quod alter reputet alterum ſe ſuperiorem: Nec hoc ficta ſuperbia: ſed *in humilitate*, vt ſicut alter præponit ſibi alterum, ſic eãdem humilitatem habeat in corde; putans eum quem præponit, ſuperiorem ſe. Et quomodo alter alterum ſibi ſuperiorem arbitretur, conſilium ponit, dicens. Vt arbitremini alter alterum ſuperiorem ſibi: *non* ſitis *conſiderantes ſinguli* bona, *quæ ſua ſunt: ſed ea* tantum bona conſiderate *quæ ſunt aliorum*. Si enim (poſtpoſitis veſtris) virtutes aliorum attenditis, ſic eos vobis ſuperiores arbitrabimini. Vt vtrumq; commẽdet eis: humilitatem & patientiam: exponit quanta fuerit humilitas & patiẽtia Chriſti, dicens. Benè dico in humilitate: nã hoc debetis habere in vobis quod nõ ſolum in me, ſed etiam in Chriſto Ieſu præcipuè videtis. Nec ſolum habete *hoc*, ſed etiam *ſentite*.i. per experientiam rei probate. Ideò ait ſentite. Multi enim ſunt q exiſtimant ſe omnia poſſe pati pro Chriſto: qui ſi fortè venirent ad experimentũ, deficerent. Sentite, inquã, *in vobis* humilitatem, patiẽtiam: *quod* in me *& in Chriſto Ieſu* præcipuè videtis: *qui* Chriſtus Ieſus *cũ eſſet in forma*.i. in æqualitate *Dei* patris: ita inuiſibilis, coæternus, & conſubſtãtialis illi ſciuit ſe eſſe æqualem Deo. Et in hoc quod ſciuit maior humilitas. Si enim ignorata altitudine ſua, ita ſe humiliaret, humilitas eius propter ignorãtiam non adeò commendabilis eſſet. Sciens vtique ſe eſſe æqualem Deo: *non arbitratus eſt rapi-*

A *nam*, vt ſibi vſurparet rem alienam. [*Rapinam non fecit Chriſtus.*] Vel ſic in eadem ſententia. Arbitratus *ſe eſſe æqualẽ Deo*, non faciendo rapinam: [*Eſa.14.13.*] ſicut malignus angelus, q dicens: [*Gen.3.5.*] Ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis altiſſimo: & homo cui ſerpens dixit. Eritis ſicut dij. Hic vterq; rapinam fecit, dum ꝙ Dei propriũ erat, malè ſibi vſurpare voluit. Chriſtus aũt non rapinam: quia arbitratus eſt rem propriam. Et licet Chriſtus eſſet in forma Dei: tamen *exinaniuit*.i. euacuauit claritatẽ Deitatis, dum eã ſub forma ſerui poſuit.

B Exinaniuit dico *ſemet*.i. ipſam Deitatem *ipſum*.i. in eodem: tamẽ cũ patre permanentem: ſic enim aſſumpſit ꝙ non erat, vt maneret quod erat, & in hoc multa humilitas. Si enim quilibet rex amiſſo iure regni humilis ſit, non multũ eſt, ſed ſi habẽs ius regni, ab eo ſe in humilitate manẽs alienat, cõmendabilis eſt eius humilitas. Exinaniuit, dico, *accipiens formã ſerui*. Incõparabilis eſt humilitas, vbi Dominus elegit eſſe ſeruus. Iterum formã

C ſerui poſſet accipere ſine corruptiõe, vt non ſentiret miſerias carnis. Ideò addit, *factus*.i. facturã nouã accipiens *in ſimilitudinẽ hominũ*. Sic enim paſſibilis fuit & mortalis, vt alij homines. Iterum in ſimilitudine hominũ eſſe poſſet, manꝰ habẽs & pedes, & nõ haberet ſe vt homo. Ideò ſubdit *& habitu*.i. in habendo ſe *inuentus* eſt *vt homo*, à tentatore diabolo. Diabolus.n. inueſtigabat eũ, an eſſet Deus, an homo: ſed cùm inuenit eum eſuriẽtem, putauit eũ ſolũmodo hominẽ. Nec

D ſolũ factus eſt in ſimilitudinẽ hominum: ſed etiam *humiliauit ſemet* (qui tantus erat) *ipſum*.ſ. in gloria tamen Deitatis perdurãtem. Humiliauit dico, *factus obediens* patri in omnibus, *vſq; ad mortem:* nec mortem perſonæ quæ digna eſſet, *ſed mortẽ crucis* quod genus mortis prę omni alio ignominioſius erat. Vbi ait mortẽ, commẽdat in eo patientiam. Vbi ait crucis, humilitatem. *Propter quod*.i. quia in tãta humilitate & patiẽtia Deo obẽdiuit: ipſe ſe merito ſuo *& Deus* ſecũ *exaltauit*.i. in magna altitudine po-

ſuit *illum*,ſcilicet,ad dextexam ſuam. *Et illi* exaltato *donauit nomen* .i. honorificentiam : *quod* nomen *eſt ſuper omne nomen* .i. ſuperius omni nominabili: *ita* ſuper,*vt in nomine*.i.ad honorem *Ieſu omne genu flectatur* .i. omnia ipſi plene ſubijciantur , ſicut ille qui genu flectit, ſubijcitur. Omne genu dico:quia *cæleſtium*.i.angelorum: & *terreſtrium* .i. hominum : *& infernorum* .i. dæmonũ & animarum,quæ ibi ſunt : flectatur genu , *& omnis lingua confiteatur*.Hoc erit in die iudicij: quãdo velint nolint , Chriſtum confitebuntur impij. Confiteatur dico, *quia*.i.quod *Dominus Ieſus Chriſtus eſt in gloria* .i. in æqualitate *Dei patris*,ſecundũ Deitatem : & poſt patrem primus,quãtum ad humanitatem ſuper omnem creaturam : quod Chriſtus adeò patiens & humilis fuit , & per vtrumq; ſic exaltatus: *itaq; chariſsimi mei operamini veſtrã ſalutem* .i. veſtri exaltationem : coniũgentes in vobis patiẽtiæ humilitatem. Vos, inquam, *ſicut ſemper obediſtis* mihi , quamdiu apud vos eram:ita modo *cum metu* animi *& tremore* corporis;timendum enim ſemper eſt ſtanti ne cadat.Operamini veſtrã ſalutem:vt non in præſentia meì tantum dicamini obediſſe: ſed multò magis nunc in abſentia mea probetur veſtra obediẽtia.Ideoque nũquam ſecuri : ſed ſemper cum metu & tremore : *quia Deus eſt qui operatur in vobis* (vt nihil vobis relinquam) etiam *velle : &* poſtquam per gratiã dederit velle ; ſimiliter in vobis operatur *perficere*. Ne hoc pro veſtro præcedẽti meritò,ſed ſolummodo *pro bona voluntate ſua*. Deus omnia operatur in vobis; vos autem cooperantes Deo , *facite omnia ſine murmurationibus :* ne ſi diu vos pati neceſſe ſit,cõtra Deum impatienter murmuretis,quaſi vos iniuſte permittat affligi. Omnia etiam facite *ſine hæſitationibus* .i. ne dicatis cras vigilabo, ieiunabo cras. Pro Chriſto pati incipiam &c. Ideò facite,*vt ſitis ſine querela*.i.vt non ſit in vobis de quo erga vos homo iuſtè poſſit conqueri. Et vt ſitis *ſimplices filij Dei* .i. vt ſimplex filiatio

A Dei, per innocentiam ſit in vobis, vt etiam ſitis *ſine repræhẽſione:* quod nec aliqua occaſio appareat in vobis, vnde repræhenſibiles videamini : licet culpa non ſit in vobis. Dicerent illi. Graue eſt ſine repræhenſione viuere inter tot inuidẽtes iuſtitiæ. Ad quod ille. Verum quidem eſt : quia vos habitatis *in medio nationis prauæ & peruerſæ* in ſe .i. peruertentis alios, *inter quos* tamen per fidem & bona opera *lucetis ſicut luminaria in mundo*. Sicut enim ſol & luna mundum illuminãt,ſic iuſtitia veſtra tenebras eorum illuminant. Vos,dico, *cõtinentes verbum vitæ*.i.Euangelium Chriſti,in fide cuius vita æterna habetur. B Continentes dico ad modum vaſis quod liquorem infuſum ſibi benè continet & propinat alijs: ſic & vos: in vobis verbum Dei cuſtoditis , & alijs miniſtratis. Continentes dico *ad gloriam meam :* quod ſi ego gloriã habiturus ſum de hoc:quia verbum vitæ continetis: multò magis vos qui promeremini.Gloriam dico,mihi habendam *in die Chriſti :* quando Chriſtus ſuos remunerabit. Habebo vtiq; gloriam C meam:*quia* ego *nõ cucurri in vacuum, neque laboraui* in vacuum. Cucurrit ſecundum illos quos facilè conuertit.Laborauit ſecundum difficiliores in acceſſu fidei. Cucurri quidem & laboraui in vobis : nec me pœnitet: ſed etiam ſi oporteat me immolari pro vobis: in hoc congratulor vobis. Quod ſic ait. Etiam *ſi* ego *immolor ſupra ſacrificium fidei veſtræ: &* ſupra *obſequium* fidei veſtræ .i. ego fidem veſtram obtuli Deo , quaſi ſacrificium in odorem ſuauitatis.Et obſequium, id eſt, bona opera veſtra in quibus poſt fidem Deo obſecuti eſtis. Sed ſi D adhuc poſt hos labores oporteat me immolari pro vobis : *Gaudeo* inde *& congratulor* .i.gratias refero.Vel congaudeo cum *omnibus vobis* , qui gaudere debetis, ſi voluntas Dei fuerit vt ego immoler pro vobis. *Vos* autem *idipſum* recompẽſando mihi , vt pro me ſimiliter immolemini , *gaudete & congratulamini mihi* , qui vos ad rem tã dignam armaui : ſicut eſt pro

Paulus cucurrit & laborauit.

Chri-

Chriſto immolari. Iterum. Scio vos ad patientiam & humilitatem per epiſtolam ædifico. *Spero autem in Domino Ieſu cito me mittere Timotheum ad vos.* Ideò *vt* ego *cognitis quæ circa vos ſunt, ſim bono animo &* ſecuro de vobis: quos propter inſtātem vtrimque pugnam vereor perturbari. Ideò Timotheum magis mittā ad vos, *neminem enim habeo tam vnanimem* vobis: & *qui* tam *ſincera affectione ſollicitus ſit pro vobis.* Verè neminem: *omnes enim* qui modo mecum ſunt, *quærunt quæ ſua ſunt, non* ea *quæ* ſunt *Ieſu Chriſti.* Illum pro vobis ſollicitum mittam ad vos. Vos autem honorificè eum ſuſcipiendo *cognoſcite.* Non dicit eum ſimpliciter: ſed *experimentum eius* .i. eum mihi benè expertum. In multis enim experimentum habui. Experimentum benè dico: *quoniam* ita *ſeruiuit mecum in Euangelio, ſicut filius* obediens *patri.* Et quia ſincera affectione vos diligit: & ſicut patri mihi ſeruiuit. *Igitur ſpero hunc me mittere ad vos, mox vt videro* finem eorum *quæ circa me ſunt.* Ideò ſic ait. Nero enim diſpoſuerat ſe, in proximo daturum de eo ſentētiam, an eum occideret, an reſeruaret. Sperabat autem ſe euaſurum: quia plures de domo Cæſaris inſtruxerat ad fidem: qui de ſua liberatione laborabant. Propterea ſubdidit. *Confido autem in Domino, quoniam ipſe* ego *cito veniam ad vos.* Et licet me venturum dicam: & Timotheum miſſurus ſim: tamen interim *neceſſarium exiſtimaui mittere ad vos Epafroditum fratrem meum & cooperatorem* in prædicatione, & commilitonem in tribulatione. *Veſtrum autem Apoſtolum* .i. vel legatum: quia hunc legauerāt ad Paulum: vel Apoſtolum .i. prædicatorem eorum, vel Epiſcopum eorum: *& miniſtrum neceſſitatis meæ* .i. qui quæ miſiſtis mihi, miniſtrauit in tempore neceſſitatis. Ideò exiſtimaui hunc mittendum ad vos: & ſi neceſſarius eſſet mihi: *quoniam quidem deſiderabat omnes vos, & erat mæſtus,* non pro ſe verberato, ſed propterea *quod audieratis illum infirmatum:* & nolebat

A vos contriſtari pro eo. Hic Epafroditus, dum Paulo miniſtraret, interceptus à cuſtodibus, vehementer afflixerunt eum verberibus. Infirmatum dico ideo: *nam* vtique *infirmatus eſt vſque ad mortem: ſed Deus miſertus eius: non ſolum autem eius: verumetiam* in eo *miſertus eſt mei.* Et quia vos dolebatis de eo, *ergo feſtinantius* quā facerem (neceſſarius enim mihi erat) *miſi illum:* ideò *vt viſo eo, gaudeatis iterum.* Olim enim cum apud vos erat, gaudebatis. *Et* ideò miſi vt *ego ſim ſine triſtitia:* quia de vobis contriſtatis pro eo triſtitiam habeo. Et

B quia adeò diligit vos: & vos eum, mittimus ad vos: itaque *excipite eum cum omni gaudio:* non in citharis & tibijs, ſed gaudio habitò *in Domino:* & hominem eiuſmodi qui tanta paſſus eſt pro vobis: *&* adeo vos diligit, *habetote cum* omni *honore:* & iuſtum eſt: *quoniam* ipſe *acceſſit vſque ad mortem propter opus Chriſti,* quod operabatur in me; *tradens animam ſuam, & vt impleret erga meum obſequium id, quod deerat ex vobis:* vos quidem pecuniam mittebatis, ſed præter eum

C nemo erat qui auderet miniſtrare mihi. Per hunc Epafroditum Paulus hanc illis epiſtolam miſit.

CAP. III.

De cætero fratres mei gaudete in Domino. Eadem vobis ſcribere mihi quidem non pigrum; vobis autem neceſſarium. Videte canes, videte malos

D *operarios, videte conciſionem. Nos enim ſumus circunciſio, qui ſpiritu ſeruimus Deo, & gloriamur in Chriſto Ieſu, & non in carne fiduciam habentes: quamquam & ego habeam confidētiam in carne. Si quis alius videtur cōfidere in carne, ego magis circunciſus octauo die ex genere Iſrael, de tribu Beniamin: Hebræus ex Hebræis, ſecundum legem, Phariſæus, ſecundum æmulationem perſequens Eccleſiam Dei: ſecundum iuſtitiam quæ in lege eſt, conuerſatus ſine* Act. 23.6.

querela.

*querela. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucri faciam: & inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu: quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis eius, & ſocietatem paſſionis illius: configuratus morti eius, ſi quomodo occurram ad reſurrectionem quæ eſt ex mortuis: non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim. Sequor autem, ſi quo modo compræhendam, in quo & compræhenſus ſum à Chriſto Ieſu. Fratres, ego me non arbitror compræhendiſſe. Vnum autem, quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea verò quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Quicunque ergo perfecti ſumus hoc ſentiamus: & ſi quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus reuelauit. * Veruntamen ad quod peruenimus, vt idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula. Imitatores mei eſtote fratres, & obſeruate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram. Multi enim ambulant quos ſæpe dicebam vobis: nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti: quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt. Vnde etiam ſaluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ: ſecundum operationem virtutis ſuæ, qua poſſit etiam ſubijcere ſibi omnia.*

16. q.1 generaliter § hoc idem.

* reuelabit.

Rom. 16. verſ.17.

POſtquam eos ſufficienter inſtruxit in pugna perſecutorum, cõmendando ſemper cum patiẽtia humilitatem, inſtruit eos in alia pugna, quam inferebant illis pſeudo-doctores: deprimendo eis legem, & extollendo fidem. Quaſi diceret. Sicut vos docui, patientes & humiles eſtote ad

A perſecutores, *de cætero* .i. de alia pugno quam vobis inferunt pſeudo; ita vos inſtruo fratres mei *gaudete in Domino*.i. ne quæratis gaudium alibi, ſicut illi malè docent in carnalibus. Sed omne gaudium veſtrum ponite in Domino. Ipſe enim ſolus iuſtificat, & nihil eorum ad hoc prodeſt, quæ prædicant pſeudo: propterea non in carnalibus: ſed gaudete in Domino. Et vt gaudere ſciatis in Domino, *mihi quidem* qui promptus ſum & diligens ad inſtructionem filiorum, *non eſt pigrum:* quod fortaſſis repetere pigeret alios non loqui. B Verba enim cito à memoria elaberentur: ſed *ſcribere vobis*, vt manente ſcriptura perduret in vobis traditionum mearum memoria, mihi non pigrum. *Vobis autem* erat *neceſſarium* me non pigere, ſed ſcribere. Vt autem gaudeatis in Domino, *videte canes* .i. prouidete vobis ab illis pſeudo, qui congruè canes dicũtur. Quia ſicut canis ei quem videre conſueuit, applaudit; etiam ſi ille veniat ad deſtructionem domus, vel ad interfectionem ſui. Illis autem quos non conſueuit, oblatrat: etiam C ſi illi veniant vt paſcant eum, vel ad vtilitatẽ domus. Sic iſti pſeudo carnalibus quos conſueuerunt, applaudunt. Licet ſit in hoc & mors eorum & deſtructio domus .i. Eccleſiæ: prædicatoribus autem veritatis oblatrãt ſolummodo: quia non conſueuerũt in iſtis qui tamen veniunt ad viuificandum eos, & ad ædificationem domus Dei. Et de huiuſmodi pſeudo ait. Videte canes applaudentes conſuetæ carnalitati, oblatrantes inſolitæ ſpiritualitati: quibus non ſufficit contradicere veritati, ſed etiam ſunt D mali operarij ſuperſeminantes zizania, & hos *malos operarios videte*, ne falſa doctrina ſeducant vos. *Videte* etiam vos eoſdem *conciſionem:* qui ſicut conciſa pellicula cæſum habent corpus; ſic omnem intellectum cæſum & ſeparatum habent à bono: qui non ſolum conciſi ſunt, ſed etiã ſunt conciſio aliorum quos ſeducũt. Verè illi carnales ſunt conciſio: *nam nos* ſpirituales ſoli *ſumus circunciſio* .i. pu-

Pſeudo canes dicuntur.

rificatio

rificatio .i. non ſolum purificati: ſed etiam doctrina & exemplo ſumus aliorum purificatio. Abſciſio enim illius ſuperfluæ pelliculæ, ſignum erat omnia ſuperflua circuncidenda eſſe à corde. Illi verò cõciſa pellicula cor habent incircunciſum: nos verò rem tenentes .i. circunciſionẽ cordis, vmbrã eorum negligimus. Nos, inquã, ſumus circunciſio, *qui ſeruimus Deo:* non in carne quæ vile quid eſt: ſed in digniori parte, ſcilicet, *in ſpiritu:* quãtum enim ſpiritalitas præeminet carnalitati, tantum ſeruitus noſtra eorũ ſeruituti. Seruimus Deo in ſpiritu: *& gloriamur in Chriſto Ieſu* .i. Chriſtus Ieſus eſt gloria noſtra & gaudiũ noſtrum, & nulla gloria nobis in alio. Ita gloriamur in Chriſto Ieſu: nõ dicam vt non gloriemur in carne: ſed etiam *non habentes* vel minimam *fiduciam in carne* .i. in carnalibus quæ ſuadent. Dicerent illi. Fortaſſis nec tibi eſſet vnde cõfideres in carne: Nam ſe &cæt. Ad hæc ille. Non erubeſco vel confido in carne: *quamquam egò habeam* .i. habere poſſem *confidentiam ſi* qua eſſet *in carne.* Ego vtique haberem confidentiam, ſi qua eſſet in carne: Nam ſi quis videtur confidere in carne. (Hic dico alius .i. longe diuerſus à me, qui in Chriſto tantum confido) ego vtique magis illo in carne poſſem confidere. Magis ideò, quia *ego circunciſus octaua die ſecundum legem:* ille fortaſſis iã adultus tranſiens ad Iudaiſmum, fuit circunciſus. Circunciſio quæ fiebat octaua die: ſignificabat quod per iuſtitiam, cuius forma erat circũciſio, reuerſuri eramus ad illam octauam, quam per culpam Adę perdidimus. In ſignũ cuius octauæ diẽ Dominicam celebramus. Hic enim mundus per ſeptem dies voluitur: finito autem mũdo, incipiet hæc octaua non habitura finem in æternum. Quia circuncidebantur octaua die etiam qui non erant de Iſrael, vt filij proſelitorum: ideò addit. Ego etiam ſum *de genere Iſrael.* Quia iterũ quidam ſecundum alterum parẽtem de Iſrael: ſecundum alterum de gentibus vt Dauid: qui ſecũdum alteram

A partem fuit de genere Ruth. Gentilis ideò addit natus *de tribu Beniamin:* quia iterum quidã de Beniamin ad idola lapſi ſunt: appoſuit *Hebræus* natus ſum *ex Hebræis.* Fui etiã *Phariſæus* .i. egregius *ſecundum legem:* & per intellectum, & per cõpletionem legis. Phares diuiſio: inde Phariſæus diuiſus: quia ſeparati erãt à populo, egregij in lege, intellectu, & contemplatione. Fui etiam *perſequens Eccleſiam Dei ſecundùm æmulationem* .i. propter zelum & dilectionem defendẽdæ legis. Vt omnibus illis in lege prælatus eſſe videar, *cõuerſatus* ſum *in lege ſine*

Phariſæus vnde dicitur.

B *querela:* ſic enim me ſeruaui ꝙ nemo de me potuit conqueri. Sine querela dico *ſecundum iuſtitiam,* nõ quæ vera eſt: ſed *eã quæ eſt in lege:* quam homo ſatis poteſt operari per ſe. Abſcindere enim pelliculã illam, mactare hircũ, & huiuſmodi, facilè quilibet poteſt operari. Et quia tãtus in lege fui, ſi qua in carne gloria eſſet, nulli maior quam mihi, tam præminẽs in lege fui: *ſed* tamen ea *quæ* ante gratiam *fuerũt mihi lucra.* Lucrum enim erat operari figuras, dum adhuc expectaretur veritas. *Hæc* vtique prius lucra,

C modo *arbitratus ſum detrimẽta* .i. verum bonum deſtruẽtia *propter Chriſtum* amplexandum. Quamdiu enim in vmbra eſſem: corpus .i. Chriſtum non compræhenderem. Sed licet dicam propter Chriſtũ hæc vetera me dimiſiſſe: *veruntamen vt* hãc cauſam .i. Chriſtum ſileam: *exiſtimo* ego *omnia eſſe* decentia verum bonum ſolũmodo *propter eminentem ſcientiã* quã modo in ſcripturis aſſecutus ſũ. Prius enim dum eram in lege, videbar habere ſciẽtiam legis, quam in veritate non habebam: ſed veniẽs ad Chriſtũ,

D tunc primum habui veram ſciẽtiam ſcripturarum longè eminentem illi quã prius habere putabar. Sciẽtiam, dico, *Ieſu Chriſti Domini mei* .i. quam Ieſus Chriſtus veniẽtibus ad ſe diſtribuit. Secundum Ambroſium amore motus Dominum ſuũ dixit. *Propter quẽm* Chriſtum compręhendendum non ſolum arbitratus ſum, ſed etiam *feci* videri alijs, hęc *omnia* carnalia *de-*

trimentum. Nec ſolum ea *arbitror* detrimētum, ſed etiam *vt ſtercora*. Omnem enim adhęrentem ſibi coinquināt, hæc ideò arbitror ſtercora, *vt ſic Chriſtum faciam lucrum* meum; quia deſerēs illa, lucror mihi Chriſtum in futuro plenius habēdum: ideò etiam ſic arbitror vt interim dum nondum plene accipio Chriſtū, *inueniar* mēbrum *in illo*.i.in corpore eius. Ego dico iam *nō habens meam iuſtitiam*: meā vtiq; quia *quæ* iuſtitia *eſt ex lege*. Opera autem legis quilibet poteſt operari, ſcilicet, habens illam iuſtitiam *quæ eſt ex fide Ieſu Chriſti*.i. quā habemus per hoc ꝙ in Chriſtum Ieſum credimus. Diceret ille, iuſtitiam legis dicis eſſe tuam: illam autem quę eſt ex fide Chriſti, opponis quaſi tua non ſit. Ita ait Paulus. Mea nō eſt: ſed *quæ iuſtitia eſt ex Deo*. Iuſtitia dico ſicut habetur per fidem ita perdurans in fide. Quia opinaretur aliquis. Verum quidē eſt quod ex Deo fides, & niſi per fidem nō poteſt haberi iuſtitia: ſed iam habita iuſtitia, non eſt vltra neceſſaria fides, ideò ait, quia ſicut per fidem ortum habet iuſtitia, ſic perdurare habet in fide, & non ſine illa. ❡ Dixit ſuperius quod per Chriſtū habebatur eminens ſcientia, etiam in hoc mundo. Nūc autem ſubdit, quod per eum habeatur longè maior cognitio: ſed hęc in futuro, quando Dominum viſuri ſumus ſicut eſt. Quę iuſtitia eſt *in fide*. Iuſtitia dico valens ad agnoſcendum illum in gloria ſicut eſt: non ſicut modo per ſpeculum: & *ad virtutē reſurrectionis eius*.i. ad reſurgendum in immortalitate: quæ noſtra reſurrectio virtus eſt reſurrectionis eius. Reſurrectio enim eius hoc efficit, vt nos ſimiliter reſurgamus. Iuſtitia iterum valens *ad* habendam *ſocietatem paſſionū illius*: vt quemadmodum ille pro nobis, ſic nos ꝓ eo patiamur. Paſſiones Chriſti vocat, quæ ante crucē toto tempore * tolerauit. Valens etiam ad habendā *configurationem mortis eius*: vt nos omni modo configuremur morti eius. Vt ſicut ille ex ſola dilectione mortuus eſt pro nobis, ſic & nos in dilectione eius mori gau-

A deamus. Id quod diximus ſignificant verba eius, quę tamen ſic conſtruuntur. Inueniar in illo ego, dico, configuratus morti eius. Diceret aliquis. Quare ita vis configurari morti eius, cū iuſtitia tua ſine morte ad habendā gloriam ſufficiat? Ad hæc Paulus. Ideò cōfigurari volo morti eius: ſi quomodo ego non curarem quocunque genere paſſionis vel mortis hæc haberem. *Si quo modo*, inquam, *occurrā*. Seruus & Dominus ſibi inuicem occurrunt: hic benè ſeruiendo, ille be-

B nè remunerando. Sic Paulus occurrit chriſto, dum moritur pro eo: ſicut Chriſtus mortuus eſt pro Paulo. Occurrā dico tendēs ad reſurrectionem. Vel ita. Si quo modo occurram *ad reſurrectionem*: vt in occurrere deſiderium ſanctorum notemus, *quæ* reſurrectio *eſt ex mortuis*. Nos enim extra ſocietatem mortuorum reſurgemus: ſed impij nō reſurgēt ex mortuis: quia de die in diem morientur. Ideò dico *ſi quo modo*: quia non intelligo quod iam acceperim aliquid de

C gloria illa, ad quam tendo: aut quod iā perfectus ſim in cognitione chriſti: ad cuius cognitionē ſic modo vtimur fide: ſicut aliquis vtitur ſpeculo ad cognitionem cuiuslibet rei. Nondum accepi: ſed ſequor ſicut rem nō habitam, & quam deſidero. Sequor, inquam, ſi quo modo (ſicut ſupra dictum eſt) *compræhendam* eū. Ex abundantia affectionis ait, compræhendā. Ac ſi diceret. Si eum cōſequi poſſem, in amplexus meos includerem. Cōpræhendam dico in eo modo *in quo*

D *compræhenſus ſum à Chriſto Ieſu*: quādo vt ſicut chriſtus me perfectè cognoſcit ſicut ſum, ita ego cognoſcā eum ſicut eſt. Vel ita. Compræhendā chriſtū in eo modo claritatis, in quo ego compræhenſus ſum à chriſto Ieſu, quando me vocauit in via: vt in quanta claritate tunc erat, poſſem eū amplexari. Ideò dico compræhendā, quia ego, *fratres*, & ſi raptus ſum ad tertium cęlum, tamen *nō arbitror me compræhendiſſe* chriſtum, niſi per ſpeculum fidei. Non arbitror me cōpræhendiſſe: ſed perſequor *vnum*.i. rem

vnam,

Pſalm. 26. verſ. 4. Vnum ſequendum eſt & non duo.

vnam, de quo vno ille clamabat: Vnā petij à Domino, hāc requiram. Vnū ſequitur, qui in eadē operatione boni ſemper eſt. Duo ſequitur, qui modo bonum, modo malum operatur. Perſequor vnum ego quidem, *obliuiſcens ea quæ retro ſunt*.i. temporalia & quæcunque carnalia. Vel ita. Obliuiſcens quæ retro ſunt.i. præterita merita. Ad ea verò quę ſunt priora.i. potiora, quia æterna. Vel ad ea merita quæ ſunt priora vtilitate, & ſi poſteriora præcedētibus tempore. Ideò vltima priora, quia præcedentia irrita eſſent, niſi ſequerētur iſta quæ faciūt vim illa habere. Ad illa q̄ ſunt priora omni deſiderio extendens meipſum & carne, & ſpiritu: eundo ſic *ad deſtinatum*.i. ad rem mihi deſtinatam, ſcilicet, *ad brauium*.i. ad præmium laboris. Brauium dico *vocationis* Dei: ad ꝙ accipiendum vocat me Deus. Vocationis dico *ſupernæ*.i. in ſupernis cœlorum habendæ, *in Chriſto Ieſu* diſtributore huius brauij ſuis certatoribꝰ.

Brauium eſt laboris præmium.

In his verbis & certitudinem & commendationem rei quā expectat, inſerit. Per deſtinatum & vocationis certitudinem, per ſupernæ & Dei, & in Chriſto Ieſu, dignitatem eius rei ſignificat. Quia ego Paulus nondum accepi aliquid, nec adhuc perfectꝰ ſum: ſed ſequor *vt comprehendam*: extendens me ad deſtinatum brauium ſupernæ vocationis: ergo vos quicunq; perfecti eſtis hoc idē ſentite: ſcilicet, vos nondum Chriſtum eo modo accepiſſe, aut in cognitione eius adhuc perfectos eſſe. Nec hoc per ſecūdam perſonam dicit, ſed more ſuo vt eos melius inducat ſeſe interſerit, dicēs. *Quicunque perfecti ſumus, hoc ſentiamus*. Quod ſupra ait. Non quòd iam perfectus ſim: videtur oppoſitum ad hoc quod hic ait, perfecti ſumus, ſed non impedit. Ibi enim ait de perfectione cognitionis Dei, in qua nemo in hoc mūdo perfectus eſt. Hic ait de perfectione virtutum, quam habere poſſumus in hoc mundo, in qua perfectione multi gradus ſunt. Paulꝰ. n. perfectior alio, & quilibet ſine næuo criminali vitā ducēs, ꝑfectus dicitur.

Perfectus quis dicatur.

A Et quia dixi ſentiamus nos ſic imperfectos: ne ideò de ſolēni, quia *ſi quid aliter*.i. minus perfectè *ſapitis, Deus* qui quod iam ſapitis *vobis reuelauit*, hoc etiam quod ſapiēdum reſtat vobis reuelabit. Vel ita. Si quid aliter ſapitis.i. quod iam ad aliquem gradum cognitionis pertingitis, Deus hoc reuelauit vobis, & ſic faciet illud quod reſtat. Vel ita. Sentiamus nos imperfectos, & ſi vos aliquid aliter ſapitis, quam ſapiendum ſit, à carnalibus decepti, Deus reuelabit vobis hoc quomodo ſentire debeatis, qui iam aliquid fecit in vobis.

B Dicerent illi. Et quia ſicut dicis ſumus imperfecti, ideò ſtare non poſſumus, nec mirandū ſi labimur. Ad hoc Paulus. Licet nōdum perfecti ſimus: veruntamen oportet *vt ſapiamus*.i. intelligamus *idē omnes*. Nec in carnalibus idem, ſed illud idem ad quod intelligēdum fide *peruenimus: & oportet vt permaneamus in eadem regula*.i. in eadem rectitudine viuendi. Vt autem in eodem permaneatis, O vos *fratres eſtote mei imitatores*. Quia ſi opponitis me, quē non videtis nō poſſe imitari: Ad hoc

C reſpondeo. *Obſeruate*.i. diligenter cōſiderate *eos qui ita* ſecundum fidem *ambulant, ſicut* adhuc *habetis*, credo in memoria *formam noſtri*, quemadmodum docebamus & viuebamus dum apud vos eſſemus. Sicut enim faciem hominis olim viſi quis recolligit: ſic & vos formam noſtrę doctrinæ & morum. Ideò dico, qui ita ſecūdum formam noſtrā ambulant: *multi enim ambulant* in genere mali, *quos* multos *ſæpe* cum apud vos eram, *dicebam vobis* eſſe *inimicos cruci Chriſti*, dum enim aliunde quam per cruci-

D fixum Chriſtum dicūt hominem iuſtificari, pro certo inimicantur cruci Chriſti. Tunc ſi dicebam vobis: nunc autem idem *dico dolens & flens*: & de damnatione eorum, & de ſeductione veſtri. Vt ab huiuſmodi conſenſu Philippenſes retrahat, improbat illis pſeudo: partem verò ſuam approbat, dicens. *Finis quorum* inimicorū Chriſti *eſt interitus*.i. æterna damnatio: & *Deus quorum eſt venter*: id quod con-

A tinet pro eo quod continetur.i. eſca. Dum enim per eſcā ſe purificari credunt, quod Dei eſt, eſcæ attribuunt. Vel ita. Quorum Deus venter eſt:nō enim amore Dei prædicant, ſed vt ventrem impleant, *& gloria ipſorum* qui terrena ſapiunt.i.qui carnalia ſectantur & docent, eſt *in cōfuſione.*. Dicuntur enim truncati. Erubeſcere etiam poſſunt, dum illi rationales credūt, ſe iuſtificari per immolationem irrationalis hirci. Finis eorum eſt interitus, *ſed noſtra*, non ſolum voluntas: ſed etiam *conuerſatio* qui crucem Chriſti diligimus, *eſt in cœlis:* terrenis enim poſtpoſitis, anhelamus ad cœleſtia. *Vnde.*i.quia conuerſatio noſtra eſt in cęlis: hac fiducia ſecuri *expectamus* ad iudicium *ſaluatorem Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum, qui corpus humilitatis*.i.abiectionis *noſtræ.* (Nos enim per peccatum noſmetipſos abiecimus à gloria in qua conditi eramus.) Corpus, inquam, hoc *reformabit:* quādo enim primum hominem creauit, in multa eum claritate formauit. In reſurrectione autem maiori adhuc claritate reformabit *corpus noſtrum configuratum corpori*.i. in eadem figura poſitum in qua ſuum corpus erit: nec corpori mortalitatis, quod prius habuit; ſed corpori *claritatis ſuæ;* quam claritatem immortalitatis accepit in reſurrectione: & in hac eadem claritate immortalitatis corpus noſtrum reformabit. Et hoc notandū, quod noſtra humilitas eius fuit claritas. Quia autem potens ſit reformare ſubdit dicens. Reformabit agens *ſecundum operationem: in qua* operatione non ſolum hoc facere, ſed etiam *poſſit ſibi omnia ſubijcere.*

Venter eſt Deus mul... rum.

Homo primus in multa claritate fuit formatus.

CAP. IV.

I Taqve *fratres mei charißimi, & deſiderantißimi, gaudium meum & corona mea: ſic ſtate in Domino chariſsimi, Euodiam rogo & Syntychen deprecor, idipſum ſapere in Domino. Etiam rogo & te germane compar: adiuua illas quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ. Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Dominus enim prope eſt. Nihil ſolliciti ſitis, ſed in omni oratione & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu. De cætero fratres, quæcunq; ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iuſta,*
B *quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ: ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate: quæ & didiciſtis & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me. Hæc cogitate & agite, & Deus pacis erit vobiſcum. Gauiſus ſum autem in Domino vehementer: quoniā tandem aliquādo refloruiſtis pro me ſentire, ſicut & ſentiebatis. Occupati autem eratis. Non quaſi propter pœnuriam dico. Ego enim didici in quibus ſufficiens ſum. Scio & humiliari, ſcio & abundare. Vbiq; & in omnibus inſtitutus ſum; & ſatiari, & eſurire, & abundare, &*
C *pœnuriam pati. Omnia poſſum in eo qui me confortat. * Veruntamen bene feciſtis, communicantes tribulationi meæ. Scitis autem & vos Philippenſes, quod in principio Euangelij, quando profectus ſum à Macedonia, nulla mihi Eccleſia communicauit in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli: quia & Theſſalonicam ſemel & bis in vſum mihi miſiſtis. Non quia quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtra. Habeo autem omnia, & abundo. Repletus ſum acceptis ab Epafrodito, quæ miſiſtis in odorem ſuauitatis hoſtiam acceptam,*
D *placentem Deo. Deus autem meus impleat omne deſiderium veſtrum ſecundum diuitias ſuas in gloria in Chriſto Ieſu. Deo autem & patri noſtro gloria in ſecula ſæculorum Amen. Salutate omnem ſanctum in Chriſto Ieſu. Salutant vos qui mecum ſunt fratres. Salutant vos omnes ſancti: maximè autem qui de Cæſaris domo ſunt: Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro, Amen.*

40.di. quid dicit in fine.

** confortatus.*

Rom.12.8.

Et

Et quia reformabit nos qui conuerſamur in cœlis: *itaque fratres mei* ſic nobiſcum conuerſamini. Fratres dico *chariſſimi*, pro iam benè geſtis, *& deſideratiſſimi* .i. qui me multum deſideratis. Vel deſideratiſſimi .i. plurimum à me deſiderati. Vos dico *gaudium meum* in pręſenti: bonum enim mihi eſt gaudere de veſtra perfectione: vos *& corona mea* in futuro, pro vobis enim coronari cõfido. Vos fratres *ſtate in Domino ſic* .i. vel ſicut vos docui, vel ſicut vſque modo ſtetiſtis: ſicut chariſſimi de pręterito, ita chariſſimi pro futuro bono. Vos ita in communi admoneo: ſed *Euodiam*, quaſi quæ cito conſentiat, *rogo: & Snitychen* quæ minus videtur exorabilis, *deprecor, ſapere* vtraſque *idipſum* .i. vnitatem fidei. Idipſum dico non in lege, ſed *in Domino*. Hæ duę matronæ erant, quæ miniſtrauerant Apoſtolo & diſcipulis in prædicatione: ſed per muliebrem leuitatem quod fecerant Apoſtolo, idem faciebant illis pſeudo: putantes ſe benè agere, & ſuper hoc redarguuntur à Paulo. *Rogo etiã te ô Germane*, qui mihi *compar* es in prædicatione Euangelij: *adiuua illas* docendo, ne ſic errent vlterius (& dignum eſt) quia *quæ laborauerũt mecum in Euangelio*, de ſuis mihi miniſtrando: quæ etiam laborauerunt *cum Clemente & cæteris adiutoribus meis*, ſimiliter miniſtrando: *Nomina* .i. merita *quorum* per quę coram Deo nominabiles ſunt: nomina, inquam, *ſunt in libro vitæ*. Liber vitæ mens diuina dicitur, in qua boni ab æterno memoriter ſcripti ſunt. Hic Germanus erat coadiutor Pauli in pręedicatione. Has perſonas ex nomine ſic admoneo, in commune autem hoc præcipio: gaudete non in lege: nõ in carnalibus: ſed in Domino (ſicut admonui in principio) Nec ad horam: ſed *ſemper gaudete in Domino: & iterum* idem *dico gaudete* in Domino. Si ſemel diceret gaudete, non videretur hoc velle, quam aliud: ſed quia hoc magis ſuadere intendit: nunquã nimis dicit: quod nũquam nimis fit. Ita aũt gaudete in Domino, vt *modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus*, ad exemplum boni. Modeſtiam dicit quaſi mẽſuram: vt ſic menſurati ſint: ne vltra Dominum gaudiũ quærant, nec infra gaudere præſumant. Vltra Dominum gaudium quęrit, qui fidei adiungit carnalia. Infra ſubſiſtit, qui in proprijs viribus gaudium quærit. Dicerent illi. Bonum eſſet ad cultum Dei legem adiungere fidei. Ad hoc Paulus. Sic eſtote modeſti: *quia Dominus prope eſt* .i. paratus ſemper eſt auxiliari modeſtis. Iterum illi. Si teneremus diſciplinam legis, ad corrigẽdum inquietos eſſet vtilis. Ad hoc iterum Paulus. *Nihil ſitis ſolliciti* .i. ne ſitis dubij de auxilio Dei, quod vobis accelerat dimiſſio legis. Vel latius accipiamus hoc ita, vt ad vtramque pugnam reſpondeant hæc verba. Quaſi diceret. Vos vtrinq; impugnamini, ſed gaudete in Domino ſemper, quia digni eſtis à perſecutoribus, & à pſeudo pro nomine eius pati. Iterum dico gaudete. Duplex eſt pugna, duplex exhortatio. Sic autẽ gaudete, vt modeſtia .i. temperantia patientię veſtrę, nota ſit omnibus hominibus. Vt autẽ modeſti ſitis, ſcitote quia Dominus prope eſt, qui non deſerit ſperantes in ſe. Et quia prope eſt, nihil ergo ſolliciti ſitis .i. ne perſecutores dubitetis. Ne ſitis dubij, *ſed* petite *in omni oratione, & obſecratione, & cum gratiarum actione*. Oratio dicitur quando res impetrabilis petitur & deprecatiuè. Obſecratio dicitur, quãdo per adiuramenta & quod ad impetrandum difficilè videtur poſtulamus. Redditio etiam gratiarum ad impetranda futura vtilis eſt, ſicut ingratũ eſſe nocuum eſt. Sic autem petite, *vt petitiones veſtræ innoteſcãt apud Deum* .i. cognitæ & approbatæ ſint apud Deum. Tũc apud Deum innoteſcit petitio, ſi qui petit iuſtus eſt; & ſi quod petit, idoneum eſt. Petitiones dicuntur de rebus quæ modo opportunæ ſunt, modo tranſeunt, vt pluuia in ſiccitate, æſtus in meſſe. Quod ex vobis poteſtis, facite: & in quo vos deficitis Deus ex pietate ſuppleat. Quod ſic ait. *Pax Dei* .i. Deus pacis, & congruè

Liber vitæ mens diuina dicitur.

Nunquam nimis dicitur, quod nunquam nimis fit.

Gaudium vltra Deũ quærens.

Oratio quando dicitur. Obſecratio quando dicitur.

Petitio quando innoteſcit apud Deum.

(quia pugnam patiebantur) nominat hic Deum pacis. Pax, inquã, Dei *quæ exuperat omnem ſenſum.* Intellectus enim hominis eam capere nõ ſufficit. Pax, inquam, hæc *cuſtodiat corda*, i. voluntates veſtras: *& intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu:* qui totius boni cuſtodia eſt. Quidam idẽ intelligunt, ſed non idem volunt. Quidam idem volunt, qui tamen idem non intelligunt. De præteritis ſic vos inſtruxi: *de cætero* .i. de futuro, *fratres*, cogitate *quæcunque ſunt vera, quæcunq; pudica.* Hæc duo, vera & pudica, circa fidem accipiũtur, quorum alterum ſine altero licet nequeat eſſe in fide. Si enim veritas eſt in fide & pudicitia, quia ſi falſa fides eſt, eſt etiam adultera, tamen non ſunt ſuperflua: quia verum & pudicum, diuerſas laudes ſignant in fide. Cogitate etiam, *quæcunque iuſta* ad proximum, *quæcunq; ſancta* in vobis, *quæcunque* etiam ſunt *amabilia* .i. pro quibuſcunque amatur religio veſtra, & *quæcunque* ſunt *bonæ famæ* .i. de quibuſcunq; bona loquuntur homines. Ita tamen dico bonæ famæ *ſi qua virtus* eſt in eis. Vel *ſi* non eſt tanta virtus, ſit ibi ſaltem *aliqua laus diſciplinæ.* Sufficit enim ſolũmodo diſciplina Chriſtiana, vt appareat laudabilis. *Cogitate*, inquam, *hæc* omnia, *quæ & didiciſtis à me, & etiam accepiſtis* à me: & turpe eſt vt deſeratis, quæ benè incœpiſtis: *quæ etiam audiſtis eſſe in me: &* cum apud vos eſſem *vidiſtis in me. Hæc* non ſolùm cogitate, ſed etiam *agite, &* tunc *Deus pacis erit* cooperando *vobiſcum.* Sic vos de futuris admoneo: de præteritis autem *gauiſus ſum vehementer in Domino:* ſcilicet, quod *tãdem* multo tempore præterito, & tunc *aliquando* .i. ſemel non amplius *refloruiſtis.* Cùm enim apud vos eram, tunc circa me floruiſtis, nunc autem refloruiſtis non ſolum miniſtrare, ſed etiam *ſentire pro me.* Sic enim grauis fuit vobis mea egeſtas, ac ſi vos eiſdem indigeretis. Sentire dico, *ſicut* olim cũ apud vos eram pro me, *ſentiebatis.* Refloruiſtis conuenienter ait. Sicut enim de flore, ita fructus expectatur de hac admini-

A ſtratione. Nunc tandem refloruiſtis, ſed prius *occupati eratis:* & ideò excuſabiles eſtis ſi aliunde impediti non miniſtraſtis. Gauiſus ſum vtique, & *non* hoc *dico* quaſi *propter pœnuriam,* quæ mihi grauis eſſet: *ego enim didici eſſe ſufficiens in quibuſcunque ſum. Scio* enim *& humiliari*, id eſt, pauperari. *Scio etiam abundare.* *Humiliari quis ſcit.* Ille ſcit humiliari, qui non frangitur egeſtate. Scit abundare, ſi cum auctoritate nouit ſubditis imperare: non tamen ſibi ad gloriam, ſed ad vtilitatem Eccleſiæ.

B *Scio humiliari & abundare: ego enim ſum inſtitutus*, id eſt, aſſuetus vbique, id eſt, in omni loco. Siue ſint ibi pauci, ſeu plures, ſeu pauperes, ſeu diuites. Et in omnibus rebus ſum ego inſtitutus, *& ſaturari, & eſurire:* & (vt latius dicam) *ſcio abundare & pœnuriam pati.* Et licet dicam ſcio pati &c. tamen hæc *omnia poſſum* non in viribus meis, ſed *in eo* adiuuante *qui me* per gratiam ſuam *confortauit.* Et licet dixerim me non propter pœnuriam gauiſum eſſe, *veruntamen* non

C ſum ingratus beneficijs, ſed *benè feciſtis communicantes tribulationi meæ*, id eſt, mihi tribulato. Dico ſcio abundare & pœnuriam pati: *vos* autem ô *Philippenſes* hæc *ſcitis:* quia *quando profectus ſum à Macedonia*, in principio Euangelij: *nulla Eccleſia communicauit mihi in ratione*, id eſt, in conſideratione *dati & accepti:* vt conſideraret me dare ſibi ſpiritualia, & me debere ab eis accipere carnalia. Vel econuerſo quod acciperet à me ſpiritualia, & deberet dare temporalia.

D Nulla, inquam, communicauit, *niſi vos ſoli, qui miſiſtis mihi Theſſalonicam & ſemel & bis*, non tamen in congregandum theſaurum, ſed *in vſum*, id eſt, quod vſui meo ſufficeret. Dicerent illi. Ideò nos laudat, vt ſic nos ad dandum inducat. Ad hoc Paulus. *Non* ideò vos laudo, *quia quæro datum*, id eſt, vt detis mihi, *ſed requiro abundantem fructum in ratione* .i. in adminiſtratione *veſtra* ex ratione facta. Quaſi diceret. Non amore accipiendi quæro à vobis, ſed vt exhibeam me capacem materiam veſtræ benigni-

benignitati, vt ſic fructificare poſſit. A
Ideò non quæro datum, quia ego *habeo omnia,* quæ oportet, *& abundo* in illis. Abundo vtique, *quia repletus ſum acceptis ab Epafradito quæ miſiſtis in odorem ſuauitatis Deo.* Per incenſum (qui dicitur odor ſuauis Deo) ſignificatur oratio. Hæc autem eleemoſyna non minus grata fuit Deo, quam deuota oratio. Miſiſtis & hanc eadem *hoſtiã acceptam Deo*, nec quoquomodo acceptam, ſed *beneplacentem* Deo. Hoſtia vocabatur, quod pro deuictis vel deuincendis hoſtibus offerebatur. Hi autem ſi ſe vel verberibus, vel ieiunijs mactarunt, vt inuiſibilis hoſtis tentationes ſuperarent, non magis placerent Deo, quam hæc adminiſtratio. Repletus ſum à vobis, *Deus autem meus impleat omne deſiderium veſtrum.* Non ſecundum hoc quod meruiſtis, ſed *ſecundum diuitias ſuas*. Impleat dico *in gloria* & hoc *in Chriſto Ieſu*, diſtributore gloriæ. Quia me repleuiſtis ſic oro pro vobis: *Deo autem & patri noſtro* pro his & pro omnibus quæ bene gerimus, ſit *gloria in ſecula* horum *ſeculorum* conſecutiua *Amen. Salutate omnem ſanctum in Chriſto Ieſu.* Hoc ait de diſcipulis ſuis, ſi fortè pertranſeuntes viderent illos. *Salutant vos fratres qui mecum ſunt.* Hoc iterum de diſcipulis ſuis qui ſecum erant ait. *Salutant vos omnes ſancti:* hæc ait de conuerſis. *Maxime autem* ſalutant vos hi *qui ſunt de domo Cæſaris.* Voluit ſignificare eis, de familia Neronis quoſdam per eum conuerſos eſſe: quorum ope exiſtimabat ſe euaſurum vt viſitaret eos. Signum Epiſtolæ. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro* ſit, vt in ſpiritalibus Deo ſeruiatis: in quo & ſemper gaudetis.

Amen.

Oratio per incenſum ſignificatur.

Hoſtia quid dicebatur.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM B. PAVLI AD COLOSSENSES.

Coloſſenſes, ſicut & Laodicenſes, ſunt Aſiani: & ipſi præuenti erant à pſeudo-apoſtolis. Nec ad hos acceſſit Apoſtolus: ſed & hos per Epiſtolam corrigit. Audierat enim verbum ab Archippo: qui & miniſterium in eos accepit. Ergo Apoſtolus iam ligatus, ſcribit eis ab Epheſo, per Tichicum Diaconum, & Oneſimum acolitum. B

PROLOGVS B. BRVNONIS IN EANDEM.

HI Coloſſenſes Aſiani erant, affines Laodicẽſibꝰ, quibus in Apocalypſi Ioãnes ſcribit cũ cæteris, Eccleſiis: quibus ſimiliter Paulus Epiſtolam ſcripſit: quia tenta-
C bantur ſimiliter à pſeudo apoſtolis: & præcepit vt Epiſtola Coloſſenſiũ, legeretur in Eccleſia Laodicenſium, & è conuerſo. His autem Coloſſenſibus non prædicauerat Paulus, nec ad eos venerat, ſed Archippus diſcipulus Pauli, filius fortaſſe Philemonis: cui Paulus pro Oneſimo reconciliãdo ſcribit, prædicauerat illis: & ad fidem eos conuerterat: quibus iã ſic in fide promotis, Epaphras quidam ex eodẽ populo natus, inſtructus etiam à Paulo in fide, ſuperuenit: affirmans quod Archippus prædicauerat illis,
D quem libenter audierunt conciues ſui, & per eum incrementum acceperunt fidei. Dum autem florerent in fide ambulantes ſecundum doctrinam Archippi & Epaphræ, ſuperuenerunt pſeudo, prædicantes illis legem. Populus autem adhuc rudis exiſtimans eos eſſe audiẽdos, nõ minus quã illos priores, ferè incipiebat conſentire eis. Sed Epaphras audiens Apoſtolum propè eſſe Epheſi, pertranſijt ad illum, nuncians illi ordinẽ rei, & poſtulans ab eo vt prædicationem

ſuam, & Archippi confirmaret per Epiſtolam illis miſſam. Eorum verò partem qui contradicebant, improbaret. Hac occaſione Paulus ſcribit eis hanc Epiſtolam: in qua materiam habet Chriſtum & legem: hi enim Chriſtum, illi legem prędicabant. De his ſic agit approbando fidem Chriſti, multis & euidētibus cauſis, & improbando legem non vltra iam eſſe tenendam. Ea intentione de vtroq; ſic agit, vt confirmet eos in puritate fidei qui eſt Chriſtus.

EPISTOLÆ AD COLOSSENSES.

CAP. I.

PAVLVS *Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater: his qui ſunt Coloſſis, ſanctis, & fidelib⁹ fratrib⁹ in Chriſto Ieſu. Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro. Gratias agimus Deo & patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſemper pro vobis orantes, audientes fidem veſtram, in Chriſto Ieſu, & dilectionem quā habetis in ſanctos omnes, propter ſpem quæ repoſita eſt vobis in cœlis: quam audiſtis in verbo veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos: ſicut & in vniuerſo mundo eſt: & fructificat et creſcit ſicut in vobis, ex ea die qua audiſtis & cognouiſtis gratiam Dei in veritate: ſicut didiciſtis ab Epaphra, chariſſimo conſeruo noſtro: qui eſt fidelis pro vobis miniſter Chriſti Ieſu: qui etiam manifeſtauit nobis dilectionem veſtram in ſpiritu. Ideo & nos ex qua die audiuimus, non ceſſamus pro vobis orantes & poſtulantes: vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni ſapientia & intellectu ſpiritali: vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes & creſcentes in ſcientia Dei in omni virtute confortati ſecundum potētiam claritatis eius in omni patientia & longanimitate, cum gaudio gratias agentes*

A *Deo & patri: qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine. Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & trāſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ. In quo habemus redemptionē & remiſſionem peccatorum, qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniā in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia. Siue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum et in ipſo creata ſunt. Et ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſiſtant: Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principiū* 1.Cor.15. verſ.21.

B *primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens: quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum recōciliari omnia in ipſum, pacificās per ſanguinē crucis eius, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt. Et vos cū eſſetis aliquando alienati & inimici ſenſu, in operibus malis, nunc aūt recōciliauit in corpore carnis eius, per mortē exhibere vos ſanctos, & immaculatos, & irreprahenſibiles coram ipſo: ſi tamen permanetis in fide fundati, & ſtabiles, & immobiles à ſpe*

C *Euangelij, quod audiſtis: quod prædicatū eſt in vniuerſa creatura, quæ ſub cœlo eſt, cuius factus ſum ego Paulus miniſter: qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Cuius factus ſum ego miniſter ſecundum diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi in vobis, vt impleam verbum Dei, myſterium quod abſconditum fuit à ſæculis & generationibus: nunc autem manifeſtatum eſt ſan-*

D *ctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ ſacramenti huius in gentibus: quod eſt Chriſtus in vobis ſpes gloriæ, quem nos annunciamus corripientes omnem hominem, & docentes in omni ſapientia: vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu, in quo & laboro, certando ſecundum operationem eius quem operatur in me in virtute.*

PAulus &c. Quia hîc auctoritas neceſſaria erat, dignitatis nomē non intermiſit, dicens. *Paulus Apoſtolus:*

ſtolus: non legis, ſed *Chriſti Ieſu.* A-
A poſtolus dico *per voluntatem Dei:* ſcitote quia qui mihi contradicit, contradicit & voluntati Dei. Qui autem Archippo & Epaphræ * diſcipulis meis, ſimiliter & mihi & Deo. Paulus inquam, *& Timotheus frater* ſcribunt *his qui ſunt Coloſſis.* His dico *ſanctis,* id eſt, qui ſanciti ſunt & confirmati in iuſtitia fidei. Sanctis, inquam, *& fidelibus fratribus,* id eſt, minus perfectis. Sanctis & fidelibus dico *in Chriſto Ieſu.* Quia ſi Chriſtus Ieſus vobis ad ſanctificandum ſufficit, fruſtra legem appræhendere vultis. Timotheum ideo ſecum in ſalutatione ponit, quia notus erat illis, & habebant eum magnæ auctoritatis. Hic autem auctoritate ſola opus erat. Nō enim contradicebant Petro vel Paulo, vel cuiquam Chriſtum prædicanti: ſed ſimpliciter opinabantur illos pſeudo ſic eſſe ex Paulo, vt illos veros. Paulus, inquam, & Timotheus ſic ſcribunt. *Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro:* ſicut ſæpe expoſitum eſt. Nunc in primis commendat fidem eorum, quam tradiderant illis Archippus & Epaphras, dicens. *Audientes fidem veſtram gratias agimus Deo:* pro qua vtiq; non agerem gratias, ſi eſſet imperfecta. Sed agimus gratias Deo: *& patri Domini noſtri Ieſu Chriſti:* cuius fides tradita eſt vobis. Cui ſicut ego conſentio: ſic Chriſtus & pater eius Deus. Videte ne vos negligentes diſcipulos contēnatis me magiſtrū: quia ſi me & Chriſtum & patrem eius Deum cōtemnitis, Gratias agimus nos, *orantes pro vobis:* vt in fide quam accepiſtis proficiatis: quod vtiq; non orarē niſi fidē hanc approbarē. Orantes dico non raro, ſed *ſemper* Videte ne laborē orationis meæ irritum faciatis. Vnde gratias agat, proximè ſubdit, cōmendando fidem, ſicut tradiderant illis Archippus & Epaphras, dicens. Gratias agimus *audientes fidem veſtram* eſſe *in Chriſto Ieſu:* & audientes bonum effectum veſtræ fidei. ſ. dilectionem: quam habetis in oēs ſanctos quibus ex charitate veſtra cōmunicatis. *Dilectionē di-*

** conditoribus.*

A *co* habitam *propter ſpem* .i. propter rē ſperatam: quæ ſpes eſt *poſita* .i. abſcondita *vobis:* & reſeruata in tam digno loco ſicut *in cœlis.* Per hoc quod dicit, ſperatā poſitam eſſe & abſcōſam, cōmendat meritū eorum, qui ſperāt à Deo quod nec viderunt nec audierunt. Vbi ait, in cœlis, dignitatē ſperatæ rei ex loco in quo futura eſt, oſtendit. Dicerent illi. Spes iſta ex lege habetur. Ad hoc Paulus. *Quam* rem ſperatam & *audiſtis* & intellexiſtis *in verbo veritatis.* Neque hæc veritas in lege fuit: ſed veritatis Euangelij. Lex
B enim falſitatis eſt verbum, ſed Euangelium verbum eſt veritatis. Iterum illi. Malumus nō obedire tibi, quam rem inauditā ſuſcipere. Ad hoc Paulus. *Quod* Euāgelium (pertranſiens iā multas Eccleſias) *venit ad vos.* Quod autē omnis Eccleſia tenet, vos ne repellere vultis? Iterum illi. Peruenit vtiq; ad nos, ſed non ſic integrum vt ad alios. Ad hoc ait. Peruenit vtique ad vos, *ſicut* peruenit *in vniuerſum mūdum.* In hac enim eadem fide quā
C tradiderunt vobis, totus mūdus poſt Chriſtum abit. Peruenit dico *& eſt* .i. ſic permanet in vniuerſo mundo, *& fructificat* bene operando: *& creſcit* tam numero quam cognitione Dei. Non per aliud quam traditum eſt vobis, ſed *ſicut* iſti poſuerunt *in vobis.* Dicerent illi. Creſcit quidem in nobis, ex quo cœpimus audire hos qui nouiter intrauerunt. Minimè ait Paulus: ſed creſcit *ex ea die qua audiſtis fidem ab Archippo: & cognouiſtis*
D per teſtimonia ſcripturarum, approbatam vobis *gratiam Dei* quæ eſt in fide. Gratia enim legis in manu abſcindentis pelliculam vetulæ conſiſtit. Gratiam Dei dico *in veritate:* credite mihi: qa hæc eſt vera gratia Dei. Gratia legis vmbra erat. Audiſtis dico, & ſicut vos didiciſtis, & vtique turpe eſt didiciſſe, quod derelinqueretis: & è conuerſo. Didiciſtis dico *ab Epaphra chariſſimo noſtro:* qui ita ſeruit Chriſto in Euāgelio vt Petrus vel ego. Ne ergo minus audiatis eum dicerent illi. Vocas eum conſeruum: ſed alia miniſtrauit nobis, quę à te nō didicit.

Lex falſitatis eſt verbum.

Minime

Minimè ait Paulus: quia *qui eſt fidelis miniſter:* nil addens, nil diminuẽs. Miniſter dico *Chriſti Ieſu* .i. vel quia Chriſtum miniſtrat, vel quia Chriſtus inſtituit eum miniſtrum, vel miniſter ad honorẽ Chriſti. Et quod miniſter eſt hoc certè *pro vobis*, qui populus eius eſtis: quia niſi pro dilectione veſtra eſſet, credo nõ miniſtraret. *Qui etiã manifeſtauit nobis* nõ odium veſtrum, non diſſenſionem ſed *dilectionem veſtrã* eſſe *in ſpiritu*.i. cõtemnere carnalia: diligere ſpiritualia.

¶ Oſtẽſo vnde gratias agat cũ approbatione acceptę fidei: ſubdit quod oret ꝑ eis: inſerendo improbationẽ legis, dicẽs. Et quia manifeſtauit nobis dilectionẽ veſtrã in ſpiritu: *Ideo oramus pro vobis & non ceſſamus orãtes, ex ea die qua audiuimus fidem & dilectionem veſtram. Orantes* dico *& poſtulantes*.i. quaſi rẽ iuſtitiæ veſtræ debitam, cum fiducia petentes: *vt impleamini agnitione voluntatis eius* .i. vt plenariè cognoſcatis volũtatem Dei. Impleamini dico *in omni ſapientia*. Sapientiã hic ponit quaſi ſcientiam: & quod ait in omni ſapiẽtia idẽ valet ꝙ in omni cognitione actiuæ vitæ. Impleamini etiã in *omni ſpiritali intellectu:* vt ſicut in corporalibus, ſic voluntatem Dei intelligatis in ſpiritalibus. *Vt* intelligentes voluntatem eius *ambuletis per omnia*.i. bene operemini. Ambuletis dico, *digne Deo*, i. vt ſitis digni habere Deum. Vel dignè Deo vt Deus dignũ iudicet habitare in vobis. Vos dico ſic ambulando *placentes*. Vel ambuletis placentes per omnia quod idem valet. Nec in ambulando ſubſiſtere velitis, ſed *in omni opere bono fructificantes*.i. incrementum habentes. Vos dico ſic fructificando *creſcẽtes in ſciẽtia Dei* .i. in cognitione diuinæ eſſentiæ: quam nemo habere poteſt niſi pri⁹ operetur, quæ ſunt Dei: nõ enim per cognitionẽ ad opera, ſed per opera pręmiſſa ad cognitionem aſcenditur. Hęc ſcientia Dei & agnitio volũtatis eius quã præmiſit longè à ſe differunt: ibi.n. ait, quid velit Deus, quid non velit: quod facilè patet quibuslibet: hic aũt de cognitione diuinæ eſ-

A ſentiæ, quã aperit puritas vitæ, cõuenienter aſcendit: prius.n. intelligenda eſt voluntas Dei; qua intellecta, ambulandum eſt in ea, nec ibi ſubſiſtendũ, ſed in melius fructificãdum: tum demũ patet introitus ad cognitionem diuinæ eſſentię. Quo poſtquã venitur, reſtat ſolũmodo perſeuerare: Vnde ait. Poſtquã fructificaueritis & creueritis in ſcientia Dei: eſtote *cõfortati*.i. roborati: & perſeuerantes *in omni virtute*.i. humilitate tẽperantia & quæcũq; ſunt. Confortati dico

B *ſecũdũ potentiam eius*.i. ita confortati ſicut ipſe potens eſt vos cõfortare. Potentiam dico *claritatis eius* .i. quæ vos clarificauit. Qui.n. cum eſſetis in tenebris peccatorum, vos clarificauit iuſtificatos: facilius poterit & debet conſummare iam iuſtos. In omni virtute dico .ſ. *in omni patientia & longanimitate* confortati *cum gaudio*. Quia has duas virtutes vidit magis neceſſarias ad perſeuerandum, ideo ſubiungit *in omni patientia* .i. vt ſicut acerbitatẽ malorum: ſic & opprobria patiamur. Qui.n. pati non vult con-

C tendit, repercutit, & ſic dilectio perit. Addidit etiam *in longanimitate*. Qui enim longanimis in ſuſtinendo non eſt, ſi differtur remuneratio, proijcit onus Dei, & ſic omnis virtus in illo perit. Iterum patientes & longanimes eſſe malum eſt: niſi ex voluntate: & ideo addit *cum gaudio*, vt non triſtentur: ſed gaudeant pati & diu expectare. Vult illis modo improbare legem, dicens ſe & alios Apoſtolos qui in lege nati fuerunt: quia in tene-

D bris tunc erant, legem deſeruiſſe, & gratias agere Deo, ex eo quod ad fidem vocauit eos: & ſi naturales legis, illa neglecta, adhærent fidei: ſtultum eſt eos qui nũquam in lege fuerunt, & fidem acceperunt confundere puritatem fidei admixtione legis. Vnde ſic ait. Non ceſſamus orantes pro vobis: *& gratias agentes Deo patri, qui nos fecit dignos in partem ſortis*, id eſt, participationem hæreditatis *ſanctorum*.i. quã habituri ſunt ſancti. Nos dico poſitos *in lumine*.i. in vera cognitione. Vel in lumine.i. in

Chriſto

Chriſto illuminante nos. Patrem ait A ſecundũ diuerſos poſſeſſores, nõ quia ibi ſint ſegregatæ partes, quia omnibus vna beatitudo. Hæreditatem ſanctorum vocat ſortem, quia non per meritum hominis datur ſed ſorte .i. diuina electiõne. Quomodo dignos hac ſorte fecerit ſubdit, dicẽs. Poſuit, inquam, in lumine: *qui* primum *eripuit nos de poteſtate tenebrarum* .i. vel dæmonum vel peccatorũ, vel ignominię. Poteſtatem ideo dicit, quia vis humana per ſe non poterat euadere. *Et* nos ereptos *trãſtulit* .i. trãsformauit *in regnum filij* .i. vt filius ſuus regnaret in nobis. Filii dico *dilectionis ſuæ.* Omnes.n. præter iſtum filij fuerũt iræ. Omnes.n. in peccato nati, ſed hic ſolus filius dilectiõis, quia à peccato immunis. De quo pater ait. Hic eſt filius meus dilectus &c. Modum ereptionis ſubdit. *In quo* filio *habẽmus redemptionẽ:* precium enim ſanguinis in cruce datum, eſt omnibus ſufficiens. Per quem etiam habemus *remiſsionem peccatorum* in baptiſmo: *qui* filius ſecundum diuinã naturam *eſt imago Dei inuiſibilis*.i. plena repræſentatio patris; quia quicquid in patre, totũ eſt in filio: non tamẽ imago ꝙ aliud ſit, niſi quãtum ad diſtinctionem perſonarum, ſed plena identitas in ſubſtantia. Poſſumus conſtruere, inuiſibilis imago Dei, vel imago Dei inuiſibilis. Et ex his verbis habemus filium conſubſtantialem patri. Quia ſi omnia de ſubſtãtia filij quæ de ſubſtantia patris dicuntur, profectò cõſubſtantialis eſt ei. Filius dico *primogenitus omnis creaturæ*.i. ante omnem creaturam genit⁹ ex patre: ipſe ſolus genitus, cętera creata nõ modo illius genita, nec ipſe creatus: & in his verbis habemus eum coæternum patri. Verè genitus eſt ante omnem creaturam: *quia vniuerſa ſunt condita in ipſo*, id eſt, per ipſum, iuxta illud. Omnia in ſapientia feciſti, hoc eſt in filio. Vniuerſa dico: quia *viſibilia & inuiſibilia in cœlis*, vt angeli, ſol & luna; & viſibilia & inuiſibilia in terra, vt ſpiritus animaliũ, & omnia terræ corpora. In cœlis bene dico: quia

Matt. 3.7.

Fil. Patri conſubſtantialis.

Nec non & coæternus.

Pſal. 103.24

ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus: ſiue poteſtates: omnia creata ſunt per ipſum: & ita per ipſum quod creata contineãtur *in ipſo*, id eſt, intra amplitudinẽ eius: ipſe.n. in omnibus & iam extra. Et *ipſe eſt ante omnes* dignitate ſecũdũ vtrãq; naturã: & omnia creata cõſtãt *in ipſo*.i. exiſtere habent *per ipſum*. Sicut.n. eſſe nõ poterant, niſi per ipſum; ſic nec creata cõſiſtere, niſi per ipſum: & *ipſe* Chriſtus *eſt caput* .i. principium & regimẽ *Eccleſiæ*. Quod ita ait. Caput *corporis* B Eccleſiæ: quia ſicut corpus hominis omnes ſenſus habet in capite, ſic Eccleſia oẽs vires ſuas habet in Chriſto capite principio ſuo & rectore. Opponeret ille. Quare dicis Chriſtum caput Eccleſiæ, cùm Abel & multi iuſti fuerint prius illo, tempore? Hoc ita remouet. Verè caput Eccleſiæ: quia *qui eſt principium* Eccleſiæ. Licet enim multi ſancti carnẽ Chriſti præceſſiſſent tempore, nunquam tamen ſaluarẽtur niſi per fidem membra eſſent capitis Chriſti. Potuit itaque caput eſſe Eccleſia, quia *primogenitus* C eſt *ex mortuis*. Primus enim omnium ſurrexit ex mortuis. Et primogenit⁹: quia ipſe habet omnem hęreditatem patris. Et quicũq; inde aliquid habet, oportet vt ab illo habeat. Sicut primogenitus filius habet omnem hæreditatem patris, & nemo quicquam niſi ab eo. Ne primogenitus repudiandus vt Eſau Sed ita primogenitus *vt ipſe ſit tenens primatum in omnibus* creaturis. Princeps .n. conſtitutus eſt omniũ. Ideo primatum tenens: *quia complacuit Deo* patri *habitare in ipſo* filio *plenitudinem omnium* bonorum: D ſicut Ioannes ait. De plenitudine eius, omnes accepimus. *Et* placuit Deo per eum filium *reconciliare ſibi omnia:* tam Gentiles quam Iudæos. Omnia tamen dico manentia *in ipſo*. Qui.n. in ipſo non manſerit, expers erit reconciliationis. Placuit reconciliare *pacificans mundum* ſibi: vel Iudæos & Gentiles inter ſe per ſanguinẽ non fuſum aliquo genere honeſtę mortis: ſed *per ſanguinem crucis eius:* ꝙ genus mortis contemptibiliſſimũ

Caput Eccleſiæ Chriſtus.

Io. 1. ver. 16.

erat. Pacificans dico *Deo: Siue quæ in cælis ſunt* .i. ſanctos quorum animæ iam regnant in cælis, *ſiue quæ in terris* ſunt .i. eos qui adhuc peregrinātur in terra. Vel ita. Siue quæ in cœlis ſunt .i. angelos: ſiue quæ in terris ſunt .i. homines. Ante Chriſtum inter angelos & homines diſſidiū erat: ſed iuſtificatus homo, mox pacem habuit cum angelo. ❡ Nunc tandem deſcendit ad illud, quod intendebat ex præmiſſis, dicens. Nos Iudæos pacificauit, & vos Gentiles ſimiliter reconciliauit. *Vos* dico *cùm* .i. quamuis *eſſetis aliquando* .i. tempore infidelitatis *alienati* à Deo per ignorantiam: *&* eſſetis *inimici* .i. inimicaremini Deo, *ſenſu* .i. ex voluntate. Inimici etiam *in operibus malis*. Vel quamuis eſſetis inimici ſenſu, tamen reconciliauit vos: *nunc autem reconciliauit in corpore*, nondum immortali: ſed corpore *carnis eius*. i. adhuc mortalis Et ſi in corpore mortali hoc fecit, quid faciet in immortali? Longè amplius. Reconciliauit in corpore *per mortē*: vt enim vos reconciliaret: pati voluit mortem .i. vt *exhibeat vos ſanctos* poſitione virtutum: *& immaculatos*, remotione malorum: *& irrepræhenſibiles coram ipſo* Deo. Quod nec ſubtilitas eius (cuius oculis omnia nuda ſunt). inueniat in eis quod repræhendat. Ita tamen dico exhibeat, *ſi vos permanetis fundati & firmi in fide.* Et ſi permanetis *ſtabile* quātum ex vobis eſt. *Et immobile* .i. imminear perſecutor *à ſpe*. i. à ſperata re. Spe dico *Euangelij* .i. quam ſperatam beatitudinem promittit Euangelium: *quod* Euangelium *adiſtis* à diſcipulis noſtris. Nec debetis illud refellere, quia ſic accipiunt omnes iuſti. Et hoc ita ait. *Quod* Euangelium *prædicatum eſt vniuerſæ creaturæ*, & permanet ſic in vniuerſa creatura. Creaturam vocat iuſtos per excellētiam: quia licet omnes ſint creaturę Dei, iuſti tamen priuilegio quodam creaturæ dicuntur, in quibus prior generatio quæ fuit in delicto carnis per baptiſmum deleta eſt, & nouitas fidei generauit eos nouos filios in Chriſto. Vnde ſic ait. *In vniuerſa creatura* .i. in omnibus iuſtis in fide Chriſti noua creatura factis. Vniuerſa dico nō vnius regionis; ſed *quæcunque ſub cælo eſt*. Vel ita. Creatura quæ ſub cœlo eſt .i. quæ adhuc peregrinatur in mundo, poſt modicum merito fidei transferenda ſuper cœlos. Et in hoc verbo ſatis commēdat fidem illis. Modo ponit auctoritatem ſuam, quæ neceſſaria erat illis ad confirmationem dicens. *Cuius* Euangelij *ego Paulus* (cuius auctoritati cōtraire non licet) *factus ſum* à Deo, nō vtique dator, ſed *miniſter: qui* etiam vt magnificem Euangelium, *nunc patior* poſitus in vinculis, & *in paſſionibus* illis *gaudeo pro vobis* inſtruendis. Si enim viderent Paulum refugientem pro fide pati, vituperarent fidem ex ipſo Paulo, qui oſtenderet in ſe nō eſſe patiendum pro ea. Gaudeo, inquam, *&* gaudens *adimpleo ea* paſſionum Chriſti *quæ* adhuc *deſunt*, & implenda mihi reſtant. Paſſiones ſuas dicit eſſe Chriſti; & quia Chriſtus ſic eum pati inſtituit, & quia patitur pro nomine chriſti. Adimplere ſe dicit: quia ad mortem vadit: in qua eſt cōſummatio paſſionum. Vel ita. Adimpleo ea *paſſionum Chriſti*, quæ adhuc deſunt. chriſtus multas paſſiones habuit, patiendo opprobria, vexationes, & flagella, ad vltimū, mortem. Sic Paulus opprobria, verbera, multas afflictiones paſſus erat, & ad mortem feſtinabat: vt ſicut chriſtus pro eo, ſic ipſe moreretur pro chriſto. Adimpleo paſſiones chriſti: non in damno rei, non in opprobrijs ſolum, ſed *in carne mea*. Ipſam enim carnem exhibeo ad pœnam, & hoc *pro corpore eius*. i. chriſti multiplicando. Non corpore quod receptum eſt ſuper cœlos, ſed pro corpore *quod eſt Eccleſia*. Potuiſſet dixiſſe ſimpliciter pro Eccleſia: ſed vbi ait. Pro corpore eius quod eſt Eccleſia, plurimum cōmendauit fidem: quę facit hominem membrum huius corporis, cuius caput eſt chriſtus. *Cuius* iterum Eccleſiæ *ego factus ſum miniſter ſecundū diſpenſationem*: quia ſcio diſpēſare vnicuiq; pro modo ſuo: huic maiorē illi mino-

Euangeliū beatitudinē promittit.

Paſſiones Pauli ſunt Chriſti.

minorem gratiam. Diſpenſationem dico *Dei*, id eſt, quia vel Deum ipſum diſpenſo, vel quia Deus me diſpenſatorem inſtituit: ſecundum diſpēſationem *quæ data eſt mihi in vos*. Videtur hoc ſuperfluere, quæ data eſt mihi in vos: quia dixerat ſecundū diſpēſationem. Sed quibuſdam tradita eſt diſpēſatio: qui tamē præuenti martyrio, nō habuerunt tēpus diſpenſandi: ſed Paulus & officium diſpenſationis accepit: & data eſt ei facultas diſpenſandi. Licet ad illos non fuerit: dicit tamen ſibi datam eſſe diſpenſationem in eos, quia de apoſtolatu eius ſunt, & per diſcipulos eius edocti. Data eſt mihi ideo, *vt impleam verbum Dei*, quod & locutus ab æterno, & in tempore vaticinatus eſt per Prophetas ſuos. Magnæ auctoritatis apud Deum Paulus ſe aſſerit, cū dicat per ſe compleri, quod tot ante tempora prædictum fuit, & donec ad ipſum inexpletum remanſit. ſ. ſaluationem gentium. Verbum Dei dico, .i. *myſterium quod abſconditum fuit à* prioribus *ſeculis, &* ita à ſeculis quod etiam à *generationibus* .i. quod quicunque in priori genitura erat, hoc ſecretum ignoraret. Licet pauci tunc cognouiſſent, & hi iuſtificati per fidem venturi vt Abraham. Olim fuit abſconditum, ſed *nunc* in diebus gratiæ, *manifeſtatum eſt ſanctis eius* .ſ. Chriſti: nec omnibus ſed illis *quibus Deus voluit*. Vt ibi apparuit, quando diſcipuli reprahenderunt Petrum: quia recepiſſet gentilem Cornelium: nondum plene cognoſcentes myſterium Dei de ſalute gentium: quibus Deus voluit *notas facere diuitias gloriæ*. Diuitias ideo, quia infinita ſunt dona Dei. Gloriæ, quia gloria eſt in omnibus illis. Diuitias dico *ſacramenti huius*, cuius miniſter factus ſum. Sacramenti dico *in gentibus*: ſalus enim gentium fere omnibus occulta erat: ſed de ſalute Iudæorum non dicitur myſterium: quia illis apertè Chriſtus promiſſus erat in lege, cùm in gentibus non eſſet Deus, quod ſacramentum eſt Chriſtus, qui in lege ſub myſterio fuit promiſſus.

A Chriſtus dico *ſpes gloriæ in vobis* .i. in quo vobis ſperare licet omnem gloriam & remiſſionem peccatorum, & iuſtitiam vitæ, & futuram gloriam. *Quem* talem. ſ. ſpem totius * gloriæ *nos annunciamus*, omni fiducia *corripientes omnem hominem & docentes*: corripientes errantem à veritate: vel fidei contradicentem. Docentes & eum qui nihil ſcit: vel adhuc ſimpliciter ſapit: corripientes & docentes *in omni ſapientia* .i. tam de corporeis rebus quam de ſpiritalibus: ideo, *vt exhibeamus* non Iudęum tantum, ſed

B *omnem hominem*, nec Gentilem minus: Iudæum perfectius, ſed omnem hominem æquè *perfectum in Chriſto Ieſu*: qui ſolus ad perfectionem ſufficit. *In quo* .i. in qua re vt omnem hominem perfectum exhibeam, nō ſolum corripio & doceo, ſed *etiam laboro, certando*. Laborat ieiunando, vigilando, & per huiuſmodi certat cōtra perſecutores ſuſtinendo, contra pſeudo fidē confirmando. Laboro & certo agēs *ſecundū operationem, quam operatur in me in virtute* miraculorū

C .i ſic Deus cooperatur mihi in labore & certamine, ſicut in operatione miraculorum: in quo etiam infideles virtutem Dei confitentur in me eſſe.

* futura.

CAP. II.

VOLO *enim vos ſcire qualem ſollicitudinem habeā pro vobis, & pro his qui ſunt Laodiciæ. Et quicunque non viderunt faciem*

D *meam in carne, vt conſolentur corda ipſorum, inſtructi in charitate, & in oēs diuitias plenitudinis intellectus in agnitione myſterÿ Dei patris & Chriſti Ieſu: in quo ſunt oēs theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Hoc autem dico, vt nemo vos decipiat in ſublimitate ſermonum. Nam & ſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum: gaudens & vidēs ordinem veſtrum, & firmamentū eius, quæ in Chriſto eſt, fidei veſtræ. Sicut ergo accepiſtis Ieſum Chriſtum Dominum noſtrū, in ipſo ambulate: radicati & ſupædificati in fide ſicut & didiciſtis: abū-*

27. di. legimus in ſi. 5. q. 1. ſuggeſtum.
1. Cor. 5. 3.
2. Reg. 4.

*dantes in illo in gratiarum actione. Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum: ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum. Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis. In quo & circunciſi eſtis, circunciſione non manufacta in expoliatione corporis carnis, ſed in circunciſione Ieſu Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illum à mortuis. Et vos cùm mortui eſſetis in delictis & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cum illo: donans vobis omnia delicta: delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in ſeipſo *.* [* ſemetipſo.] *Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti. Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione angelorum,* [Mat.24.4. Marc.13.5. Luc.21.6.] *quæ non vidit ambulans fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ: & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum & conſtructum, creſcit in augmentum Dei. Si * mortui eſtis* [* habet autem.] *cum Chriſto ab elementis huius mundi: quid adhuc tanquam viuentes mundo diſcernitis? Ne tetigeritis, neque guſtaueritis, neque contractaueritis: quæ ſunt omnia in interitu, ipſo vſu, ſecundum præcepta & doctrinas hominum: quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ, in ſuperſtitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis.*

IDEO laboro & certo: quia *ſollicitudinem habeo pro vobis:* & hanc *volo vos ſcire, qualem,* id eſt, quam infinitam ſollicitudinem habeã *pro vobis* confirmandis: *& pro his qui ſunt Laodiciæ.* Quos contra eandem rem armauit per Epiſtolam illis miſſam.

A Sollicitus etiã ſum pro his affinibus veſtris, *quicunq; non viderunt faciem meam in carne.* Fama.n. viderunt me, ideo ſollicitudinẽ habeo, *vt* ipſi *conſolentur corda ipſorum* .i. ſua. Ipſi dico *inſtructi* per me *in charitate*.i. in dilectione Dei. Vt memores Curiſtum: pro ſola dilectione paſſum eſſe pro eis: accenſi dilectione eius patiendo feſtinent occurrere illi. Inſtructi dico in charitate: & inſtructi in agnitione myſterij Dei, vt cognoſcant aliqua myſteria * Dei. [* ſecreti.] Vel quomodo trinitas in vnitate ſit, & è conuerſo, vel aliquid huiuſmodi. B Si quis enim cognouerit quodlibet myſterium Dei, pro certo per hoc augmentabitur in dilectione eius. Et quia ad inuiſibilia humanus ſenſus penetrare nequit niſi per viſibilia: præmittit inſtructi in charitate *& in omnes*, id eſt, tranſeundo per omnes *diuitias plenitudinis intellectus.* Omnes diuitias: vt de omnibus rebus aliquid ſciant, licet non perfectè. Plenitudinis: vt de ſingulis plenariam habeant cognitionem. C Vel plenitudinis: vt de tribus vel quatuor ad plenum omnes diuitias vt de omnibus plena ſit illis cognitio. Et per omnes diuitias plenitudinis intellectus inſtructi *in agnitionẽ myſterij Dei patris Chriſti Ieſu.* Vt enim perueniamus ad altitudinem cognitionis diuinę: Primum oportet nos conſiderare corporea, quæ ſub iacent oculis. Dehinc incorporea in nobis, id eſt, animas. Per animas iterum incorporea in cœlis, vt angelos: D & ab angelis conſcendimus ad Deum, intelligentes eũ ex puritate creaturarum magis purum, magis ſpiritalem & incompræhenſibilem. *In quo* Ieſu Chriſto *ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ,* id eſt, in quo omnis ſapientia de ſpiritalibus, & ſciẽtia de corporeis recõdita eſt, ſicut in theſauro: ipſe enim eſt theſaurus. De plenitudine omnes ſine diminutione ditantur. Theſauri dico *abſconditi,* id eſt, paucis reuelati. Dicerent illi. Theſauros iſtos non vidimus, vt in vtroq; ſapientiam & ſcientiã habeamus. Ad hoc Paulus. Et ſi in Chriſto

totius boni theſaurū inuenitis, fru-ſtra legem fidei adiungere vultis. In Chriſto ſunt theſauri ſapientiæ & ſcientiæ. *Hoc autem* ideo *dico* in Chriſto .ſ. omnes eſſe theſauros, *vt nemo decipiat vos in ſublimitate:* quia illi pſeudo plurimum ſtudent in ſublimibus verbis. Sublimitate dico *ſermonis:* quia hæc ſublimitas in ſermone tantum eſt, non in ſententia, ſed fideles ſimplicitatem habent in verbis, ſublimitatem in ſententijs. Ideò dico. Nemo vos de futuro decipiat. Nā nondum decepti eſtis. *Et ſi*.i. licet enim *abſens ſum* à vobis *corpore*, *ſed*.i. tamen *vobiſcum ſum* præſens *ſpiritu*. Hanc gratiam multi ſanctorum habuerunt: vt Martinus & Nicolaus: quam creditur præcipuè habuiſſe Paulus: vt abſens ſciret per ſpiritum, quid Eccleſiæ ſuæ facerēt: vel ad quid ſe diſponerēt. Spiritu vobiſcum ſum gaudens. In hoc verbo innuit eos nōdum lapſos. *Gaudens* dico de veſtra perfectione: *& vidēs ordinem veſtrū*, .i. quam congruo ordine ad ſingula vos contemperetis: parum eſt enim bona agere, ſi fiant ſine ordine. Vt ille qui ieiunat incompoſita veſte, ſeu intemperato ſermone, in ieiunio ſuo ſe iudicat. Videns etiam *firmamentum fidei veſtræ* .i. confirmatam fidem veſtrā *quæ eſt in Chriſto*, non in lege. Et quia confirmati eſtis in fide. Et ego congaudeo ordini veſtro. *Ergo ſicut accepiſtis* non legem, ſed Dominum Ieſum *Chriſtum, ſic ambulate* non in lege, ſed *in ipſo*. Poſſent enim Chriſtum accepiſſe, & in lege ambulare. *Ambulate, radicati* ſecundùm fructum piæ operationis. *Et ædificati*, vt ſitis domus Deo ad inhabitādum. Hęc bene ad prelatos: in quibus Deus ſedens diſtribuebat gratias ſuas ſubditis, per manus prælatorū: ædificati hodie & cras ſupædificati, & ſic ſemper in incremento boni operis. Radicati dico & ſuperædificati *in ipſo*, *& confirmati* in *fide*, vt in bono perſeueretis. In fide dico nō alia, ſed *ſicut* vos *didiciſtis* (non enim aliam trado.) Et confirmati *in actione gratiarum*, quæ plurimum valet ad impetrandum de

Corpore abſentes, ſpiritu potētes.

A futuro. Et iuſtum eſt vt confirmati gratias agatis: quia iam eſtis *abundantes* multis bonis in illo Chriſto acceptis. Dico ambulate. Vt autem liberè ambuletis, *videte ne quis decipiat vos*. Hæc dicens, ad illud ſupra reſpicit. Nemo vos decipiat: Decipiat dico *per philoſophiam*, ſicut illi reputant, *&* quam ego dico *inanem fallaciam*. Fallacia, quia nulla veritas ibi, inanis.i. ſine vtilitate. Sunt enim multa mendacia, vt poetarum quæ ſunt inutilia. Philoſophiam & inanem fallaciā dico, exiſtentē *ſecundùm traditionem*
B *hominum*.i. humaniter ſapientiū. ſ. ſecundū legem: quæ lex ante Chriſtum quidē fuit traditio Dei. Sed vbi veritas venit, & Deus eam ceſſare voluit, iā non Dei, ſed traditio hominū lex fuit. Secūdum traditionem hominū *& fallaciā* dico, exercitatam *ſecūdum elementa* Eandem legē elementa vocat: quia ſicut pueri per elemēta prius addiſcūt, vt ſic tranſeāt ad perfectionem literarum; ſic illa legalia elemēta dicta ſunt: quia populus carnalis impotens capere ſpiritalia inſtrue-
C batur per carnalia: vt in his aſſuet⁹ in cultu Dei tranſiret, poſtmodum ad ſeruiendū in ſpiritualibus. Elementa dico *mūdi:* quia & præcepta carnalia erant, & carnales qui accipiebāt. Hæc Philoſophia eſt ſecundum elementa mundi, *& non ſecūdum Chriſtum*, quē accepiſtis & didiciſtis. Verè qui legē tradunt, nō ſunt ſecundū Chriſtum, *quia in ipſo* Chriſto eſt *omnis plenitudo:* quod illi non credunt qui extra Chriſtum .ſ. in lege aliquam iuſtitiā
D quærunt. In ipſo Chriſto *habitat* omnis plenitudo *diuinitatis*. Habitat bene ait. Quia ſic eſt diuinitas in Chriſto, vt in æternum permaneat in illo. Plenitudo diuinitatis .i. plenaria & perfecta diuinitas, quæ nullatenus eſt imperfecta. Omnis in Chriſto, q̄a omnes gratiæ quæcunq; in omnibus fuerunt, in chriſto ſunt: & abundantior adhuc gratia, quia in eo dicitur humanata diuinitas: quia ſicut anima vnitur corpori, ſic ipſa diuinitas perſonaliter vnita eſt homini illi. Diuinitas diuerſis modis eſt vbique. Eſt.n.

Diuinitas eſt vbiq; diuerſis modis.

in omni creatura, ſecundùm ꝙ nec eſſe habet ſine diuinitate, nec permanere. Hoc & alio modo eſt in ſanctis, quia per gratiā: & hoc vtroq; modo fuit in Chriſto: & adhuc abundātius, quia (ſicut dictū eſt) ad quem modū anima in carne hominis humanatur, ſic diuinitas humanata eſt in Chriſto. Plenitudo diuinitatis habitat in Chriſto *corporaliter*.i. impletiuè: non quod diuinitas facta ſit corpus, ſed quia vmbræ præceſſerant, & in Chriſto veritas vmbrarum fuit: quia impletio omnium quę prædicta vel prę figurata erant. Probat iterum idem. Verè tradentes legem non ſunt ſecūdum Chriſtum. Nam vos *eſtis repleti* omnibus bonis *in illo* .i. per Chriſtum, quod dicunt non poſſe fieri ſine lege. *Qui* Chriſtus *eſt caput*.i. principium & regimen omnis *principatus & poteſtatis*. Per hos duos reliquos ordines accipiamus. In his verbis oſtendit poſſe Chriſtum omnia replere: quia ſi angelos haud de hominibus dubium eſt. Vult veritatem omnium quæ lex præcipit in chriſto oſtendere, dicens. *In quo* chriſto non ſolùm repleti ſed *etiam circuncisi eſtis: circuncisione non facta manu*, ſicut in lege, *in expoliatione* cutis *carnis*. Nihil enim aliud fit ibi, niſi quod abſcinditur cuticula carnis, *ſed* eſtis circuncisi *in circuncisione Chriſti*, qua vos chriſtus purificauit. Vel ita conſtruamus. circuncisi eſtis circuncisione non manufacta. circuncisione dico facta *in expoliatione corporis:* quod corpus erat *carnis*, id eſt, ſuperabatur à ſenſualitate. Exuiſtis enim corpus ſecundum carnalitatem, vt iam obediat ſpiritui. circuncisione non manufacta, ſed in circuncisione chriſti: qua chriſtus omnia ſuper flua, & dependentia vitia à vobis amputauit: in hac circuncisi & purificati eſtis. Expoliamur corpore carnis in baptiſmo, in quo peccata deponūtur, & liberū arbitriū hominis accepta iuſtitia confortatur; vt iam ſi velit bene agere poſſit. Non ſolum ſumus circuncisi depoſitione peccatorum, ſed etiam *conſepulti Chriſto in*

Baptiſmus peccata tollit.

A *baptiſmo:* vbi cōfortatum eſt arbitriū noſtrū. conſepulti itaque: quia chriſtus ſepultus ad actus veteris hominis vltra non rediit: ſic nos ſi velimus vti ratione, confortati in baptiſmo non reuertemur vltra ad actū vetuſtatis peccati: *in quo etiam* chriſto *reſurrexiſtis*, quantum ad iuſtificationem animæ. Reſurrexiſtis dico *per fidem operationis Dei*.i. quā fidem Deus operatur in vobis. Reſurrectio chriſti duplicem reſurrectionem operatur in nobis: primam quam iam

Reſurrectio Chriſti quid operatur in nobis.

B adepti ſumus, ſecundū animā. Alterā quam expectamus in immortalitate corporis reparata. Et quod futuram corporum reſurrectionem habituri ſimus, probat per reſurrectionem chriſti, quæ & cauſa eſt, & figura noſtræ reſurrectionis, dicens. Sicut reſurrexiſtis prima reſurrectione animæ: ſic etiā vos conuiuificabit in immortalitate corporum. Sed huius rei probationem præmittit dicens. Qui Deꝰ ſicut ſuſcitauit chriſtum à mortuis: ita *& vos cum*, id eſt, quamuis *eſ-*

C *ſetis mortui*, ita vt viribus veſtris ad iuſtitiam nullo modo reſpirare poſſetis. Mortuì dico *in delictis*.i. in præuaricatione naturalis legis. Delictū .n. dicitur quādo quod debetur, negligitur. Mortui etiā *in præputio carnis veſtræ*.i. in originali peccato, ꝙ congruè per prępatium ſignificat, in quo ſedes eſt generationis. Hoc autem originale contrahimus: quia in concupiſcentia parentum geniti ſumus. Licet ita eſſetis mortui, tamen conuiuificauit. Quod futurū eſt, per præteritum dicit: oſtendens ſe adeo cer-

Delictum quid.

D tum, de hoc futuro, ſicut de præterito. conuiuificauit ponendos cum illo in eadem dignitate loci: poſſet enim reddita immortalitate conuiuificare, & alibi quam cum chriſto ponere. conuiuificauit, inquam, *donās vobis* gentibus *omnia delicta*, & originalia, & actualia. Et ſic vos ab originali per fidem liberauit: ſicut etiam nos Iudæos: qui falſo putabamur per circūciſionē inde liberari. Quod ita ait. *Delens* ſimiliter *chirographū decreti*.i. legis, in qua Deus quid vellet fieri

decre-

Chirographum quid dicitur.

decreuerat. *Quod* chirographum *erat aduerſum nos* Iudæos. Chirographum dicitur manuſcriptio, quod in duo partitur: vt vtrinque memoria factæ rei teneatur. Huius autem chirographi partem habebat diabolus, qua Iudęos accuſabat apud Deum de tranſgreſſione legis: Alteram partem habebat Iudæus, quem ſimiliter propria accuſabat conſcientia. Vnde ſic ait. Chirographum, id eſt, memoriam peccati: quod de decreto .i. de lege veniebat: & aduerſabatur nobis, illud deleuit: nec ſolùm chirographum, ſed etiam ipſum decretum .i. ipſam legem, quæ erat contraria nobis: quia & magis nos inſtimulabat diabolus, & maiori ardore in vetitũ tendebamus, & peccatum prętiarica tionis lex adiungebat. Ipſum, inquã, decretum *tulit de medio*, id eſt, de communitate: vt nec Iudæo relinqueret, nec Gentili tenendam. Poſſet enim auferre peccatũ legis, & dimittere legem. Ipſum tulit de medio, *affigens illud cruci*.i. ipſam legem confixit, vt vltra non teneretur, quando expirãs ait. Conſummatum eſt. Oſtẽdens finem eſſe & completionẽ omnium eorum, quæ in lege præceſſerant, & vlterius vmbrã non eſſe tenẽdam: poſtquã veritas orta eſt. Affigẽs dico illud cruci. In cruce enim (ſicut diximus) finem legi poſuit omnibus conſummatis, ſicut prædicta fuerant. Opponerent illi. Quomodo dicis nos nõ poſſe, niſi per Chriſtum iuſtificari, cùm Abraham & cæteri ſancti qui præceſſerunt, ſine eo iuſtificati ſint? Probat Paulus eoſdem ſimiliter liberatos per Chriſtum, dicens. Sicut nos contemporaneos ſibi liberauit à lege & à peccato legis: ſic ipſe expolians principatus & *poteſtates* apud inferos. Non ait de quibus expoliauit, ſed per expolians ſignificat Chriſtum ſpolia ſua ab inferis reuexiſſe. Expolians, inquam, traduxit ceu victor prædam per medios raptores: ipſe dico *triumphans illos* principatus inferorum *confidenter*, id eſt, non dubius de triumpho. Triumphans dico, *in ſemetipſo*, non

Ioan.19.30.

A per angelum, vel quemlibet miniſtrum, ſed per ſeipſum. Quod (eum .ſ. triumphaſſe) palam eſt angelis & hominibus. Quia chriſtus donauit omnia delicta. Peccatum legis & legem tulit de medio. Videte ergo nemo vos vlterius inducat in legem. Et vt magis deterreat, ait. *Nemo vos iudicet*, id eſt, faciat iudicabiles, id eſt, damnabiles. Iudicet dico, ſi non reductos in tota lege, ſaltem in aliquo: quia pro minima traditione damnaremini. Quod ita ait. Nemo vos iudicet *in cibo*: Vel vitato propter immunditiam: Vel ſumpto propter

B munditiam. *Aut in potu*: ſumpto ſimiliter vel vitato. *Aut in parte diei feſti* obſeruata. Dies feſtus quidam totum apud illos erat: partes habens, neomeniam, ſabbatum, exitum de AEgypto, introitum terræ repromiſſionis &c. Vnde ſubdit. *Aut* in parte *neomeniæ*.i. innouationis lunæ: *aut* in participatione *ſabbatorum*, quæ Iudæi celebrare conſueuerunt. Ideò per aut, vnamquamque partem diſiungit: vt oſtendat vel mini-

Dies feſtus apud Coloſſenſes.

C mam partem ſufficere ad damnationem obſeruantis. Si autem copulaſſet per *&*, videretur pro omnibus ſimul, & non pro vno tantum obſeruantem iudicari. Neos noua. Mene luna: inde neomenia, innouatio lunæ: quam celebrare ſignum erat innouationis corporis noſtri, quam futuram expectamus in incorruptione. Quæ neomenia & ſabbatum iam non debent celebrari: quia *ſunt vmbra futurorum*, id eſt, præfigurantia

νεομηνία. Neomenia vnde dicitur.

D futuram veritatem: ſicut vmbra viſa prope corpus eſſe deſignat. Futurorum ait, ſecundum tempus legis, quãdo præſens erat vmbra futura veritas. Hæc ſunt vmbra futurorum. Sed Chriſtus eſt corpus .i. veritas & impletio omnium horũ. Vel *corpus eſt Chriſtus*.i. impletio pertinet ad Chriſtum. ipſius enim eſt implere quæ figurata fuerant. ¶ Quia dixerat. Nemo vos iudicet, ſubdit modos illos in quibus timendũ erat, ne ſeductos illos condemnarent dicẽs. Vt autem non iudicemini, videte: *nemo vos ſe-*

ducat in humilitate ſermonis.i.occultorum foris oſtenſa: *&* in *religione* habitus barbarum vel ieiuniorum ſimulata humilitate & religione dico *angelorum:* non enim magis humiles aut religioſos ſe exhiberent angeli Dei, apparentes hominibus, quam iſti pſeudo ad oculum. Vel angelorũ, .i. verorum prædicatorum, qui nuncij Dei ſunt ad populum. Quorum auctoritatem iſti pſeudo ſimulatoriè ſibi vſurpant. Nemo, inquam, vel hoc vel illo modo ſeducat vos *volens* .i. amans, & facere in ſe & vobis perſuadere ea, *quæ non vidit*, id eſt, quæ nunquam intellexit: quia figuras videt & veritatem neſcit. Ille dico *ambulans* & in ſacramentis Eccleſiæ quæ recepit & hoc *fruſtra*. Nihil enim illi proderit baptiſmus, qui detrahit fidei. Qui licet humilitatem foris oſtendat, *inflatus tamen* eſt intus *ſenſu*, quia gloriatur ſubtiliter ſe ſentire, quod ſimplicitas aliorum capere non ſufficiat: & hic morbus elationis maximè regnat in hæreticis. Senſu dico *carnis ſuæ:* hic enim ſecũdum ſenſus carnis iudicat de ſingulis: non aliter intelligens quam ſubminiſtrant ei oculi & aures carnis: in quo non differunt à mutis animalibus quæ etiam ſenſum habent de rebus ſecundum quod vident & audiunt. Inflatus vtique *& non tenens caput*.i.nõ concordans capiti ſuo Chriſto: ille non tenet caput Chriſtum qui aliunde quã à capite, vnde vigeat, requirit. Et ſicut membrũ non eſt capitis, ſi aliundè vigorem capit: quod fieri nequit, ſic qui fidei vnitatem relinquit, Chriſto non valet coniungi. *Ex quo* capita *totũ corpus* Eccleſiæ *conſtructum per coniunctiones* fidei & cæterarum virtutum: & *ſubminiſtratum* quod alteri ſubminiſtretur ab altero *per nexus*.i. per charitatem: quæ clauus eſt & neruus connectẽs membrũ membro. Sicut.n. in humano corpore membra prius conſtructa .i. ſimul congregata ſi non coniungerentur, id eſt, vnum quodq; loco ſuo aptaretur, ſine neruis adhuc alterum membrum nõ ſequeretur alterum: & ideo

A oportet vt coniuncta membra neruis connectantur: & tunc tandem alterum alteri ſubminiſtrat; ſic in corpore Eccleſiæ nos diuerſa membra in vnum conſtruimur: & congregata ſecundum diſcretionem virtutũ, coniungimur per fidem &c. Sed quia nondũ alterum colligatũ eſt alteri, neceſſaria eſt dilectio: quo clauo cõnexa membrorũ diuerſitas ſibi inuicem cohærendo ſubſeruiat. Corpus, inquam, ſic cõſtructum & ſubminiſtratũ *creſcit* & numero membrorũ, & incremento virtutum, donec veniat *in augmẽtum Dei*.i. vſquequo

B augeatur in menſurã, quam Deus propoſuit.i. donec impleatur numerus fratrum, vltimo iuſto appoſito. Nũc aliquantulum aſperè inuehitur in quoſdam eorum qui iam incipiebãt, & ſi non operari, ſaltem animo conſentire & diſcernere dicentes. Quare melius ſequeremur illos quam iſtos? & huiuſmodi. Vnde ſic ait. Quia per Chriſtum tota Eccleſia creſcit in

C augmentum Dei: quare igitur diſcernitis quaſi dubij cui adhærere debeatis, Chriſto an legi? Sed præmittit quare non debeant diſcernere dicens: *Si* vos *eſtis mortui cum Chriſto:* quia mors Chriſti operata eſt in vobis mortem peccati. Mortui dico *ab elemẽtis*, quia prius elementa, ſolem, lunã, & cætera colebatis, quod idem facitis ſi legem accepta gratia tenetis. Elementa dico *huius mundi:* quia & mundani qui colunt, & mundana ſunt quæ coluntur. Si, inquã, mortui

D eſtis ab elementis, quod nec reſpirare ad horum culturã debetis: *quid*.i. quare *adhuc tanquam viuentes in mũdo* .i. carnaliter ſicut prius in cultura mundi *diſcernitis*, dicentes *ne tetigeritis* cadauer, vel huiuſmodi, quicquid lex prohibet ne tangatur. *Neque guſtaueritis* porcum, vel aliquid huiuſmodi. Neque contrectaueritis quæ ſcilicet tangere non licet, vt ſunt pudenda contrectare, *quæ omnia ſunt in interitum*, id eſt, operentur damnationem. Non tamen ſemel facta, ſed *ipſo vſu*, id eſt, ſi quis negligens traditiones legis, hæc in

vſu habuerit. Quod dico ea eſſe in interitum, hoc non ſecundum me, ſed *ſecundum præcepta & doctrinas hominum* .i. humaniter ſapientium dico. Præcepta vocat, quod ſolo imperio auctoritatis ſuæ compellebãt hoc facere. Doctrinas, quando aliquas rationes ad probandum quod ſuadebant videbantur adducere. Hæc ſunt præcepta hominum, quæ etiam ſunt *habentia* .i. videntur habere, *rationem quidem ſapientiæ*, à qua longè diſcreta ſunt. Rationem dico habentia *in ſuperſtitione*. Superſtitio dicitur, veræ religioni ſuperaddita falſa religio. Hi autem qui acceptę fidei legem ſuperaddebant, meritò ſuperſtitioſi dicũtur. In ſuperſtitione dico & humilitate foris ſimulata, videntur rationẽ habere. Quæ etiam ſunt ſecundũ verba eorum *ad non parcendum corpori*. Dicunt enim nos non tenere legem, vt liberius indulgeamus nobis in his quæ iucunda ſunt corpori, ſe autem more legis Dei nolle parcere corpori. Quæ etiam non ſunt illis in honore aliquo. Dicunt enim ſe ideò ſecũdum legem humiliari: quia non quęrũt honorari à populo ſicut nos: quæ etiam non ſunt illis *ad ſaturitatem carnis*. Dicunt enim ſe, vt legem obſeruent, velle macerare carnem: & nos deſtruere legem vt de omnibus liceat ingurgitare ventrem. Vel aliter, vt non ad parcendum corpori & cętera ſerio dicantur à Paulo, ſic: Quę dicunt rationem vidẽtur habere, ſed vtiq; non habent. Quæ etiam ſunt ad non parcendum corpori: & ſtultum eſt vt in quo damnant animam, corpori ſaltem non parcant. Quæ etiam non ſunt in honore aliquo. Dum enim fidei Chriſti legem quaſi neceſſariam apponunt, in hoc dehonorãt Deum. Dauid etiam & alios ſanctos qui in lege nullam dixerunt eſſe iuſtitiam, inhonorant: dum legem apponentes fidei, contradicunt eorum teſtimonijs. Quæ etiam non ſunt ad ſaturitatem carnis. Extremæ autem eſt amentiæ, vt damnemus animam, carnem affligere.

Superſtitio quid dicitur.

A

CAP. III.

IGITVR *ſi conreſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, nõ quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: Cùm autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Mortificate ergo mẽbra veſtra, quæ*

B *ſunt ſuper terram. Fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiã quæ eſt ſimulachrorum * ſeruitus; propter quæ venit ira Dei ſuper filios diffidentiæ: * in quibus & vos ambulaſtis aliquando, cùm viueretis in illis. Nũc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro. Nolite mentiri inuicem, expoliãtes vos veterem hominem cũ actibus ſuis: & induẽtes nouum: eum qui renouatur in agnitionem Dei ſecũdum imaginem eius, qui creauit eum: vbi non eſt*

C *Gentilis & Iudæus, * circunciſio & præputium, barbarus & Scytha, ſeruus & liber, ſed omnia & in omnibus Chriſtus. Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem & donantes vobiſmetipſis ſi quis aduerſus aliquẽ habet querelam, ſicut & Dominus donauit vobis ita & vos, Super omnia autẽ hæc, charitatem * habete, quod eſt vinculum perfectionis. Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris: in qua & vocati eſtis in vno corpore, & grati eſtote. Verbum*

D *Chriſti habitet in vobis abundanter, in omni ſapientia docentes & commonentes voſmet ipſos, in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus; in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo. Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, gratias agentes Deo & patri per ipſum. Mulieres ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet in Domino. Viri diligite vxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas.*

* idolorum. Eph.5.3.
* incredulitatis.
De pæ. diſt. 2. quomodo renouari. Eph.4.23.
* Maſculus & fœmina. Epheſ. 6.
* continuã.
1.Cor 10.31. 26.q.5.non licet.
Eph.5.22. 1.Pet.3. verſ.1.

*Fily obedite parentibus per omnia : hoc enim placitum eſt in Domino. Patres, nolite ad indignationem * prouocare filios veſtros, vt non puſillo * animo fiant. Serui, obedite per omnia Dominis carnalibus, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis timentes Dominum. Quodcunq; facitis, ex animo operamini ſicut Domino & non hominibus : ſcientes, quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Chriſto ſeruite. Qui enim iniuriam facit, recipiet id quod iniquè geſſit. Et non eſt perſonarum acceptio apud Deum.*

* iracundiam.
* puſillanimes.
Eph.6.4.
1 Pet.2. verſ.18.
Leuit. 19.
Rom.2.5.
Epheſ.6.
Act.10.

ET quia mortui cum Chriſto, iam vltra non viuitis mundo. *Igitur* quærite *quæ ſurſum ſunt*, id eſt, cœlorum iucunditatem, & omnem iuſtitiam, ad id quod ſurſum eſt ducentem. De ſurſum dicitur, quicquid de mundo non eſt. Quærite dico, *ſi conſurrexiſtis cum Chriſto*, id eſt, quia reſurrectionem animæ per Chriſtum adepti eſtis : quæ ſurſum ſunt & poteſtis & quærere debetis. Surſum dico, ſcilicet, *vbi Chriſtus in dextera Dei ſedens*, id eſt, in æqualitate patris quieſcens & iudicans. Chriſtus autem in dextera patris ſedens, cauſa, ſignum, & certitudo eſt, nos cum Chriſto ſurrecturos. Nec ſolum quærite: ſed *ſapite*, id eſt, dulcedinem prælibate eorum *quæ ſurſum ſunt. Sapite*, inquam, *quæ ſurſum ſunt, & non* ea *quæ* ſunt *ſuper terram.* Non debetis ſapere quæ ſunt ſuper terram : vos *enim mortui eſtis* terrenis. Debetis ſapere, quæ ſurſum ſunt. Nam *vita veſtra eſt in Deo:* & in tanta dignitate quod cum *Chriſto.* Vita dico *abſcondita*, id eſt, non omnibus ſed paucis reuelata. In hoc verbo multi errauerunt : dicentes, ſtultum eſſe hominem pro eo laborare, quod homini reuelatum non ſit. Nunc illa vita veſtra eſt abſcondita : *ſed cùm apparuerit Chriſtus*, veniens ad iudicium ; Chriſtus, dico, *vita veſtra*, in cuius æternitate vobis paratur æternitas. Tunc apparente Chriſto, *vos etiam apparebitis cum ipſo* ponendi *in gloria.*

De ſurſum quid dicitur.

A ¶ Lege ſatis improbata, & fide ſufficienter commendata, ſicut in epiſtola ad Epheſios, ſubiungit moralem inſtructionem, prius docens in publico Eccleſiam: Deinde ſexus, ætates, & conditiones, dicens: Quia vita veſtra in Deo eſt : apparituri eſtis cum Chriſto in gloria: *ergo mortificate membra quæ* veſtra *ſunt ſuper terram*, id eſt, in terrenis hærentia. Hæc membra vocat peccata, quæ membra ſunt corporis peccati, ſicut in ſequentibus innuit. B Membra mortificate veſtra, ſcilicet, *fornicationem :* vt eſt habere rem cum vxore proximi. Aliud membrum *immunditiam* & *libidinem*, id eſt, libidinoſam voluntatem, & *concupiſcentiam.* Et quia de bonis concupiſcentia dicitur, addidit *malam*, vt eſt concupiſcere rem alienam. Mortificate etiam in vobis *auaritiam, quæ eſt* illicita congregando & retentando, quæ auaritia eſt *ſeruitus idolorum.* Qui enim Deum poſtponit vt pecuniam augere poſſit, ſpreto Deo, pecuniam colit. C *Propter quæ* ſupradicta *venit ira*, id eſt, vindicta *Dei* etiam *ſuper filios incredulitatis.* Quod ſi hi qui fidem non acceperant, damnati ſunt pro huiuſmodi : quid putatis de vobis qui fidem accipiendo, hæc omnia abdicaſtis ? *In quibus* membris corporis peccati : *vos etiam* ſicut alij *increduli ambulaſtis aliquando, cùm viueretis in illis*, ſcilicet, tempore infidelitatis. Olim ambulaſtis in illis. *Sed nunc* iam fideles facti *deponite* vos, & prædicta, & omnia quæ ſequuntur, ſcilicet, *iram*, id eſt, ſubitam commotio-D nem animi : *Indignationem*, id eſt, ne de aliqua proſperitate inferioribus vobis indignemini. Deponite etiam *malitiam* & animi & corporis: & *blaſphemiã in* Deum & proximum. Deponite etiam omnem *turpem ſermonem de ore veſtro. Et nolite mentiri inuicem*, vt alter alterum decipiat. Vtq; breuiter omnia huiuſmodi interdicam: ſitis *expoliantes vos veterem hominem*, id eſt, habitum peccatorum

Hominem veterem expoliare debemus.

cum

cum actibus ſuis. Quidam enim habitum deponunt peccati, qui quandoque cogēte fragilitate, in actum peccati labuntur. Non tamen reſumentes habitū peccati, licet actum: quia poſt caſum feſtināt ad pœnitentiam. Expoliantes vos veterem hominem, *& induentes nouum*, id eſt, habitum virtutum,*eum*, ſcilicet, *qui renouatur* quotidie creſcēs in nouitate iuſtitiæ. Renouatur dico, tendens *in agnitionem Dei*, quia ſemper creſcit in cognitione Deitatis quantum in virtutibus aſcendit. Renouatur,inquam,*ſecundùm imaginem*, id eſt, puritatem eius *qui creauit eum* pro modo ſuo ei ſe conformando: *vbi*, id eſt, in quo nouo homine *non eſt maſculus & fœmina*, id eſt, nemo recipitur vel abijcitur propter ſexum. Vbi etiam *non eſt Gentilis vel Iudæus*,id eſt, nil nocet eſſe Gentilem, nil prodeſt fuiſſe Iudæum: Gentilis & Iudæus dico generatione. Et quia quidam de Iudæis in Gentilitatem,& quidam de gentibus tranſierunt in circuncifionem: ideò addit vbi non eſt circuncifio, & præputium: quia non plus prodeſt fuiſſe circūciſum, quam eſſe præputiatum. *Vbi* item *non eſt Barbarus & Scytha*, qui barbarior eſt barbaris. Vbi non eſt *ſeruus & liber*: ſic enim in corpore virtutum, ſeruus ſuſcipitur vt Dominus. Subſtantiæ enim nec nocent, nec proſunt in nouo homine, quia omnis ſubſtantia creatura bona Dei eſt: ſed qualitates vt iuſtitia vel iniuſtitia quæ à nobis ſuperadduntur, hæ vel proſunt vel impediunt. Gentilis & Iudæus ibi non ſunt: *ſed Chriſtus*,id eſt, virtus veniens ex Chriſto *eſt omnia*,id eſt,omnis perfectio. Et ita *quod in omnibus*, id eſt, in ſingulis ſit omnia. Et quandoquidem nouus homo induēdus eſt,ergo induite vos membra noui hominis. Induite dicit & ſecūdum decorem, quia nuditate peccati deturpati eramus & ſecundùm depulſionem frigoris iniquitatis. *Induite*, inquam, *vos ſicut electi Dei*, id eſt,quos Deus ab ęterno & in tempore per miniſtros ad fidem vocando elegit. Electi dico *& ſancti*,id eſt, po-

A ſitione virtutum in bono ſanciti, & in vtroque, id eſt, in electione & ſanctificatione *dilecti*. *Induite* vos miſericordiam. Et ad maiorem incitationem expreſſius ait. *Viſcera miſericordiæ*, vt in ipſis viſceribus redundet pia affectio. Induite vos etiam cum miſericordia animi hoc membrum noui hominis, ſcilicet, *benignitatem* largiendi. Et *humilitatem* in verbo & inceſſu: *& modeſtiam*, id eſt,temperātiam in omnibus: & *patientiam* ſi aduerſa incumbūt. *Supportantes* vos *in*-
B *uicem* .i. alternis orationibus & ieiunijs alter alterius onera portando. *Et ſi quis* veſtrum *habet querelam*, id eſt, iuſtam repetitionem cuiuslibet rei *aduerſus aliquem* fratrem, *donate vobiſmetipſis* inuicem: Nec vt precium relaxetis:& minus ſolito diligatis:ſed *ſicut Dominus donauit vobis*, debitum dimittendo,& dilectionem ſuperaddendo: *ita & vos* condonate vobis inuicem. Patientiam & cætera induite: *ſuper hæc autem omnia*,id eſt,ſuperiorem & digniorem his omnibus
C *habete charitatem*. Vel ita, ſuper hæc, id eſt, magis laborate ad habendam charitatem quam ad pręmiſſa. *Quod*, ſcilicet, habere charitatem *eſt vinculum*; id eſt, colligamentum *perfectionis*, id eſt, cæterarum virtutum, quæ perfectum faciunt. Omnes enim virtutes congregatæ ſine charitate,ſunt quaſi puluis diſſolutus: qui facilè ad impulſionem vēti(quia ſine cœmento fuit) diſpergitur: Sic enim virtutes ſine cœmento charitatis congregatæ facilè cedunt cuilibet tentatio-
D ni. Et vt in charitate perfecti ſitis: *pax* .i. exterior concordia: pax dico *Chriſti*.i. quam Chriſtus in mūdo habuit, & habendam docuit, ſit in vobis: ita quod *in cordibus* veſtris,non coactione, ſed ex voluntate pacem habeatis ad omnes: & ita ſit in cordibus quod ibi *exultet* .i. de quotidiano gaudeat incremento. *In qua* .i. ad quam pacem habendam *vocati eſtis* à Deo *in vno corpore*.i.non tantum vt ad vnitatem corporis veniatis:ſed vt in illa vnitate permaneatis. Pax ſit in cordibus veſtris. *Et* vos *eſtote grati*.i.gratias

Charitas eſt vinculū cæterarum virtutum.

ſemper

ſemper agentes Deo de collatis vobis beneficijs. Grati dico, *docentes & commonentes voſmetipſos*. Sed in quo docere & commonere ſe debeāt præmittit, dicens: Vt poſſitis vos docere & commonere. Verbum, id eſt, doctrina Chriſti, id eſt, vel de Chriſto: vel quam Chriſtus docuit, habitet continuè in vobis. Et ita quod abundanter, id eſt, abundantiam habeatis in omni ſapientia, id eſt, in omni genere intellectus hiſtorici, moralis, & allegorici, *docentes voſmetipſos*, ſtudendo in ſcripturis, & benè docti *commonentes* alter alterum. Plurimum enim valet exhortatio, etiam in rebus quas benè ſcimus. Docentes & commonentes dico *in pſalmis*, in quibus bona moralitas continetur. Et *in hymnis* in quibus laus Dei vel ſanctorum ad gloriam Dei refertur. Et *in canticis ſpiritualibus*, id eſt, de ſpiritualium bonorum gaudio agētibus. Nec ſolum docentes & commonentes, ſed etiam *cantantes Deo*, id eſt, ad gloriam Dei. Non ſolum in labijs, ſed etiam *in cordibus veſtris*. Cantantes dico *in gratia*, id eſt, in conſideratione gratiæ Dei, qua peccata condonans vos iuſtificauit. Vt paucis abſoluam quid vobis faciendum ſit. *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere*: hæc & *omnia* ſeu in habitu, ſeu in cogitatione, *facite in nomine*, id eſt, ad honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vel aliter. Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere; ita quod ſit omne, id eſt, perfectum: non pro laude hominum factum, facite in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vos dico, *ſemper agentes gratias Deo & patri per ipſum* Chriſtum: per quem omnia bona vobis contulit. Actio enim gratiarum plurimum valet ad impetrandum. ¶ Poſtquam in communi Eccleſiam admonuit, ſeparatim inſtruit ſexus, ætates, conditiones, dicens: Inuicem vos ſupportate. Sed vos *mulieres* amplius quam cæteri *eſtote ſubditæ viris veſtris, ſicut oportet*. Opportunum enim eſt, mulierem ſubditam eſſe viro. Subditæ tamen *in*

Exhortatio plurimum valet.

Gratiarum actio plurimum valet ad impetrandum.

A *Domino*, id eſt, ſecundum Dominum. Si enim volunt vos ſupponere adulteris, in hoc nolite ſubdi. Vos autem *viri diligite vxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas*. Nimia enim auſteritas quandoque peccatum generat. Et vos *filij*, obedite parentibus per omnia; ita tamen quod *in Domino*, non in cultura idoli vel homicidio. Obedire dico: *quia hoc*, ſcilicet, obedire parenti, *placitum eſt Deo*. Et vos *patres, nolite prouocare ad iracundiam filios veſtros, vt non fiant puſillo*, id eſt, modico animo, in patiendo: & B percuſſi à vobis, repercutiant vos. Et vos *ſerui obedite per omnia Dominis*, etiam *carnalibus*: *non ſeruientes* illis *ad oculum*, id eſt, quamdiu eſtis in oculis eorum: *quaſi* per hanc ſeruitutem *placeatis hominibus* tantùm: *ſed in ſimplicitate cordis* ſeruite illis, *timentes* in hoc *Dominum* Deum qui pro peccato veſtro vel parentum, vos ſeruos conſtituit: vt de filijs Cham legimus. Nec obijciatis quod Domini malè retribuunt vobis: *ſcientes quod* vos *accipietis à Domino* Deo *retributionem hæreditatis*, id eſt, hæreditatem retributam vobis: quia iugum impoſi- C tum vobis à Deo patienter ſuſtinuiſtis. Et cum dicam mulieres ſubditas eſſe, viros diligere, filios obedire, ſeruos ſeruire. In omnibus his *ſeruite Domino Chriſto*, ne propter obſequium hominis, cōtemnatis Deum. Vos ſerui ſic operamini: *quia quicunque facit iniuriam*, ſiue ſit ſeruus, ſiue ſit Dominus: *recipiet id quod inique geſſit*, id eſt, mercedem iniquitatis in futuro. Ideò dico quicunq; iniuriam facit: quia *apud Deum non eſt acceptio perſonarum*, vt hic acceptus ſit, quia liber, ille proiectus, quia ſeruus.
D

Auſteritas nimia quandoque peccatum generat.

Serui aliquis Domini ſeruiunt ad oculum.

Gen. 9. 25.

Rom. 2. 5.

CAP. IV.

DOMINI, *quod iuſtum eſt & æquum ſeruis præſtate: ſcientes quoniam & vos Dominum habetis in cælo. Orationi inſtate, * vigilantes in ea in gratiarum actione; orantes ſimul & pro*

** inſtantes*

nobis,

nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis, ad loquendum myſterium Chriſti. Propter quod etiam vinctus ſum, vt manifeſtem illud, ita vt oportet me loqui. In ſapientia ambulate ad eos qui foris ſunt tempus redimentes. Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, vt ſciatis quomodo oporteat vos vnicuique reſpondere. Quæ circa me ſunt omnia vobis nota faciet Tichicus, chariſſimus frater & fidelis miniſter; & conſeruus in Domino: quem miſi ad vos ad hoc ipſum, vt cognoſcat quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra; cum Oneſimo chariſſimo, & fideli fratre, qui eſt ex vobis: qui omnia quæ hic aguntur nota faciet vobis. Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ, de quo accepiſtis mandata. Si venerit ad vos, excipite illum. Et Ieſus, qui dicitur Iuſtus, qui ſunt ex circumciſione. Hi ſoli ſunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt ſolatio. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt, ſeruus Ieſu Chriſti: ſemper ſollicitus pro vobis in orationibus, vt ſtetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei. Teſtimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis, & pro his qui ſunt Laodiciæ, & qui Hierapoli. Salutat vos Lucas medicus chariſſimus, & Demas. Salutate fratres qui ſunt Laodiciæ, & Nympham, & quæ in domo eius eſt Eccleſiam. Et cùm lecta fuerit apud vos epiſtola hæc, facite vt & in Laodicenſium Eccleſia legatur. Et dicite Archippo: Vide miniſterium quod accepiſti in Domino, vt illud impleas. Salutatio mea manu Pauli. Memores eſtote vinculorum meorum. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum. Amen.

Epheſ.5.15 De conſe.di.4. & ſal. 2.Tim.4.

SERVI obedite Dominis, & vos *Domini præſtate ſeruis quod iuſtum eſt*: & ſecundum quod merentur: & quod eſt *æquum*, id eſt, vt penſetis eos æquè homines eſſe ſicut vos: *ſcientes* quoniam ſerui & *vos* Domini, *habetis* eundem *Dominum in cælo*. ¶ Admonitis his perſonis, iterum ad publicam inſtructionem Eccleſiæ reuertitur, dicens: Vos ſerui & Domini

A ſic viciſſim agite: vniuerſa autem Eccleſia *inſtate orationi vigilantes*, vel nocturnis vigilijs, vel ſtudioſi *in ea* vigilantes ſemper in *actione gratiarum*, *orantes*; *ſimul etiam pro nobis*, quando oratis pro vobis. Vel ſimul.i. tota Eccleſia pro me communem orationē faciat, *vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis* .i. labia per quæ egreditur ſermo. Aperiat dico *ad loquendum myſterium Chriſti* .i. ſalutem gentium, quę vſque ad Chriſtum ſub myſterio latuit. Aperiret Deus ſibi os, ſi ſermo eius auditoribus fuerit gratioſus:

B Quia propter compoſitiones verborum: propter ſubtilitates ſententiarum nunquam os erit apertum, niſi ſpiritus operetur in cordibus auditorum. *Propter quod*.i. quia loquor myſterium Chriſti, poſt multas afflictiones: *etiā* nunc *vinctus ſum* ad loquendum, *ita vt* ego *manifeſtem illud* myſterium, *ita ſicut oportet me loqui* pro loco, tempore, ac capacitate auditorum. Et ſicut ego loquor verbum Chriſti; ita & vos prædicate. *Ambulate ad eos qui foris ſunt* .i. ad infideles. Ambulate dico in ſapientia.i. in om-

C ni diſcretione prædicando. Vos dico *redimentes tempus* .i. comparātes vobis opportunitatem ambulandi in ſapientia. Hoc eſſet redimere tempus, ſi vocarent ad cœnam, & captarent ibi beneuolentiam, vt ſic ad id quod vellent, facilius inducerent. Vt in ſapientia ambuletis, *ſermo veſter ſemper ſit in gratia*, id eſt, gratioſus auditoribus: & ex eo, quod ſit *conditus ſale*, id eſt, contemperatus ſapienti diſcretione. Vel ita. Sermo veſter ſit conditus ſale, ita quod

D ſemper ſit in gratia, id eſt, in commendatione gratiæ Dei, & nunquam in lege. Ita conditus ſale, *vt ſciatis quomodo oporteat vos reſpondere vnicuique* interroganti, pro ſimplicitate eius vel prudentia. Sic vos de præmiſſis inſtruo: omnia autem *quæ circa me ſunt* & vincula & cætera *nota faciet vobis Tichicus, chariſſimus frater, & fidelis miniſter*. Credite illi quia nihil præter fidem miniſtrabit: *& conſeruus in Domino*: quia ſicut ego ſic

ſeruit

ſeruit Domino in Euangelio,& patitur pro eo: *quē* Tichicum *miſi ad* vos, *ad hoc* manifeſtandum,& ad *ipſum,vt cognoſcat quæ circa vos ſunt:* & ego per eum: *& conſoletur corda veſtra*, deſolata pro vinculis meis. Nota faciet Tichicus, *cum Oneſimo chariſſimo & fideli fratre:* audite eum, *quia* natus *eſt ex vobis. Hi* duo *facient vobis nota omnia quæ hic aguntur.* Ideò commendauit eos, vt crederent illis, ſicut & ſibi. *Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus*, qui ſicut ego pro Euangelio in vinculis captiuatur. Salutat vos etiam *Marcus, conſobrinus Barnabæ. De quo* vtroque non recipiendo *accepiſtis mandata* à me. Sed *ſi* vterq; modo *venerit ad vos, excipite illum*, vtrumq; reconciliatos mihi. Hic Marcus nolens obedire Paulo, in quadam legatione diuiſus eſt ab illo: Barnabas autem amore carnali nimium ductus, abijt cũ Marco. *Act.15 39.* Paulus verò ne quid extra fidem prædicarent ſegregati ab illo: ſcripſit Eccleſijs ne audirent eos, qui modo correcti, erant cum Paulo: & ideò de eis excipiendis iterum ſcripſit. Salutat vos etiam *Ieſus, qui dicitur Iuſtus*, teſtimonium iuſtitiæ habens ab omnibus. *Qui* Marcus, Barnabas, Ieſus, *ſunt ex circumciſione*, & *hi ſoli* ex circũciſione *ſunt adiutores mei*, in prædicando regno Dei. Qui etiam fuerunt mihi ſolatio in vinculis. *Salutat vos Epaphras, qui eſt* natus *ex vobis*. Ille dico *ſeruus Chriſti Ieſu*, & *ſollicitus pro vobis in orationibus*, *ſemper* habitis. Pro vobis, inquam, *vt ſtetis perfecti* in eo quod accepiſtis, non vt aliud accipiatis. *Et* vt ſtetis *pleni in omni volũtate* .i. plenariè cognoſcentes omnem volũtatem *Dei*. Verè ſollicitus pro vobis. *Nam* ego *perhibeo illi teſtimonium, quod habet multum laborem*, vigilando, orando pro vobis, *& pro his qui ſunt Laodiciæ, & qui ſunt Hierapoli.* Vicinæ Eccleſiæ erant Coloſſenſibus. *Salutat vos Lucas medicus chariſſimus.* Hic fuit Euangeliſta. *Et Demas* vos ſalutat. *Salutate fratres, qui ſunt Laodiciæ.* Salutate *etiã Nimpham* illam matronam, *& Eccleſiam quæ eſt in domo eius.* Hęc ſolita erat miniſtrare prædicatoribus, & timebat Paulus ne ſeducta, miniſtraret illis pſeudo. *Et cùm fuerit lecta apud vos hæc epiſtola, facite vt etiam legatur in Eccleſia Laodicenſium: &* vt *vos legatis eam quæ eſt Laodicenſium. Et dicite Archippo,* Epiſcopo veſtro, qui quia cõtemptus eſt à vobis, ab officio ceſſauit, dicite illi. *Vide* .i. prouide age *miniſterium quod accepiſti in Domino, vt impleas illud*, quia modo correcti parati ſumus obedire tibi. Dignum eſt enim vt quem cõtemptus veſter depoſuit, obedientia veſtra reſtituat. Hic Archippus iratus, quia audierant contra ſe illos pſeudo: dixerat ſe nõ amplius Epiſcopaturum eis. *Salutatio* ſcripta *mea manu:* mea dico non notarij, ſed mea *Pauli.* Præmittit quiddam ſalutationi. *Eſtote memores vinculorum meorum*, vt vel mihi miniſtretis in vinculis. Vel vt exemplo meo pro Chriſto patiamini. Salutatio hæc eſt. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum. Amen.*

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM PRIMAM AD THESSALONICENSES.

Theſſalonicenſes ſunt Macedones. Hi in Chriſto Ieſu accepto verbo veritatis perſtiterunt in fide, etiam in perſecutione ciuium ſuorum. Præterea nec receperunt falſos apoſtolos, nec ea quæ à falſis apoſtolis dicebantur. Hos collaudat Apoſtolus, ſcribens eis ab Athenis per Tichicum diaconem, & Oneſimum accolitum.

PROLOGVS B. BRVNONIS IN EANDEM.

Theſſalonicẽſes ſunt in Macedonia: hi audito verbo fidei à Paulo, crediderunt: accepta multa gratia in ipſo exordio fidei. Sed Paulo reuerſo ab eis, quidam (ſicut ab eo acceperant) imitatores Pauli, perſtiterunt in bono: quidam autem eorum paulatim corrupti ſunt, labentes in

foueam

foucam fornicationis. Cœperunt etiam eſſe ocioſi, laborare nolentes: & curioſi, rumores vrbis multo ſtudio perquirentes. Errantes etiam dubitãdo dé reſurrectione mortuorum: quare etiam ſe ſupra modum affligebant in morte amicorum, putantes eos non amplius reſurrecturos. Cùm autem duæ partes eorum eſſent, altera directo itinere Pauli incedens: altera (ſicut dictum eſt) à via veritatis aberrans: Paulus ab Athenis Timotheum ad eos direxit, quo reuerſo, vbi Paulus quorũdam fidem, aliorum errorem per Timotheum certus cognouit, ſcribit illis hanc epiſtolam, in qua vtramq; partem eorum, perfectos, ſcilicet, & errantes habet materiam: bonos de perfectione fidei collaudando, & ad incrementum bonorum, quæ cœperunt adhortando: Errantes à curioſitate, ocio, fornicatione, & à dubitatione habita de futura reſurrectione congruis rationibus retrahendo: in qua re aperta ſatis eſt eius intentio, ſcilicet, vt boni de incremento laborent: alij dimiſſo errore, bonorum perfectioni fide & opere ſe conforment.

EPISTOLÆ I. AD THESSALONICENSES.

CAP. I.

PAVLVS *& Syluanus, & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto, gratia vobis & pax. Gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis, memoriam veſtri facientes in orationibus noſtris ſine intermiſſione: memores operis fidei veſtræ, & laboris, & charitatis, & ſuſtinentiæ ſpei Domini noſtri Ieſu Chriſti, ante Deum & patrem noſtrum. Scientes fratres dilecti, à Deo electionem veſtram, quia Euãgelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantùm, ſed & in virtute, & in Spiritu ſancto, & in* A *plenitudine multa: ſicut ſcitis quales fuerimus in vobis propter vos, & vos imitatores noſtri facti eſtis & Domini: excipiẽtes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus ſancti, ita vt facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaia. A vobis enim diffamatus eſt ſermo Domini, non ſolùm in Macedonia, & in Achaia, ſed in omnem locum fides veſtra quæ eſt ad Deum, profecta eſt, ita vt non ſit nobis neceſſe quicquam loqui. Ipſi enim de nobis annunciant, qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo conuerſi eſtis ad Deum à ſimulachris, ſeruire Deo* B *viuo & vero, & expectare filium eius de cœlis quem ſuſcitauit ex mortuis Ieſum, qui eripuit nos ab ira ventura.*

PAVLVS &cæt. Sicut moris eius eſt, ſalutationem præmittit dicẽs: *Paulus, & Syluanus, & Timotheus,* Syluanum ſecum in ſalutatione ponit: quia in conuerſione eorum ſecum collaborauit, auctoritatem habens apud ipſos. Timotheum ideò, quia ex conſilio Timothei qui ab eis reuerſus fuerat, hanc eis Paulus ſcri- C bit epiſtolam. Ideò etiã Timotheum ponit, vt nouerint nihil eorum quæ fiunt apud eos, latere Paulum. Paulus & Syluanus & Timotheus ſcribunt *Eccleſiæ Theſſalonicenſium.* Eccleſiæ dico exiſtenti *in Deo patre, & Domino Ieſu Chriſto* .i. hoc quòd eſt Eccleſia, habet à Deo patre & Ieſu Chriſto. Perſeueret itaque in fide ipſius, à quo iam nomen accepit electionis. Hoc, inquam, ſcribunt, *gratia vobis & pax.* In primis partem eorum quæ fidei integritatem ſeruauerat, alloquitur: fidem eorum magnificãs, & gratias illis in principio fidei conceſſas, D vt per laudem Apoſtoli, animentur in melius, dicens: Audientes fructum fidei veſtræ; *agimus gratias Deo,* nec rarò ſed *ſemper,* & *pro omnibus* veſtris, qui in eo quod *vobis* tradidi, perſeueraſtis. Agimus gratias, *facientes memoriam,* id eſt, Deum memorem *veſtri in orationibus noſtris,* habitis *ſine intermiſſione:* quia & iugis eſt oratio, & in nullo vos prætermitto. Vnde

gratias agat, ſubdit. Gratias agimus A *memores operis fidei veſtræ.* Cùm mul ta ſint opera fidei, hoc præcipuum * fides habet confiteri quod credit. Hi autem in conſpectu perſecutorum non formidabant Chriſtum confiteri. Memores etiam *laboris* veſtri. Hi enim pauperati ab infidelibus, laborabant vnde viuerent. Memores etiam *charitatis* veſtræ. Adeò enim proximos diligebant, vt illis ocioſis fructũ laborum ſuorum communicarent. Memores etiam *ſuſtinentiæ* veſtræ. Multa enim patiebantur ab infidelibus. Suſtinentię dico *ſpei*.i. ſperatę rei. Res enim quam ſperatis, tantam patiẽtiam operatur in vobis. Spei dico *Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Ad Chriſtum enim pertinet impletio huius ſpei, habitæ *ante Deum & patrem noſtrum.* Sic enim confidenter ſperabant, ac ſi iam Deum præ oculis haberent. ¶ Commendata fide & charitate eorum, dicit magis miras gratias Deum contuliſſe illis in initio fidei quam alijs Eccleſijs. Et hæc dicit ad incitationem eorum, faciẽtes memoriã veſtri in orationibus noſtris, *ſcientes fratres dilecti à Deo electionem veſtram*.i. quos quia dilexit, elegit. Et iterum poſt electionem amplius dilexit: ideò dilecti præpoſuit electioni: vt oſtenderet bona eorum eſſe ex dilectione Dei. Scientes dico electionem veſtram: hanc, ſcilicet, *quod Euangelium noſtrum non fuit ad vos tantummodo in ſermone*, vt, ſcilicet, ſola verba fierent in veſtra conuerſione: *ſed* fuit *in virtute miraculorum, & in Spiritu ſancto.* In ipſa enim acceptione fidei multas gratias habuiſtis: & ita in virtute & in ſpiritu, vt *in multa plenitudine* & miraculorum & gratiarum ſpiritualium. Sic iſta, ſcilicet, & virtutes miraculorum, & gratias Spiritus ſancti fuiſſe in vobis ſcimus: *ſicut vos ſcitis* hoc viſibile de nobis *quales*.i. quam vehementer tribulati *fuerimus in vobis:* & hoc *propter voſ ipſos* lucrandos, non propter aliud commodum. Sic fuit ad vos Euangelium noſtrum, *& vos* ſtatim *facti eſtis noſtri imitatores: &* quia noſtri: ideò imitatores *Dei*, quem glorioſum eſt imitari. Imitatores dico *in multa tribulatione* tolerata, *excipientes*, id eſt, in excipiendo *verbum:* vt primum enim accepiſtis verbum fidei, ſtatim cum fide incepiſtis pati. Tribulatione dico accepta non inuita, ſed *cum gaudio Spiritus ſancti:* quia affluentia gratiarum, quæ erat in vobis, faciebat vos gaudere in tribulationibus. Fuiſtis noſtri imitatores: *ita vt facti ſitis forma patientiæ omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia:* qui prius vobis crediderunt. B Videntes enim vos præcedere illos ad coronam, laudabant fidei veſtræ velocitatem, accuſando ſuam tarditatem. Illis vtique facti eſtis forma: *ſermo enim Domini diffamatus eſt à vobis*, id eſt, notificatus exemplo veſtro, *non ſolum in Macedonia & Achaia, ſed etiam in omni loco* adiacente illis. Nec ſolum ſermo Domini, ſed etiam *fides veſtra* plurimum profecta eſt, *quæ* fides *eſt ad Deum*.i. gloria mundi ſpreta, Deum ſolum deſiderat. Ita eſt C *profecta, vt non ſit nobis neceſſe loqui quicquam de introitu noſtro ad vos*, vel de conuerſione veſtra: ideò non eſt neceſſe quicquam loqui: *quia ipſi* eidem *annunciant de vobis*, id eſt, ad gloriam veſtræ fidei: *qualem*.i. quam difficilem *introitum habuerimus ad vos.* Multa enim paſſi ſumus inueniendo & apud vos: propter quæ tamen non ſpreuiſtis verbum ex me. Annunciant etiam de vobis.i. quam perfectè *conuerſi eſtis ad Deum à ſimulachris.* In quibus ſimulatio tantum, D nulla veritas. Conuerſi dico non tantùm credere, ſed etiam *ſeruire Deo viuo*, id eſt, æterno qui vitam æternitatis daturus eſt vobis. Deo viuo *& vero*, id eſt, in quo veritas, ſicut in idolo ſimulatio. Nec quoquomodo ſeruire, ſed etiam conuerſi eſtis *expectare filium eius*, venturum *de cælis* ad iudicium. Adeò enim benè agendo ſecuri ſunt, vt gaudeant occurrere iudici, non formidantes pœnam, ſed de præmio ſecuri. *Quem* filium Deus *ſuſcitauit ex mortuis*, factum nobis *Ieſum*, id eſt, ſaluatorem:

*principium.

cuius

cuius ſuſcitatio noſtram operatur A reſurrectionem: *qui* filius *eripuit nos ab ira*, id eſt, ab vltione *ventura* impijs. Eripuit vtique in baptiſmo dimittens peccata.

CAP. II.

NAM *ipſi ſcitis fratres introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit, ſed ante paſſi multa, & contumelijs affecti, ſicut ſcitis in Philippis, fiduciam habuimus in Deo noſtro, loqui ad vos Euangelium* B *Dei in multa ſollicitudine. Exhortatio enim noſtra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo, ſed ſicut probati ſumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium, ita loquimur. Non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis. Neque in occaſione auaritiæ, Deus teſtis eſt. Nec quærentes ab hominibus gloriam. Neque à vobis, neque ab alijs, cùm poſſemus vobis oneri eſſe, vt Chriſti Apoſtoli. Sed facti ſumus paruuli in* C *medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos. Ita deſiderantes vos cupidè, volebamus tradere vobis non ſolum Euangelium Dei, ſed etiam animas noſtras, quoniam chariſſimi nobis facti* 91.diſt.ca.1. *eſtis. Memores enim eſtis fratres laboris noſtri & fatigationis, nocte & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus, prædicauimus vobis Euangelium Dei. Vos teſtes eſtis & Deus, quam ſanctè & iuſtè & ſine querela vobis qui credidiſtis, affuimus: ſicut ſcitis, qualiter vnumquemque veſtrum (tanquam pater filios ſuos) deprecantes vos, & conſolantes, teſtificati ſumus, vt ambu-* D *laretis dignè Deo, qui vocauit vos in ſuum regnum & gloriam. Ideò & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam cum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non vt verbum hominum, ſed ſicut eſt verè, verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidiſtis.* * alias habet in ipſũ. * *Vos enim imitatores facti eſtis fratres Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa, in Chriſto Ieſu, quia eadem paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Iudæis, qui & Dominum occiderunt Ieſum & Prophetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent: & omnibus hominibus aduerſantur, prohibentes non gentibus loqui vt ſalui fiant, vt impleant peccata ſua ſemper. Peruenit enim ira Dei ſuper illos vſque in finem. Nos autem fratres deſolati à vobis ad tempus horæ, aſpectu non corde: abundantius feſtinauimus faciem veſtram videre cum multo deſiderio, quoniam voluimus venire ad vos. Ego quidem Paulus & ſemel & iterum, ſed impediuit nos Satanas. Quæ eſt enim noſtra ſpes aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſtis in aduentu eius? Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.*

DICENDO ſuperius qualem introitum & quales fratres bis ſignificauerat vobis difficultatem introitus ſui: quam quia exſecutus non fuerat, modo ſatis callidè inſerit, dicens: Non oportet me dicere qualem introitum habuimus ad vos: nam voſipſi *fratres* ſatis *ſcitis introitum noſtrum ad vos*: quia .i. *quod non fuit inanis* .i. inutilis. Inanis eſſet ſi pro rebus mundi pateretur, vel ſi pati reſurgeret. Vel ſi in eis fructum fidei non faceret. Non fuit inanis: *ſed ante*, id eſt, in veniendo *paſſi ſumus in Philippis* acerbitatem tribulatiõis: & etiam *affecti contumelijs*, id eſt, afflicti opprobrioſis verbis. Paſſi & affecti dico *ſicut* voſipſi *ſcitis*. Nos, inquam, ita paſſi & affecti fuimus apud Act.16.19 vos *in multa ſollicitudine*, id eſt, curioſi de domeſticis rebus. In multa enim pœnuria eramus, & curioſi ne vos videntes contemptum noſtrum, contemneretis in nobis verbum Dei. Et licet in tanta ſollicitudine eſſemus, tamen *habuimus fiduciam loqui ad vos Euangelium Dei*. Habuimus dicò *in Domino noſtro*: præ nimia enim difficultate vis humana in nobis deficiens compellebat nos Deum conſulere. Ideò fiduciam habuimus: *quia exhortatio noſtra facta ad vos non* erat

de errore, id eſt, de ſuaſione erroris, vt docerem vos errare in fide: *neque de immunditia*, ſicut illi Nicolaitæ: qui ſuadent mulieres omnibus eſſe communes. *Neque* exhortatio noſtra eſt *in dolo*, id eſt, in deceptione. Poſſet enim eſſe neque de errore, neque de immunditia: & tamen in dolo, ſi intenderet accipere ab eis. Non fuit in dolo: *ſed ſicut probati*, id eſt, probabiliter ſumus inſpecti *à Deo*, *vt* ab illo *crederetur nobis Euangelium*. Sicut probati ſumus: ita loquimur, id eſt, non minus in nobis Deus inuenit, quàm ſe inuenturum præuidit. *Loquimur* dico *non* ſolum non *placentes*, ſed nec etiam facti, quaſi placentes hominibus, *ſed* quærentes placere *Deo*, *qui probat corda noſtra*, id eſt, cui etiam aperta eſt noſtra voluntas. Verè non quaſi placentes hominibus, *neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis*, *ſicut* vos *ſcitis*, & vos in teſtes appello. *Neque* fuimus in ſermone *auaritiæ*. Nec etiam *in occaſione* vt ſaltem ſuſpicari poſſet de nobis: & *Deus* inde *teſtis eſt*. Et *non* fuimus *quærentes gloriam ab hominibus*: quia *neque à vobis*, *neque ab alijs*. Non fuimus in occaſione auaritiæ *cum*, id eſt, quamuis *poſſimus vobis eſſe oneri*, *accipiendo temporalia à vobis vt Apoſtoli Chriſti*. Non quærentes gloriam: *ſed facti ſumus paruuli in medio*, id eſt, humiles in communitate *veſtrum*. Nullus enim fuit, cui non condeſcenderim. Paruuli dico, *tanquam nutrix* condeſcendens paruulo, & multa ſuſtinens ab illo. Nec nutrix conducta precio: ſed *ſi foueat* proprios *filios*, quibus ex dilectione ſola paruula ſit: nihil ibi quærens præter filios. Tanquã nutrix filiosita deſiderantes vos nõ res veſtras cupide: *volebamus tradere vobis non ſolum Euangelium Dei*, *ſed etiam* ſi oporteret *animas veſtras*. Ideò *quoniam facti eſtis nobis chariſſimi*. Facti ſumus vtique paruuli tanquam nutrix. Vos enim fratres *memores eſtis laboris noſtri & fatigationis*: poſſet enim laborare non vſque ad fatigationem, ſed plerumque à Deo laborabat vt magis defeſſus deſiſteret quam voluntarius. Benè dico laboris & fatigationis. Nos enim prædicauimus in vobis Euangelium Dei: *operantes nocte ac die*, quantum diei reſiduum erat à prædicatione & oratione. Ideò ſic operantes, *ne quem veſtrum grauaremus*: & quod ita fecerim, *vos eſtis teſtes*, *& Deus*: quam ſanctè in me, & quam iuſtè ad proximum. Et *ſine querela*, id eſt, innocenter, ſine omni malo *fuimus vobis*, *credidiſtis*. Quia ſancte & iuſte fuimus vobis, ſic notum habetis *ſicut ſcitis* hoc *qualiter teſtificati ſumus vnumquemque veſtrum*, *deprecantes vos & conſolantes* tribulatos *tanquam pater* conſolaretur *filios ſuos*. Teſtificati ſumus *vt ambularetis dignè Deo*, id eſt, vt eſſetis digni habere Deum. Vel vt dignum ſit Deum habitare in in vobis: *qui* Deus *vocauit vos in ſuum regnum*, ideſt, ad hoc vt modo regnaret in vobis, qui prius eratis regnum diaboli, *&* in habendam *gloriam* in futuro. Et quia in regnum Dei vocati eſtis: *ideò nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione*: *quoniam cùm à nobis accepiſſetis verbum auditus*, id eſt, ex ſolo auditu exciperetis verbum *Dei*: *accepiſtis illud non vt verbum hominum*: *ſed ſicut verbum Dei*, *quod verum eſt*: *qui* Deus *operatur in vobis* quotidie *qui credidiſtis*. Et verè operatur in vobis. *Nam vos fratres facti eſtis imitatores Eccleſiarum Dei*, *quæ ſunt in Iudæa*: quæ ſunt dico *in Chriſto Ieſu*. Imitatores in hoc: *quia paſſi eſtis eadem & vos à contribulibus veſtris*, *ſicut & ipſi paſſi ſunt à Iudæis*: qui Iudæi non mirum ſi perſequuntur eos: *quia occiderunt Dominum Ieſum & Prophetas*. *Nos etiam perſecuti ſunt*, in quo vtique *non placent Deo*: licet perſequendo nos, arbitrentur obſequium ſe præſtare Deo. Qui etiam Iudæi *aduerſantur omnibus hominibus*, id eſt, vtilitati omnium hominum. *Prohibentes nos loqui gentibus*, *vt ſaluæ fiant*. Prohibentes ideò, *vt ſemper impleant peccata ſua*, donec iuſte & ſufficienter probati ſint: &

Nicolaitarũ hæreſis.

impij

A impij ad cumulum damnationis veniunt. Ideò ſic prohibent: *quia ira*, id eſt, excæcatio *Dei venit ſuper illos vſque in finem*, quando Deus auferet velamen de cordibus eorum: & tunc reliquiæ ſaluæ fient. Vel vſque ad finem, id eſt, ad mortem quando tradentur perpetuo igni. Et quia vos eadem paſſi eſtis: ideò *fratres nos deſolati à vobis*, cauſa enim deſolationis noſtræ veniebat à nobis: non quia plangeremus caſum, ſed quia timebamus. Deſolati dico *ad tempus*, id eſt, ex quo Timotheum ad vos miſimus, donec per eundem conſtantiam veſtram audiuimus. Vbi ait ad tempus, innuit eos non peccaſſe. Deſolati dico remotò ore, id eſt, ſermone noſtro à vobis: & *aſpectu* remoto: *non* tamen remoto *corde abundantius*, quam prius *feſtinauimus videre faciem veſtram cum multo deſiderio*. Benè dico cum deſiderio, *quoniam voluimus venire ad vos*: & in ipſo itinere iam eramus. *Ego quidem Paulus* quicquid alij formidarent, *& ſemel, & iterum* venire volui: *ſed Satanas impediuit nos*. Satanas ideò, vt remota conſolatione magiſtri, facilius vos peruertere poſſet. Deus ideò hoc conſenſit, vt vos de tentatione ſuperata glorioſiores haberet: ideò Satanas impediuit, quia vos eſtis ſpes noſtra & cætera. Vel ita. Ideò venire voluimus, quia *quæ eſt noſtra ſpes* habenda in futuro: *aut* quod eſt *gaudium* tunc iterum mihi paratum: *aut corona gloriæ*, id eſt, gaudium illud non erit mediocre, ſed corona gloriæ, id eſt, corona glorioſa. Dico quod eſt gaudium & corona mea. Sed *nonne vos eſtis* per puritatem vitæ poſiti nunc ante Dominum noſtrum Ieſum? Eſtis dico corona præparata mihi *in aduentu eius*. Verè tunc eritis gaudium mihi & corona: quia etiam iam vbi carne preſſus minus intelligo: *eſtis vos gloria noſtra & gaudium*.

(∴)

Rom. 9. 27. Rom. 11. 5.

Emendatior Pauli legit, ad tempus horæ, non oris.

CAP. III.

*P*ROPTER *quod non ſuſtinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis ſolis:* & miſimus Timotheum fratrem noſtrum, & miniſtrum Dei in Euangelium Chriſti, ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide veſtra, vt nemo moueatur in tribulationibus iſtis. Ipſi enim ſcitis quod in hoc poſiti ſumus. Nam & cùm apud vos eſſemus, prædi*
B *cebamus vobis paſſuros nos tribulationes, ſicut & factum eſt, & ſcitis. Propterea & ego amplius non ſuſtinens, miſi ad cognoſcendam fidem veſtram: ne fortè tentauerit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noſter. Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annunciante nobis fidem & charitatem veſtram, & quia memoriam noſtri habetis bonam, ſemper deſiderantes nos videre, ſicut nos quoque vos: ideò conſolati ſumus fratres in vobis in omni neceſſitate, & tribulatione noſtra per fidem veſtram: quoniam nunc viuimus, ſi vos ſtatis in Domino.*
C *Quam enim gratiarum actionem poſſimus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio quo gaudemus propter vos ante Dominum Deum noſtrum: nocte ac die abundantius orantes, vt videamus faciem veſtram, & compleamus ea quæ deſunt fidei veſtræ? Ipſe autem Deus & pater noſter, & Dominus Ieſus Chriſtus * dirigat viam noſtram ad vos. Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem veſtram in inuicem, & in omnes: quemadmodum & nos in vobis ad confirmanda corda veſtra ſine querela, in ſanctitate ante Deum, & pa-*
D *trem noſtrum, in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus ſanctis eius. Amen.*

* alias ſol

* alias non habet Chriſtus.

PROPTER quod quia eadem paſſi eſtis, & quia nos deſolati ſumus à vobis: & quia vos eſtis gaudium, & corona noſtra: *propter hoc non ſuſtinentes amplius*, ſuſtinentes ideò ait: quia donec per Timotheum

conſolatus eos eſt, & per eundem quomodo in fide ſtarēt accepit, quaſi graue pondus timens caſum eorum ſuſtinuit. Non ſuſtinentes amplius, *placuit nobis*, mihi & Syluano, *remanere Athenis ſolis* .i. ita vt ſoli eſſemus à ſolatio Timothei, qui neceſſarius erat nobis. Hic ſignificat ab Athenis hanc ſe direxiſſe epiſtolam. Remanſimus Athenis, *& miſimus Timotheū fratrem noſtrum, & miniſtrum Dei in Euangelium Chriſti.* Commēdo eum vobis, ipſum audite. Miſimus inquā, *ad confirmandos vos*, vt in melius proficeretis. Confirmandos *& exhortandos* dico *pro fide veſtra* cuſtodienda: ne erret vel deficiat. Confirmandos dico, *vt nemo veſtrum moueatur in tribulationibus iſtis*, quas & vos patimini & nos patimur. Vbi ait. Nemo moueatur: innuit eos nondum motos, & ſe nolle ſaltem vnum à fide moueri. Nec debetis moueri: *ipſi enim* benè *ſcitis*, *quod* nos & vos *poſiti ſumus in hoc*, vt aduerſa patiamur. Scitis vtique. *Nam cum apud vos eſſemus, prædicabamus vobis non eſſe paſſuros tribulationes: ſicut* vtique pro dicto meo *factum eſt*, *&* vos benè *ſcitis* eſſe factum. *Propterea*, id eſt, quia paſſus ſum tribulationes, ne tribulatio magiſtri cauſa eſſet defectus veſtri, *ego non amplius ſuſtinens, miſi ad cognoſcendum fidem veſtram*, vt per legatum fidem veſtram cognoſcerem. Miſi ideò, *ne fortè tentauerit vos is qui tentat*, id eſt, cuius officium eſt tentare: *&* ne ſic *labor noſter fiat inanis* vobis, ſuccumbētibus tentationi. Olim miſi, *nunc autem Timotheo à vobis veniente ad nos: &* eo *annunciante nobis fidem* quam firmiter tenetis: *& charitatem veſtram*, qua omnes nos diligere probatis: annunciante etiam *quia* .i. quod *habetis memoriam noſtri bonā*, ſicut debetis: *deſiderantes* ſemper *videre nos: ſicut nos quoque* deſideramus videre *vos*. Illo hoc annunciante, *conſolati ſumus fratres in vobis. Ideo*.i. pro eo quod ſic annunciante de vobis, & non propter aliud. Poſſet enim hoc ipſi annunciari, & pro alio conſolari. Conſolati ſumus in vobis *per fidem*

Paulus ab Athenis miſit epiſtolam ad Theſſalonicenſes.

A .i. propter fidem *veſtrā* firmiter ſtantem. Vel, per fidem veſtram iuro me conſolatum eſſe, quam diligens non peierarem. Cōſolati dico in *omni neceſſitate* .i. pœnuria: & in omni *tribulatione noſtra*, quam à perſecutoribus patior: quia nec etiam afflictio mea poteſt gaudium perturbare quod habeo de veſtra firmitate. Ideò dico nos conſolatos: *quoniam nunc* etiam in tribulatione & pęnuria *viuimus* .i. in gaudio nos viuere credimus: *ſi vos ſtatis in Domino*, quod vtique verum B eſt, quia ſtatis. Illud ſi approbatiuum eſt. Meritò ideo viuimus: *quia quam actionem gratiarum poſſumus retribuere Deo pro vobis:* in fide & charitate manentibus. Poſſumus dico nos poſiti *in omni gaudio quo gaudemus propter vos*, exiſtentes *ante Deum* noſtrū. Vel gaudemus ante Deum noſtrum propter vos: placet enim in conſpectu Dei: quod oblitus meę tribulationis, congaudeo bonis veſtris. Retribuere ideò dicit, quia bona quę Deus tribuit Eccleſijs Pauli: Paulus annu-C merat collata eſſe ſibi. Gaudemus non ſolùm gratias agentes: ſed etiam *orantes nocte & die abundātius*, quam prius nōdum audita perfectione veſtra: orantes hoc, *vt videamus faciem veſtram: &* præſentes ea *compleamus* in vobis *quæ adhuc deſunt fidei veſtræ.* Paulus cum primum tradidit illis fidem, quia adhuc ſimplices erant, nō ſufficientes capere myſteria Dei: ſecundum ea quæ fidei neceſſaria erāt, eos initiauit: ſed quia modo perfecti ſunt: ſi modo eſſet apud eos, aperiret D ſcripturas & myſteria Dei: quæ ſicut prius ſuperflua eſſent eorum ſimplicitati, ſic modo deerant eorum perfectioni. Oramus videre faciem veſtram: *ipſe autem Deus & pater noſter, & Dominus Chriſtus dirigat viam noſtram*.i. faciat directum iter noſtrum ad vos. Siue autem veniam, ſiue non veniam, *Dominus* ſemper *multiplicet vos* ſecundùm augmētum membrorum: *& faciat abūdare charitatem veſtrā in inuicem:* quod oēs viciſſim diligatis vos in Eccleſia: *& in oēs* .i. etiā ad infideles tranſeat charitas veſtra.

F aciat abundare, *quemadmodum & nos* abundamus charitate *in vobis*. Abundare dico: *ad confirmanda corda veſtra*, vt voluntas veſtra in omni bono ſit confirmata. Confirmanda dico, *ſine querela*, vt nulla ſit ibi iniuſtitia. Et confirmanda *in ſanctitate*: vt in bonis ſanciti ſitis & confirmati. Sanctitate dico, habita *ante Deum & patrem noſtrum*, id eſt, in beneplacito Dei patris. Corda dico ſic confirmāda *in aduentu*.i.in conſideratione aduentus *Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Qui enim bene ſemper memor erit aduentus Chriſti ad iudicium, timebit peccando prouocare eum. Vel ita. Confirmanda in aduentu.i. vſque in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti. Chriſti dico, venturi *cum omnibus ſanctis ſuis*: qui cū eo iudicaturi ſunt mundum. Vel confirmāda cum omnibus ſanctis eius: vt ſic confirmet & vos quemadmodū confirmauit ſanctos ſuos. *Amen* .i. ita fiat vt vos ſic confirmemini.

CAP. IV.

De cætero ergo, fratres, rogamus vos & obſecramus in Domino Ieſu, vt quemadmodum accepiſtis à nobis quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, ſic & ambuletis, vt abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Ieſum. Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos à fornicatione, Rom.12.2. Ephe.5.17.
vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſsidere in ſanctificatione, & honore: non in paſsione deſiderij, ſicut & gentes quæ ignorant Deum. Et ne quis ſupergrediatur, neque circumueniat in negocio fratrem ſuum: quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſper-

22.q.4.vnuſquiſq.

A *nit, ſed Deum: qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis. De charitate autem fraternitatis non neceſſe habuimus ſcribere vobis. Ipſi enim vos à Deo didiciſtis, vt diligatis inuicem.* Ioan 13.34.
Etenim illud facitis in omnes fratres, in vniuerſa Macedonia. 1.Ioa.4.13. *Rogamus autem vos fratres vt abundetis magis, & operam detis vt quieti ſitis, & veſtrum negocium agatis: & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis: & vt honeſtè ambuletis ad eos qui foris ſunt, & nullius aliquid deſideretis.*

B *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Si enim credimus quod Ieſus mortuus eſt & reſurrexit; ita & Deus eos qui dormierunt per Ieſum adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini: quia nos qui viuimus, qui reſidui ſumus, in aduentu Domini non præueniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipſe Dominus in iuſſu & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo, & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi.*

C *Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto * in aëra: & ſic ſemper cum Domino erimus.* * Al. Domino. *Itaq; conſolamini inuicem in verbis iſtis.*

H Vcuſque partem perfectorum collaudauit, & ad incremētum perfectionis adhortatus eſt. Nunc incipit inſtruere partem illam, quæ videbatur corrumpi fornicatione, curioſitate, ocio, & de reſurrectione dubitando, dicens. Vos perfectos ſic laudo, & ad incrementum inuito.

D *De cætero ergo fratres*, id eſt, ad alterā partem agens, *rogamus vos* quaſi rem debitam: *& obſecramus* mitius agentes, dum precamur quod imperare licet. Obſecramus, inquam, *in Domino Ieſu*, ſi de illo gaudere vultis: *vt quemadmodum accepiſtis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo*. Ambulare dicitur in his quæ ex dilectione ſine quibus homo nequit ſaluari. Placere in his quæ ex dilectione homo ſuperaddit: vt ſer-

uare virginitatem, nihil poſſidere in mundo: quæ ſi non faceret, poſſet tamen ſaluari. Oporteat ambulare ſicut credo quod ambulatis, licet ſic vos admoneam. Rogamus & obſecramus, *vt abundetis magis* ambulando & placendo admoniti à me quam prius. Et debetis abundare: *ſcitis enim quæ*, id eſt, *quam digna præcepta dederim vobis per Dominum Ieſum*, ſic inſtituentem mihi. Digna vtique præcepta dedi vobis. *Nam hæc eſt voluntas Dei veſtra ſanctificatio*, id eſt, vt vos ſanctificati ſitis, remoto omni vitio à vobis. Hæc eſt, inquam, veſtra ſanctificatio: *vt vos abſtineatis à fornicatione*, ne corrumpatis vxorem proximi. *Et vt ſciat vnuſquiſque veſtrum poſſidere ſuum vas*, id eſt, ſuum corpus. Sicut enim miles in tabernaculo, ſic ſpiritus in corpore militare debet Deo, manibus miniſtrando pauperibus, pedibus viſitando infirmos, & ſimilia in cæteris membris. Poſſidere ideo dicit: quia corpus ita debet domari à ſpiritu, vt poſſideatur quaſi ſeruus rationis, portans quodcunque onus imponitur ſibi. Poſſidere dico *in ſanctificatione*: vt fiat ſanctum in habitatione virtutum: *&* poſſidere in *honore*, vt non inclinetur ad actum turpitudinis, & *non in deſiderio*, vt ſaltem deſideret turpem actum, nedum operetur. Deſiderio dico quod eſt eſſe in paſſione. Grauis enim paſſio eſt animi viuere in deſiderio carnis. Viuere in paſſione deſiderii, *ſicut* falſi chriſtiani, *& gentes quæ ignorant Deum*, faciunt. Abſtinete à fornicatione, & ab adulterio. Quod ſic ait. *Ne quis ſupergrediatur fratrem ſuum in vllo* priuato *negocio* cum vxore eius habito, *neque circumueniat* in eodem. Supergredi eſſet, ſi violenter raperet alterius vxorem. Circumuenire, ſi ſeductione precii vel precis ſubuerteret vxorem proximi conſentire ſibi. Hanc ſententiam non ſatis apertè innuunt verba libri, ſed priora & ſequentia hanc velle videntur. Vel illa priora mutantur. Abſtinete à fornicatione cum meretricibus: vt

Supergredi.

Circumuenire.

A ſciat vnuſquiſque veſtrum poſſidere ſuum vas, id eſt, ſuam vxorem quæ corpus eſt viri in ſanctificatione, id eſt, in munditia, & in honore. Non in turpitudine, & non in paſſione deſiderij, id eſt, ne nimis carnaliter afficiatur circa vxorem, ſicut gentes faciunt quæ Deum ignorant. Illud quod ſequitur non mutatur: ideo nemo circumueniat fratrem & cætera: *quoniam Dominus vindex eſt de his omnibus:* tam de fornicatione, quam de adulterio: *ſicut prædiximus vobis* cum eſſemus apud vos: *& teſtificati*

B *ſumus* teſtimoniis ſcripturarum. Verè Dominus vindex eſt de his: *nam Deus non vocauit nos in immunditiam* operandam, *ſed in ſanctificationem* habendam: & quia non in immunditiam, ſed vocauit nos Deus in ſanctificationem: *itaque qui ſpernit hoc* cauere ſcilicet à fornicatione & adulterio: *non ſpernit hominem, ſed Deum*, qui vocat in ſanctificationem: ſpernit etiam hoſpitem ſuum Spiritum ſanctum. Quod ſic ait. *Qui* Deus *dedit ſpiritum ſuum ſanctum in vobis:*

C quem ſi Deum ſpernitis, cum Deo ſpretum perditis. De fornicatione & adulterio ſic vos inſtruimus: ſed *de charitate fraternitatis non habemus neceſſe ſcribere vobis: quia voſipſi didiciſtis à Deo* vel interius inſpirante, vel in Euangelio hoc docente, *vt diligatis inuicem*, vbi ait. Hoc eſt præceptum meum &c. Ideò iterum non eſt neceſſe ſcribere vobis: *quia vos facitis illud* præceptum dilectionis *in omnes fratres* exiſtentes *in vniuerſa*

Ioan. 15. 12.

D *Macedoniæ*. Sed licet non ſit neceſſe ideo ſcribere vobis: tamen *rogamus* vos omnes *fratres vt magis* ſolitò abundetis in charitate, *& detis operam vt ſitis quieti:* non ita per vrbem curioſi rumoribus inquirendis: & *vt* ſitis quieti, *agatis veſtrum negocium*, ne (contemptis propriis) aliena negocia curetis. In his verbis vitium curioſitatis interdicit. Et vt ſitis quieti, *operamini manibus veſtris*, vnde vobis habeatis, ne ocioſi alienos labores illicitè conſumatis. Hic ocioſitatem prohibuit. Operamini dico,

Curioſitas reprobatur.

ſicut

ſicut parentes præcepimus vobis. Operamini quia præcepimus vobis: *& vt honeſtè ambuletis ad eos, qui foris ſunt,* id eſt, in conſpectu infidelium: ne habeant in quo poſſint detrahere vobis Ideò etiam operamini: *vt nullius aliquid deſideretis,* id eſt, vt habentes de proprio labore res alterius nõ concupiſcatis: quod egeſtas veniens ex ocio deſiderare compellit. ¶Nunc dubietatem quam de reſurrectione habebant, congruis rationibus abſoluit, dicens. De charitate non eſt neceſſe ſcribere vobis: *ſed de dormientibus nolumus vos ignorare fratres.* Dormientes vocat mortuos: vt oſtendat tam facile Deum reſuſcitare mortuos, quam facile eſt dormientem ſuſcitari è ſomno. Ideò nolumus vos ignorare de dormientibus, *vt non contriſtemini* immoderate ſuper mortes propinquorum, *ſicut gentiles* & etiam falſi Chriſtiani, *qui non habent ſpem* reſurrectionis futuræ. Et de reſurrectione deſperantes ſic contriſtari non debetis: *quia ſi credimus quod Ieſus reſurrexit:* & vt veram eius reſurrectionem probet, præmittit. Ieſus verè mortuus eſt & reſurrexit: ſi hoc, inquam, credimus: *ita &* credere debemus quod eos qui viuendo *per Ieſum:* dormierunt per Ieſum, id eſt, vita quorum & mors in Ieſu fuit: eos, inquam, *adducet Deus cum eo,* id eſt, cum Ieſu impaſſibiles, immortales in gloria. Falſam quorundã opinionem, qui dicebant corpora in die illo adhuc integra poſſe reſurgere, ea vero quæ eſſent diſſoluta in cineres, nunquam reſurgere, deſtruit, dicens. Verè qui dormierunt ádducentur cum Ieſu. *Nam hoc dicimus vobis in verbo Domini.* Deus enim hoc nobis reuelauit: *quia,* id eſt, quod *nos qui viuimus in aduentu Domini: & qui reſidui ſumus* tot malis. Ponit ſe quaſi futurum in die vltimo: ideò quia perſecutio Apoſtolorum & fidelium ſub Antichriſto futurorum, ſimili difficultate comparabitur. Vnde idem alibi. Nos ſumus in quos fines ſeculi deuenerunt. Nos, inquam, qui reſidui ſumus *in aduentu Domini nõ præueniemus eos qui dormierunt* in reſurrectione qui ante nos dormierunt: vt Abraham & cæteros. In hoc verſu vtrunque fecit, & veritatem reſurrectionis omnium approbauit: & de quibus dubitabant, eorum reſurrectionem prius futuram eſſe oſtendit. ¶ Hic tamen notandum, quod iuſtorum reſurrectionẽ ſolummodo approbat. Verè nos reſidui non præueniemus priores: *quoniam ipſe Dominus* Chriſtus *deſcendet de cælo in iuſſu* & cum imperio: qui olim deſcendit in obedientia & humilitate: deſcendet etiam *in voce Archangeli.* Siue hic archangelus ſignificet Chriſtum propria voce inſonaturum: ſiue alium angelum determinatum, non habemus quis illam vocem daturus ſit ad quam reſurgent mortui. In voce archangeli *& in tuba Dei:* vox enim illa erit quaſi tuba, quæ ſuos excitat: aduerſarios terret: ſic vox illa inuitabit ſanctos ad palmam, impios deterrebit ad pœnam. Sic, inquam, Ieſus deſcendet: *& tunc mortui qui* iam diu ſunt *in Chriſto,* vt Abraham & cæteri, *ſurgent primi.* Et *deinde* poſt illos *nos qui viuimus,* in tempore illo: & *qui relinquimur* tot perſecutionibus Antichriſti: *ſimul rapiemur cum illis* prioribus *in nubibus.* Nubes enim portabunt nos obuiam *Domino in aera:* vbi de omnibus iudicabit: *& exinde erimus cum Domino ſemper* nos electi. Erimus, inquam, ſic .i. cum corporibus reſumptis in incorruptione. Et quia ex his verbis approbata eſt vobis veritas reſurrectionis. *Itaque conſolamini inuicem in verbis iſtis* Dei alter alterum dicentes. Vere reſurgemus impaſſibiles, cum Domino erimus &c.

Ocium generat egeſtatem.

Reſurrectio optime probatur.

1.Cor.10.11.

CAP. V.

D*E temporibus autem & momentis non indigetis vt ſcribamus vobis. Ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet. Cùm .n. dixerint pax*

2.Pet.3.1. Apocal.3.

pax & ſecuritas : tunc repentinus eis ſuperueniet interitus ſicut dolor in vtero habentis: & non effugient. Vos autem fratres non eſtis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprahendat. Omnes enim vos filij lucis eſtis, & filij diei. Non ſumus noctis neq. tenebrarum. Igitur non dormiamus ſicut & cæteri, ſed vigilemus & ſobrij ſimus.

Eph. 6. v. 17

Qui enim dormiunt, nocte dormiunt : & qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt. Nos autem qui diei ſumus, ſobrij ſimus, induti loricam fidei, & charitatis, & galeam ſpem ſalutis. Quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis : vt ſiue vigilemus, ſiue dormiamus, ſimul cum illo viuamus. Propter quod conſolamini inuicem, & ædificate alterutrum, ſicut & facitis. Rogamus autem vos fratres, vt noueritis eos qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos, vt habeatis illos abundantius in charitate, & propter opus illorum pacem habete cum eis. Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat : ſed ſemper quod bonum eſt ſectamini in inuicem & in omnes. Semper gaudete, ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite. Hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Ieſu, in omnibus vobis. Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite ſpernere. Omnia autem probate, quod bonum eſt tenete, ab omni ſpecie mala abſtinete vos. Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia : vt integer ſpiritus veſter & anima & corpus ſine querela in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. Fidelis eſt qui vocauit vos, qui etiam faciet. Fratres orate pro nobis. Salutate fratres omnes in oſculo ſancto. Adiuro vos per Dominum, vt legatur Epiſtola hæc omnibus ſanctis fratribus. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum. Amen.

Eccl 18. 22. Luc. 18. 1.

De conſe. d. 4 queris. 15. di. ſancta Rom. verſi. itē ſcripta 22. q. 5. de forma. De vi. & ho. cle. cum ab omni. De eo qui cog. conſan vxo. veniens 2.

POſtquam reſurrectionē corporum ſatis dilucidè approbauit, ſubdit de illa vltima die, quę iuſtis ad

A gloriam, impijs futura eſt ad pœnam: vt terrore illius diei hi qui in peccato fornicationis, curioſitatis, & ocij erant, reſipiſcant : deſiderio futuræ gloriæ conformitati bonorum ſe inſerant. Litera ſic iungitur. De reſurrectione mortuorum quia ignorabatis, ſcripſimus vobis : ſed *de temporibus* futuris vſque ad diem iudicij, id eſt, quot tempora, ſeu centum, ſeu mille anni futuri ſint vſque ad diem iudicij. Vel de temporibus, id eſt, an æſtate an hyeme. An die

B an nocte futurum ſit iudicium : *& de momentis*, id eſt, qua hora diei vel noctis : æſtatis an hyemis. De his vtique fratres *non indigetis vt ſcribamus vobis*. Ideo non indigetis : *quia voſipſi diligenter*, id eſt, diligenti inueſtigatione ſcripturarum *ſcitis*, hoc quod nos inde ſcimus : id ſcilicet *quia dies Domini ita veniet ſicut fur venit in nocte*. Diem non ideo dicit, quod determinatè ſciat in die futurum iudicium : ſed ideo, quia tunc in illo iudicio omnia erūt quaſi in die, id eſt, in aperta manifeſta-

Iudicium vltimū nō erit de die.

C tione, quæ prius fuerant occulta. Domini dicit hunc eſſe diem : quia tunc incipient omnia fieri ex voluntate & imperio Domini : ſed nunc fiunt in hoc mundo non ex voluntate Dei multa, ſed fiunt ex permiſſione. Dies, inquam, Domini veniet ita ſicut fur, vt magis occultus ſit veniens in nocte. Fur quidem ſi in die veniat, facilius prouidere nobis poſſumus ab eo : ſed ſi in nocte, nox ipſa opportunitatem miniſtrans

D adiuuat furis iniquitatem. Ideò dies ille venire dicitur, ſicut fur in nocte : quia ſicut quilibet diues ſero multa circundatus opulentia, nocte interceptus à fure, in craſtina ſe nudum inuenit; ſic illi qui in peccatis negligunt, à die illo prouidere ſibi, ſerò diuites in mundanis, in craſtino ſublati de mundo inueniuntur nudi, perditis temporalibus. & æternis mancipati incendiis. Dies Domini hic maximè intelligitur dies iudicii : quæ tamen dies Domini in morte vniuſcuiuſque incipit.

pit. ¶ Notandum etiam, quod dies illa impiis quidem, nolentibus prouidere ſibi ſicut fur in nocte veniet: ſed iuſtis ſemper vigilantibus quacunque hora veniat, non venit ſicut fur: quia potius tunc augebuntur quam in aliquo diminuantur. Verè ita veniet ſicut fur: *quia cùm* illi amatores mundi *dixerint : pax* eſt nobis in præſentibus *& ſecuritas* de futuro: *tunc ſuperueniet eis repentinus interitus*, id eſt, improuiſa damnatio. Repentinus dico, *ſicut dolor habenti in vtero* repentinus ſuperuenit. Non determinat quid in vtero habeat, ſed hoc eſſe dictum de prægnante muliere ſatis intelligitur. Et propter vtrũque, prægnantis dolori comparauit: & quia ille dolor ſubitus eſt: nec ſcit prægnans determinare ſibi horam certam, ſed vbicunque intercepta fuerit, parit, & propter maiorem anguſtiam huius doloris; ſic in illo die & improuiſus veniet interitus & omni plenus anguſtia. Ne videretur hic interitus eſſe trãſitorius, ſicut dolor prægnantis, ſubiungit. Superueniet quidem interitus, *& non effugient* impij illum interitum ſemper in eo perdurãtes. Quia modo tãta aſperitate verborũ eos deterruit, in ſequentibus demulcet eos: dicens eos non eſſe quibus debeat hic interitus ſuperuenire. Impij quidem non effugient repentinum interitum: *ſed vos fratres non eſtis in tenebris*, id eſt; in ignorantia & obſcuritate peccati, *vt illa dies comprahendat vos tanquam fur*. Comprahenderet eos ſi in peccatis impœnitentes inueniret. Verè non eſtis in tenebris: *Nam vos omnes eſtis filij lucis*, id eſt, geniti in luce fidei: *& eſtis filij diei*, id eſt, in bonis operibus generati: quia ſicut lux præcedit, dies ſequitur: Sic fides prior eſt, opera bona ſequuntur. Filij lucis & *non* eſtis filij *tenebrarum*, id eſt, ignorãtiæ, & non filii *noctis*. i. denſitatis peccatorũ. Sicut. n. tenebræ noctẽ præcedunt, ſic prius ignorãtia veritatis: & per ignorantiam venitur in denſitatẽ peccati. Et quia filij lucis & diei ſumus, nõ noctis & tenebrarum:

A *igitur nõ dormiamus* .i. non torpentes ſimus *ſicut infideles*, & etiã falſi fideles: *ſed vigilemus*. i. in bono operando ſtudioſi ſimus *& ſobrij* .i. non amore temporalium inebriati *ſimus*. Debemus vigilare & ſobrii eſſe: *quia qui dormiunt*. i. torpeſcunt, illi *dormiunt nocte*. i. propter noctem. i. denſitatem peccatorũ in quibus ſunt: *& qui ſunt ebrij* amore temporaliũ, obliti cœleſtium: hi *ſunt ebrij nocte*. i. propter noctem. i. (ſicut dictum eſt) denſitatem peccatorũ. Qui ebrij ſunt, nocte ſunt

B ebrij, ſed nos qui ſumus non noctis ſed diei, ſimus ſobrii. i. non amore tẽporalium excæcati. Simus, inquam, ſobrij: *induti loricam fidei*. Et bene fidem loricæ comparauit: quia ſicut in lorica multi hami ſunt concatenati in vnum; ſic in fide multa ſunt ad credendum neceſſaria: concatenata tamen in eandem vnitatem. Induti etiam loricam *charitatis* qua Deum diligamus & proximum, ſecuri ſimus: & bene protecti fide & charitate ad omnem impetum hoſtium. Et indu-

C ti *galeam* hanc: ſcilicet ſpem futuræ *ſalutis*: vt ſicut Galea protegit caput; ita mens noſtra ſpe futuræ beatitudinis obuoluatur. Debemus ſperare ſalutem: *quoniam Deus non poſuit nos in iram*. i. in perditionem: *ſed* poſuit nos in præmiſſis, fide, charitate, & ſpe, *in acquiſitionem ſalutis*, id eſt, vt per hoc acquiramus perpetuam ſalutem. Salutis dico habendæ, *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*. Ponit meritum Chriſti, quo iſtam ſalutem nobis promeruit dicẽs. *Qui* Chriſtus *mortuus eſt pro nobis, vt* nos

D *viuamus* ſimul *cum illo* in æterna gloria. *Siue vigilemus*, id eſt, ſiue viui in aduentu Chriſti inuenti fuerimus: *ſiue dormiamus*. i. ſiue mortui inueniamur. *Propter quod*. i. quia fidem, charitatem, & ſpem dedit nobis in acquiſitionem ſalutis; ideo *conſolamini inuicem eos* qui nouerunt hæc, *& ædificate alterutrum* eos qui ignorãt *ſicut* credo quod vos *etiam facitis*. ¶ Poſtquam partem perfectorum de fide & bono fidei ſatis collaudauit; alteram vero partem de correctione admo-

nuit:

nuit: ſubditos & prælatos abhinc alternatim ædificat, quomodo ſe contemperare debeant ſubditi prælatis: & è conuerſo, dicens. Bonos de incremento laborare: errantes à peccatis declinare admoneo. *Vos autem fratres* qui ſubditi eſtis, *rogamus*, *vt noueritis eos qui laborant inter vos* .i. prælatos: qui ieiunando, orando, & docendo, de ſalute veſtra laborant. Noueritis dicit, vt in his quibus indigent, miniſtrent illis. Qui laborãt dico: *& præſunt vobis in Domino*, ſic diſponente: *&* qui *monent vos* ad meliora. Non ſolùm vt noueritis, ſed etiã *vt abundantius habeatis illos in charitate* quàm ſoliti ſitis. Et habete pacem .i. concordiam cum eis ſi vos acrius repræhendunt *propter opus illorum* .i. ſciẽtes quia ſic exigit opus miniſterii illorum: vt vos aberrantes ad viam iuſtitiæ compellant. Subditos ſic rogamus: *vos autem fratres* qui prælati eſtis *rogamus* hoc: *corripite* aſperiori correctione *inquietos* .i. curioſos vagantes per vrbem. *Conſolamini puſillanimes*: puſillum animũ in paſſione tribulationum habentes. Vel puſillanimes .i. puſillam confidentiã de miſericordia Deĩ, habẽdo pro immanitate ſcelerum deſperantes. *Suſcipite infirmos* .i. eos qui infirmæ ſunt fidei de reſurrectione deſperãtes ſuſcipite ad ſanandam infirmitatem fidei: ſicut medicus ſuſcipit ægrotum. Et *eſtote patientes ad omnes*, & ad inquietos, & ad puſillanimes, & ad infirmos. Ne ſi contradicunt, conferatis ideo manus ad litigium. Dicerent illi. Patimur quidem illos, ſed nõ vltra docebimus eos. Ad hæc Paulus. Eſtote patientes: & in patiendo *videte ne quis reddat alicui malum pro malo*, ſubticentes verbum inſtructionis: licet prius impatienter auditum: *ſed ſemper ſectamini id quòd bonum eſt* .i. vtile ad inſtructionem Eccleſiæ. Sectamini dico *& inuicem* .i. inter vos in Eccleſia: *& etiam* tranſcẽdo *in omnes*, docendo etiam infideles. Et *ſemper* ſiue pati oporteat ſiue non, *gaudete*, *& orate ſine intermiſſione*, determinatarum horarum: vt certa tem-

A pora orationis non negligatis. Vel orate ſine intermiſſione: vt ſiue dormiatis ſiue vigiletis, ſemper oretis. Et iuxta hanc ſententiam dicunt ſancti, illum ſemper eſſe in oratione, qui in nullo offendit: ſed ſiue vigilet, ſiue dormiat, ſemper ad Chriſtum anhelat. *Et in omnibus* quæcunque facitis: vel dicitis *agite gratias Deo:* ſiue incũbant aduerſa, ſiue demulceant vos proſpera. Orate & agite gratias: *quia voluntas Dei hæc eſt in omnibus vobis:* vt omnes oretis & agatis gratias. Eſt dico *in Chriſto Ieſu* .i. in inſtitutione

Orare ſemper.

B Chriſti Ieſu: cumq; ſit inſtitutio Dei & voluntas: oportet orare, gratias agere. Quod ibi ait. Semper gaudete & cætera: ad prælatos ſpectat, & ad ſubditos. Omnes gaudete & orate. Vos autem prælati, *nolite extinguere ſpiritum:* vt ea quæ Spiritus ſanctus miniſtrauerit ſubditis, occultetis. Et vos ſubditi *nolite ſpernere prophetias* .i. reuelationes ſcripturarum, factas vobis à prælatis. Et licet dicam nolite ſpernere: tamen *omnia probate* .i. probabiliter prius cõſiderate, ne admix-

C tione falſitatis decipiamini. Et poſtquam probaueritis, *tenete* illud *quod bonum* .i. vtile *eſt:* & *abſtinete vos* non ſolùm ab eo quod malum eſt: ſed etiam *ab omni ſpecie mala* .i. ab eo quod aliquam imaginem mali retinet: etiam ſi malum ſit. Ideò maxime dixit, à ſpecie mala: quia illi hæretici mutuabant voces fidei, vt per æquipollentias vocum, ſimplices traherent in errorem. Vos prælati & ſubditi facite quod poteſtis: *ipſe autem Deus*

Eſt id etiã-num noſtra tempeſtate nouatoribꝰ perquam vſitatum.

D *pacis* perficiat in vobis illud in quo deficitis .ſ. *ſanctificet vos per* omnia: & in ſanctificatione ab eo data vos cõſeruet perſeueranter. Quod ita ait. Sanctificet vos: *& ſeruetur integer* .i. non corruptus aliqua tabe mali *ſpiritus veſter* .i. ratio veſtra, ne velit cõſentire ſenſualitati: *& anima* .i. ſenſualitas, ne malè ſuadeat rationi: *& corpus* ſeruetur *ſine querela*, ne polluatur opere cuiuslibet turpitudinis. Seruetur dico in .i. vſque *in aduẽtum*. Vel in aduentu .i. in conſideratione aduentus *Domini noſtri Ieſu Chriſti*.

Orate

Orate & cætera quæ ſequuntur facite: quia *fidelis eſt* Deus *qui vos per gratiam vocauit: qui etiam faciet* .i. in vobis conſummabit id, ad quod vocati eſtis. Nos ita laboramus pro vobis: & vos *fratres orate pro nobis: & ſalutate omnes fratres* ex dilectione noſtra *in oſculo ſancto*: vt alter oſculetur alterum.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM SECVNDAM AD THESSALONICEN.

AD Theſſalonicenſes ſecundam ſcribit Epiſtolam Apoſtolus: & notum facit eis de temporibus nouiſſimis, & de aduerſarij deiectione. Scribit hanc Epiſtolam ab Athenis per Titum diaconum & Oneſimum acolitum.

PROLOGVS B. BRVNONIS IN EANDEM.

HANC iterum Epiſtolam ſcribit Theſſalonicenſibus: ideo quia in præcedenti Epiſtola ex verbis Pauli, vbi dixerat: *nos qui viuimus rapiemur obuiam Domino in aëra* & cætera, ſumpſerant hanc ſuſpitionem, vt ipſis viuentibus futurũ putarent Antichriſtum, diemque iudicii. Vnde & plrimum erant perterriti. Sed quia malum erat eos de falſitate terreri, iudicauit Paulus ideo iterum ſcribere eis: ne ſi non determinaretur hæc ambiguitas, dum poſt dies Pauli inuenirent non contigiſſe, quod Paulum putabant ſic prędixiſſe: & in hoc & in omnibus quæ docuerat, arguerent Paulum de mendacio: & ſic à via veritatis, quam illis tradiderat, recederent. Præterea aliud malum ex hac dubietate poſſet contingere: vt ſi Satanas videns illos credẽtes in proximo futurum iudicium, oſtenderet ſe in aëre inſignitum diademate, ſeq; Chriſtum veniẽtem ad iudicium aſſerens, falleret Theſſalonicenſes: de quibus peruertendis tantò amplius
A laborabat; quantò eos perfectiores eſſe ſciebat: Vel in ſomniis apparendo, eos in eodem ludificabaret. Ideò etiam hanc iterum ſcripſit, quia illi curioſi & ocioſi non ad imperium Pauli fuerant correcti. Scripſit iterum ideo, quia perſecutiones ad patientiam quarum eos in priori armauerat, nondum defecerant: ſed fortaſſis augmentatæ fuerant. Hæc tria, perſecutiones, diem iudicii, & illos incorrectos, materiã habuit, armando eos ad patienda omnia: oſtendens iuſtis gloriam qui tribulantur, eoſq;
B tribulantibus futuram damnationẽ. Determinans etiam certis & euidentibus ſignis futuram diem iudicij. Illoſq; incorrectos præcipiens à communione Eccleſiæ ſequeſtrari, non tamen iam eis, ſed ſcribens Eccleſiæ de illis. Ea vtique intentione ſic agit, vt qui patiuntur pro Chriſto perſeuerantes ſint in patiendo: & qui territi erant propinquitatem putãtes iudicij, non terreantur de falſitate. Et qui adhuc incorrecti fuerant, ſaltem erubeſcendo, ſe à communione alio-
C rum proiectos reſipiſcant, ſalutationem præmittens ait.

EPISTOLÆ II. AD THESSALON.

CAP. I.

PAVLVS *& Syluanus & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo pa-*
D *tre noſtro & Domino Ieſu Chriſto, gratia vobis et pax à Deo patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto. Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis fratres, ita vt dignum eſt: quoniã ſupercreſcit fides veſtra, & abũdat charitas vniuſcuiuſq; veſtrũ in inuicẽ, ita vt & noſipſi in vobis gloriemur in Eccleſiis Dei pro patiẽtia veſtra & fide: & in omnibus perſecutionib9 veſtris & tribulationibus, quas ſuſtinetis in exẽplũ iuſti iudicij Dei: & digni habeamini in regno Dei: pro quo vt patimini: ſi tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere*

*tribulationem * his, qui vos tribulant,* A *& vobis qui tribulamini requiem nobiſcum in reuelatione Domini Ieſu de cœlo cum angelis virtutis eius in flãma ignis dantis vindictam his, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cùm venerit glorificari in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderũt, quia creditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper vos in die illo. In quo etiam oramus ſemper pro vobis, vt dignetur vos vocatione ſua Deus noſter: & impleat omnem voluntatem bonitatis ſuæ: * & opus fidei in virtute, vt clarificetur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti in vobis, & vos in illo: ſecundùm gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Retributionem. *non habet ſua.

P*Aulus, & Syluanus, & Timotheus* ſcribunt *Eccleſiæ Theſſalonicenſium*, exiſtenti *in Deo patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto*. Sicut totum in priori Epiſtola expoſuimus; in primis collaudat eos de paſſionibus ſuis, ſupponendo gloriam eorum qui patiuntur, & pœnam eorum qui paſſiones inferunt: ſic eos armando ad patientiam, dicens. *Gratias agere debemus Deo*, id eſt, non ſolum gratias agimus: ſed *ſemper* debitores gratiarum ſumus Deo *pro vobis*, quia *fratres* eſtis. Agere dico, *ita vt dignum eſt*: quia magna ſunt dona Dei, & multa: oportet & magnas & multiplices agere gratias: ideo *quoniam fides veſtra ſupercreſcit*. Vel ſuper hoc quod prius erat maiorata. Vel ſuper tribulationes creſcit: quas omnes ſuperat: & ideo agere gratias, quoniam *abundauit charitas* .i. dilectio *vniuſcuiuſque veſtrum in inuicem*. Hoc tantum ad perfectos ſpectare intelligendum eſt. Ita ſupercreſcit fides, abundat charitas, *vt etiam nos ipſi* qui non gloriaremur de parua re *in Eccleſiis Dei, gloriemur in vobis* .i. in oſtenſione perfectionis veſtræ. glorior apud alias Eccleſias *pro patiẽtia veſtra*, qua pro Chriſto patimini omnia: *& pro fide* veſtra in integritate, ſeruata fide & patientia. Dico habita *in omnibus perſecutionibus veſtris*, quando de loco ad locũ fugamini, *& in tribulationibus*, quando verberibus & opprobriis tribulamini: quas perſecutiones & tribulationes vos *ſuſtinetis in exemplum iuſti iudicij Dei* .i. ex iuſto iudicio Dei. Iuſtum enim eſt ſanctos tribulari, vt purificentur: impios poteſtatem habere in iuſtos: vt impietas eorum conſummetur. Et ita ſuſtinetis ex iuſto iudicio, vt ſitis in exemplum iuſti iudicii. *In vobis* enim exemplificare poſſumus aliis quàm B iuſtum ſit iudicium Dei. Suſtinetis ideo, *vt digni habeamini in regno Dei*, .i. in quibus Deus regnet in præſenti. Vel digni ſitis recipi in futuro regno Dei. Vos ſicut intelligo, ſuſtinetis vt digni habeamini *pro* eo, *quo* eodem vt digni habeamini in vos: etiam ſecundùm intellectum & voluntatem veſtram *patimini*. Quod iudicium Dei iuſtum ſit: quo iuſti ad purificationem affliguntur: impii ad cõſummationem iniquitatis hic proſperantur: probat per effectus, & finẽ vtriuſ- C que iuſti & impij. Ideò per finẽ: quia per iſta quæ videntur nõ poſſet dare idoneas cauſas quare iuſt⁹ affligeretur, impius proſperaretur: iuxta illud quod ait Dauid in eo pſalmo. *Quia bonus*. Exiſtimaui vt cognoſcerẽ, quare hic pœna iuſto: proſperitas tribuatur impio: ſed hoc cognoſcere labor eſt .i. ſi attendo tãtùm ea quæ ſunt antẽ me .i. præſentia: iudicium Dei iuſtum eſt, quo iuſti ad purificãdum in prę́ſenti affliguntur, impij ad augmẽ- D tum impietatis proſperantur. Hac tamen conditione iuſtum eſſe dico, *ſi iuſtum eſt apud Deum*. Apud homines .n. qui ſecundùm viſum iudicãt, ſanctos affligi, malos ꝓſperari iniuſtum eſt. Si, inquam, iuſtum eſt apud Deũ *retribuere* in futuro *tribulationẽ*, qui vos modo tribulãt: & vobis qui modo tribulamini in futuro retribuere requiem: tunc eſt iuſtum vos iuſtos hic per tribulatiões purificari: & impios cõceſſione proſperitatis ad futuram tribulationem præparari: *Vobis* vtique retribuere *requiem nobiſcum* haben-

Iuſti quare opprimuntur ab impijs.

Pſal. 72. verſu 16.

habendam : in eadem enim gloria eritis in qua & nos Apoſtoli. ¶ Nunc determinat modum gloriæ iuſtorũ: & damnationes impiorum: vt iuſtos lætificet, impios deterreat, dicens. Retribuet impiis tribulationem, nobis requiem: *in reuelatione Domini Ieſu*. i. quando Dominus Ieſus qui nunc infidelibus occultus eſt, omnibus in iudicio reuelabitur: Ieſu dico, venturi ad iudicium *de cœlo*. Vbi ait de cœlo, potentiam venientis indicat. Vẽturi dico de cœlo *cum angelis* virtutis eius. In illo aduentu angeli virtutis eſſe dicuntur, quia tunc omnia potentialiter, & bonos in requiem, & malos porrigẽt in ignem : ſed in præſenti quãdoq; eos etiam quibus præſunt ab impiis patiuntur affligi, tunc autem non ſic. In his verbis ęquè & lætificat iuſtos, quibus veniet ad ſalutem: & deterret malos, quibus veniet ad pœnam. Modo ſubdit quæ tantum ſunt ad deterrendum malos dicens. Veniet Ieſus de cœlo *in flamma ignis*. i. in ignita flamma. Illa flamma præcipuè ignis eſſe dicitur : quia flamma præſentis ignis contemperatur admixtione aquæ, & cæterorum elementorum: ſed futura flãma adeo terrens, & aſpera erit, quod nullius elementi admixtione videbitur contemperari. In flamma ignis Chriſtus dicitur venire, non quod flãma circa eum ſit, ſed quia eo adueniente conſurget illa: ſicut quilibet princeps dicitur venire in igne & occiſione: quia eo adueniente & multi occiduntur, & multa comburuntur. Ignis dico *dantis vindictam*. i. pœnam *his qui non nouerunt Deum*. i. qui fidem non habuerunt, non tamen ſolum : ſed etiam his *qui* ſi fidem habuerunt, *non* tamen *obedierunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti*: qui vtrique, & non cognoſcentes Deum : & non obediẽtes Euangelio *dabunt* æternas *pœnas in interitum*. i. in locum pœnarum proiecti *à facie Domini*, ne vltra videant eum: *&* proiecti *à gloria virtutis eius*. Iuxta illud. Tollatur impius ne videat gloriam Dei. Dabunt ea ſi- *Eſai. 26. verſ. 10.*

A militudine dicit, quia non maioris donum gaudii poſſunt dare ſanctis quos afflixerũt, quam pœnas quas patientur. In his verbis impios perterruit. In ſequentibus lętificat iuſtos dicens. Impij dabunt pœnas *cũ* Chriſtus *venerit glorificari*, id eſt, vt glorioſus appareat *in ſanctis ſuis* remunerandis : quia & ſi in hoc mũdo per miracula & quædam alia glorioſus videtur in ſanctis, tũc longè amplius glorificabitur in illis, quando illos ab omni inquietudine ereptos, gloria indeficienti circumuallabit. Nec

B ſolum glorificari, ſed *etiã* (quod maius eſt) *admirabilis venerit fieri in omnibus qui crediderunt*, id eſt, qui per ſolam fidem ſaluabuntur, ſi ætatem operandi non habuerint. Ideò retribuet vobis requiem : quia teſtimonium noſtrum *in die illo*. i. hoc quod teſtificati ſum⁹ vobis de die illo quo ſanctis requiem, impiis retribuet tribulationem: Hoc, inquam, creditum eſt *à vobis*: quia bene crediſtis huic teſtimonio noſtro, quod teſtimoniũ

C fuit ſuper vos : quia bene ſuppoſuiſtis dorſum oneri quodcunque imponebamus : credentes & operantes quod docebamus, *in quo die* vt Dominus dignetur. i. faciat vos dignos ſua vocatione, *nos etiam ſemper oramus pro vobis* : vt in futuro *dignètur vos* : & vt in præſenti impleat *omnem voluntatem bonitatis*, i. in omnibus ad plenum bonam voluntatem habeatis : *&* vt impleat *in* vobis *opus fidei*. Confiteri Chriſtum in oculis perſe-

D quẽtium hoc eſt opus quod fides exigit. Opus fidei dico, *in virtute*. Cùm enim confitetur quis fidem coram perſequente, tunc neceſſaria eſt virtus conſtantiæ. Oramus etiam *vt nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti in hoc mundo clarificetur in vobis*, ſecundum fidem agentibus : *&* vt *vos in* futuro clarificemini *in illo* remunerante vobis, non *ſecundùm* meritum veſtrum: ſed ſecundùm abundantem *gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti*. *Conſtantiæ virtus quãdo eſt neceſſaria.*

CAP. II.

ROGAMVS *autem vos fratres, per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum, vt non cito moueamini à veſtro ſenſu. Neq; terreamini, neq; per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per Epiſtolam tãquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini. Ne quis vos ſeducat vllo modo. Quoniam niſi venerit diſceſſio* primũ, & reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtẽdens ſe tanquam ſit Deus. Nónne retinetis, quod cum adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore. Nam myſterium iam operatur iniquitatis, tãtum vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui eum. Cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus: & in omni ſeductione iniquitatis his, qui pereunt, eò quod charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent. Ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quod elegit nos Deus primitias in ſalutem in ſanctificatione ſpiritus: & in * fide veritatis, in qua & vocauit vos per Euangelium noſtrum, in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Ieſu Chriſti. Itaq; fratres ſtate, & tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram. Ipſe autem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus, & Pater noſter qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia, exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere & ſermone bono.*

* *diſſenſio.*

* *non habet in.*

A POSTQVAM ad patientiam ſufficienter eos armauit, determinat certa & euidentia ſigna dando futurum diem, pro quo illi territi erant, putantes propè inſtare illum diem. Quaſi diceret. Spe futuræ retributionis ad patientiam ſic vos armamus: ne autem cito moueamini rogamus *vos* quia *fratres: Rogamus,* inquam, *per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti,* id eſt, ſi in ipſo aduentu Chriſtum ſalutarem habere vultis, *&* per aduentum *noſtræ congre-* B *gationis in ipſum,* id eſt, ſi cum congregatione fidelium obuiam Chriſto aduenire vultis, vel congregationis venturæ in idipſum quod Chriſtus eſt, ſcilicet in incorruptionem. Hoc, inquam, rogamus vos, *vt non cito moueamini.* Cito eſſet, ſi toto tempore vitæ mouerentur. Moueamini dico *à veſtro ſenſu,* id eſt, ab eo quod ſenſiſtis, & per me docentem intellexiſtis. *Neque terreamini quaſi inſtet dies Domini,* quia reuera non inſtat. Terreamini dico, *neque per ſpi-* C *ritum* malignum, quocunque modo ſignificantem hæc vobis. *Neque per ſermonem,* id eſt, per doctrinam illorum pſeudo. *Neque per Epiſtolam miſſam* à deceptoribus, *tanquam per nos.* Signabant enim Epiſtolas nomine Pauli, vt hoc genere fraudis, ſeducerent Eccleſias Pauli. Rogamus ne terreamini: & *ne aliquis* vnquam *ſeducat vos* præmiſſis modis, vel *vllo* alio *modo,* vt credatis inſtare diem Domini: *quoniam* non inſtabit hic dies, *niſi primum venerit diſceſſio.* Diſceſſionem vocat Ambroſius: quo- D niam Romanum, id eſt, Chriſtianum imperium quocunque mutetur: ſiue Conſtantinopoli, ſiue alibi, nihil impedit, ſolummodò Chriſtianum duret imperium. Quoniam, inquã, hoc Chriſtianum imperium diſſoluetur: q. nec reges erunt qui hæreticos puniãt, peruaſores Eccleſiarum deſtruant. Nec Romano pontifici, qui ſpiritale imperium habet: mundus in vnitate fidei ſubiectus erit: ſed ſic ab vtroque Chriſtiano imperio, & ſeculari ſicut ſunt reges, & ſpiritali, vt

...christ' ...omnium ascendet. Papa mundus diſcedet: tunc primum paratum erit iumentũ quod aſcẽdet Antichriſtus. i. infideles, qui membra Antichriſti certatim in deſtructione fidei cooperentur tali capiti, & facta hac diſceſſione veniet Antichriſtus in ſua opportunitate. Sed ſi modo veniret mundo, obediente ex maiori parte Romano Pontifici in vnitate fidei, & regibus Chriſtianis adhuc fidem tuentibus, imparatum haberet iumentum, quod aſcenderet, & non ſuo modo proficere poſſet. Quando tamen futura eſt illa diſceſſio in ſede beati Petri, & ſi in paucis: fides tamẽ perdurabit. quod dicunt ſancti obtinuiſſe illam orationem Chriſti, de qua Petro ait. *Luc. 22. 32.* Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. Alij vocant diſceſſionem (vt de ſeculari imperio taceant) quando homines ab vnitate fidei diſcedent, & diuerſas erroris vias ingredientur: tunc veniet aſcenſor Antichriſtus ſtrato iumento quod aſcendat. Niſi, inquã, primum venerit diſceſſio: *&* facta diſceſſione *reuelatus fuerit*, qui modo occultus eſt homo. Contra hoc quod dicturus eſt: Deum vocat eum hominem ab omni deitate alienum. *Homo*, inquã, *peccati:* quia ſicut Chriſtus homo iuſtitiæ, ſic iſte totius peccati: *& filius perditionis*, id eſt, genitus ad perditionem ſuorum: ſicut Chriſtus ad ſaluationem iuſtorum, qui etiam & nomine & opere aduerſatur Chriſto: vnde & Antichriſtus vocabitur: & *qui extollitur ſupra omne quod dicitur Deus*, id eſt, quod nuncupatiuè Deus dicitur: & non eſt ſubſtantialiter: vt ſunt ſancti: ſecundum illud. *Pſalm. 81.* Ego dixi dij eſtis: qui etiã extollitur ſupra omne quod colitur Deus, & verè Deus eſt. Extollitur, *ita vt ſedeat in templo Dei* (ad literam in Hieruſalẽ) in quo Chriſtus docuit: aſſerẽs ſe eſſe verum Deum, Chriſtum autẽ fuiſſe deceptorem & magum. Sedeat dico in templo Dei, *oſtendens ſe ſicut ſit Deus.* Niſi, inquam, hæc ſigna præceſſerint, non prius inſtabit dies Domini. Et credere etiã debetis non aliter inſtare diem Domini: quia *nõ retinetis* memoriter, *quod cum adhuc eſſem apud vos, dicebam vobis* hæc præceſſura eſſe diem Domini. In eo ꝙ ait cũ adhuc eſſem: ſignificat ſe circa horam diſceſſus ſui hæc tradidiſſe illis. Mos enim erat Pauli in primis ſimplicitatem Eccleſiarum ſimplicibus fouere documentis: ſed illis iam perfectis, eoque volente recedere, tunc primum reuelabat illis occulta myſteriorum Dei. Facta diſceſſione veniet Antichriſtus, *& quid* hoc ſit quod nunc *detineat eum*, ne ad præſens veniat, vos bene *ſcitis:* hoc. ſ. detinet eum, *vt reueletur in ſuo*. i. in ſibi, opportuno *tempore:* ſed ſi durante vnitate fidei, & Chriſtiano imperio veniret, in ſuo non tẽpore reuelaretur. Verè in ſuo tẽpore reuelabitur, *nam* etiam *iam* non ſuo tempore *operatur myſterium iniquitatis*. i. myſticã & velatam iniquitatẽ, per membra præcedentia hoc nefandũ caput. *Tãtummodò* hoc reſiduum eſt ad reuelationem eius, *vt qui nunc tenet*. i. detinet eum: ne veniat. ſ. Chriſtianum imperium & vnitas fidei detineat eum tamdiu, *donec* vnitas fidei & Chriſtianum imperium *fiat de medio*, id eſt, ſublatum auferatur de communitate. Ab ea ſimilitudine dictum eſt, qua dicimus hic homo mortuus factus eſt de medio, id eſt, ſublatus de communitate hominum. Vel ita. Tantummodo hoc moratur Antichriſtum: vt qui nunc tenet Chriſtianum imperium & vnitatem fidei: *teneat* hoc tamdiu, donec iniquitas quæ modo eſt ſub myſterio fiat de medio, id eſt, de communitate: vt ſicut modo fides in communi eſt, iniquitas in occulto: ſic in tempore Antichriſti fides ſit in occulto, iniquitas in communi: quia membra eius non plus erubeſcent actum impietatis, quam pietatis; & qui fidem habeant, pauciſſimi erunt. Et tunc poſtquam hic qui nunc detinet eum, auferetur de medio: vel poſtquam iniquitas fiet de medio: *tunc*, inquam, *reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui.* Dicit beatus Ambroſius Ieſum ſe oſtenſurum Antichriſto: & cla- *Antichriſt' Ieſu clamãte interficietur.*

mante Ieſu, interficietur hic impius: ſed quid clamabit, neſcimus. Dicunt alii quod Michael ſolo terrore ſuo interfecturus ſit hunc Antichriſtum. Ieſus quidem interficiet eum, & poſtea deſtruet eum damnatum & in corpore, & in anima. Deſtruet dico *illuſtratione aduentus ſui*, id eſt, eo adueniente ad iudicium in magna claritatis illuſtratione. Eum dico aduentus, *cuius eſt ſecundum operationem Satanæ:* quia ſicut Chriſtus operatione Spiritus ſancti, ſic iſte ſecundùm operationem Satanæ adueniet. Operationem dico quam facturus eſt *in omni virtute* .ſ. *in ſignis & prodigijs*. Signa minora: Prodigia vocat maiora miracula. Signis & prodigijs dico *mendacibus:* vel quia non erunt in rei veritate, ſed ita per magicam videbuntur eſſe. Vel *mendacibus:* quia & ſi miracula vera ſint: ideo tamen mendacia: quia quod probare intendũt, exitus rei falſum probabit: Antichriſtum .ſ. non eſſe Deum: ad quod probãdũ miracula præceſſerãt. Erit etiã aduentus eius *in omni ſeductione iniquitatis:* quia omni genere impietatis ſeducet. Seductione dico facta *his qui pereunt*, quia iuſti non ſeducentur. Pereunt merito: *eò quod nõ receperunt charitatem veritatis*, id eſt, Chriſtũ qui eſt pura veritas: & in quo tanta charitas vt in mortem traderet ſe pro nobis. Non receperunt, *vt ſalui fierent* per eum: ex quo omnis ſalus. Et *ideo* quia noluerunt ſaluari *mittet illis Deus operationem erroris*, id eſt, erroneum operatorem Antichriſtum, *vt credant mendacio:* & *vt iudicentur* .i. damnentur *omnes qui non credunt veritati*, id eſt, Chriſto: *ſed cõſenſerũt iniquitati*, id eſt, Antichriſto.

Signa & prodigia differunt.

¶ Quia dixerat ſuperius, venturum Antichriſtum in omni virtute ſignorum & prodigiorum, & in omni ſeductione, vt damnentur oẽs nõ credentes veritati, ſed cõſentientes iniquitati: ne in his verbis deterrerentur illi, timentes hunc eſſe venturum in diebus ſuis. Super hoc conſolatur eos Paulus, dicens non eos viſuros diem Antichriſti. Litera ſic iungitur. Veniente quidem Antichriſto iudicabuntur conſentientes iniquitati. *Nos autem debemus ſemper agere gratias Deo* (ſicut ſupra expoſuimus) pro vobis: *quia fratres eſtis dilecti à Deo*, id eſt, quos Deus dilexit. Ideò præcipuè gratias agere, *quòd ex dilectione elegerit nos*, me & vos Deus: non finem Eccleſiæ in quos veniat Antichriſtus venturus in nouiſſimis. Sed elegit nos *primitias*, id eſt, primitiuos in fide: elegit, inquam, *in* habẽdam æternam *ſalutem* per hoc quòd poſuit nos *in ſanctificationem ſpiritus*. Per Spiritum enim ſanctum iuſtificauit nos in baptiſmo, quæ ſanctificatio via eſt in illam ſalutem. *Et* vt ſanctificaret, poſuit nos *in fide veritatis*, vt confiteremur Chriſtum, qui eſt pura veritas: ſicut Antichriſtus error & mendacium. *In qua* fide habenda ſicut elegit nos: ita *& vocauit vos per Euangelium noſtrum*, vt totum vobis eſſet ex gratia. Vocauit, inquam, non in otium, ſed *in acquiſitionem gloriæ*, id eſt, vt operando quomodo fides exigit: gloriam vobis cum dignis operibus acquiratis. Gloriæ dico, *Domini noſtri Ieſu Chriſti* .i. eandem quam habet Dominus IeſusChriſtus, ad illam acquirendam vos vocauit. Conſiderãdum eſt quomodo præpoſtero ordine omnia poſuerit. Pri⁹.n. vocantur. Deinde in fide confitẽtur. Fidẽ confitentes per baptiſmum ſanctificantur. Sanctificatis (ſi perſeuerant) ſalus æterna reſeruatur. Quandoquidem fratres vocati eſtis in ſanctificatione ſpiritus, & in acquiſitione gloriæ. *Itaque ſtate*, id eſt, fortes eſtote in bono opere, quod cepiſtis: *& tenete* perſeueranter *traditiones* vitæ fidei & habitus, *quas* à me *didiciſtis*, *ſiue per ſermonem*, dum prædicauerim vobis, *ſiue per Epiſtolam noſtram*, ad vos directam. Moneo ſtate & tenete. Vt autem tenere poſſitis, *ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus & Deus & Pater noſter* voluntatem iungit ſemper cum potentia. Pater nomen piæ voluntatis: Deus eſt potentiæ. *Qui dilexit nos & dedit* nobis *æternam conſolationem:* In

Antichriſt⁹ error eſt & mendaciũ.

præ-

præſenti enim tribulatione incipit nos conſolari, continuans conſolationem vſque in æternam requiem. Qui etiam dedit nobis *ſpem bonã* ſingulariter dicendam. Spes enim de cęleſti gloria ſuper omnia quæ ſperantur, dicẽda eſt bona. Hanc vtiq; ſpem dedit nobis *in gratia*, quando nobis remiſit peccata. In baptiſmo ſoluere, ſcilicet, nos à peccatis tribuit nobis ſpem habendæ gloriæ. Ipſe, inquam Deus qui per gratiam tot bona iam tribuit: *exhortetur corda*.i. voluntates veſtras ſtare in quo eſtis, & de incremento laborare. *Et confirmet*.i. fortes & perſeuerantes faciat *in omni opere bono: &* in omni *ſermone bono*, vt nulla vobis deſit perfectio.

CAP. III.

D*E cætero fratres orate pro nobis, vt ſermo Dei currat & clarificetur ſicut & apud vos, & vt liberemur ab importunis & malis hominibus. Non enim omnium eſt fides. Fidelis aũt Deus eſt, qui firmabit vos, & cuſtodiet à malo. Cõfidimus autem de vobis fratres in Domino, quoniam quæ* * *præcepimus, & facitis, & facietis. Dominus autem dirigat corda veſtra in charitate Dei, &* * *patiẽtia Chriſti. Denunciamus autem vobis fratres in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem quam acceperunt à nobis. Ipſi enim ſcitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniã non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem mãducauimus ab aliquo: ſed in labore & fatigatione nocte & die operãtes, ne quẽ veſtrum grauaremus. Non quaſi nõ habuerimus poteſtatem, ſed vt noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cùm eſſemus apud vos hoc,* * *denunciabamus vobis, quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet. Audiuimus enim inter vos quoſdam ambulare inquietè, nihil operantes, ſed curioſè agẽtes. His autem qui eiuſmodi ſunt, denunciamus, & obſecramus in Domino*

* quæcunq;

* habet in. 26.q.7. ergo.

2.Cor.11. 1.ad theſ.2. verſ.9.

* hæc.

A *Ieſu Chriſto, vt cum ſilentio operantes, ſuum panem manducent. Vos autem fratres nolite deficere benefacientes. Quod ſi quis nõ obedierit verbo noſtro per epiſtolam, hũc notate, & non* * *commiſceamini cum illo, vt confundatur. Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite vt fratrem. Ipſe autẽ Deus* * *pacis det vobis pacem ſempiternam in omni loco. Dominus* * *ſit cũ omnibus vobis. Salutatio mea manu Pauli, ꝙ eſt ſignũ in omni epiſtola. Ita ſcribo. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.*

* ne.

* Dominus

* Deus.

B DE patientia conſeruãda: De cõgnitione vltimæ diei, & aduentu Antichriſti, vos inſtruxi. Nũc *fratres de cætero*.i. de alia re vos adhortor, ſcilicet, hoc. *Orate pro nobis, vt ſermo Domini currat*.i. multos in fide per nos cõprehendat: *&* ita vt in omnibus *clarificetur* ſermo Domini integritate fidei & executione pij operis. In quibuſdã enim currit ſermo Domini, qui ſatis cito credunt, ſed quia in vitijs remanent, non clarificatur in illis. Clarificetur dico, ſicut in alijs Eccleſijs clarificatus eſt, *& apud vos*.

C Orate etiã *vt* ego, & qui mecum prędicant, *liberemur ab hominibus importunis*, qui quem arripiunt, multa importunitate afficiũt, & malis. Duplex malum notat importunitatem, ſcilicet, de ſuaſione mali eſſe importunũ. Ideò dico orate vt liberemur, *quia fides non eſt omnium*.i. quia nondũ omnes fideles ſunt, ſed multi fidem perſequũtur. Vel ita. Orate vt liberemur ab importunis & malis: quia fides nõ eſt omnium illorum .i. in omnibus illis non eſt qui fidem habeat. Neque

D dixerat orate vt liberemur: Dicerent illi: Quid ſperandum eſt de nobis, cũ magiſter noſter adeò ſibi timeat? Ad hoc ait. Licet dixerim, orate vt liberemur, tamen confido quia Dominus *fidelis eſt:* qui pro ſe patientibus ait. Ecce ego vobiſcum ſum, vſq; ad conſummationem ſeculi. *Deus*, inquam, eſt fidelis, *qui* (vt de me ſileam) *confirmabit vos in bono* quo eſtis: *& cuſtodiet à malo*, ne cadatis: Volens quiddam nouum ſuadere

Importunitas.

Matth. 28. verſ. 20.

illis, ſcilicet, vt ſubtrahant ſe ab illis ocioſis & curioſis, qui per priorē epiſtolam noluerunt corrigi, captat eos collaudando de præmiſſis, dicens, De obſeruatione patientiæ, De die iudicij, De oratione facienda pro nobis. Nos quidē ſumus vos adhortati: ſed benè *confidimus de vobis in Domino: quoniam quæcunq; præcepimus & modo facitis, & in futuro facietis.* Vt autē benefaciatis, *Dominus dirigat corda veſtra*.i. faciat directas voluntates veſtras *in charitate Dei*: vt ſicut Deus vos dilexit, & vos eum diligatis: & *in patientia Chriſti*, ſicut Chriſtus paſſus eſt pro vobis, ita & vos pro Chriſto patiamini. Nos autem dico ſcientes vos facturos: quæcunque ex Deo præcipimus, *denunciamus vobis.* Scitote hoc pręceptum Dei eſſe nō noſtrum: niſi tantùm quod vobis fratres nunciamus *in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*.i. ſi curatis nomen & honorificentiam Domini Chriſti. Hoc ex eo denunciamus, *vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulāte inordinatè*.i. naturalem ordinem deſerente. Hoc enim etiam gentiles inordinatum aſſerunt, negligere propria, curare aliena: vt quidā curioſi inter vos faciunt. Fratre etiam dico, *non* ambulante *ſecundùm traditionem quam acceperunt à nobis*.i. quo modo tradidimus illis, & pollicentes ſe ſic ſeruaturos ſicut acceperunt. Ideò ſimpliciter dico, *ſicut acceperunt à nobis* tradentibus illis: & non expono hanc traditionē: quia voſipſi benè *ſcitis quemadmodū oporteat vos imitari nos*. Ne illi aberrando dicerent, in oratione, ieiunio, vigilijs ſcimus te imitandum; determinat quid intendat, dicens. Imitari in hoc quod *non fuimus inter vos inquieti*.i. curioſè diſcurrentes per vrbem. *Neque manducauimus* apud vos *panem ocioſum* ſumptum *ab aliquo*. Nec noſtrum panē *gratis*.i. ſine labore ocioſi: *ſed* fuimus *operantes nocte & die:* & *in labore & fatigatione*.i. laborantes vſque ad fatigationem. Nocte ideò præponit: quia nocte maximè vacabat operibus: orationi & prædicationi præcipuè vacans in die. Operantes

Propria negligere, & aliena curare, inordinatū eſt.

Paulus quid faciebat die & nocte.

A ideò, *ne grauaremus aliquem veſtrum*, accipientes à vobis neceſſaria. Paulus non ab iſtis, ſicut nec à Corinthijs quicquam accipere voluit, diuerſa tamen intētione. A Corinthijs enim noluit, quia erant auari. Ab iſtis noluit, ſed magis operari: vt in ſe daret eis exemplum depulſo ocio laborandi. Operabamur ne quem veſtrū grauaremus: tamen *non* ideò *quaſi non habuerimus poteſtatem* accipiēdi à vobis ſi vellemus: *ſed vt daremus vobis noſmetipſos formam ad imitādum nos:* vt deſerentes ocium, exemplo meo

B de labore viueretis. Intendebamus vtique dare vobis formam operandi. *Nam* etiā *cùm eſſemus* præſentes *apud vos, denunciabamus hoc vobis: quod ſi quis* vacans ocio, *non vult operari, nec manducet* de laboribus alienis. Ideò præcipio nolentem operari non māducare: *quia audiuimus quoſdam inter vos ambulare inquiete, nihil operantes, ſed agentes curioſè*, rumores vrbis ſollicitè perquirendo. *His autem qui ſunt eiuſmodi*.i. nihil operantes & curioſi, *denūciamus* ex auctoritate Dei, *& obſecramus in Domino Ieſu Chriſto*.i.

C præcipimus & precamur ſi in Chriſto ſaluari volūt, *vt* ipſi *operantes* pulſo ocio & *cum ſilentio*, non de rumoribus curioſi, *manducent panem ſuum*.i. nō alienum, ſed proprio labore lucratum. Ne autē quia dixerat: vnuſquiſq; manducet ſuum panem, putarent illi qui ſolebant miniſtrare pauperibus, non vltra eſſe miniſtrādum illis, ait: Licet dixerim māducent ſuū panē: *vos* tamen *fratres benè facientes* fratribus, qui indigent, *nolite deficere* benè faciendo: quia non omnibus poteſt ſufficere ſuus labor. Denun-

D ciamus illis vt operentur &c. *Si verò aliquis* eorum *nō obedierit* huic *noſtro verbo* mandato *per epiſtolam, hunc notate*.i. ſignificate mihi quis ille ſit: *&* interim *non commiſceamini cum illo:* *vt* vobis non communicantibus illi, *confundatur*.i. erubeſcat de peccato ſuo. Et licet non commiſceamini cū illo, tamen *nolite eum exiſtimare quaſi inimicum*, vt eū odio habeatis: *ſed* ex dilectione *corripite eum vt fratrem.*

Vt

Vt autem in omnibus quæ præcepi vobis perfecti ſitis: *ipſe Dominus* pacis *det vobis pacem ſempiternam*.i. hic & in futuro. Et *in omni loco* .i. apud domeſticos & apud extraneos. Et vt veram pacem habeatis, *Dominus ſit cum omnibus vobis. Salutatio* ſcripta *mea manu*. Mea dico *Pauli*, *quod ſignum* ita ſcribo *in omni epiſtola*, quam mitto: hoc ſigno diſcernite, ne fraudulenter ſub nomine meo inferant vobis ſuam epiſtolam illi pſeudo: qui dicebāt vobis me intelligere propinquū eſſe diem iudicij. Hæc, inquam, eſt ſalutatio. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis Amen.*

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM PRIMAM AD TIMOTHEVM.

Timotheum inſtruit & docet, de ordinatione epiſcopatus, & Diaconij, & omnis Eccleſiaſticæ diſciplinæ: ſcribēs ei à Laodicia per Tichicum Diaconum.

PROLOGVS B. BRVNONIS IN EANDEM.

Conſuetudo erat Apoſtolorum, vt cuiuslibet ciuitatis populo doctrina eorum conuerſo ad fidem, non ibi ſubſiſterent, ſed (conſecrato ibi Epiſcopo, qui fideles factos inſtrueret de his q̄ poſt fidem tenenda ſunt) trāſirent ad alios populos congregandos ad fidē. Cuius rei formam Paulus tenēs, conuerſis Epheſijs, cōſecrauit illis in Epiſcopum Timotheum, collaboratorem Euangelij: vt Paulo prætereunte ad Macedonas conuertendos, haberent Epheſiani Timotheum, qui eos de ſingulis inſtrueret: ne fortè illis ſine doctore dimiſſis, periret labor Pauli in eis. Quos Epheſios Paulus primus ad fidem conuertit: quibus Ioannes Euangeliſta poſtmodum in Epiſcopū præfuit, Timotheo in opus Euāgelij à Paulo reuocato. Hanc autem epiſtolam cum tribus alijs quæ ſequūtur, ſcribit ad perſonas: duas ad Timotheum: tertiā ad Titum: quar-

Doctor multum profuit populo.

A tam ad Philemonem: cæteras ſcribit ad Eccleſias. Conſecrato (ſicut dictū eſt) Timotheo Epheſijs in Epiſcopū, conſurgunt contra eum pſeudo doctores: dicentes. Licet noua lex inducta ſit, cum ea tamen tenendam eſſe circunciſionem, & veterum ritus ſacrificiorum. Quo intellecto, Paulus epiſtolam hāc dirigit ad Timotheū: nō quod de eo ambigat, quod in aliquo conſenſurus ſit pſeudo doctoribus: ſed vt doctrina eius roborata auctoritate Pauli, idem cum Timotheo

B docētis maioris auctoritatis ſit & reuerentiæ, Epheſianis audiētibus à Timotheo idem doceri quod à Paulo, cui tradita eſt hæc doctrina à Chriſto. In hac autem epiſtola Paulus agit de eccleſiaſtico ordine: docēs ab Eccleſia repellendos pſeudo doctores, illisq́ue denunciandum, ne peruersè doceant: quod ſi ideò non deſiſtunt, populis denunciādum eſt, ne eos audiant. Docet hic etiam Paulus Timotheum de ordine ſacerdotali & Leuitico, quomodo eliguendi ſint &

C probādi. Docet etiā de ordine viduarum, quomodo miniſtrare deceat illas in Eccleſia. Docere autem etiam ſi ſapientiſſimæ ſint, nunquam mulieribus permittendum. Sic docendo de eccleſiaſtico ordine intendit Paulus, vt pro modo doctrinæ ſuę teneat Epheſiana, omniſq; cum ea Eccleſia.

EPISTOLÆ I. AD TIMOTHEVM.

CAP. I.

D Pavlvs *Apoſtolus Ieſu Chriſti ſecundum imperium Dei ſaluatoris noſtri & Chriſti Ieſu ſpei noſtræ. Timotheo dilecto filio in fide, gratia, & miſericordia, & pax à Deo patre & Chriſto Ieſu Domino noſtro. Sicut rogaui te, vt remaneres Epheſi, cùm irem in Macedoniam, vt denunciares quibuſdam ne aliter docerent, neque intenderent*

fabulis & genealogijs interminatis, quæ quæſtiones præſtant magis, quam ædificationem Dei, quæ eſt in fide. Finis autẽ præcepti eſt charitas, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, conuerſi ſunt in vaniloquium, volentes eſſe legis doctores: non intelligentes neque quæ loquuntur, neq. de quibus affirmãt. Scimus autem quia bona eſt lex, ſi quis ea legitimè vtatur: ſcientes hoc, quia iuſto lex nõ eſt poſita, ſed iniuſtis, & non ſubditis: impijs & peccatoribus: ſceleratis & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis, fornicarijs, maſculorum concubitoribus, plagiarijs, * *mendacibus, & periuris. Et ſi quid aliud ſanæ doctrinæ aduerſatur, quæ eſt ſecundùm Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum eſt mihi. Gratias ago ei qui me confortauit in Chriſto Ieſu Domino noſtro: quia fidelem me exiſtimauit, ponens in miniſterio. Qui prius fui blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus: ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundauit autem gratia Domini noſtri cum fide & dilectione, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Fidelis ſermo & omni acceptiõe dignus: quia Chriſtus Ieſus venit in hũc mũdum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. Sed ideò miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam. Regi autem ſæculorũ immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum Amen. Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, ſecundum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem & bonam conſciẽtiam: quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt: ex quibus eſt Hymeneus & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare.*

* *plagarijs.*

[...]ſra 4.

[...]3. q. 4. qui [...]eccat. & [...] quid cru-delis.

Paulus quandoque humilitatis, quandoque auctoritatis nomen eſt.

PAulus &c. Scripturus diſcipulo, ſalutem præmittit dicens. Paulus: quod quidem nomen eſt humilitatis. Paulus enim quaſi modicus dicitur. Hîc autẽ vbi auctoritate opus eſt, auctoritatis nomen eſt. Paulus e-

A nim nomẽ multum notum erat: vnde vt magis refelleret pſeudo doctores ait. *Paulus Apoſtolus*.i. legatus vel miſſus. Cum autem omnes ſancti, legati Dei ſint, præcipuè Apoſtoli ſic vocãtur: ſub quibus omne genus ſanctorum, ſupra quos verò ſolus Chriſtus inuenitur. Apoſtolus, inquam, *Chriſti Ieſu*: quia à Chriſto ſolũ Apoſtoli miſſi ſunt. Ab Apoſtolis autem cæteri ſancti, vt à Paulo Timotheus. Quia ſi Paulus Apoſt. Chriſti ſit, conſtat ꝙ q Paulo contradicit, cõtradicit & Chriſto, qui Paulũ miſit. Qui verò Timotheo à Paulo miſſo, & in Paulũ

B & in Chriſtum offendit. Paulus, inquam, Apoſtolus Chriſti Ieſu *ſecundum imperium*. Ponit in alijs epiſtolis ſecundum voluntatem: ſed vt maiorem diſtrictionẽ ſignaret, poſuit hic imperium. Volumus enim quædam quæ non imperamus: quæ autem fieri imperamus, & volumus: & ne non fiat, prohibere videmur. Vnde ait ſecundum imperium *Dei* patris. Deus enim pater imperauit me Apoſtolũ fieri. Dei dico *ſaluatoris noſtri*.i. qui imperio ſuo obedientes ſaluat: non

C obedientes verò à ſalute alienat. Vnde timendum eſt non parentibus imperio Timothei: quia nec mihi, nec Deo, qui imperauit me Apoſtolum eſſe, obediunt: & ſic à ſaluatione Dei alieni ſunt. Secũdum imperium Dei patris dico: & ſecundum imperium Chriſti regis & ſacerdotis. Secũdum hominem dico qui & immolauit ſeipſum in ara crucis, vt nos mundaret à delictis: ſeque immolandum nobis quotidie in altari dedit. Regis etiam, quia & bona dat: & in bonis regit. Chriſti dico Ieſu.i. ſaluatoris qui & in præſenti ſaluat à malis: & in futuro

D ſalutem ęternã daturus eſt ſuis. Chriſti Ieſu dico, auctoris *ſpei noſtræ*.i. recuperãdæ impaſſibilitatis & immortalitatis: quas per eum nos recuperaturos ſperamus: qui carnẽ noſtram in ſe verbo Dei vnitam extulit ſupra omnem creaturam: nihil ſupra eam relinquẽs præter diuinitatem ſibi cohærentem. Spes enim dicitur non de his quæ habemus, vt iuſtificationem

à pec-

à peccatis in baptiſmo: ſed de his quę nos habituros credimus, vt immortalitatem & impaſſibilitatē per Chriſtum. Spes enim eſt expectatio futurę bonæ rei cum deſiderio. Paulus, inquam, Apoſtolus ſic & ſic optat, mādat, vel aliquid tale *Timotheo filio* benè imitanti ſe: quē genuit *in fide:* quia cum infidelis eſſet, fidelem eū fecit Filio dico dilecto peculiari & ſpeciali modo: quia cum omnis vtiq; fidelis diligēdus ſit: quidam tamen in eis ſunt qui priuilegio amoris diligendi ſunt. Paulus, inquam, mandat Timotheo hoc, ſibi vel tibi Timothee *gratia, miſericordia, & pax.* In alijs ponere ſolet gratia tantum & pax: ſignificās ibi per gratiam, quod hic per miſericordiā, remiſſionem, ſcilicet, peccatorū: quę gratia dicitur: quia gratis ſine precio vel merito noſtro dimittūtur. Miſericordia remiſſio dicitur: quia per miſericordiam Dei peccata dimittuntur. Miſericordia itaq;.i. remiſſio peccatorum: & pax .i. trāquillitas animi quā hic habēt ſancti prælibantes per hoc dulcedinem æternæ pacis. Hæc, inquā, miſericordia & pax ſint perſeuerātia tibi. Non ideò hoc optat: cū benè ſciat remiſſionē peccatorum factā eſſe Timotheo: ſibiq; partem ſanctorum eſſe, ſed vt in his permaneat. Hæc duo miſericordia & pax omni fideli optanda ſunt: & prouenire poſſunt: hoc autem tertium .i. gratia prælatis tantum optandum eſt & ꝓuenire poteſt. Accipit enim per gratiam donationem Spiritus S. qui vtiq; non à prælatis, ſed per miniſterium eorum ſine differentia meritorum, ſiue iuſti, ſiue iniuſti ſint prælati (ſolummodo pura ſit cōſecratio eorū) datur his quos ſanctificant, ſi idonei ſint in quib⁹ habitare debeat Spiritus: non enim habitabit in corpore ſubdito peccatis. Quia ſi quæritur, cur ſubditi propter peccata Spiritum S. accipere non merētur: cum per miniſterium prælatorū qui peccatores ſunt (ſolūmodo iuſta ſit ſacratio eorum) detur? Ad hoc reſpondendum eſt: quia à Deo & non à prælato: qui quod non habuit dare nō potuit: da-

Spes quid ſit.

Timotheū fecit Paulus fidelem. Act. 16. 3.

Miſericordia remiſſio dicitur.

Prælati etiā mali dare poſſunt Spiritum ſanctum.

Sap. 1. 4.

A tur tamen per miniſterium prælati. Nec ſine cauſa Deus per miniſteriū hoc dare voluit: cum ſi ſine miniſtris Spiritus S. daretur: vnuſquiſq; præſumēdo Spiritum S. ſe habere iactaret: & ſic miniſtri Eccleſiæ, etiam qui iuſti eſſent, in contēptum venirēt. Cuius rei Chriſtus formā relinquens ſuſcitato Lazaro dixit diſcipulis. Soluite eum & ſinite abire: oſtendens neminē poſſe ſolui niſi per miniſtros, quibus hæc miniſteria credita ſunt. Gratia vtique miſericordia, & pax ſit tibi *à Deo:* qui cū Deus ſit, hæc & om-

B nia poteſt. Deo dico *patre:* qui ex eo ꝙ pater eſt: voluntatem & piam affectionem circa te & omnē filiū habet. Sit etiā tibi hoc idem *à Chriſto Ieſu:* qui cum ſit rex, & ſaluare venerit, voluntatē ſimiliter habet. A Chriſto dico *Domino noſtro:* quē quia Dominus eſt, hoc, & omnia poſſe apparet. Finita ſalutatione incipit epiſtolā dicens. O Timothee ita fac: ſubaudi ſicut rogaui te, vbi ait ſicut, notat quantitatē. Quaſi diceret. Ego multis modis frequēti repetitione monui te, vt docēdo inſiſteres: & *ſicut* monui te om-

C nib⁹ modis, omni aſſiduitate fac. Vbi ait, *Rogaui,* cum qui prælatus erat, dicere poſſet vt diſcipulo præcepi: ſatis commendat Timotheum: inſinuans eum talem qui non ex imperio coërcendus eſſet: ſed ex quadam paritatis dignitate cohortandus. Sicut, inquā, rogaui *te vt remaneres Epheſi ad* ordinādum ibi Eccleſiaſticum ordinem, *cum* ego conuerſis Epheſianis, *irem in Macedoniam,* vt Macedonas verbo prædicationis conuerterem: in quo & tu mihi neceſſarius eſſes: teq; mecum iturum ex voluntate obtuliſti:

D videns tamen quod maior neceſſitas incumberet dimiſi te, vt Epheſianos inſtrueres. Hic primū incipit de pſeudo doctoribus repellendis dicēs. Remaneres, inquā, ideò *vt denunciares.* Nunciare dicimus inter pares. Dēnūciare autem vt à prę̄lato ſubditis. Denunciares vtique *quibuſdam.*i. doctoribus illis qui ſingularem doctrinam inducūt à communione Eccleſiæ declinantes. Hoc, inquam, denunciares

Abſolui r[...] mo poteſ[t] niſi per m[i]niſtros Ioa. 11. 2[...]

Nunciare [d]enunciare quomodo dicimus.

ne docerent aliter .i. quicquam alienũ à doctrina mea qua Epheſios docui, & tu adhuc doces. Quia ſi doctores te denunciante illis nollẽt deſiſtere: denunciares ſubditis *ne intenderent* doctrinis eorum: vel audirent eos. Cuius rei forma adhuc ſeruatur in Eccleſia. Prius enim peruerſus prælatus ab Eccleſia prohibetur. Quia ſi inobediens non ceſſat, ſubditis dehinc interdicitur obedire illi. Non intenderent, dico *fabulis* pſeudo prædicatorum: qui dicunt circuncisionem & vetera ſacrificia tenenda eſſe in noua lege. Fabula dicitur illud, vbi verba tantum ſunt, res autem non eſt: ſic in doctrina eorum. Verba quidem erant nuda à rei veritate: quia circuncisio & illa quæ docebant, ſaluare non poterant. Intenderent, inquam, fabulis *& genealogijs*.i. ſermonibus de generatione ſua factis. Dicunt enim quod ſibi natis de carne Abraham & Dauid, ſalus ſolum repromiſſa ſit, & non alijs. Genealogijs, dico, *interminatis*.i. prohibitis ne aliquis confidat in illis. Vel interminatis .i. nullum terminum: nullumq; finem habentibus vbi ſubſiſtant probata ſicut dicunt. Si quis enim conſiderat, videbit multos filios Abrahæ ſecundum carnẽ reprobatos, vt Eſau: inueniet etiam multos nõ de carne Abraham genitos, quos tamen Deus elegit, vt Iob. *Quæ* genealogiæ *præſtant quæſtiones* .i. litigia, & nullas ſolutiones. Hoc, inquam, præſtant *magis quam ædificationem:* quam nullo modo præſtant. Hic enim magis electiuum eſt de non participantibus agens. Aedificationem vtiq; virtutum non præſtant: quæ ædificatio eſt non per circuncisionem, ſed *quæ eſt in fide* .i. per fidem. Omnis enim iuſtificatio eſt ex fide, quæ vt fundamentum iacitur: & ſuper hanc quaſi fundamentum cæteræ virtutes ædificãtur. Probat quod in fide ſit ædificatio Dei, dicens. Si ex fide procedit bona cõſcientia .i. ſpes: ex ſpe autem purum cor, & de puro corde charitas. *Charitas* vero ſit *finis* .i. impletio totius *præcepti*, ſeu nouæ ſeu veteris legis. Quia ſi hoc modo

Fabula quid dicitur.

A do ex fide ſequitur omnis præcepti impletio, tunc in fide eſt omnis ædificatio Dei, & non alibi. Sed in fide eſt impletio totius mandati, igitur & ædificatio Dei. Quia tranſuerſo ordine ſic ponit. Verè in fide eſt ædificatio Dei: finis enim .i. quia impletio totius præcepti veteris ſeu nouę legis, eſt charitas .i. dilectio Dei & proximi: in quo mandato vniuerſa lex pẽdet & prophetæ. Qui enim hoc mandatum .i. charitatem impleuerit: nouam & veterem legem procul dubio impleuit. Vel autem legatur ibi ſic

B continuatim. Vbi ait ſuperius, ne docerent & ne intenderẽt: innuit quoſdam peruerſè & docentes & intendentes. Vnde ſic ait. Licet illi pſeudo aliter doceant quam ego: tamen finis .i. omnis impletio legis charitas eſt: ſicut ego doceo: vnde quod ipſi docent vetera nõ ſunt reducenda. Charitas procedit *de puro corde*.i. de munda intelligentia: quod aliquis purum intellectum habeat conſeruans ſe in puritate qua Deus purificauit eum in baptiſmo. Intelligens diligendum ſibi eſſe creatorẽ ſuum: nec in aliquo

C offendendum. Charitas etiam procedens *de conſcientia bona*.i. de ſpe. Non quia conſcientia ſit idem quod ſpes: ſed ea affinitate qua illi cui malæ cõſcientiæ ſcrupulus abeſt: & vbique in animo ſe circũſpectans: nihilq; quod eum mordeat inueniens: ſic tandem ſperare licet: qui enim ſe peccatorem conſpicit, timendum illi eſt de peccato, non ſperãdum. Charitas etiam procedens *de fide non ficta*. Nos enim credimus Chriſtum verum Deum & verum hominem: non fingentes illũ vel hominem ſine Deo: vel Deum ſi-

D ne homine. Et vt quidam pſeudo dicunt habuiſſe Chriſtum non verum: ſed aëreum corpus. Vel ita. Fide dico noſtra robuſta & inuiolabili nõ ficta .i. nõ fragili ad modum fictilis vaſis: ſicut eſt doctrina pſeudo-doctorum. ¶ Commendata parte ſua, improbat partem aduerſariorum dicens. *A quibus* charitate, ſcilicet, conſciẽtia bona, & fide: *quidam aberrantes*.i. illi ſingularem doctrinam inducẽtes ſepa-

rati,

Separatio à veritate, error eſt.

rati, & per hoc errantes. Separatio enim à veritate error eſt. Aberrantes vtiq; *conuerſi ſunt*, non ad fidem: ſed *in vaniloquium*, loquentes quæ vana & inutilia ſunt: circuncisionem, ſcilicet, tenendam eſſe dicẽtes. Quibus non ſufficit hæc vana apud ſe loqui: ſed quod deterius eſt *volentes eſſe doctores legis* .i. docentes tenendas eſſe carnales obſeruantias legis. Et hoc ſatis impudenter: *non intelligentes neque ea quæ loquuntur*.i.circũciſionem quam docent. Ideò ſub veteri lege in carne tenuiſſe: vt figuraret circunciſionem cordis tenendam eſſe in tempore gratiæ, & non carnis. *Neque* etiam intelligentes ſcripturas prophetarum *de quibus* .i. per quas *affirmant* circunciſionẽ & vetera ſacrificia quæ loquuntur tenenda eſſe in tempore gratię, vel è conuerſo. Non intelligẽtes ea quę loquuntur de Prophetis ad probandũ, quod tenenda ſint ea quæ docent. Neq; intelligentes circunciſionem & ſacrificia: cuius rei myſteria eſſent cum fierent de quibus ipſi affirmant quod adhuc tenenda ſint. Quia improbauit partẽ aduerſariorum, dicens non intelligentes & cæt. Hoc vtiq; non ſufficeret: niſi & partem ſuam commendaret, & cauſam commendationis inſereret. Poſſet enim aliter ſic ipſi obijci. Si doctrina pſeudo-doctorum peruerſa eſt, tua verò non melius approbanda: vnde melius adhęrendum tibi iudicas, quã illis? Ad hoc refellẽdum improbata parte aduerſariorum, ſubdit & approbat ſuam dicens. Pſeudo vtiq; doctores non intelligunt legẽ: nos autẽ ſcimus .i. intelligimus legẽ. Et quiddã amplius addit quod valet ad cauſam dicens. *Scimus vtique* non ſolum legem: ſed etiam hoc de lege ſcimus: *quia lex eſt bona* .i. vtilis & iuſtificans ſpiritualiter intellecta: ſecundũ quod nos intelligimus. Sed ſecundum carnalem intellectum eorum potius nõ bona: quia neminẽ iuſtificat: & crudelis eſt: vnde quod ipſi de lege intelligunt, non eſt reducẽdum. Lex vtiq; bona eſt: *ſi quis vtatur ea*.i. intelligentia eius *legitimè* .i. ſecũdum quod lex

A ipſa docet & præcipit: ſcilicet, vt ſpiritualiter intelligatur. Scimus vtique de lege quod bona eſt: *ſcientes* hoc etiam de eadem lege: *quia lex* vetus *non eſt poſita iuſto* .i. ſub noua lege iuſtificato. Nec etiã ſub ipſa veteri lege poſita eſt alicui iuſto. Lex enim data eſt vt vel puniret reum, vel peccare volentem coërceret ne delinqueret: ſed qui iuſtus eſt, nõ eſt coërcendus: non enim volũtatem habet peccandi: nec eſt per legem puniendus. Macula enim in illo nulla eſt, qui iuſtificatus eſt. Vnde & iuſtis illis qui ſub

Macula nulla eſt in iuſtificato.

B veteri lege fuerunt, quantũ ad ſe nõ eſſet neceſſarium tenere legem: qua tamen congruè vſi ſunt: ne illis reſpuentibus legem, contemptui fieret lex, vtq; auctoritate eorum deuotius tenerent eam, hi quibus propter peccata neceſſaria erat. Ideò etiam iuſti tenuerunt veterem legem: vt quod ipſa præfigurabat de Chriſto & de tẽpore gratiæ, ipſi atteſtarẽtur implendo legem. Iuſto vtique non eſt poſita lex: *ſed iniuſtis* .i. Iudæis quibus ante legem datam Moyſes moralia pręcepta dedit: quæ non obſeruando iniuſti facti ſunt. Iniuſtis vtiq;, *& non ſub-*

C *ditis* .i. Iudæis: qui Dẽo dãti per Moyſem legem, noluerunt ſubdi vt ab iniuſtitijs recederent. Quos vocet iniuſtos & non ſubditos, exponit dicens. Lex vtiq; poſita eſt *impijs*.i. irreligioſis animo contra Deum. *Et peccatoribus* .i. quod irreligioſè cogitant: irreligioſè operãtibus *& ſceleratis* .i. eius qui videntes ſacrificare idolis vel huiuſmodi, placuit illis vt ſimiliter præuaricarent. Lex etiam poſita eſt *contaminatis*.i. illis qui violentia tormẽtorum compulſi ſunt ſacrificare idolis. Hæc quatuor contra Deum principaliter fiunt. Cętera quę ſequuntur

D contra ſe & contra proximum fiunt: non quod omnia peccata cõtra Deũ non ſint: ſed quia quatuor prædicta Deum ſpecialiter ſine aliquo medio videntur offendere. Poſita eſt etiam lex *parricidis*.i. interfectoribus patrũ: quibus cum multum deberent ex eo quod homines eſſent, lõgè ideo magis patres erãt. *Matricidis* etiam ſimi-

liter & *homicidis*, & *fornicarijs* .i. maculantibus ſe adulterio, vel quolibet genere fornicationis: & *concubitoribus maſculorũ* quod deterius eſt: quibus non ſufficit ſe maculare, niſi etiã corrumpant alios. Et *plagiarijs* .i. plagas

Plagiarij.

proximo inferẽtibus. Vel plagiarijs quaſi plagioſipis .i. plagam de re viua inferentibus: vt ſi quis furaretur patri filium ſuum, vel huiuſmodi. *Mendacibus* etiam qui fallacijs incũbunt: quodque mendacio Pauli deterius eſt *periuris*, his & huiuſmodi poſita eſt lex. Præter hæc etiam impoſita eſt illi *ſi quid aliud* à prædictis quod *aduerſatur ſanæ doctrinæ* .i. naturali &

Præcepta moralia perdurant in vtraque lege.

morali legi. Moralia enim præcepta ſicut in veteri, ſic in noua lege perdurant. Vnde ait. *Quæ* ſana doctrina *eſt ſecundùm Euangelium* .i. ſequitur nouam legem. Euangelium dico *gloriæ* .i. quod prædicat glorioſum Deum. Vel Euangelium gloriæ .i. quod ſequentibus ſe dat æternam gloriam. Gloriç dico *Dei beati*. Qualem enim beatitudinem Deus habet, talem ab eo habituri ſunt ſancti. Beatus enim dici-

Beatus dicitur cui nihil deficit.

tur cui nihil deficit: ſanctis autem cũ Chriſto nihil defuturum eſt. Hoc nomen Deus nullo adiectiuo indiget, vt dicatur beatus, vel aliquid horum: ſed vt innueret cuiuſmodi gloriam habiturus ſit Deus & daturus ſuis appoſuit beati: quaſi diceret: Gloria quã Deus habet, & dat, & ſibi, & quibuſcunque dat, ſufficit. Et quia ſana doctrina & Euangelium ſe inuicem ſequuntur: ideò hæc tantum tenenda ſunt & non reinducenda circuncíſio & vetera. Hic ingreditur oſtendere q quia receſſit à veteri lege, omnia bona ſibi collata ſint: cui legi quamdiu adhæſit, ſemper in præcipitium malorum ruit. Vnde ſic ait. *Quod* Euangelium *creditum eſt mihi* .i. præuidit miſericordia Dei me idoneum, cui

Euangeliũ bonũ nunciũ dicitur.

crederet Euangelium. Euangelium autem bonum nuncium dicitur: *eu* enim bonum: *angelium* verò nunciũ: vnde angelus nuncius dicitur. Et ideò quia Deus credidit mihi Euangelium, *gratias ago ei*, & non legi, pro hoc beneficio & pro his quæ ſequun-

A tur: qui Deus exiſtimauit me fidelem. Hic aiunt quidam inſidioſa eſſe verba Pauli, quaſi diceret: inde gratias ago Deo: quia cum infidelis eſſem: fecit me fidelem. Quodq; dignus eſſem *qui fidelis fierem exiſtimauit* .i. prouidentia Dei quæ falli neſcit ab initio prçordinauit: meque factum fidelem confortauit .i. fortem fecit: quod neque mors, neque gladius poterit me ſeparare à charitate eius. Et poſtquã mihi credidit Euangelium pacis, *ponens* me *in miniſterio* .i. in ipſo opere

B prædicandi: multis enim prçlatis creditur Euangelium: qui tamen torpẽtes non miniſtrãt ſubditis, quod creditum eſt illis. Poſitus ſum in miniſterio *Chriſti Ieſu* .i. ad honorem & gloriam Chriſti Ieſu Domini noſtri. Vel confortauit me in Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui mihi cædes anhelanti, in via apparuit. Ego vtiq; fidelis factus ſum &c. poſtquam deſerens legem ſubdidi me gratiæ Dei. *Qui prius* cum eſſem ſub lege in omnia mala precipitabar. *Fui* enim tunc

C *blaſphemans*, Chriſtum dicens eum hominem ſine Deo: filium fabri & ſimilia. Fui etiam *perſecutor* quorũlibet iuſtorum. Fui etiam *contumelioſus*: quia ſi quos compræhendere poteram contumelijs & verberibus afficiebam: *ſed* qui adeò peruerſus ſub lege eram: ſtatim vt hanc dimiſi, *conſecutus ſum miſericordiam* .i. remiſſionem peccatorum. De hoc autem cõſecutus ſum miſericordiam: quia .i. *quod ignorans feci* .i. ignoranter peccaui: & quia Chriſtum ignorabam,

Act. 9.

D ideò *in incredulitate* manebam. Sic quia pro quod legimus: non enim ſufficeret ad cauſam, vt quia ignorãter peccauerit, ideò miſericordiam cõſecutus ſit. Alio modo tamen quia legitur ad cauſam. Quaſi diceret aliquis. Tu olim ſub lege, legem prædicabas tenendam. Tu verò relicta eadem lege, legem prçdicas relinquendã. Cui ergo credi debeat, vel tibi ſub lege, vel tibi nõ ſub lege ambigimus. Contra hoc ait. Mihi ſub lege non fuit credendum: quia ignorans feci, & quia ignoraui, ideò in incredulitate manſi.

te manſi. Nec ſolùm miſericordiam .i. remiſſionem peccatorum conſecutus ſum: ſed etiam *gratia Domini noſtri abundauit in me* ſuper miſericordiam: quia & pecccata remiſit: & multas alias gratias dedit: vt cognitionem diuinę eſſentiæ & cęt. Vel aliter. Dum perſecutor eram Eccleſiæ Chriſti, multum zelum legis habui: ſed tamen nunc ſuperabundauit gratia Dei in me: quia ſi tanta oportuiſſet me pati pro veteri lege, quãta pro Chriſto patior: vtiq; defeciſſem. Cætera ſicut dicta ſunt. Superabũdauit, inquam, gratia *cum fide & dilectione:* quia fides & dilectio Dei ſemper creuerunt in me: *quæ* fides & dilectio *eſt in Chriſto Ieſu* .i. habetur per Chriſtũ Ieſum, & nõ per legem. Hanc autem miſericordiam quam ego cõſecutus ſum, facilè eſt & vos conſequi. Vt enim peccatores ſalui fierẽt, Chriſtus Ieſus in hunc venit mundum. Sed antequam hoc dicat, præponit cõmendationem rei quam dicturus eſt ſic. *Sermo iſte* quem vobis manifeſto, eſt *fidelis*.i talis cui fides adhibenda ſit: & qui benè ſit credibilis. Nec ſolum fidelis eſt: ſed *etiam dignus acceptione* .i. qui acceptabilis eſſe debeat. Sunt enim multi ſermones credibiles, non tamen acceptione digni, quia inutiles. Hic autem ſermo: & credibilis & acceptus, quia vtilis. Dignus vtiq; acceptione non vna vel in vno ſolo tẽpore vt vetus lex: ſed *omni*.i. & in præſenti & in futuro: & ſecundùm corpus & ſecundum animã, quia in omni tempore, & ſecundum vtrumque ſaluat. Hic, inquã, eſt ille ſermo: *quia* .i. quod *Chriſtus* Ieſus *venit in mundum hunc* .i. adeò deſpicabilem, & in quo tot miſerias eum pati oportuit, Venit, inquam, *ſaluos facere peccatores:* qui ſi per legem ſaluari poſſent, fruſtra Deus Chriſtum ſuum in miſerias huius mundi deponeret. *Quorum* peccatorum ego & quicunq; legalis *primus* .i. præcipuus & deterrimus *ſum*. Deteriores enim inuenit Deus Iudæos, legi adhærentes, quam quoſcunq; exleges. Quod ſupra poſuit abſolutè, hic ponit cum cauſa di-

A cens. Licet deterrimus in peccatoribus eſſem, tamen *conſecutus ſum miſericordiam: ideò, vt Chriſtus Ieſus in me primo* .i. maximè peccatore, vel primum.i. maximè *oſtenderet patiẽtiam*, non in qualibet vna re: ſed *omnimodam*. Pertulit enim me blaſphemantem, perſequentem, & contumelias ſanctis inferẽtem. Omnem vtiq; patientiam oſtendit in me: *ad informationem eorum qui credituri ſunt illi* .i. vt per me doceret, nemini deſperandum propter immanitatem ſcelerũ, quin credat in eum. Credituri ſunt enim illi *in vitam æternam* .i. vt per fidem hanc habeant vitam æternam.

Paulum conſiderans nemo deſperet.

B Et quandoquidem Chriſtus ſaluare peccatores venit, ad quod lex inſufficiẽs fuit: Chriſto *igitur regi ſeculorum* inde ſit *honor & gloria:* quia nec legi, nec alij præter Chriſtum debetur inde gratia. ¶ Aut ſic cõtinuatur. Chriſtus in me oſtendit omnem patientiam: illi autem Chriſto regi ſeculorũ *immortali* .i. immutabili, qui ſemper in eodem eſt, *& inuiſibili* .i. cuius Deitatem nulla creatura ſufficit intelligere: huic Deo creatori ſoli (ſaluare enim ſolus poteſt) huic tanto &

C tali *ſit honor & gloria*. Honor dicitur vt de virtutibus: humilitate, prudentia, & huiuſmodi quæ homo poteſt habere. Gloria dicitur de his quæ Dei ſolùm ſunt & non hominis: vt reſurgere tertia die: & huiuſmodi. Honor, inquam, illi ſit & gloria *in ſæcula* præſentium *ſeculorum* cõſecutiua: & hoc quod precor *amen* .i. certè ita erit. Quãdoquidem ex Chriſto Ieſu omnis ſaluatio: & ex lege nulla: ideò *ô Timothee fili commendo tibi hoc præceptum*, vt in omnibus palam ſit, te nulli poſſe parcere vel tolerare in hac re.

Honor.

Gloria.

D Hoc enim prçceptum eſt, quod tranſgredi non licet: ſummaq́ue tibi obedientia commendatum: *vt milites* excludẽdo ab Eccleſia pſeudo-doctores: milites etiam diſponendo alium eccleſiaſticum ordinem: milites vtique *bonam militiam*. Si ſemel vel in vno militaret, impleſſet quod dixerat, milites: ſed vt ſemper & in omnibus ſe velle eum militare oſtenderet:

addidit militiam bonam .i. vtilem. Vtile enim erit ſic te militare. Commendo, inquam, vt milites in illis prophetijs.i.in omni viſione & intellectu quem habes de Deo. Prophetia enim viſio: propheta videns dicitur.

Prophetia viſio, propheta videns dicitur.

Milites moneo *ſecundum prophetias præcedentes in te* .i. ſecundum quod tempore præcedenti edoctus es in ſacris ſcripturis. Timotheus enim patre gentilis: matre verò Chriſtiana editus: ab ipſa pueritia traditus eſt ſacris literis imbuendus. Vnde ait ſecundum prophetias in te præcedentes. Vel aliter. Commēdo tibi vt milites ſecūdum prophetias præcedentes in te.i.de te.Spiritu enim prophetiæ edoctus, aſſumpſi te in opus Euangelij. Vide autem ne degenerando à fide mendacem facias ſpiritum:qui vt te eligerem, docuit me Militare debes, tum quia bonum & vtile eſt: tum quia benè potes, *habens fidem* per quam plenè iuſtificatus es, habens *etiam conſcientiam bonam:* non enim tibi prædicanti obijci poteſt, quod benè doceas & malè viuas. Modo pauliſper reuertitur ad pſeudodoctores dicens, *quam* bonam conſcientiam *quidam repulerunt à ſe:* qui enim peruersè agit & docet, non habet vnde ſibi benè cōſcius ſit, & quia repulerunt hanc: ideò *naufragauerunt circa fidem* .i. fregerunt nauem ſuam, circumeuntes fidem, & non ingredientes ad eam. *Ex quibus* pſeudo doctoribus naufragantibus *eſt Himeneus & Alexander* principes eorum qui circunciſionem reducere volebant: *quos* ego *tradidi Satanæ* .i. ſeparaui excommunicatos ab Eccleſia. Nec ideò vt in æternum pereant: ſed *vt ſic diſcant non blaſphemare* .i. vt hoc modo correcti & pœnitentes, quieſcant à peruerſitate ſua: & iam non blaſphemantes auferantur iterum Satanæ: recepti in ſinum Eccleſiæ. ¶ Nota quod excommunicare eſt tradere Satanæ: quia cùm excommunicatur quis, Satanæ traditur, cuius erat prius quam per baptiſmum iuſtificaretur.

Actor. 16. 1.

1. Cor. 5. 5.

Excommunicare quid.

A

CAP. II.

OBSECRO *igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & pro omnibus qui in ſublimitate ſunt conſtituti: vt quietam & trāquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate. Hoc enim bonum eſt & acceptum coram ſaluatore noſtro Deo: qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis* | *24. q. 3. corripiantur infra s. 0. diſt quoniam. 96 diſt cū ad verum.*
B *venire. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Cuius teſtimonium tēporibus ſuis confirmatum eſt, in quo poſitus ſum ego prædicator & Apoſtolus. Veritatem dico, non mentior: doctor gentium in fide & veritate. Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione. Similiter & * mulieres in habitu ornato cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe: non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte* | *De pe. di. 1. multiplex.* | *2. Tim. 1. 11.* | *1. Pet. 3. 3.* | ** habet autem.*
C *precioſa: ſed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio. Adam enim primus formatus eſt, deinde Eua: & Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit. Saluabitur autem per filiorum generationem ſi permanſerit * in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.* | *1. Co. 14. 34.* | *Gen. 2. 27.* | ** permanſerint.*

D POſtquam Paulus admonuit Timotheū vt militaret, conſequēter inſinuat in quib⁹ eū militare præcipiat dicens. Quandoquidem Chriſtus ſaluare peccatores venit in hunc mundum, in cuius rei prædicandæ miniſterio me conſtituit, vt & per eum ſaluemini, & prædicatio mea in vobis fructificet. *Igitur* .i. propter hæc præmiſſa *obſecro* vt oretis. Niſi enim Deus per Spiritum ſanctum operetur in cordib⁹ veſtris, ſermo meus

Miſſa ſacrificium ex Paulo probatur.

inutilis erit. Obſecro igitur *primum omnium* .i. potiſſimum ante omnia *fieri obſecrationes*,& cętera.¶ Quia vidit Apoſtolus in omni genere orationis prȩualere celebrationem miſſæ, in qua memoria fit paſſiõis Chriſti;per quam omne hominum genus redēptum eſt: Ideò cum & alijs modis orandum ſit:hoc genus orationis quia præualere vidit.prȩpoſuit dicēs. Primum omnium .i. ante omnia obſecro fieri obſecrationes. *Orationes*

Obſecrationes quæ dicuntur.

illas quæ obſecrationes i.iuxta & antequam corpus Dominicum ſacretur,præcedunt(vt in principio miſſę) vocat obſecrationes, quaſi iuxta ſacrationem dictas. Orationes autē & *poſtulationes*,& *gratiarum actiones* fieri obſecro.Orationes vocat preces il-

Orationes.

las, in quibus cum dicuntur ſubſtantia illa panis & vini in altari appoſita, tranſit in corpus & ſanguinem Chriſti. Poſtulationes vocat preces quæ fiunt poſt communionem vt illud. Perfice in nobis Domine quod tua ſancta continent.i.poſtquam nos pauiſti hoc corpore & ſanguine tuo, reſtat hoc quaſi ex debito: vt quod piè cœpiſti perficias: paſcens nos indeficienti cibo gloriæ tuæ in cœlis, quod hic in altari prælibamus.Poſtulatio enim dicitur, quaſi oratio facta de re quę iam miſericordia vel merito debetur. Gratiarum actiones vocat: vt illud quod in fine miſſæ dicitur.Benedicamus Domino.Deo gratias. Vt hoc dicentes innuamus totum referēdum eſſe gratiæ Dei quod dedit: & quod in æternum daturus eſt. Hæc autem obſecro fieri *pro omnibus hominibus:* vt ſalui fiant ex voluntate Dei. Quod ſi quæritur, cur pro omnibus iubeat orare Apoſtolus: cum quidam à Deo reprobati ſint: pro quibus qui orat, videtur offendere Deum, qui eos reprobat? Contra hæc dicitur, quod Deus quidem ex benignitate & clementia ſua velit omnem hominem ſaluum fieri: quia quantum in ſe eſt in Deo non remanet: ſed benignitatem Dei iniuſtitia impiorum auertit. Vnde in Deo duplex voluntas conſideratur.

Poſtulationes quæ dicuntur.

Gratiarum actiones quæ dicuntur.

Voluntas duplex in Deo conſideratur.

A Altera benignitatis & clemētiæ: qua omnes vult ſaluos fieri. Altera eſt voluntas iuſtitiæ Dei, qua malos reprobat, bonos eligit. Secundùm autem volūtatem benignitatis Dei prȩcipit Apoſtolus orare pro omnibus: vt quod Deus piè vult, & nos ſequendo pietatem eius velimus: vtque voluntas Dei fiat oremus, quod ſi non fieret, à clementia Dei diſſentire videremur. Vel aliter præcedentia legamus:vt de miſſa mentio in his non ſit. Obſecro fieri obſecrationes .i. adiurationes illas, vt in lætania: vbi adiuratur per paſſionem, per reſurre-

B ctionē & ſimiliter: quaſi ſi quis adiuraret pro Deū cōuerſione cuiuslibet ſceleratiſſimi, quod vix à Deo impetrari poſſe videretur: impio autem illo per preces iuſti conuerſo faceret, iuſtus orationes pro eo, vt Deus cum fide daret illi virtutes quæ ſequuntur: quibus acceptis iam reſtarent poſtulationes(ſicut dictum eſt)pro cœleſti gloria quæ iam habenti virtutes debetur. Pro his autem omnibus.i.conuerſione, poſſeſſione virtutúm: conceſſione cœleſtis gloriæ: ſe-

C quuntur gratiarum actiones: quod fecit Iuſtinus presbyter, qui ſuſcepto ſpiritu Laurentij in cœlis, in actionem gratiarum ſacrificium laudis Deo obtulit. Obſecro autem hoc fieri pro omnibus hominibus (ſicut dictum eſt.) ¶ Quia fortaſſis putarent quidam non eſſe orandum pro principibus & tyrannis, qui premunt Eccleſiam Dei, adiungit. Sic dico orandum pro omnibus: vt nec etiam perſecutores Eccleſiæ excludã: ſed orate etiam *pro regibus: & pro omnibus qui in ſublimitate* ſeculari *ſunt:* ſeu ducibus, ſeu conſulibus. Et pro eis vos o-

D rare non ſolùm proficiet illis: ſed etiam vobis. Ad hæc *vt* illis à tyrannide ſua ceſſantibus *agamus vitam quietam* à perſecutione: nec in vna re: ſed *etiam tranquillam* .i. in omni re quietam. Tranquillitas Eccleſiæ plurimũ prodeſt quibuſdam tenerioribus,qui in pace Eccleſiæ iuſtificationem ſuã conſeruant: quos ſi tormenta cõpræhenderent, fortaſſis à fide recederēt.

Et ideo orandum eſſe dicit pro regibus & principibus. Agamus dico vitã tranquillam *in omni pietate*.i.religione: *&* in omni *caſtitate*.i.in integritate fidei: quæ ſi perſecutio ingrueret, non ſic in omnibus integra perduraret, ideò moneo orare pro omnibus. *Hoc enim* vt oretur pro omnibus *bonum* .i. vtile *eſt* ad profectum Eccleſiæ: *&* tale bonum quod ſit *acceptum* & gratum Deo. Nec ſic vt in tempore placeat, & in tempore diſpliceat: ſed ſic acceptum vt ſit *coram Deo* .i. vt ſemper maneat in oculis beneplaciti eius. Deo dico ſaluatore noſtro: *qui* quomodo nos ſaluauit, *vult omnes homines ſaluos fieri*, ſecundùm voluntatem benignitatis ſuę: ſicut ſupra dictum eſt. *Et* vt ſalui fiant: vult omnes *venire ad agnitionem veritatis* .i. veræ fidei per quã iter eſt ad ſalutem. Probat quod dixit. Verè Deus vult omnes ſaluos fieri: quod patet ex eo: *quia vnus eſt Deus*, id eſt, creator omnium. Cumque Deus omnium creator ſit: non eſt cauſa quare benignitatem ſuam neget vni, & det alteri creaturæ, quam impius vtiq; ſibi negat: quia impiè agit: ſalua & integra perdurãte ad omnes benignitate Dei. Inde etiã palã eſt quod Deus velit omnes ſaluos fieri: quia vnus eſt *mediator Dei & hominum*, & non plures mediatores. Vnde cõſtat quia omnibus æquè velit proficere, factus eſt omniũ mediator. Chriſtus mediator dicitur: qa duo extrema & à ſe prorſus diuiſa: Deum, ſcilicet, in quo omnis iuſtitia & nihil iniuſtitiæ, & hominẽ, in quo omnis iniuſtitia & nihil iuſtitię, concordes fecit per aſſumptam ſibi humanitatem iuſtificãs hominem. Probat adhuc Deum velle omnes ſaluari dicens. Hic autem mediator cum in Deitate glorioſus eſſet homo factus eſt: tam vilis res & tam cõtumelioſa: quod nũquam fieret niſi vellet ſaluare homines. Hic autem mediator eſt Chriſtus immolãs ſacrificium pro nobis ſemetipſum Deo: & rex dirigens nos ad ſaluationem. Hic autem eſt Ieſus ſaluator quem hoc nomen deſignat ſaluatorem omnium:

Mediator omnium vnus eſt.

Chriſtus mediator dicitur.

A *qui* Chriſtus Ieſus *dedit redeptionem*, nec aurum vel argentum: ſed *ſemetipſum* precium dedit *pro omnibus* redimendis. Sed licet nõ omnibus precium illud profuerit, quia in impietate perdurauerunt, Chriſtus tamen precium dedit: quod ſufficiens eſſet ſaluti omnium, ſi oẽs boni eſſe vellẽt. Et quia pro omnibus redemptionẽ dedit: omnes æquè ſaluare voluit: *cuius* rei (ſcilicet, quod omnes vult ſaluos fieri) *teſtimonium cõfirmatum* eſt: quia quod prophetæ teſtati ſunt ante B Chriſtum de eo ſaluatore confirmauit: Chriſtus implẽdo omnia quæ de ſe prophetæ prędixerant. Hæc aũt per impletionem cõfirmata ſunt *temporibus ſuis*.i.cõgruis: vt natiuitas Chriſti quodam tempore in alio, paſſio: & cætera de Chriſto diuerſis temporibus. Niſi enim Chriſtum teſtimonia prophetarum præceſſiſſent, parũ vel nihil crederetur ei, quod idẽ innuit, quum duobus diſcipulis poſt reſurrectionem apparẽs ait. O ſtulti & tardi corde ad credendum in his quę lo-C cuti ſunt prophetæ &c. Quod etiã ipſe alibi in Euangel. ait. In hoc eſt verbum verum: quod alius eſt qui ſeminat, & alius qui metit. Prophetæ quidem ſeminauerunt: Chriſtus autem cũ Apoſtolis ſuis ſeminis fructus collegit. Ad idem probandũ, quod Deus vult oẽs ſaluos fieri, auctoritatẽ ſuã adducit, dicens. *In quo*.i. in qua re prędicãda, ſcilicet, quod Deus pro ſalute omnium preciũ dederit ſemetipſum & cætera quæ præmiſſa ſunt: ego *poſitus ſum prædicator* à Deo: vt hoc prędi-D cẽ omnibus: & magnæ dignitatis prędicator, qa etiã *Apoſtolus* ad hoc prædicandũ cõſtitutus: & ego proculdubio *dico veritatẽ*: nec in qualibet vna parte: ſed ita quòd *non* alicubi *mẽtior*: & ego iam conſtitutus ſum *doctor gẽtium in fide & veritate* .i. iam multos diſcipulos docui, qui fideles ſunt & veritatem prædicant. Quia ſi diſcipuli mei veri ſunt, cõſtat me doctorem eorum non eſſe mẽdacem. Quia prędicatorẽ & Apoſtolum ſe nominat, non elationis verba ſunt, ſed vt per hanc auctoritatem dictorũ ſuorum

Luc.24.25.

Ioan.4.37.

fidem corroboret. Quoniam quidē ſufficienter probatū eſt orādum eſſe pro omnibus hominib⁹: *ergo volo oēs viros*, & mulieres *orare:* vt ſecundùm voluntatē Dei ſaluentur. Volo vtiq; viros orare non tantùm in Eccleſia, ſed etiam *in omni loco, habentes puras manus*,&c. ¶ Hic docet quales ſe pręparare debeant ad orandum. Puras manus vocat mundas affectiones: vt nihil velint dari ſibi à Deo, quod Deum dare nefas ſit: ſed maxime omnium ſaluationem poſtulent. Puras dico leuantes per incrementa boni operis & piæ orationis: & hoc *ſine ira*, .i. ſine odio proximi. Qui enim odit proximum, ab vnitate Eccleſiæ ſe diſcerpit: *& ſinē diſceptatione* .i. ſine diffidentia orate, facti tales quales timore peccati non oporteat diſceptare: an Deus daturus ſit vobis quod petitis, nec ne. Quaſi diceret. Orate cū dilectione Dei & proximi. *Mulieres etiam* cum viris volo orare: ſimiliter ſine ira & diſceptatione exiſtentes *in habitu:* non qui ornet illas: ſed *ornato* .i. qui ornetur ab illis: quod tanta ſit reuerentia mulierum, vt etiam earum veſtimenta videantur ornata: quia ſanctæ mulieres illis vtantur. Manentes *cum verecundia:* vt pudibundè omnia faciant. *&* cum *ſobrietate* cibi, potus, & verborū. Cum aliis virtutibus has duas maxime cōmendat mulieribus: quia vidit eas maxime laborare morbo impudicitiæ & intemperātiæ. Mulieres dico *ornantes ſe non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte precioſa*, i. nō ſtudentes cultui corporum: ſed per bona opera quæ foris operātur, *promittentes pietatem*. i. in propatulo mittētes religionem mentis *per bonam operationem* exhibitam foris. In orando volo viros, & mulieres ſimiles eſſe: ſed in docendo, vel interrogando volo diſſimiles eſſe. *Mulier* enim *diſcat*, audiat ſermonem in Eccleſia: nō interrogando, neque reſpondendo: ſed ſit *in ſilētio:* & ſi in aliquo hæſitat: cùm venerit domum, virum interroget. Diſcat autē in ſilentio *cum omni ſubiectione*, poſt viros ſtando capite velato, aſpectu in terram fixo. Cū enim in eccleſia conuenimus, ibi iudici repræſentamur: quem per ſeductionem mulieris in iram prouocauimus: cui⁹ rei memor mulier, quòd totius ꝑditionis auctor fuerit, in præſentia iudicis multum debet verecūdari. Vt diſcat, concedo mulieri. *Docere autem* virum doctrina ſpiritali illud *nullo modo permitto mulieri, neque dominari* aliquo ſpiritali dominio *in virum: ſed* ſemper *eſſe* non ſolū *in ſilentio* interrogādi vel reſpondendi: ſed etiam in ſilentio confabulandi cum aliquo in Eccleſia. Ideò mulier non debet dominari in virum: *quia Adam primus formatus eſt, deinde Eua.* Ordo autem creationis eorum, ſignat virū debere dominari in mulierem, non mulierem in virum. Cùm enim ante hominem, vel eodē momento cū homine, Deus ſi vellet creare poſſet mulierem: nō ſine re tempore poſteriorem viro fecit: ideo adhuc mulier non debet in virū dominari: etenim *Adam non eſt ſeductus* illo modo quo mulier: vt crederet ſe guſtu pomi fieri Deū: ſed in hoc quidem ſeductus fuit: quia ſuadente ſibi muliere quam Deus in adiutoriū ſibi dederat, vtrunq; exiſtimauit poſſe fieri, & vxori ſe morem gerere, & patrati ſceleris acta pænitentia à Deo ſe poſſe veniam obtinere. Adam non eſt ſeductus: *mulier autē ſeducta fuit*, credens ſe fieri Deos vt ſerpēs ſuaſerat, *in prauaricatione*. i. in actu peccati .ſ. in comeſtione pomi. Et propter tot cauſas mulier ſemper ſubiici debet viro: non præferri: ſpiritali prælatione dico: ſi .n. ſeruos habet, licet bene dominari in illis ſeculari dominio. Poteſt etiā mulier mulierib⁹ ſpiritali modo pręeſſe, ſed viro nunquam. Ne aūt alicui videretur mulierē nō poſſe ſaluari: quia cauſa fuerit toti⁹ perditionis: & quia idē Paulus adeo deteſtatus ſit mulierē, ſubdit de ſalute eius dicēs. Licet mulier ſeducta ſit nō ſeducto viro, *tamē* mulier *ſaluabitur*. Non ſolùm virgo vel continens: ſed etiam vadens *per generationem filiorū*, .i. etiam nupta. Hac cōditione dico,

Præparatio ad orandū.

Mulieribus ... virtu... præcipi... ſunt ne... ſſaria.

Mulieres audiant & non interrogent.

Mulier in virū dominari non debet.

Mulieres an poſſint aliquibus præeſſe.

ſi permanſerit in fide, quòd ſanam fidē habeat: *&* in *dilectione* Dei & proximi: *&* in *ſanctificatione* quā accepit in baptiſmo. Permanſerit dico in his *cum ſobrietate*: quam ideo repetit quòd in hac plurimum ſoleant peccare mulieres, ideo cōiugatas ſaluari poſſe dixit: quia ſi de virginibus vel viduis ſolum dixiſſet, putaretur intellexiſſe ſaluari non poſſe coniugatas, quæ cum ſaluandæ ſint, cōſtat per hoc de ſalute virginum & viduarū. Vel cōtinuemus aliter. Licet mulieri non permittam docere in Eccleſia, tamen ſaluabitur .i. poterit ſaluationem mereri per generationem filiorum .i. ſpiritualiter inſtruendo domi filios ſuos: ſaluabitur hac lege ſi (quātum in illa erit) filij eius permāſerint in fide, & dilectione, & ſanctificatione, cum ſobrietate, ſicut dictum eſt.

CAP. III.

Fidelis ſermo. Si quis epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Oportet enim Epiſcopum irreprahēſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ſobrium, ornatum, prudētem, pudicum, hoſpitalem, Doctorem non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum: ſed ſuæ domui bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit? Non neophitum, ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. Oportet autem & illum teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt: vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli. Diacones ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Et hi autem probentur primum, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes. Mulieres ſimiliter pudicas, non detrahentes, ſobrias, fideles in omnibus. Diacones ſint vnius vxoris viri: qui filijs ſuis bene præſint, & ſuis domibus. Qui enim bene miniſtra- A *uerint, gradum ſibi bonum acquirent: & multam fiduciam in fide quæ eſt in Chriſto Ieſu. Hæc tibi ſcribo fili Timothee, ſperans me venire ad te cito. Si autem tardauero, vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamētum veritatis. Et manifeſtè magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, & iuſtificatum eſt in ſpiritu: apparuit angelis: prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria.*

2.q.7.c ſin. 26.di. deinde 35 di.§ 1. 47.diſt.§ 1 82.diſt. propoſuiſti.

47.di ſicut hi.§ neceſſe.

8.q.1. licet De pſe.di. 1. iubemus.

B POSTQVAM communitatem Eccleſiæ admonuit orare: & ex hoc publicum præceptum in omnibus dedit; ſubdit quædam diuiſa præcepta, quæ non de omnibus agant, ſcilicet de ſacerdotio & diaconatu: inſinuans quales, & quomodo ad iſtos ordines ſint promouendi. Quod præceptum quia vidit oneroſum & difficile quibuſdam, antequam proponat commendat, dicens. Hic *ſermo* quem dicturus ſum *fidelis* eſt .i. credi C debet: & nemini eſt oneroſus. Hic vtique eſt ſermo quem commendo: *oportet Epiſcopum eſſe irreprahenſibilem*. Hic autem per Epiſcopum ſignificat ſacerdotem Superfluè enim Timotheum, qui Epheſiorū Epiſcopus erat, de ordinando Epiſcopo Epheſiis inſtrueret: cum eo ibi epiſcopāte, alium ibidē epiſcopari abſurdum eſſet, nec credendum eſt. Præterea ſi de diaconibus præceptum daret (prętermiſſo ſacerdotali ordine qui præceD dit) abſonum videretur, & inordinabiliter factū. Nec mirū ſi per Epiſcopum ſignat presbyterum: cum in hac eadē Epiſtola, per presbyterū ſignificet Epiſcopū, Et quia volentē epiſcopari irreprahenſibilē eſſe neceſſe eſt: ideo *ſi quis deſiderat epiſcopatū* .i. ſuper ſibi cōmiſſos intēdere: hic deſiderat non aurum, non diuitias, non iucunditatem ſeculi: ſed *opus* .i. laborem *bonum* .i. vtilem ſibi & his ſupra quos intendit. Epiſcopus enim ſuperintēdens dicitur: ſcopos enim intentio: epi ſuper interpretatur. Et quoniam qui deſiderat Epiſcopatum, operari bonum

De ordinādis Eccleſiaſticis.

Timotheus Epheſiorum fuit Epiſcopus.

Epiſcopus ſuperintendēs dicitur.

bonum deſiderat: ergo oportet Epiſcopum .i. neceſſe eſt volentem epiſcopari eſſe irreprehenſibilem: quia ſi ſit repræhenſibilis quamdiu in eo eſt, bonū operari nequit. Irreprehenſibilem vocat nullius criminalis reū, qui etiā licet crimen non habeat: cuſtodit ſe ſic quod nec in eo aliqua criminis occaſio videatur vnde criminoſus, ſuſpicetur. Hunc aūt Epiſcopum, .i. volentē ſacerdotio fungi: oportet fuiſſe *virū vnius vxoris*, quod vnam tantū vxorem (dū ſibi vxorari licuit) habuerit. Nō quod in Epiſcopatu eā habeat, vel quod ſi nullam habuit, repudiari debeat, ſed magis accipi. Ideo viro multarum vxorum negat ſacerdotiū: quia illo ſoluto à priore vxore, cum ſecundas nuptias contraxit, indicauit ſe continere non poſſe, incontinentem autem Epiſcopari non licet. Et vt irrepræhenſibilis ſit: *oportet epiſcopum eſſe ſobrium* & verbo, & opere. *Prudentē* etiā qui ſciat de theſauro pectoris ſui nouam & veterem legem proferre. Oportet etiam eum eſſe *non vinolentū*, iugi potatione diſſolutum. *Non* etiā *percuſſorem* corporali percuſſione. habet.n. ſpiritalia arma, quibus vti debet contra aduerſarios: verbum .ſ. Dei, quare non oportet eum vti corporalibus armis. Non percuſſorem, *ſed modeſtum* .i. totius moderationis cuſtodem. Oportet eū eſſe *non litigioſum* .i. non conuicium pro conuicio reddentem, ſed ad omnia patientē. *Non* etiam *cupidū*, ne cupiditas prohibeat eum bona Eccleſię erogare in pauperes, quorū patrimonia ſunt non propria epiſcoporum: Oportet etiā eū fuiſſe *bene præpoſitum domui* ſuæ, ꝙ priuatā familiam ſuam bene coërcuerit à quibuſq; vitiis: nec ſolùm reliquam familiam, ſed etiā *filios habentem ſubditos*.i. qui nec in filiis coercendis paterna affectione deceptus ſit. Nec ita dico vt poſt patratum vitium correxerit eos: ſed cum *omni caſtitate* .i. omni integritate ſeruata: quia adeo diſtrictus fuit in cuſtodia filiorū, quod ad actum ſceleris eis peruenire nō licuit. Sic ſcientem præeſſe domui ſuæ, bonum eſt in ſa-

Epiſcopus habet ſpiritalia arma & non corporalia.

A cerdotium promoueri. Sed *ſi quis neſcit præeſſe* priuatæ *domui ſuæ*, in qua pauca diſponenda ſunt: *quomodo* hic *habebit diligentiam*, id eſt, diligentem cuſtodiam *Eccleſiæ Dei*; in qua tot & tanta procuranda ſunt? Præter prædicta oportet eum *non eſſe neophytum*, i. nouiter conuerſum: *ne* ſi adhuc rudis in fide promoueatur in ſacerdotiū, *elatus in ſuperbiam* cogitando ſecum: ſi modo nō eſſem conuerſus, nō eſſet præter me qui ſciret præeſſe Eccleſię. Sic ſuperbiendo *incidat in iudicium*, .i. damnationem diaboli, qui per ſu-

B perbiā damnatus fuit: vt & hic neophitus ſimiliter per ſuperbiā damnetur. Neq; hæc ſolū neceſſaria ſunt illi: ſed *etiam oportet* .i. neceſſe eſt *illum habere bonum teſtimonium*: non ſolum à fidelibus, ſed *etiā ab his qui ſunt foris* .i. extra fidem. ſ. ab infidelibus, *vt non incidat in opprobrium*: quia ſi modo infideles videant illū ſacerdotem factum, prędicantē verbum Dei, conuicientur ei dicētes. Tu qui paulo ante furabaris, adulterabas, &c. iactas te modo magiſtrum noſtrum: in

C cuius ore etiā bona contemptibilia ſunt. Hic autem hoc audiens, accenſus ira alterna reddat opprobria: & hoc modo incidat in laqueū diaboli: qui ijs dolis laborat illaqueare eum, quare oportet eum qui promouetur in ſacerdotium, etiam cum infidelis fuit, ſine querela conuerſatum fuiſſe inter ſuos. Quales presbyteros oportere eſſe diximus, oportet eſſe diaconos ſobrios, & cætera quæ non reponit. Per hoc ꝙ ait ſimiliter intelli-

D genda eſſe in ordinatione diaconorum: ſignificauit qui ordo parum dignitate diſcrepat à ſacerdotio. *Diaconos*, inquam, *oportet eſſe pudicos*, id eſt, cuſtodes caſtitatis: & *non bilingues* .i. non inter fratres diſcordias ſeminantes: *non deditos multo vino*: quo quidem ſobriè licet vti: *non ſectantes turpe lucrum*: vt nec fænerent, nec negocientur. *Habentes* etiā *myſteriū*.i. ſecretū *fidei*, vt cognoſcant illa ſecreta fidei noſtrę, quæ ſimplicitas vulgi capere nō ſufficit. Diaconorū.n. officiū eſt euāgelizare verbum Dei populo:

Neophit' ſit Epiſcop

Diaconi officium quale eſt.

in cuius rei ſignū traditur eis Euāgelium ad legendum. Quare oportet eis nota eſſe arcana fidei qui de fide ſunt docturi. *Et* licet hæc omnia habeant: tamen antequam ordinentur, *probentur primum* interrogationibus illis, quibus ante ordines ſolent interrogari, vt illud: Vis ſeruare caſtitatē & ſimilia? Hi vtiq; probentur: & ſimiliter ſacerdotes de quibus hoc nō præmiſerat. *Et ſic* demum ordinati *miniſtrent*, id eſt, res Eccleſiæ in neceſſarijs vſibus diſtribuant: vt in cibis pauperum & ſimilibus. ¶Statutum enim fuit etiā in primitiua Eccleſia, vt illi ſeptem diaconi res Eccleſiaſticas & domeſticas diſponerēt: pauperibus miniſtrarēt &c. vt Apoſtoli huiuſmodi curis ſoluti, liberius vacarēt prædicationi. Vnde adhuc ſi iure fit, per manus diaconorū miniſteria diſtribuūtur Eccleſiarū. Miniſtrēt dico *non habentes vllū crimen* actu: nec etiam ſuſpicione. tanta enim vigilātia debent ſe circumſpicere, q. occaſionem non habeat hoſtis, vel ſuſpicari criminale quid de illis. Non habētes crimen, idem eſt, quod ſupra ait irrepræhenſibilē. Hic inſerit præceptū de mulieribus ante & poſt agens de diaconibus: quod interſertū niſi ad diaconos aliquomodo pertineat, incōueniens hic ordo videtur. Vt autem q̄ ait de mulieribus cōuenienter inſertū iudicetur, ſic exponimus. *Mulieres* quæ nuptæ fuerint his qui in diaconatū promouentur, *ſimiliter* oportet eſſe *pudicas*.i. neceſſe eſt profiteri caſtitatē, ſicut viros earum: Melius.n. eſſet vt cum viris in caſtitate cōiugii manerent, quā ſeparatę à viris, impudicè viuerēt. Et ideo viri earū non recipiantur in Eccleſia, niſi & mulieres eorū profiteantur caſtitatē: quas non ſolū pudicas eſſe oportet: ſed etiā *non detrahētes*: quia ſi detractioni vacāt, melius fuiſſet eſſe cum viris, qui corrigerent eas. Oportet etiam eas eſſe *ſobrias* in cibo, in potu, & in veſtitu. Sint etiam *fideles in omnibus*.i. iuſtificationem à peccatis, quam per fidem acceperunt, ſaluā per omnia cuſtodientes. Vel ita. Fideles ſint in omni-

Actor. 6. a.

A bus: q; ſi quid de Eccleſiaſticis cōmittitur illis (vt miniſtrare pauperibus) fideliter exequantur. *Diacones* etiam *ſint*.i. fuerint *viri vnius vxoris: qui filijs ſuis bene præſunt, & ſuis domibus*: ſicut de epiſcopo fuit expoſitū. Vel ſi placet mulieres diaconiſſæ.ſ. moniales: ſimiliter oportet eſſe pudicas &c. ſicut dicta ſunt. Nè autē cuilibet difficile eſſe videretur ſic ſe præparare pro habēdo diaconatu, ait. Nō ſit vobis oneroſum tales & tales fieri vt hunc ordinem conſcendatis: *quia qui*

B *bene* & religiosè *miniſtrauerint* in diaconatu, *acquirēt per* hōc *ſibi maiorem gradū*: bonum.i. vtilē ſibi, presbyteratum.ſ. ſeu epiſcopatū. Et ſi forte non accepto maiori gradu moriātur: quia bene miniſtrauerūt in diaconatu: acquirent *multam*.i. multiplicis boni *fiduciā*.ſ. cæleſtis: *in fide*.i. iuſtificari per fidē *quæ eſt in Chriſto Ieſu*. Vel ita, vt quandā priuatam fidē intelligamus. Sic acquirēt fiduciā in fide, quæ eſt in Chriſto Ieſu.i. in perſona filii. Licet non in vna perſona plena fides ſit, ſed in tribus. Fidē priuatā in Chriſto di-

C cit, quod per redemptionē & cætera: quæ propria perſonæ filij ſunt: confidit ſe ſaluari. *Hoc* de ordine ſacerdotali & leuitico & cætera *ſcribo tibi fili Timothee: ſperās me* tamē (licet modo tibi ſcribā) *cito venire ad te*. Vbi ait ſe ſcribere cum cito ſit venturus: multā neceſſitatem (vt obſeruentur ea quæ ſcribēs imperat) per hoc innuit. Cito quidē ſpero me venturū ad te: *ſed ſi* forte *tardauero*, ſcribo, *vt* p hoc *ſcias quomodo oporteat te conuerſari in domo*

D *Dei*.i. quanta vigilantia cuſtodire debeas fideles, in quibus Deus vt in domo habitat. Et quia domus de paucis dici poſſit, addit. *Quæ* domus *eſt Eccleſia*.i. in qua Deus multos ad fidē cōuocauit. Eccleſia dico *Dei viui*.i. qui vitā æternā quā habet dat ſuę Eccleſiæ. Quæ Eccleſia eſt colūna ſecundū quoſdā firmos & directos in fide: *qui columna* dicuntur quātū ad ſe. *Firmamentū* etiam *veritatis* dicūtur, quātū ad alios debiles in fide: qui niſi firmarentur exemplo & exhortatione iſtorū, titubarent in fide, in qua Eccleſia eſt

Gradū maiorē acquirent qui in minoribus bene miniſtrant.

eſt ſacramentum .i. Chriſtus: *& hoc ſacramentũ pietatis*.i.totius religionis *magnum eſt* : quia magnitudinis eius non eſt finis. Eſt vtiq; hoc ſacramentum in ea manifeſtum .i. apparẽs per multa miracula quæ operatur Deus per membra Eccleſiæ. Chriſtus ab ea ſimilitudine ſacramẽtũ dicitur: ſicuti ſub veteri lege quædam ſacramenta in templo recondebantur quæ nõ licebat videre populo, ſic in Chriſto licet multa videãtur:tamen multa in eo abſconſa ſunt quæ nulla creatura comprehendere ſufficit.Sacramentũ autem res myſterijs inuoluta dicitur.

Sacramentum.

Quod ſacramentum .i. Chriſtus *manifeſtatum eſt in carne* : quia per verbum Dei incarnatum, deitas quodãmodo ꝑ carnẽ viſibilis facta eſt: quæ, niſi in carne, penitus inuiſibilis erat: Hoc ideo ſacramentum .i. Chriſtus *iuſtificatum eſt* : non quod peccatum habuerit: ſed homo ille quem Deus aſſumpſit iuſtus factus eſt *in ſpiritu*.i. per ſpiritum .ſ. per deitatem counitã ſibi: quia cũ alij homines ex cõcupiſcentia carnis cõcipiãtur, Chriſtus ex dilectione patris conceptus eſt. Hoc iterum ſacramẽtum *apparuit angelis*, .i.fecit ſe Chriſtus cognoſci ab angelis, per hæc quæ homo factus operatus eſt in terris. His enim viſis,multũ ꝓfecerunt angeli de cognitione Dei: non enim omnia myſteria reuelata fuerant illis. Hoc etiam ſacramentum *prædicatũ eſt gentibus* ab Apoſtolis:*creditum eſt* etiam *in mundo:* mundus enim iam credit in Chriſtum. *Aſſumptum eſt* etiam *in gloria:* vbi ſedet in dextera patris : occurrentibus illi angelis in die aſcenſionis ſuæ.

Chriſtus fecit ſe ab angelis cognoſci.

CAP. IV.

1.Tim.4.1. 2.Pet.3 3. Iuda 18.

SPiritus autem manifeſte dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquẽtium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam : prohibentium nubere, abſtinere à cibis quos Deus creauit, ad percipiendum cum gratiarũ A *actione fidelibus, & his qui cognouerunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationẽ. Hæc proponens fratribus, bonus eris miniſter Chriſti Ieſu: enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ, quam aſſecutus es. Ineptas autem & inanes * fabulas deuita. Exerce autem teipſum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt: Pietas aũt ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ : quæ* B *nunc eſt, & futuræ. Fidelis ſermo, et omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus & maledicimur, quia ſperamus in Deum viuum: qui eſt ſaluator omniũ hominũ, maximè fidelium. Præcipe hæc & doce. Nemo adoleſcentiam tuam contemnat : ſed exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Dum venio attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in te eſt: quæ data eſt tibi per Prophetiã cum impoſitione manuum presbyteri. *Hæc meditare,* C *in his eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Attẽde enim tibi & doctrinæ, inſta in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.*

*1. Tim. * aniles.i. infructuoſas.*

**presbyterij.*

1.q.1.didici.

NE modo Timotheus obiiceret Paulo, quoniã tãtum ſacramẽtum (vt ais) in Eccleſia eſt: non multũ me vigilare oportet pro cuſtodia eius: quia per hoc ſacramentum ſufficienter cuſtodietur: contra hoc Paulus ait. Scias omni vigilantia conſeruandam eſſe Eccleſiam Chriſti: quia *in nouiſſimis temporibus diſcedent qui-* D *dam à fide*. Hoc autem non leuiter à quolibet accepi: ſed *Spiritus* ſanctus *dixit mihi non* ſub aliquibus figuris ſed *manifeſte*: quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidã hæretici à fide Chriſti: *attendentes ſpiritibus erroris*.i. dæmonibus loquentibus per ora ſeductorũ: attẽdẽtes nõ tãtũ rationibus eorum: ſed etiã *doctrinis*.i. aſſertionibus doctrinarũ eorundẽ *dæmoniorũ: loquentiũ mendaciũ in hypocriſi*, .i. in ſimulatione boni, cũ verè mali ſint: *& habentium ſuam conſcientiam*.i.

men-

mentem ſuam totius mali conſciam *cauteriatā* .i. foris manifeſta aduſtione ſignatam. Cauteriare à caueo, caues, dicitur: cauterium enim aduſtio illa dicitur; quæ fit depræhenſis furibus: vt qui viderint illos, per hoc ſignū caueant ſibi ab illis, ſcientes quod fures ſunt. Ab ea ſimilitudine dicit habentium conſcientiam cauteriatam: quia doloſæ mētis ſuæ quædam ſigna foris emittūt, per hoc quia prohibent nubere. Hæc eſt enim coctura illa quæ nobis aperit malū conſcientiæ eorum, quod *prohibent nubere*.i. quod præcipiunt non nubere: & præcipiētium adhuc *abſtinere à cibis quos Deus creauit ad percipiendum fidelibus*: & hoc *cum actione gratiarum:* quia de hoc agēdæ ſunt gratiæ creatori Deo: ne forte ſi ſine benedictione perciperemus (quod ſæpe auditum eſt) diabolus cum ijs ingrederetur. Creauit vtique ad percipiendum fidelibus: *& his* .i. etiam eiſdem talibus *qui cognouerunt veritatem:* hanc. ſ. quia omnis creatura Dei in eo, quòd à Deo creata eſt bona & vtilis eſt omni hoc credenti: ſi autem nociua eſt alicui vt coluber: propterea fit quia non credidit bonam eſſe ſibi hāc creaturam Dei: vt ſi modo crederet quis non eſſe bonum ſe comedere carnem etiā licitam: & tamen comederet, peccaret: quia vteretur eo quod bonum eſſe dubitaret. Cognouerunt etiam fideles nihil eſſe reijciendum. Determinat quod dicit non reijciendum. illud. ſ. quod percipitur.i. quod percipiēdum eſt cum actione gratiarum: non enim omnis caro comedenda eſt. Percipere, inquam, & agere gratias bonum eſt: *quia* creatura illa quę in cibū ſumitur *ſanctificatur per verbū*.i. per filium Dei. Per filium enim & omnia creauit, & omnia creata ſanctificauit. Sanctificatur *etiam per orationē*.i. & per benedictionem quæ præcedit: *& per gratiarum actionem* quæ ſequitur. ¶Nota cùm de tempore Antichriſti Timotheū Paulus inſtruat, innuit membra Antichriſti per longa tempora caput ſuum præcedere. Innuit etiā quod hæc inſtru-

Cauteriare quid ſit.

Benedicēdi ſunt cibi.

A ctio omni Eccleſię, & ſecundum omnia futura tempora facta ſit. *Hæc* quæ ſuperius dicta ſunt, nuptijs nō detrahere; cibos, quos Deus ad percipiendum fidelibus creauit non derogare: & cætera præmiſſa tu *proponens* .i. in propatulo ponens *fratribus*. licet ſic proponendo quibuſdam videaris nimis remiſſus & indulgens carnalitati, ſic tamen *eris miniſter Chriſti Ieſu bonus* .i. vtilior illis qui modum nimia diſtrictione excedentes prohibent nubere, & vti carnalibus. Sic debes proponere: tum quia ſic bonus.i. B vtilis eris: præterea quia potes: tu enim *enutritus* .i. extra rudimenta & nutrituram puerilem poſitus doctus es *verbis fidei*. Noſti enim in quem, & quomodo te oporteat credere. Enutritus etiam es verbis *bonæ doctrinæ* .i. vtilem morum inſtructionem didiciſti: *quam* doctrinam plenariè *aſſecutus es* per me: qui & te baptizaui, & quæ adhuc docenda erant ſufficienter docui. Hic enim Timotheus à matre fideli literis ſacris addiſcendis C puer traditus eſt: non tamen donec à Paulo baptizatus eſt: & ideo dicit eū enutritum eſſe in fide, ſciens quod in Chriſtum credere oporteat. Enutritum etiam bona doctrina .i. inſtructione morum. Talia propone fratribus: *ſed* fabulas ineptas quæ nullam veritatem habent, vt de prohibitione ciborum & nuptiarum: *fabulas ineptas etiam inanes*.i. inutiles: quæ licet veritatis ſimilitudinem teneant: vt reducere circuncíſionē, ſine omni D vtilitate tamen ſunt: illas non ſolùm ſicut præmonui interdicas: ſed *deuita*, ſi quis inde tecum ſecreto velit diſcutere: nec etiam ſolus ſtudeas in illis, ſed potiùs *exerce* te, nec partim, ſed *teipſum* totum & corpore, & animo *ad pietatem*.i. ad doctrinam & cuſtodiam religionis. Vtque totus fortiter vacare poſſis pietati, ne ſupra modum carnem tuam affligere velis. Nam hæc *corporalis exercitatio* per ieiunia *vtilis* quidem: ſed reſpectu pietatis *ad modicum* valet. Quid enim prodeſt prælatum ſic ſe affligere, vt prę debilitate carnis inſtructioni ſub-

ditorum

Afflictio corporis parum eſt vtilis.

ditorum nequeat vacare? Afflictio corporis parum eſt vtilis: *pietas autē*, id eſt, ex pietate miſerationis intendere filiorum inſtructioni: hæc, inquam, pietas *vtilis eſt*; non ad quædam ſed *ad omnia*. Ideò de afflictione corporis Timotheū ſic quodā modo redarguit: quia nouerat eum adeo ieiunare, & à potu vini ſe cohibere, ꝙ ſtomachus eius ideo debilitaretur: quare præcipit illi in ſequentibus vti vino. Quæ pietas eſt *habens promiſſionem vitæ quæ nunc eſt*, id eſt, vitationem mali & augmentum iuſtitiæ: quæ in hac vita licet habere. Habet *etiam* promiſſionem *futuræ* & perpetuæ vitæ. Hic autem *ſermo* quem dixi intendere pietati: nec ita corpus affligere, vt impediatur pietas; *fidelis* eſt: *&* eſt *dignus omni acceptione:* quia cōfortato corpore fouetur pietas vtilis ad omnia. Quodq; acceptum eſſe debeat exercere ad pietatem apparet inde: *quia in hoc* .i. in pietate *laboramus* nos: cibos de labore manuū quęrentes. *Maledicimur* etiā ab infidelibus: ideo *quia ſperamus* intendētes *in Deum viuū:* qui vitam æternā quam habet dabit ſperantibus in ſe. In eo merito ſperandum eſt *qui eſt ſaluator omnium hominum*, bonorum & malorum ſaluatione temporali: quia ſolem ſuum facit oriri ſuper iuſtos

Matt. 5. 45.

& iniuſtos. Cumq; ſit omnium ſaluator, *maxime tamen* & præcipuè *fidelium eſt:* quibus vitam ęternam dabit, quam negabit impijs: quos tamen in hoc mundo ſaluat in temporalibus bonis. Quoniam quidem exercere te ad pietatem bonum eſt, & nos in eodem laboramus: quos tamen in hoc mundo imitari debes. Tu igitur vacando pietati *præcipe* his qui ſciunt, ſed pigri ſunt ad operandum: *hæc* ſcilicet præcepta quæ præmiſſa ſunt. Si qui etiam ſunt neſcientes: *doce* eos & hoc vtrunq; cum tanta ſeueritate & munditia: vt *nemo contemnat tuam adoleſcentiam:* vt honeſtas vitæ & habitus ætatem tuam annis iuuenilē, moribus faciant maturā. Nemo, inquā, te contēnat: ſed *eſto exemplū* quorūq; *fidelium in verbo:* in humilitate allo-

A quens omnes: *in conuerſatione*, omnibus omnia factus *in charitate* .i. in dilectione proximi *in fide*.i. in iuſtificatione permanens. Et *in caſtitate:* quæ virtus gemma virtutum eſt in iuuene. Ideo de caſtitate iuuenē inſtruit, adoleſcentia enim ætas eſt magis laſciuire appetens quam alia. Et vt ſis exemplum fidelium *attende lectioni*, .i. aſſiduè reuolue ſacram paginam, *dum*.i donec ego *venio*. Poſtquam.n. ad te venero ſufficienter monebo te: viua enim vox magis animat quemcunque, quam lectio: ſed tamē multi ſatis ſciunt, qui, niſi lectione incitarentur, torperent dum monitor eorum abeſſet: & ideo ait. Attende lectioni, & attende *exhortationi*, id eſt, exhortare eos qui docti ſunt, & tamen ad operandum pigri. Attende etiam *doctrinæ*.i. doce eos qui neſciunt: & vt in his attētior ſis: *noli negligere gratiam* Spiritus ſancti *quæ eſt in te* collata. Gratiam dico pontificalem, *quæ data eſt tibi per prophetiā*, id eſt, per præuiſionem; ſpiritu enim prophetiæ prædoctu:, vidi te idoneū

Caſtitas gemma virtutum eſt in iuuene.

B

Vox viua magis animat, quam lectio.

C pontificali gratiæ: & *hæc data eſt tibi cum impoſitione manuum presbyterij*, id eſt, Epiſcopi: qui conſecrando te Epiſcopum, manus tibi impoſuit. Vel presbyterij, id eſt, presbyteratus: quia licet vnus ſpecialiter manus imponat & conſecret, tamē cæteri Epiſcopi qui aſtant eundem cum illo cōſecrant. ¶ Nota quod per impoſitionem manus Spiritus ſanct. datur, nō ideo fit, quin ſine hoc poſſet dari; ſed ideo manus imponitur, vt plenam

Spiritus S. datur per impoſitionem manus.

D ſubiectionē per hoc diſcat exhibere Deo & cōſecratori ſuo ille qui ſacratur. Vnde ſacrator ille hanc prælationem habet ſuper eum quē conſecrat, ꝙ nunquam ab eo vltra iudicabitur. Prophetia etiam illa quā dixit, quia non ita modo poteſt fieri, non enim ſic modo ſpiritales ſunt Epiſcopi, fit tamen ſecundū quod poteſt fieri: vbi qui conſecraudus eſt pręſentatur cōſecratori: & requiritur de fide & cæteris vt habet ordo. Et (vt conſerues gratiam quæ in te eſt) *meditare hæc* quæ moneo: *& eſto in his* per ope-

rationem *vt* ſic meditando & operando *profectus tuus manifeſtus ſit omnibus:* & exemplo tuo proficiant. Vtque ſic proficere poſſis: attende tibi ſubtiliter: corrige vitam tuam: & te vndique circumſpecto *attẽde doctrinæ* .i. doce alios. Vita enim tua ſi ſit laudabilis prædicationem tuam cõmendabit: & ideo *inſta in illis* .i. in directione vitæ & doctrina ſubditorũ. *Hoc enim faciens* .i. inſtando in illis *teipſum ſaluum facies.* Attendendo tibi: *eos etiam* ſaluos facies per doctrinam *qui te audiunt.*

CAP. V.

SEniorem ne increpaueris: ſed obſecra, vt patrem. Iuuenes vt fratres. Anus vt matres. Iuuenculas vt ſorores in omni caſtitate. Viduas honora,

1.q 2. viduas honora.

quæ verè viduæ ſunt. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet: diſcat primum domum ſuam piè regere: & mutuam vicem reddere parentibus. Hoc enim

Sap. 2.

acceptum eſt coram Deo. Quæ autem vere vidua eſt & deſolata, ſperet in Deum: & inſtet obſecrationibus & orationibus nocte ac die. Nam quæ in delicijs eſt viuens: mortua eſt. Et hoc præcipe, vt irreprehenſibiles ſint.

47. diſt. ſicut. §. neceſſe.

Si quis autem ſuorum (& maxime domeſticorum) curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.

31. q 1. quomodo 12 di. c. 1. ante fin.

Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum: quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis teſtimonium habens: ſi filios educauit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lauit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtrauit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt. Adoleſcentiores autem viduas deuita. Cùm enim luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt: habentes damnationẽ, quia primam fidem irritam fecerunt. Simul autem & ocioſæ diſcunt circũire domos: nõ ſolùm ocioſæ, ſed & verboſæ & curioſæ, loquentes quæ nõ oportet.

27. q. 1. nuptiarum post princ.

Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe, nullam occaſionem dare aduerſario maledicti gratia.

20. q. 5 epiſcopi.

Iam enim quædam conuerſæ ſunt retro poſt Satanam.

A *Si quis fidelis habet viduas, ſubminiſtret illis vt non grauetur eccleſia: vt his quæ vere viduæ ſunt, ſufficiat. Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim ſcriptura: Non alligabis * os boui trituranti.*

*in frena.

Deut. 25. 4. 1. Cor. 9 9.

Et dignus eſt operarius mercede ſua. Aduerſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. Teſtor coram Deo & Chriſto Ieſu, & electis angelis eius, vt hæc cuſtodias ſine

Deut 19. 45. di ſed illud. 2. q 1 ſi peccauerit. 24. §. 1. 78 di. quid eſt De elec. cũ nobis. De conſe. di. 5. ſi tibi. De inrein... ran. & ſi Chriſtus.

B *præiudicio: nihil faciens in alteram partem declinando. Manus cito nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis. Teipſum caſtum cuſtodi. Noli adhuc aquam bibere, ſed vino modico vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Quorundam hominum peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad iudicium; quorundam autem & ſubſequuntur. Similiter autẽ & facta bona manifeſta ſunt: & quæ aliter ſe habent, abſcondi non poſſunt.*

C

ET ne Timotheus (quẽ ſic admonuit, præcipe, doce, &cæt.) indiſcrete doceret: non attendens diuerſitates ætatum & ſexuum: ſubiungit Paulus, quomodo ſingula ætas docenda ſit, dicens: Licet dicam præcipe, doce: vide tamen *ne* cum auſteritate *increpaueris ſeniorem* ætate: *ſed obſecra* cum tanta diligentia *vt patrem. Iuuenes* autem obſecra, *vt fratres. Anus* vero *vt matres. Iuuenculas vt*

D *ſorores.* Et quia Timotheus iuuenis erat: ideo cum de iuuenculis diceret: *in omni caſtitate* appoſuit: rectiſſime enim in alloquio iuuencularum iuuenis de omni caſtitate admonetur: ne ſaltem minima carnis titillatione circa eas moueatur. Timotheo inſtructo, qua diſcretione docere deberet, ſubdit præceptum de viduis: determinans quæ de bonis eccleſię debeant ſuſtentari, & quę non, dicens: Iuuenculas ſic obſecra: *Viduas* vero confugientes ad Eccleſias *honora* eo modo quo honorandę

ſunt:

ſunt: dando ſcilicet victum & veſtimentum illis ſolùm *quæ ſunt verè viduæ*: nolentes vlterius reuerti ad ea quæ mundi ſunt, vt amplius nubere velint: illis etiam quæ ſunt deſolatæ, quod ſubdit inferius. Deſolatas vocat quæ filios vel parentes non habent qui eas ſuſtentare queant: Vel cum quibus ipſę rebus ſuis ſi quas habent, poſſint vti & inſtruere eos. Honora, inquam, eas quæ vere ſunt viduæ: ſed *ſi qua vidua habet filios aut nepotes*: hæc vtiq; quia deſolata non eſt, *diſcat* (primum quã ſumptus Eccleſiæ accipiat) ſpecialiter *regere domum ſuam*.i. filios ac nepotes: & ſi parentes adhuc habet: diſcat *reddere mutuam vicem parentibus*, qui eam aluerunt cum infans eſſet. Benefaciat, inquam, parentibus *quia hoc* .i. & ſuos ſpecialiter regere, *acceptum eſt coram Deo* magis, quam ſi parentes in calamitate dereſeret. Vidua quæ filios habet non tranſeat ad Eccleſiam: *ſed illa quæ verè vidua eſt* nolens amplius reuerti ad coniugium. *Et* quæ eſt *deſolata* non habens filios aut nepotes: illa *ſperet in Deum*, id eſt, ſuſtentetur bonis Eccleſiæ: *&* ibi *inſtet obſecrationibus & orationibus nocte & die*.

Vidua vere quæ ſunt. Vel aliter vt in hoc verſu determinetur quæ ſit verè vidua. Dico alendas ab eccleſia vere viduas: ne autem decipiaris in illis: ſcito quòd illa vere vidua eſt & deſolata, quæ ſperat in Deum: & non in filios aut nepotes, & quæ inſtat obſecrationibus & orationibus nocte & die. Quæ verè vidua eſt hæc ſolum ſperat in Deũ, vel ſperet. Nam illa *vidua quæ eſt in delicijs* carnis *viuens* mundo: *mortua eſt* Deo: & talis nõ debet recipi in Eccleſiam. *Hoc* etiã *præcipe* de viduis quod cum ſint verè viduæ & deſolatæ, *ſint & irrepræhenſibiles* .i. nec crimen habentes: nec occaſionem criminandi ſe in aliquo tribuẽtes. Vidua quæ habet filios aut nepotes regat eos: *quia ſi qua* vidua *non habet curam ſuorũ* quos regere debet: & *maxime* præ cæteris curam *domeſticorum* .i. filiorum aut nepotum: hæc talis *negauit fidem*, quã promiſit Deo. Planũ eſt enim, quod

A curam proximi non habens, proximum non dilexerit, & ſic nec Deum diligit. Qui enim non diligit fratrem quem videt: Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? Quia ſi nec Deum diligit, fidem plane negauit. *Eſt etiam deterior infideli*, qui nunquam fidem habuit: quia reus eſt pacti quod Deo pepigit, & ſic irritum fecit. Vel ita. Vidua regat filios & nepotes: ſi quis autem eorum expellat matrem viduam volentem ſuſtentari ab illis, quod æquipollenter ait: Si quis non habet curã ſuorum, fidem

B negauit, & eſt infideli deterior. Hæc autem vidua eſt, ſi quæ præmiſſa ſunt habet. *Non* tamen *eligatur* ad recipiendum in eccleſia *minus ſexaginta annorum*: *quæ* etiam *fuerit vxor vnius viri*: ne ducendo ſecundum, rea incontinentiæ viſa ſit: quæ etiam vixerit ſtudioſa *in operibus bonis*. *Habens* etiam *bonum teſtimonium* ab eccleſia *ſi filios educauit* ſpiritualibus documentis. *Si pauperes hoſpitio recepit*. *Si lauit pedes ſanctorum*, id eſt, ſi

C omne pietatis opus prædicatoribus exhibuit. Non formidans minas perſecutorum qui damnabant quoſcũque miniſtrantes ſanctis. *Si* etiam *ſubminiſtrauit patientibus tribulationẽ*, id eſt, ſanctis incarceratis. Vt omnia compræhendam: *ſi ſubſecuta eſt omne bonum opus*, eligatur. Viduæ 60. annorum eligantur: *adoleſcentiores autem viduas*, quæ non ſunt tot annorum, illas volo nubere: & ideo *deuita*, non accipias eas in miniſterium

D Eccleſiæ. Deuita ideo, *quia ſi* ſuſcipias, *cũ* .i. poſtquam *fuerint luxuriatæ*, .i. præ nimia abundantia laſciuientes, *volunt nubere*. Et hoc *in Chriſto*, id eſt, legaliter non meretricari: tales illæ *habentes damnationem*: *quia* ſic frangendo vota, *fecerunt irritam* etiam *primam fidem*, quam in baptiſmo pollicitæ fuerant: vbi à diabolo ſe abrenunciare dixerant: cui frangendo votum continentię quam vouerant, ſe iterum mãcipauerunt, patenter innuentes, quia egentes confugerunt ad ſubſidia Eccleſiæ, non amore continentiæ. Quę non ſolùm

nubere volunt: ſed etiam *ſimul* congregatæ *diſcunt circuire domos*. Et hoc ideo quia *ocioſæ* ſunt: & *non ſolum ocioſæ, ſed etiam verboſæ*, inquirentes rumores vrbis. *Loquentes* etiam curiosè: & cum multo ſtudio ea *quæ non oportet*: ſcilicet quælibet impudica. Et quia propter ocium in tantam perniciē delabuntur, ergo propter hoc *volo iuniores viduas* quæ præfixos annos non habent, volo, inquā, eas *nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe*, vt habeant quibus intendant, & non ſolito modo ocientur. Et ſic volo eas *non dare vllam occaſionem aduerſario*, id eſt, infideli *gratia maledicti*, id eſt, cui valde gratum eſt, habere occaſionem maledicendi de fidelibus. Propterea malo eas nubere quam recipi in eccleſia: *iam enim quædam* vouentes continentiam *conuerſæ ſunt* ab eo quod vouerunt, euntes *retrò poſt ſatanam*. Quod ſi hæ viduę non inueniunt cui poſſint nubere: volo quod ſi qua, vel *ſi quis fidelis habet* has *viduas*, vel matrem, vel ſorores, vel filias, *ſubminiſtret illis, & non grauetur eccleſia* in ſuſtentatione illarum, vt poſſit ſufficere his quæ ſunt verè viduæ & deſolatæ.

¶ Dato præcepto de viduis, inſinuat quibus modis presbyteri ſint honorandi à populo, dicens: Sic præcipe de viduis. Præcipe etiam vt *presbyteri* habeantur *digni duplici honore*: & ſpiritali, vt inclinetur eis: & obediatur eorum præceptis, & corporali vt temporalia miniſtrentur eis ſufficienter à ſubditis. Hi vtique preſbyteri *qui præſunt bene*, id eſt, quorum prælatio vtilis eſt ſubditis: quia vel vacant inſtructioni eorum, vel orant pro eis. Cumque hic duplex honor omni presbytero debeatur: his tamen *maximè* impendatur *qui laborant in verbo* fidei: docentes quid credere oporteat: *& in doctrina*, id eſt, in inſtructione morum. Duplicem honorem dixit exhibēdum eſſe preſbyteris: quorum alterum, id eſt, ſpiritalem: quia vidit nulla ratione poſſe negari, ad eum probandum nihil ſubdidit. Sed alterum ſcilicet de rebus populi ſuſtentare ſacerdotem: quia vidit quoſdam auaros hoc negaturos: probat hoc auctoritate veteris & noui teſtamenti, dicens: Sicut præcipio digni habendi ſunt preſbyteri: quia dicit ſcriptura. *Non alligabis os boui trituranti.* Mos fuit veteribus (& adhuc eſt in aliquibus partibus) vt ſegetes in area poſitas contererent boues, & cætera docta ad hoc opus animalia: ſed tamen proprium boum hoc erat, vt hoc modo contrita meſſe, grana ſeligerentur à paleis. De quibus præcepit Moyſes ne boui conterenti in area alligaretur os: ſed de eo in quo laborabat licenter comederet: hoc præcipiendo intendens aliud ſcilicet, vt prædicator triturans in area Domini de labore ſuo ſufficientia ſibi ſuſciperet ab illis, pro quorum inſtructione laboraret. Dicit etiam Dominus in Euangelio. *Dignus eſt operarius mercede ſua*, id eſt, prædicator ab his in quibus inſtruendis operatur, quæ neceſſaria ſibi ſint accipiat. Quia iterum vidit Apoſtolus quod preſbytero repræhendente vitia ſubditorum: quidam malè mouerentur volentes deprauare vitam presbyteri, ne hoc temere crederetur, ait: Preſbyter ſic honoretur à ſubditis: *aduerſus* quem *presbyterum noli recipere accuſationem* factam de crimine *niſi ſub duobus vel tribus teſtibus*. Quod ſi de debito, vel de qualibet re ſeculari conuenitur, reſpondeat ſingulis. Nūc vtique, quia magis ac magis in deterius lapſi ſunt homines, nec multo pluribus teſtibus, conceditur hodie, vt reſpondeat presbyter, niſi interpelletur de hæreſi. Sub duobus vel tribus teſtibus reſpondeant presbyteri. Si autem *peccantes* ſint .i. ſi preſbyteri in eo quo arguuntur, peccaſſe conuincantur: *Argue* eos *coram omnibus*, vt ſicut crimen eorum, ſic pænitentia criminis omnibus palam ſit: ne forte ſi priuatim pœniteant, non pœnitere putentur qui ab omnibus peccaſſe depræhenſi ſunt. Ideo coram omnibus argue: *vt* hoc viſo *timorem habeāt* peccandi *cæteri* ſacerdotes:

Deut. 25. 4. 1 Cor 9. 9

Luc 10. 7. Prædicator viuat de bonis illorū quibus prædicat.

dotes: ſcientes ſimili pœna ſe plectendos, ſi peccauerint. Vel cæteri, id eſt, ſubditi, qui viſo quanta diſtrictione coerceantur prælati, magis timeant ſibi qui ſunt ſubditi. Ne autem aliquos presbyteros contingat ſic de peccato conuinci (non enim paruum malum eſt eos in ſcelere depræhendi, qui forma boni eſſe debent alijs.) Ne hoc vtique contingat, pręcipio ne quem conſecres ſacerdotem, ſine præcedenti examinatione. Vt autem hoc mandatum nulla cauſa prætereas: *Obteſtor te coram Deo* patre vt Deus hoc non à me, ſed de manu tua requirat, ſi tamen feceris. Teſtor etiam *coram Chriſto Ieſu* qui futurus eſt iudex omnium: vt in iudicio, non me, ſed te inde arguat. Teſtor etiam *coram electis angelis*: miniſterio quorum in die iudicij boni ſeparabuntur ab impiis, vt in die illo rei huius mihi teſtes ſint: nec me ideò repellant à parte piorum. Teſtor te, inquam, *vt hæc quæ* dicturus ſum *cuſtodias*, ſcilicet *nihil facias*, id eſt, neminem ad ſacerdotium promoueas *ſine præiudicio* i. ſine præcedenti examinatione. Præiudiciũ accipitur hîc, quaſi præcedens iudicium: ſed in canonibus præiudiciũ præcipitata ſententia dicitur. Cumq; præmiſſo iudicio quemlibet examinaueris, ſi eum indignum ſacerdotio per examinationem inueneris: *nihil facias* declinãdo *in partem aliam* ab eo quod docuit examinatio: vt quem malum examinando inueniſti, poſtea ſeductus aliquo modo conſecres in ſacerdotem. Si vero probatus inuentus ſit dignus ſecundùm quod modo viſum eſt: tamen *nemini* eorum *citò manus impoſueris*. i. non ſtatim conſecres: ſed differas adhuc per cõgruum tempus, vt ſi forte quid latet in eo, quod examinatio facta non inuenerit, per dilationem temporis inueniatur. Et nihil faciendo ſine præiudicio, nec prçceps in conſecratione alicuius *non cõmunicaueris alienis peccatis*. Si enim non examinares: vel nimis cito conſecrares: particeps eſſes omnium criminum quæ iniuſtè cõſecratus com-

Sacerdos nō conſecrãdus ſine examinatiõe.

Præiudiciũ dupliciter accipitur.

Cõſecratio nemini cito eſt imponenda.

A mitteret in ſacerdotio: Vtque alios ſubtiliter examines, dignè conſecres: *cuſtodi te ipſum caſtum*. i. in omni virtute integrum. Quia autẽ de caſtitate eum admonuit, ob cuius cuſtodiam vino non vtebatur: quare & ſtomachus eius debilitabatur, ne penitus à vino abſtinendum ſibi eſſe crederet. Ait Paulus. *Noli bibere aquam adhuc*. Per hoc quod dixit adhuc, deſignauit eum prius vti aqua. Noli bibere aquam, ſed vtere non ſemel, ſed in vſu habe. *Vtere*, inquam, *vino*: ſed *modico*. i. cuſtodiendo modum, ſcilicet

B non propter ebrietatem, ſed *propter ſtomachum tuum*, id eſt, propter morbum crebro ſtomacho inſidentem: & *propter frequentes tuas infirmitates*, id eſt, propter multiplices acceſſus & æſtuationes eiuſdem morbi: vt quilibet febricitans morbum quidem ſemper in ſe habet: licet modo acrius, modo remiſſius patiatur: ſed accedentes æſtus febris viciſſim patitur, & non ſemper. Sic iſte Timotheus naturam quidem morbi in ſtomacho iugiter habebat: ſed acceſſus

C morbi viciſſim difficillimè patiebatur. Ideò neceſſaria eſt examinatio priuſquam presbyter conſecretur: quia *peccata* quædam *quorundam hominum manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium*: quia priuſquam veniatur ad iudicium vel ad diſcuſſionẽ: præceſſerũt diſcuſſionem illam quędam peccata illorum qui probandi ſunt ſatis cognita per ſolam famam. De his autem quę palam ſunt non oportet diſcutere. *Quoſdam autem ſubſe-*

D *quuntur* peccata diſcuſſione facta: quia priuſquam de his diſcuſſio fieret, occulta erant crimina quæ per diſcuſſionem aperta ſunt, & propter hæc occulta crimina neceſſaria fuit diſcuſſio. *Similiter* vt de malis *quædam bona facta* eorum qui probandi ſunt *manifeſta ſunt*, & examinatione non egent, *&* è conuerſo bona eorundem *quæ habent ſe aliter*. i. quæ nõ ſunt manifeſta *abſcondi non poſſunt* in diſcuſſione: ad quæ bona inuenienda opportunum fuit diſcutere. Et quia ſic in quibuſdã peccata: in alijs

Vino vti ſtomacho proficit.

bona facta occulta ſunt: ideo neceſſe eſt eos qui conſecrandi ſunt examinare: vt qui mali inuenti fuerint, reprobentur: qui vero boni, promoueantur. Hæc ſententia beati Auguſtini eſt. Ambroſius autem ſic ad proximum verba iungit. Moneo te vti vino: in quo te obedientem eſſe bonum eſt: quia licet non omnibus appareat hoc te bene agere, ne ideo reformides: quia verum quidem eſt quod quædam bona facta manifeſta ſunt: & quædam facta quæ aliter ſe habent, id eſt, quæ manifeſta non ſunt: non poſſunt abſcondi in die iudicii: ita ſi modo non videris bene agere vtendo vino, quia prius nouerunt te omnes abſtinere ab hoc, ob cuſtodiam ſobrietatis, ne cures: quia licet non modo, tamen in die iudicii manifeſtum erit te bene egiſſe, dum mihi obediendo, vſus es vino. Quod quædam bona manifeſta ſint, quædam vero non, apparet per contraria, quia peccata quorundā hominum manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium: quorundam autem & ſubſequuntur, ſicut expoſitum eſt. Similiter in ordine literæ legitur.

CAP. VI.

QVICVNQVE *ſunt ſub iugo ſerui Dominos ſuos omni honore dignos arbitrētur: ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur. Qui autem fideles habent Dominos non contemnant: quia fratres ſunt: ſed magis ſeruiant, quia fideles ſunt & dilecti: quia beneficiꝗ participes ſunt. Hoc doce, & exhortare. Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrina, ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones et pugnas verborum: ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum: & qui à veritate priuati ſunt, exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem. Eſt autem quæſtus magnus, pietas cum ſufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid poſſumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli: & deſideria multa & inutilia & nociua: quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Tu autem ó homo Dei hæc fuge. Sectare vero iuſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem. Certa bonum certamen fidei: apprahende vitam æternam: in qua vocatus es & confeſſus bonam confeſſionem * coram multis teſtibus. Præcipio tibi coram Deo qui viuificat omnia, & Chriſto Ieſu qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem, vt ſerues mandatum ſine macula irreprahenſibile vſque in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti: quem ſuis temporibus oſtendet beatus & ſolus potens rex regum & Dominus dominantium. Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem: quem nullus hominum vidit: ſed nec videre poteſt: cui honor & imperium ſempiternum, Amen. Diuitibus huius ſeculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum: bene agere: diuites fieri in bonis operibus: facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprahendat veram vitam. O Timothee, depoſitum cuſtodi: deuitans profanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ: quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.*

45.diſt. de Iud. in fin. 45.diſt generalis. De baptiſ. maiores in fin.

Eccl.5.14. Iob.1.21. 10. q.2. epiſcop. 13.q.1. eccl.

Eccleſ.10. 18 di.c.1. ver. impetiginem. 47.di. bonorum. De pœn. di. 2. quia radix. 2.Tim.2.

* *fidem*

Apoc.19.16.

Ioan.1. 1.Ioan.4.

QVIA iterum vidit Paulus quoſdam ſeruos ad fidem conuerſos indignari, nec velle ſeruire Dominis ſuis infidelibus, putantes abſurdum eſſe, vt ſi qs fidelis eſſet ſeruiret infideli: nec etiam fidelibus Dominis, dicentes, cùm oēs fideles in Chriſto

fratres

fratres ſint, debere fieri omnes eiuſdem conditionis. Vt malũ huius opinionis refelleret, ait: Sicut prædixi de conſecrãdis presbyteris obſerua: Pręcipe etiam hoc, vt *quicunq; ſerui ſunt ſub iugo infidelium dominorum, arbitrentur dominos* ſuos *dignos omni honore:* fide tamen in omnibus cuſtodita. Ideò per iugum infideles ſignauit, qui difficilius premebant ſeruos, quã fideles domini. Ideò ſic dominis ſubijciantur: *ne* ſi aliter fieret, *blaſphemetur nomen Domini:* dicentes Deum iniuſtum, qui conditiones mutauerit: & ſeruos qui pro peccatis ſuis ſeu parentum ſerui facti ſunt: vt Cham filius Noë, cũ generatione ſua, quia pudenda patris detexit, liberos non fecerit: ideò etiam ſeruiant dominis, ne *doctrina* .i. prædicatio ſanctorum blaſphemetur & contemptibilis fiat: dum quæ ſua ſunt, dominis auferat. Illi autem ſerui *qui habent fideles dominos, non contemnant* eos, *quia fratres ſunt* in Chriſto: *ſed magis,* non quod plura debita ſoluant: ſed maiori dilectione *ſeruiant* eis: ideò *quia fideles ſunt; & dilecti* à Deo: & *quia participes ſunt beneficij* Dei, id eſt, iuſtitiarum quæ habentur in præſenti, & futuræ beatitudinis. *Hos,* ſcilicet, ſeruos ſubiectos eſſe dominis *doce* eos, qui neſciunt: *& exhortare* ſuperbos, qui ſciunt & ſeruire dedignantur. *Si quis verò* pſeudo *aliter docet,* ſeruos, ſcilicet, non debere ſeruire dominis, & à te prohibitus ne hoc doceat: *non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti: & non* acquieſcit *ei doctrinæ quæ eſt ſecundum pietatem.* Doctrina enim Dei pia eſt, non mutans conditiones, nulli tollens quod ſuum eſt. Etiam ideò pia: quia per hoc dominos multum inuitat ad fidem & allicit: quam vtique doctrinam ſi ſeruos eis auferret, intolerabilem iudicarent, & abijcerent. Seruis etiam per hæc pia eſt: quia cũ pro peccatis ſuis, ſeu parentum ſerui facti ſunt, ſi pœnam hanc peccati patienter ſuſtinent, merentur iuſtificari per humilitatem: ſi verò renuunt, damnantur per ſuperbiam. Si quis,

Gen. 9. 2.

Doctrina Dei pia eſt.

A inquam, aliter docet, nec prohibitus deſiſtit: hic abijciatur vt *ſuperbus & nihil ſciens*, cum ſe putet aliquid ſcire: & omnes homines vnius conditionis eſſe aſſerat. Nihil, inquam, ſciens, *ſed languens*.i. diſſolutus & languidus *circa quæſtiones* quas obijcit, & abſoluere neſcit: *& circa pugnas verborum*, id eſt, circa pugnantia verba: vt illud: Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis: & illud. Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris; quæ tamen ſibi contraria non ſunt. *Ex quibus* pugnis, verborum *oriuntur inuidiæ:* B quod domini inuident ſuperbientibus ſeruis. Oriuntur etiam *contentiones:* quia domini contendunt cum ſeruis verbis. Oriuntur etiam *blaſphemia:* quia (ſicut dictum eſt) blaſphematur inde Deus, & doctrina eius. Oriuntur etiam *malæ ſuſpiciones:* quia putant domini quod prædicatores accipiant munera à ſeruis. Oriuntur etiam *conflictationes hominum* prædicantium hoc: quia etiam pugnant cum his qui hoc prædicant. Hominum dico, id eſt, perditorum *mente corruptorum*.i. qui corruptum habent C intellectum: *qui etiã priuati ſunt* omni *veritate* verborum. Hominum dico adhuc *exiſtimantium pietatem* .i. Chriſtianam doctrinam *eſſe quæſtum* .i. qui ex doctrina ſua putant licere ſibi per hoc congregare diuitias: ſed falſo putant: quia *pietas* non eſt quæſtus temporalium: ſed *eſt quæſtus magnus*, id eſt, magnæ & incomparabilis rei pietas *cum ſufficientia*, id eſt, cum victu & veſtitu, quod cuique ſufficere debet. Ideò quia nos nudi nati *nihil intulimus in hunc mundum: & haud dubium eſt quin* exeuntes de mundo *non poſſumus auferre quid inde.* D Ne autem, quia ſe nudos dixerat intrare mundum, nudoſque reuerti, putaret in nuditate conuerſandum eſſe in mundo. Contra hoc ait. Licet nihil intulerimus in mundum: tamen dum in eo manemus ſimus *habentes alimenta & indumenta quibus tegamur:* nõ in quibus luxuriemus: & *his* alimentis & tegumentis *ſimus contenti:* ideò quia videmus

Ioan. 8. 36.

Luc. 20. 25.

Pietas non eſt quæſtus temporaliũ

eos *qui volunt diuites fieri* quod *incidunt in tentationem* animi: *&* per hãc *in laqueum diaboli* .i. in opus tentationis. Poſtquam etiã diuites facti ſunt, incidunt *in multa deſideria:* cupiunt enim domos & prædia. Deſideria dico *inutilia:* nec ſolum ſine vtilitate, ſed etiam *nociua: quia mergunt homines* deſiderantes *in interitum, &* poſt mortem in ęternam *perditionem.* Verè hæc deſideria ſic mergunt homines. *Nam cupiditas eſt radix omnium malorum:* non quòd ſingula mala fiãt per cupiditatem pecuniæ, ſed nullum genus eſt mali, in quo genere non ſit factum aliquod malum per cupiditatem diuitiarum. *Quam* cupiditatem *quidam appetentes, errauerunt à fide:* negantes Deum deſiderio diuitiarum: quas vt cupidè augerent, *inſeruerunt ſe multis doloribus:* vexantes corpora ſua & animas, per mare, per terras. Qui cupiditati vacant, errant. Sed *tu ô homo Dei* Timothee *fuge hæc* deſideria, hæc fuge, *ſectare verò iuſtitiam*, erogando tua indigentibus proximis, quod cupiditas nunquam facit. Sectare etiam *pietatem.* Quia ſi tam rara habes, vt non inde poſſis dare proximo ſine tua indigentia: quod vt faceres iuſtitia non te cogeret: impertire tamen ei ex pietate. Sectare etiam *fidem*, quam quidam negauerunt propter cupiditatem. Sectare etiam *charitatem* .i. dilectionem Dei & proximi. Sectare etiam *patientiam,* id eſt, patienter ſuſtine ſi quis tua rapuerit. Sectare etiam *manſuetudinem*, id eſt, noli litigare ſicut cupiditas facit. Sectare hæc & *certa certamen:* frequentiam notat Certamen dico *fidei:* quod *bonum* & vtile eſt pro fide Chriſti, certare: *& apprehende vitam æternam: in quam* habendam *vocatus es* de infidelitate per gratiam. *Confeſſus es* etiam (dum in Epiſcopum conſecrareris) *coram multis teſtibus*, qui te mecum conſecrabant *confeſſionem*, à qua recedere non debes: quia *bona*, id eſt, vtilis eſt tibi & ſubditis: ſi in ea perſeueraueris. Monui ſuperius, vt cupiditatem fugeres, & contraria cupiditati ſe-

Cupiditas radix eſt omnium malorum.

Cupiditati vacantes errant.

A ctareris, quod vt facias non ſolùm moneo: ſed & *præcipio tibi*, faciens cum admonitione mandatum: vt ſi hoc tranſgrediaris, reus inobedientiæ conuincaris. Præcipio, inquam, tibi hæc *coram Deo* patre, vt nihil Deus amplius requirat de manu mea: *qui* Deus *viuificat omnia.* Vide ergo vt (implendo quæ præcipio) viuas in eo per quem viuunt omnia. Præcipio etiam tibi hoc coram *Chriſto Ieſu:* qui iudex omnium nihil horum à me requirat in die iudicij: *qui* Ieſus *reddidit teſtimonium ſub Pontio Pilato.* Cùm enim interrogaretur à
B Pilato: Filius Dei es tu? reſpondit: Tu dixiſti: quia reuera filius Dei ego ſum: ſic & tu Timothee confitere Chriſtum, etiam ſi tormenta vel mors immineat. Reddidit, inquam, teſtimonium, ſcilicet, *confeſſionem bonam*, id eſt, vtilem, quid enim tam vtile ad redemptionem quam & quod fuit, & confeſſus eſt ſe eſſe filium Dei? Profectò ſi negaſſet, non crucifigeretur, nec genus humanum redimeret: & ideò vtile fuit confiteri, quod eſſet filius Dei. Pilatus à Ponto inſula Pontius vocabatur. Quia
C nec hæretici inuertere poſſent dictum eſſe de alio Ieſu, vel alio Pilato: multi enim tunc Ieſus dici poterant: ideò Paulus addidit Pontio. Præcipio, inquam, *vt ſerues* hoc *mandatum* quod amplius ſine culpa præterire nequis. Mandatum dico *ſine macula:* quia in nulla parte doctrinæ meæ maculatio aliqua poteſt inueniri: ſed in doctrina hæreticorum licet aliquod bonum præmittatur, vt ſic melius fallant, macula tamen cito inuenitur inſerta. Mandatum
D dico non ſolùm ſine macula: ſed etiam *irrepræhenſibile:* quia nec occaſio repræhendendi inde poteſt concipi, ſi quis ſanè attendat. Serues dico *vſque in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti*, id eſt, vſque in diem mortis tuæ: quando enim moritur quis fidelis eo die dicitur Deus ad eũ venire: quia tunc recipit eum Deus in gloria, quẽ quaſi alienũ à ſe in miſerijs mundi dum viueret dereliquerat: quãdiu enim

Mat. 27. 11.

Pilatus vnde nomen ſumpſit.

Deus venit ad fidelem quando moritur.

enim iuſtus detinetur in mundo, videtur Deus non venire ad eum: quia ibi permittit eum affligi: ſed cum iuſtus carne ſoluitur, venire Deus ad eum dicitur, cuius animam ſuſcipit in requie. Diceret fortaſſis Timotheus. Suſtinerem Deum, ſi non tardaret eius aduentus. Contra hoc ait Paulus. Bone vir ſuſtine: quia quem aduentum oſtendet Deus ſuis, id eſt, congruis temporibus: quando enim tempus idoneum viderit, aduenict tibi. Cauſa ponit, quare ſuſtinere debeat dicens: Seruare debes hoc, donec Deus adueniat, quia ille *beatus* beatitudinem dabit tibi ſi ſuſtineas: & ille *ſolus potens* potentem te faciet ſuper omnes perſecutores. *Rex* etiam *regum* regem te faciet: quia nec perſecutorem, nec tētationem cum eo poſitus timebis: qui etiam *Dominus* eſt *dominantium*: & faciet te dominari inimicorum tuorum. ¶ Nota quòd quidam potentes ſunt, nec tamen dominantur aliorum. *Qui* Deus *ſolus habet immortalitatem*, id eſt, immutabilitatem: quia ſemper in eodem ſtatu permanet: *qui* etiam *habitat lucem*. Loquitur de Deo à ſimilitudine illius, qui habitaret in ſplendida regione. Habitat, inquam, lucem: quia omnis vera lux habitat in eo. Lucem dico *inacceſſibilem*, id eſt, ad quam lucem intelligendam nullus accedere poteſt: quod ipſe determinat: dicens inacceſſibilem ideo: quia quam lucem in Deo, vel *quem* Deum in luce: *nullus hominum* ſecundùm hominem *vidit, ſed nec* de futuro ſecundum quod homo eſt *videre poteſt: cui* Deo eſt gloria ſecundum Deitatem: *honor*, ſecundum hominē: *imperium*, ſecundum iudicium quo iudicat, & iudicaturus eſt omnes. Imperium dico duraturum in *ſempiternum*: & quod opto vt ſit ei gloria & honor, *Amen*. i. certè ita erit & deeſſe nequit. Nota quod dicit nullus hominum Deum vidit: in eo quod homo eſt accipi debet: quia & Paulus raptus eſt ad tertium cœlum, vbi audiuit quæ nō licebat audire homini: cum tamē Paulus & antequam rape-

Lucem inacceſſibilem habitat Deus.

Deū nemo vidit an ſit vera propoſitio.

A retur & poſt homo fuerit. Et cum de Ioanne Euangeliſta idem factum ſit: ideò homo ſecundū quod eſt homo, lucē Deitatis videre non ſufficit: quia anima hominis incarcerata deprimitur in carne, adeò ꝙ nec aliqd videre poteſt, vel cogitare, niſi excitata aliquo corporeo ſenſu, viſu, vel auditu, vel huiuſmodi. Quia ſi quādiu anima in carcere carnis clauditur, nequit facere quicquā: ſi non excitetur per corporeos ſenſus: de quibus planum eſt, quod vix parum de Deo in-

B telligunt: credendū eſt quòd nec anima hominis, quādiu in homine eſt: in cognitione Dei corporeos ſenſus excedit. Si aūt anima Pauli ſeu Ioānis de Deo vidit ꝙ videre homini nō licuit: credi oportet, ꝙ vel anima eius penitus illa hora corpus deſeruit, vel ſi in corpore māſit, oēs ſenſus corporis exceſſit: & ſecūdum hæc extra hominem fuit: quia tūc temporis quaſi mortui fuêre corporei ſenſus. Vnde viſiones magis dormientibus oſtenduntur quā vigilātibus. Dū .n. homo

C dormit, corporei ſens⁹ nihil tūc ſentiunt: aīa verò tūc ſola vigilat. ¶ Quia ſuperius dixerat Paulus. Habeamus alimenta & indumenta quibus tegamur: ne ideò Timothe⁹ arbitraretur pauperes tātum recipiendos, diuites verò ab Eccleſia repellendos. Contra hoc ait. Licet alimentis & tegumētis contētos nos eſſe debere dixerim: ne tamen abijcias diuites: ſed *diuitibus huius ſeculi præcipe non ſapere ſublime* .i. non propter diuitias ſuperbire: *neque ſperare in incerto diuitiarum* .i. in

D incertis diuitijs, quaſi qui hodie habet, cras fortaſsè non habiturus eſt: *ſed* ſperare *in Deo*: & cauſam ſubdit quare: *qui* Deus *præſtat nobis omnia abundè*: non ſolùm ad vtendum, ſed etiam *ad fruendum*. i. vt cum iucunditate vtamur illis. Frui dicimus de re quæ ſuauis eſt & vtilis. Vti verò de re, quæ licet vtilis ſit, amarum tamen vſum habet: vt plures potationes quæ amarum guſtum habent, & vtiles ſunt. Præcipe etiam diuitibus *benè agere*: eoſque *fieri diuites in bonis operibus*: quæ auro & argento potiora ſunt.

Viſiones quare magis dormiētibus oſtenduntur quā vigilantibus.

Frui & vti differunt.

Diuitum inſtructio.

ſunt. Præcipe etiam *facile tribuere* ſua pauperibus: nec hoc ſolum, ſed etiam in bonis ſuis *communicare* pauperibus vt diuitias non magis faciãt proprias ſibi, quam egenis: & ſic diſtribuendo ſua, præcipe illos *theſaurizare ſibi fundamentum*.i. virtutes in quibus firmiter fundati ſint. Qui enim hodie caſtus eſt, cras inceſtus: hic quaſi in lubrico & non in fundamento eam habuit. Fundamentum dico *bonũ*.i. vtile *in futurum*: ad hoc *vt per* illud *apprehendant vitam æternã*, qui hic in virtutibus fundati ſunt. Vt autem de diuitibus & de omnibus quæ pręcepi ſanam obſeruantiam facias: ideò *ô Timothee cuſtodi depoſitum* .i. commiſſum & creditum tibi donũ Spiritus ſancti. Vtq; benè cuſtodias, eſto *deuitãs nouitates*.i. alternas æquipollentias vocum fidei noſtræ: quia profanæ ſunt. Hæretici enim voces quibus fidem Dei confitemur, mutant, ponendo æquipollentes: donec ſenſim per has ęquipollentias incautum fidelem deceperint: quare præcipit nouitates vocum deuitare. Deuita etiam *oppoſitiones* .i. diſputationes ſophiſtarum. Oppoſitiones dico *ſcientiæ* quæ eſt *falſi nominis*. Falſo enim vocatur ſcientia, quia vero nomine vocaretur inſipientia. *Quam* falſam ſcientiam *quidam promittentes* .i. iactantes ſe habere: *exciderunt circa fidem*.i. perierunt: qui noluerunt ingredi ad fidem. Et vt hoc depoſitũ cuſtodias *gratia Dei* ſit *tecum*, *Amen* i. ita certè erit: vide tamen vt perſeueres.

Hæreticorũ nequitia & impoſtura.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM SECVNDAM AD TIMOTHEVM.

ITEM *Timotheo ſcribit de exhortatione martyrij, & omnis regulæ veritatis: & quid futurum ſit temporibus nouiſſimis: & de ſua paſſione, ſcribens ei ab vrbe Roma.*

A

PROLOGVS B. BRVNONIS IN EANDEM.

PRAEMISSA epiſtola à Roma miſſa dicitur eſſe Timotheo à Paulo. Quia ſi primam cõſtat: quia & à Roma hanc ſecũdam miſit. Poſtquam enim Paulus Romam venit, inde non diſceſſit donec pro Chriſto martyrium ſuſtinuit. Hanc iterum Paulus cùm eſſet Romæ in vinculis Timotheo reſcripſit. Audierat quidem de eo multa bona, ſed tamen aliquãtulum remiſſum: & timore paſſionum & mortis, non (ſicut deberet) prædicationi inſtantem: quare in hac epiſtola agit ad eum de paſſionibus & morte: prętendens paſſiones ſuas illi cum paſſionibus Chriſti & morte: oſtendens quãtus fructus de paſſionibus his proueniat: eaſque multis modis commendat ei: eo fine vt ſic exhortatus, paratus ſit pati & mori pro Chriſto: & quaſi morti vltro ſe ingerens, omni inſtantia prædicet verbum Dei.

B

C

EPISTOLÆ II. AD TIMOTHEVM.

CAP. I.

PAVLVS *Apoſtolus Ieſu Chriſti per volũtatem Dei, ſecundũm promiſſionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Ieſu: Timotheo chariſſimo filio gratia & miſericordia & pax à Deo patre & Chri-*
D *ſto Ieſu Domino noſtro. Gratias ago Deo meo cui ſeruio à progenitoribus meis in conſcientia * pura, quod ſine intermiſſione habeam tui memoriam in orationibus meis, noctè ac die deſiderans te videre: memor lacrymarum tuarum vt gaudio implear. Recordationẽ accipiens eius fidei quæ eſt in te non ficta, quæ & habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua * Eutice; certus ſum autem quod*

* bona.
* al. Eunice.

& in

*& in te. Propter quam cauſam admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis. Noli itaq; erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, neq; me vinctum eius, ſed collabora Euangelio ſecundum virtutem Dei: qui nos liberauit & vocauit vocatione ſua ſancta: non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tēpora ſecularia. Manifeſtata eſt autem nunc per illuminationē Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui deſtruxit quidem mortem, illuminauit autem vitā & incorruptionē per Euangeliū: in quo poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus, & magiſter gentiū. Ob quā cauſam etiam hæc patior, ſed non cōfundor. Scio enim cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem. Formam habe * ſanorum verborum quæ à me audiſti in fide & in dilectione in Chriſto Ieſu. Bonum depoſitum cuſtodi, per Spiritum S. qui habitat in nobis. Scis enim hoc, quod auerſi ſunt à me omnes qui in Aſia ſunt, ex quibus eſt Philetus & Hermogenes. Det miſericordiam Dominus Oneſifori domui: quia ſæpe me refrigerauit: & catenam meam non erubuit: ſed cum Romam veniſſet, ſollicitè me quæſiuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire miſericordiam à Domino in illa die: & quanta Epheſi miniſtrauit mihi, tu melius noſti.*

* habens.

PAVLVS &cęt. *Paulus Apoſtolus Chriſti Ieſu per volūtatem Dei* ſicut in præcedenti expoſitum eſt. Apoſtolus dico *ſecundum promiſsionem vitæ.* Promiſſa eſt vtique vita legitimè certantibus: quam promiſſionem benè ſequor legitimè certans. Tu verò animatus ſequere mecum promiſſionem vitæ: non præſentis, ſed eius vitæ *quæ eſt in Chriſto Ieſu*.i. æternæ. Si enim legitimè certamus, vitam æternam vtique habebimus. Paulus ſcribit hæc. *Timotheo chariſsimo filio: ſint* tibi *gratia, miſericordia & pax à Deo patre & Chriſto Ieſu Domino noſtro,* ſicut ſupra expoſuimus. Hic in pri-

A mis blanditur ei Paulus, vt ſic melius inducat eum in id, quod ſuadere nititur, dicens. *Gratias ago Deo cui* ego *ſeruio* edoctus *à progenitoribus meis*, id eſt, ab Abraham, Iſaac & Iacob. Hic enim Paulus de tribu Beniamin. Seruio dico *in pura conſcientia:* in nullo enim conſcientia mea carpit me, ſic & tu puram habe conſcientiam, & ſic ſeruare poteris commiſſam tibi gratiam. De hoc vtique gratias ago quòd *habeam memoriam tui ſine intermiſsione in orationibus meis*, id eſt, quia Deus te talem fecit, cuius me B velit & dignum ſit ſemper eſſe memorem: ita quod nec ſemel orare poſſum ſine tui memoria *nocte ac die* .i. continuè *deſiderans videre te.* Si enim te viderem, non vtique me præſente formidares mortem. Ego dico *memor tuarum lachrymarum*, quas effudiſti: quia in pace te dimiſerem Epheſi: volens mecum tranſire & ſuſtinere vincula & mortes. Vide ſicut me præſente, ſic modo viſa epiſtola mea, vltro te ingeras paſſionibus & morti. Ideò vtique te videre deſidero, *vt implear gaudio.* Si enim præ- C ſens eſſem, mortem vtique non formidares: de quo plurimum gauderem. *Accipiens* etiam *recordationem eius fidei quæ eſt in te non ficta* .i. non inuētitia, vel nō fragilis: *quæ* fides *habitauit etiā primū in auia tua Loide: & in matre tua Eutice.* Quia ſi in progenitricibus tuis & in muliebri ſexu exemplum habes fidei, quaſi iam naturalis ſit tibi: debes vtique per hoc plurimum feruere in fide. In matre & in auia tua fides fuit. *Certus autem ſum quòd etiam in te* habitat fides: ſed vtinam ferueret. *Propter quam cauſam:* D quia & fidem & exemplum fidei, quaſi naturale in te video: *admoneo te, vt gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* (Cum enim te conſecrarem Epiſcopum, per impoſitionem manuum mearum, gratiam Spiritus ſancti accepiſti.) Volo vtique vt illam gratiam aliquantulum in te ſopitam *reſuſcitas*, id eſt, euigiles: & æſtuante illa gratia in te gaudeas pati & mori pro

nomine

nomine Chriſti. Memor illius: quia *Deus dedit nobis* Spiritum ſanctum: *nõ ſpiritum timoris ſed virtutis*.i. conſtãtiæ: vt virtuoſè toleremus omnia, & ſpiritum *dilectionis* Dei. Dedit etiam ſpiritum *ſobrietatis* .i. temperantiæ. Temperantia enim nutrit dilectionem: dilectio virtutem: vbi enim dilectio: ibi profectò nõ eſt timor. Perfecta enim charitas foras mittit timorem. Vide ergo vt ſicut ſocius mihi fuiſti ſucipiendi gratiam Spiritus ſancti; ſis imitator ſis paſſionũ mearum. Et quãdoquidem ſpiritum virtutis & dilectionis mecum accepiſti: Itaque *noli erubeſcere teſtimonium Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Quia ſi impropertur tibi quod crucifixũ adores, confitere planè quia ſic adoras. *Neque* etiam erubeſcas *me vinctum eius.* Quia ſi quis iterum improperat: ecce magiſter tuus in vinculis damnatus eſt: ne ideò verecũderis: *ſed collab a Euangelio* & prædica mecum *ſecundum virtutem* Dei .i. ſequendo conſtantiam quam dilectio Dei nutrit: *qui* Deus *liberauit nos* à iugo diaboli: *& vocauit* nos *vocatione ſua ſancta* .i. ad hoc vt eſſemus ſancti. Et ad hanc ſanctitatem non vocauit nos merito operum noſtrorum: ſed *ſecũdum propoſitum ſuum* .i. ſecũdum prouiſionem ſuam qua nos miſericorditer præuidit idoneos ſibi futuros: & ſicut vocatio, ſic nec prouiſio fuit ex aliquo merito: ſed ſecundum *gratiam quæ data eſt* .i. quæ præordinata *eſt nobis* dari *in Chriſto Ieſu ante tempora ſecularia* .i. ab æterno ante hæc tempora noſtra, quæ voluuntur per ſecula. Olim promiſſa fuit hęc gratia dari nobis. *Nunc* autem in tempore Chriſti *manifeſtata* .i. impleta eſt, ſicut promiſſa fuerat *per illuminationẽ ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti* .i. ꝑ Chriſtum in lumine cognitionis noſtræ poſitum per aſſumptam ſibi humanitatem. Ad quod fortè diceret Timotheus. Nolo mori, ſed manere in hac illuminatione. Contra hoc Paulus. Ne timeas mori: quia Chriſtus moriẽdo quidem *deſtruxit mortem*, & etiam deſtructa morte *illuminauit* .i. reuelauit & cognitam fecit *vitam* non tranſitoriam: ſed *incorruptionem* .i. vitam incorruptibilem, in qua impaſſibiles & immortales erimus. Illuminauit dico *per Euãgelium* ſuum: *in quo* Euangelio prædicando *ego poſitus* à Deo *prædicator & Apoſtolus, & magiſter Gentium:* quem pro tot auctoritatibus iuſtum eſt, vt non erubeſcas imitari. *Ob quam cauſam* .i. quia hoc Euangelium docui gentes: paſſus ſum multa. *Hæc* etiam vincula nunc *patior: ſed* tamen *non confundor* .i. non erubeſco: ſed gaudeo pati pro Chriſto, ſic & tu ne erubeſcas. Ideò patiens non cõfundor: quia ſcio cui credidi .i. in quo fidem habui: ſcilicet, in Deo. Vel ita. *Scio cui credidi* .i. cui commiſi paſſiones meas & opera: *& certus ſum* de mercede horum: *quia* ille cui commiſi *potens eſt depoſitum* .i. commiſſum *meum ſeruare* vſque *in illum diem* remunerationis omnium. Et quia vides quod Deus cuſtodit quod penes eum deponitur: tu igitur exemplo illius cuſtodi depoſitum .i. epiſcopalem gratiã tibi commiſſam. Hoc enim depoſitum bonum .i. vtile eſt, ſi cuſtodiatur. Neque hoc viribus tuis cuſtodire te poſſe opineris: ſed per coadiuuãtem Spiritum ſanctum qui habitat in nobis. Vtq; depoſitum benè cuſtodias: *eſto habens formam ſanorum verborum, quæ à me audiſti* .i. adeò expreſsè conformare mihi, vt videaris eſſe Paulus. Formam meam vtique habe *in fide* conſeruanda *& in dilectione* habenda: quæ fides & dilectio ſunt *in Chriſto Ieſu.* Plurimum autem neceſſe eſt vt tu *depoſitum cuſtodias: eo* quod *auerſi ſunt à me omnes* diſcipuli *qui*, me relicto, *ſunt in Aſia:* & hoc idem tu benè *ſcis: ex quibus eſt Figelus & Hermogenes.* Hos ideò determinat ſibi ex nomine, ne ſi venirent ad eum, putans adhuc eos fideles, facilius poſſent ſuadere ipſi, & quaſi ex parte Pauli fallere. Epheſus enim in Aſia erat. Hi auerſi ſunt à me, ſed Oneſiphorus permanſit: & ideò *det Dominus* non ſoli: ſed etiam *domui Oneſiphori miſericordiam* .i. retributionem miſericordiæ quã mihi

fecit:

Temperantia nutrit dilectionẽ. *1. Ioa. 4. 18.*

Mors timẽda non eſt.

fecit: *quia ſæpe refrigerauit me*: & in fide conſolando: & neceſſaria miniſtrando: *& nõ erubuit catenam meam.* Vide ne & tu erubeſcas: ſed amplectaris. Non vtique erubuit: *ſed cùm veniſſet Romam ſollicitè quæſiuit me, &* quæſitum *inuenit*. Et quia me inuenit *det illi Dominus* pater *inuenire miſericordiam* .i. fructum huius miſericordiæ *à Deo* .i. à Chriſto iudice *in illa die* iudicij. Romæ in vinculis ſic miniſtrauit. *Quanta* etiam *Ephesi miniſtrauit, tu noſti melius*, quam hæc quamodo miniſtrauit. Vel melius quam alij diſcipuli.

CAP. II.

*TV ergo fili mi, confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu: & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commẽda fidelibus hominibus: qui idonei erunt & alios docere. Labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu. Nemo militans Deo implicat ſe negocijs ſecularibus, vt ei placeat cui probauit. Nam & qui certat in agone, nõ coronabitur niſi qui legitimè certauerit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere. * Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. Memor eſto Dominum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, ex ſemine Dauid ſecũdum Euangelium meum, in quo laboro vſque ad vincula, quaſi male operans: ſed verbum Dei non eſt alligatũ. Ideò omnia ſuſtineo propter electos: vt & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Ieſu cum gloria cœleſti. Fidelis ſermo. Nam ſi commortui ſumus, & conuiuemus: ſi ſuſtinemus, & conregnabimus: ſi negauerimus, & ille negabit nos: ſi non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt. Hæc commone * teſtificans coram Deo. Noli contendere verbis, ad ſubuerſionem audientium. Sollicitè autem cura teipſum probabilem exhibere Deo operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis. Prophana autem & vaniloquia deuita. Multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eo-*

Ne cle. vel mo. ca. 1.

13. q. 1. §. his ita.

* percipere.

De conſ. di. 4. cum itt.

* cõmone.

A *rum vt cancer ſerpit. Ex quibus eſt Hymeneus & Philetus: qui à veritate exciderunt: dicentes, reſurrectionem eſſe iam factam, & ſubuerterunt quorundam fidem. Sed firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc. Cognouit Dominus qui ſunt eius, & diſcedit ab iniquitate omnis qui inuocat * nomẽ Domini. In magna autem domo non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea ſed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emũdauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorẽ ſanctificatũ, & vtile*
B *Domino ad omne opus bonum paratum. Iuuenilia autem deſideria fuge: Sectare verò iuſtitiam, fidem, ſpem, charitatem, & pacem, cum his qui inuocant Dominum * de corde puro. Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones deuita, ſciens quod generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetũ eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati: ne quando det illis Deus pœnitentiam, ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.*

De pœ. diſt. 2. firmum.

* nominat. 23. q. 4. qui ſecundum carnem. 24. q. 1. quoniam.

* nomẽ Domini. Titum 3. 2 q. 7. ſicut ſacerdotes.

C

QVIA propter auerſionem quorundam magis neceſſarius es: quia etiam exemplo perſeuerãtium de fortitudine admoneris: *ergo tu fili mi* Timothee *confortare*.i. fortis eſto, non paueas. Confortare, inquam, *in gratia quæ eſt in Chriſto Ieſu* .i. in pontificali doctrina, cuius gratiam contulit tibi Deus. Vel confortare in gratia.i. in remiſſione peccatorum, & vita æterna prædicanda. Hæc enim eſt gratia quæ eſt per Ieſum Chriſtum. Vtque confortatus magis proficias:
D *hæc* quæ tibi docenda commendo, *commenda* & tu *fidelibus* .i. conſtitue ſub te prædicatores, qui tecum prædicent populo Dei: hi autem ſint ſanæ fidei: cumque ſint fideles, oportet eſſe tales *qui erunt idonei* & ſcientia & gratia eloquentiæ *docere alios* ſibi commiſſos. Talibus, inquam, commenda hæc *quæ* tu *audiſti à me* .i. quæ ego docui te approbando ea *per multos teſtes*.i. per multa teſtimonia legis

Prædicatorum qualitates.

& prophetarum. Quod enim te de fide Chriſti docui: totũ in lege & prophetis præſignatum oſtendi. Ne fortè Timotheus putaret ſe modo poſſe quieſcere, conſtitutis ſub ſe prædicatoribus. Contra hoc ait Paulus Licet quoſdam vt doceant alios præfeceris, ne tamen ideò tu torpeas: ſed *labora ſicut miles Chriſti Ieſu* .i. memor eſto te militare in caſtris Chriſti. Labor autem congruit militanti, non ocium. Labora ſicut miles *bonus*.i. vtilis. Quomodo bonus determinat in ſequentibus dicens. Si miles bonus fueris, ſecularibus negocijs non implicabis te. *Nemo* enim *militans Deo, implicat ſe ſecularibus negocijs*.i. nõ intẽdit diſcuſſionibus ſæcularium cauſarum, ſed ſpiritualium. Habet enim mundus ſeculares iudices, qui iudicant de temporalibus. Epiſcopi autem vacare debẽt doctrinis ſpiritualibus. Vel ita. Militans Deo nõ ſe implicat negocijs ſecularibus, vt in prædicatione ſua negocietur & vendat eam, requirens ideò precium ab auditoribus. Ideò militans Deo, ſe non implicat his *vt placeat ei*, ſcilicet, Deo cui benè viuendo bonam exiſtimationem de ſe præbendo: per anteactã vitam probauit ſe placiturum. Probat ab eo quod minus eſt, militans Deo non implicat ſe mundanis, vt ſic placeat *Deo. Nam etiam* (quod minus eſt) ille *qui certat in agone*, id eſt, in certamine aliquo, vt in palæſtra vel in ſtadio: hic *niſi certauerit legitimè* .i. ſecundum legem eius certaminis: *non coronatur* .i. non accipit laudem vel brauium. ¶ Ne modo opinaretur Timotheus, quia interdixerat ei negocia ſecularia nihil in temporalibus accipiendum eſſe à ſubditis. Ait Paulus. Licet interdicam tibi ſecularia negocia: tamen volo te accipere de fructu prædicationis temporalia. Te enim *laborantem* in cultura Dominici agri: *oportet accipere de fructibus illius agri* .i. temporalia quæ ager .i. populus dare poteſt. Accipiat, inquam, primum de fructu quod ſibi ſufficiat: & ſi ſuperabundat, ſecundario accipiant pauperes.

Labor non ocium congruit militanti.

Prædicatio non eſt vendenda.

A Vel primum, id eſt, multum inde accipiat: quia res quam miniſtrat, plurimum digna eſt. Accipere autem de prædicatione quod ſufficiat, non eſt negocium ſeculare. Vel ita iungamus. Dico non implices te ſecularibus, nec neceſſe tibi eſt: quia de fructibus prædicationis in qua laboras, accipies quæ opportuna fuerint tibi. Quod æquipollenter ait, ne fortè Timotheus abſurdum iudicaret viuere de prędicatione: quia Paulus non ita: ſed de manuum labore viueret: Ait

B Paulus. *Ea quæ dico*.i. te de fructu prædicationis opportuna accipere, *intellige* cauſam quare nõ accipiam quod iubeam te accipere. Huius rei cauſam dicunt eſſe ſancti, quod quia Timotheus infirmus erat: & ſi laboraret manibus, prędicationi non poſſet inſiſtere: Paulus autem fortis & laborioſus, erat ad vtrumque ſufficiens, ideò ipſe nihil accipiebat, & ideò accipere Timotheum volebat. Poteris vtique cauſam hanc intelligere: *quia Dominus dabit tibi intellectum*, & in

C hac re: & in omnibus. More boni militis labora ſicut præmonui. Et vt ita labores: memor eſto reſurrectionis Chriſti: & te cum eo (ſi benè laboraueris) reſurrecturum. Spem, inquam, habens reſurgendi, *memor eſto Chriſtum Ieſum reſurrexiſſe à mortuis.* Solus Chriſtus à mortuis reſurrexit: quia poſtea nec actum mortalitatis habuit, nec mori potuit: ſed Lazarus & quicunque reſuſcitati, mortem iterum paſſi ſunt. ¶ Diceret fortaſſis Timotheus: quia Deus fuit & potuit

Chriſtus ſolus à mortuis reſurrexit.

D reſurgere. Contra hoc Paulus. Reſurrexiſſe dico Ieſum *ex ſemine Dauid* .i. ſecundum quod homo fuit: quia ſecundum carnem ſolum filius Dauid fuit. Reſurrexit vtique *ſecundum Euangelium meum* .i. ſecundùm quod ego prædico, cui credendũ eſt: quia Apoſtolus à Deo miſſus ſum. Vel ita. Ex ſemine Dauid fuit Chriſtus ſecundum Euangelium meum: *in quo* quia reſurrexit, prædicando ego *laboro vſque ad vincula.* Propterea enim quia ſic prædico: in vinculis poſitus conſtringor, *quaſi malè operans,*

rans .i. quaſi depræhenſus in aliquo crimine. Quaſi diceret, & pęnam patior:&(quod amplius grauat) opprobria. Si enim putarēt me pati pro iuſtitia, ſolatio mihi fieret. Et ego quidem in vinculis teneor : *ſed verbum Dei non eſt alligatum* : quia etiam in vinculis prædico. Vide igitur, ne & in te timor alliget verbum Dei. Memor eſſe debes Chriſtum ſurrexiſſe: quia *ideò* quòd memor ſum, ſcilicet, reſurrectionis illius: credo me reſurrecturum : per eum, *ſuſtineo omnia* vincula & opprobria. Diceret aliquis. Etiam ſi hæc non ſuſtineres, munditia vitæ & fides ſana ſufficeret. Contra hoc ait. Suſtineo vtique *propter electos* Dei ſaluandos: *vt & ipſi* prælecti à Deo *conſequantur ſalutem* .i. iuſtificationem à peccatis in præſenti, *quæ* ſalus *eſt in Chriſto Ieſu*. Conſequantur, inquam, hanc ſalutem *cum cœleſti gloria:* quia per remiſſionem peccatorum quæ hic fit, peruenitur ad æternam gloriam. Hic autem *ſermo* quem dixi : laborandum, ſcilicet. eſſe ſpe reſurrectionis : *fidelis* eſt & benè credibilis. Fidele eſt vtiq; & benè credibile: quod ſi legitimè laboras, reſurges quemadmodum Chriſtus. *Nam ſi ſumus commortui*, derelinquentes actus veteris hominis Adæ: *conuiuemus* etiam *cum ipſo*, facti impaſſibiles & immortales vt ille. Chriſtus vtique quamdiu in mundo conuerſatus eſt : actus omnes veteris hominis (præter peccatum) habuit. Eſuriuit enim, ſitiuit, fatigatus eſt, vt patet in Euangel. Ioannis, ad puteum cum Chananæa loquens: vt qui verè mortalis & paſſibilis erat. Sed poſtquam mortem pro omnibus pertulit, neque manum, neque pedem, ad actus veteris hominis extēdit: factus impaſſibilis & immortalis. Si verò nos commorimur ei in baptiſmate, quod in cruce ad iuſtificationem hominum conſecrauit, effundens aquā de latere ſuo, vt iuſtificati per baptiſmum vlterius ad actus veteris hominis .i. ad miſerias peccati ſenſus noſtros non extenderimus : conuiuemus illi : facti cum eo impaſſibiles & immortales. Si verò huius mortis participes nō fuerimus, nec vitæ eius participabimur. Si ſolūmodo commorimur ei : viuemus cum eo. *Si* verò (quod maius eſt) *ſuſtinebimus*, vt martyres, quibus mori peccatis non ſatis fuit, ſed pro iuſtitia voluerunt pati. Nos vtique quia ſuſtinebimus, *corregnabimus*.i. non ſolum viuemus, ſed etiam palma & quidam triumphus fiet nobis pro dignitate martyrij. Licet omnibus eſſe cum Chriſto ſufficiat; tamen in illa beatitudine diſcretiones ſunt dignitatum. Verè ſi commorimur, conuiuemus: quia *ſi negauerimus* Deum, malè agendo: *ille etiam negabit nos* vitam æternam non tribuendo. Negare enim Dei eſt bona æterna non tribuere. ¶ Diceret fortaſſis Timotheus. Incredibile videtur, quod Deus propter peccatum abneget eum, qui fidem eis confeſſus ſit. Contra hoc Paulus. Si non credimus quod negantem ſe ſit negaturus Deus, *Ille* tamen *permanet fidelis*.i. verax & credibilis qui ait. Qui erubuerit me coram hominibus, ego erubeſcam eum coram patre meo. Sic autem permanet fidelis, quod impoſſibile eſt eum non veracem eſſe. *Non* enim *poteſt negare ſeipſum*, id eſt, ſe eſſe Deum: ſi enim mentiretur, vtique Deus non eſſet. *Hoc*, ſcilicet, vt commoriaris Chriſto, & ſic doceas alios ſpe conuiuendi ipſi, *commoneo te: teſtificans* hoc tibi *coram Deo:* ne amplius requirat Deus ſanguinem Timothei de manu Pauli. Et licet te tāta diſtrictione commoneam : tamen *noli contendere verbis*, immoderatè docendo quod doceo. Vel ita. Hoc.i. commoriendum eſſe Chriſto ſpe cō uiuendi, commone alios, teſtificans hæc eis coram Deo : ne ſanguis eorū de manu tua requiratur. Et in commonendo noli contendere verbis, *ad nihil enim vtile eſt* litigare, *niſi ad ſubuerſionem audientium*. Si enim inſipiētes audiūt quoslibet litigare, eos qui magis clamoſi ſunt, putant iuſtiorem cauſam habere. Stultorum eſt enim ſtultis adhęrere. Si verò neuter litigantium clamore ſuperauerit,

Ioan. 4. 6.

Negare Dei quid eſt.

Luc. 9. 26.

Litigare ad quid vtile eſt.

rit, dubitant ſimplices, vtri magis adhærendum ſit. Noli contendere: ſed *ſollicitè cura exhibere teipſum* totum, & corpore & animo *probabilem*.i. laudabilem *Deo*. Vt autem ſis probabilis: oportet te eſſe *operarium inconfuſibilem*: quod non erubeſcas prædicare crucem Chriſti, & cætera. Et *rectè* .i. ſine contentione cum omni modeſtia *tractantem verbum veritatis*. Vt autem rectè queas tractare verbum Dei, *deuita prophana*, id eſt, illa penitus abominanda. Deuita etiam *inaniloquia*, id eſt, quæ ſi non ita prophana ſunt, inutilia tamen ſunt. Deuita ideò, *quia* hæc inania verba *multum proficient ad impietatem* perſuadendam: *& ſermo eorum* inania loquentium, *ſerpit* paulatim *vt cancer*, qui morbus paululum carnis primū occupat, ſed paulatim magis ac magis augmentatur, donec occidat. Et ſic hæretici prius callidè inducunt, quod nec prodeſſe nec nocere videatur: & dehinc alternando rationes, ſenſim in maximam hæreſim excreſcit doctrina eorum. *Ex quibus* vaniloquis *eſt Himeneus, & Philetus, qui exciderunt à veritate* fidei. Determinat quæ ſit hæreſis eorum, vt ſi fortè venerint ad Timotheum, præcaueat ſibi: *dicentes, reſurrectionem iam eſſe factam*: vel in his qui cum Chriſto ſurrexerunt, vel in baptiſmo, in quo à morte peccati ad vitam virtutum reſurgimus. Illa enim trina immerſio, ſepulturam Chriſti trium dierum: eleuatio verò, reſurrectionem Chriſti ſignificat. Et ſic dicentes ſubuertunt fidem quorundam. *Sed* licet illi ſubuertant: tamen *fundamentum Dei*, id eſt, in quibus fides benè fundata *eſt*: & qui è conuerſo in fide per Deum fundati ſunt. Hoc, inquam, fundamentum eſt firmum *habens ſignaculum*. Hoc dictum eſt à ſimilitudine ſtrenui ducis, qui ſignū dat militibus ſuis, quo diſcreti fiant ab alijs. Sic Deus ſignat ſuos, vt viſo ſigno, diabolus prætereat eos, ſciens nihil ſibi eſſe cum illis. Signum aūt hoc eſt. *Cognouit Dominus qui ſunt eius*, hoc Paulus ex parte ſua ponit: ſignificās

A electionem Dei in iuſtis, dicens. Dominus cognouit ab æterno qui futuri ſunt eius. Hoc aūt ſequens Eſaiam ait: agens de poteſtate liberi arbitrij dicens. *Diſcedat omnis* homo qui potens eſt per libertatem arbitrij: & *qui inuocat nomen Domini* fide & opere, *ab iniquitate*. Diuina electione & libero arbitrio, quod per bona opera occurrit diuinæ electioni. His duobus ſignati ſunt, qui in iuſtitia ſunt permanſuri. Deus enim ſic vnumquemque electum præuidit futurum bonum, vt & opera bona ſimul in eo

B præuideret. Quicunq; autem electione Dei & bonis operibus liberi arbitrij ſignantur, Dei fiunt. Ne tamen ideò mireris, ſi in domo Dei hoc fit, vt quidam à fide recedāt: alij in fide perſeuerent: quia etiam *in* qualibet *magna domo non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea*: ſicut in domo Dei quidam ſunt perfectiores, alij perfecti ſub illis: *ſed etiam* ſunt in eadem domo *lignea vaſa & fictilia*: ſicut in domo Dei quidam mali, alij deteriores. *Et quædam quidem* eorum vaſorum ſunt *in honorem*, in quibus potiones bonæ re-

C conduntur. *Quædam autem* ſunt *in contumeliam*: vt ad recipiendum vrinam, & huiuſmodi: tamen ſicut honorabiliora vaſa in domo ſunt neceſſaria, eodem modo vaſa contumelioſa. Sic in Eccleſia Dei mali & boni vtriq; modo ſuo neceſſarij ſunt. Si enim mali non eſſent, non eſſet meritum bonorum. Si enim non ſit perſecutio, vbi patientia bonorum? Quoniam quidem vaſa aut in honorem ſunt, aut in contumeliam: & nihil ibi medium eſt: *ergo ſi quis mundauerit ſe ab iſtis*, id eſt, ſi quis non fuerit vas in contumeliam: *erit vas in*

Patientia non eſſet, ſi non eſſet perſecutio.

D *honorem* Deo. Vas dico *ſanctificatum* .i. iuſtificatum à peccatis *& etiam vtile Domino*: quia *paratum* eſt *ad omne opus bonum* faciendum. Prophana deuita: nec hoc ſolùm: ſed etiam *fuge deſideria iuuenilia*, id eſt, quæ lubricam iuuentutem inſtimulant. Hæc fuge, *ſectare verò iuſtitiam* .i. æquitatem ad omnes. *Fidem* in Deum: *caſtitatem* carnis & animi. *Pacem*.i. cōcor-

diam habeto cũ his qui de puro corde inuocant Dominum. Nec ſolum iuuenilia fugias: ſed etiã *deuita quæſtiones ſtultas* in quibus nec ſcientia eſt, nec eſſe videtur. Deuita etiam eas quæ licet non ita ſtultæ ſint: ſunt tamẽ *ſine* fructu Chriſtianæ *diſciplinæ:* vt dialecticæ *quæſtiones: ſciens* hoc *quod* quæ ſunt huiuſmodi, *generant lites. Seruum autem Domini* (quod tu es, & eſſe debes) *non oportet litigare: ſed* oportet *eſſe manſuetum*.i. in omnibus moderatum *& ad omnes*, ſcilicet, *docibilem*.i. cum habilitate docentem alios: *patientem* etiam quęcunque inferantur ei: & *corripientem cum modeſtia eos qui reſiſtunt veritati*, non cum litigio: ideò ſic corripientem *ne quãdo* .i. vt aliquando *det Deus illis pœnitentiam*. Fortaſſis enim aliquando ſe malè egiſſe pœnitebunt: veniendo ſic *ad cognoſcendam veritatem* fidei: & agnita fidei veritate *reſipiſcant à laqueis diaboli* .i. à peccatis quibus diabolus illaqueauerat eos: *à quo* diabolo *tenentur captiui* quamdiu in peccatis ſunt. Tenentur, inquam, *ad* exequendam *ipſius* diaboli *voluntatem*.

CAP. III.

1.Tim.4.2. 2.Pet.2.3. Iude.18.

H OC *autem ſcito, quod in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui,* * *cæci, tumidi: voluptatum amatores magis quã Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem* * *autem eius abnegantes. Et hos deuita. Ex his enim ſunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs deſiderijs: ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Quemadmodum autem Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem: ſed vltra*

* procaces. De conſ di. 4. quamuis. De hær. excommunicamus.
* veritatẽ.

Exod. 7.11. 26.q.5. nec mirum.

A *non proficient. Inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit. Tu autem aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutionem, propoſitum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, perſecutiones, paſſiones: qualia mihi facta ſunt Antiochiæ, Iconij, Liſtris, quales perſecutiones ſuſtinui: & ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes qui piè volũt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* 7.q.1.ſuggeſtum. *Mali autem homines & ſeductores proficiunt in peius, errantes, & in errorẽ mittentes. Tu verò permane in his quæ didiciſti, &*
B *credita ſunt tibi: ſciens à quo didiceris: & quia ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidẽ quæ eſt in Chriſto Ieſu. Omnis enim ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendũ, ad corripiendũ, ad erudiendũ in iuſtitia: vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonũ inſtructus.* 2.Pet.1. verſ.20.

DEuita ſtultas quęſtiones: deuitã etiam homines habentes ſpeciem pietatis &c. Sed priuſquam hoc ponat, præmittit cauſas, quare tales deuitãdi ſint dicens. Non ſolũ quod
C præmiſſum eſt faciendũ eſſe ſcias: ſed etiã *hoc ſcito quod in nouiſſimis diebus* .i. circa finem mundi: *inſtabunt tempora periculoſa* .i. in tempore illo inſtabunt docẽdo, & eos qui non conſentient affligendo periculoſi doctores: qui credẽtes ſibi in multa demergent pericula: & tunc in temporibus illis *erunt homines amantes ſeipſos* .i. carnalitati ſuæ morem gerentes his modis. Erunt enim *cupidi*.i. amatores pecuniæ. Erunt etiã *elati* .i. alijs ſe ſuperponere cupientes. Erunt *ſuperbi*.i.
D in adeptis honoribus illicitè gloriantes. Erunt etiam *blaſphemi* cõtra Deũ & doctrinam eius. Erunt etiam *non obedientes parentibus*, ſeu carnalibus (quod nefas eſt) ſeu ſpiritalibus, vt Epiſcopis & presbyteris. Erunt *ingrati:* quia ſi quis bona docuerit eos, vnde grati eſſe debuerant, moleſti erũt doctoribus ſuis. Erunt etiam *ſceleſti:* homicidia & huiuſmodi ſcelera patrantes. Erunt *ſine affectione* piam voluntatem nõ habẽtes ad proximum:

etiam ſi nihil dare queunt. Erunt *ſine pace* .i. ſine concordia: ſed ſemper in litigio. Erunt *criminatores*.i.iuſtis crimina imponentes: cum ipſi ſint *incontinentes:* ſed paſſim ruunt ad quæcunque ſcelera. Erunt *immites*.i.ſine omni manſuetudine crudeles. Et *ſine benignitate* .i. ſine largitate non erogantes ſua indigentibus. Erunt etiam *proditores*, tradentes iuſtos ad mortẽ. Erunt etiam *proterui*.i. de maledictis ſnuerecundi:& etiam ſi repræhendũtur inde impatiẽtes. Erunt etiam *tumidi* .i. inflati animo: etiam ſi nec honorem nec ſpem honoris habeãt: & hi tales erunt, *amatores voluptatum* .i. totius luxuriæ *magis quam Dei:* quem in nullo videntur diligere. De his autem ſubtiliter cauendum eſt tibi. Hi enim ſunt *habentes ſpeciem pietatis* .i. ſimulantes ſe religioſos, & virtutem eius pietatis .i. dilectionem quæ virtus eſt totius religionis. Valida enim eſt ſicut mors dilectio. Vel *virtutem* .i. veritatem religionis opere *abnegãtes, & hos* tales *deuita*. Diceret Timotheus. Quare de his pręmunis me, qui futuri ſunt circa finem mundi? Ideò ait Paulus, hos deuita: quia *ex his* futuris in nouiſſimis diebus *ſunt* illi *qui penetrant domos* & cæt. Notandum eſt quia ex quo cœpit mundus, habuit in eo Deus regnum ſuum, & diabolus ſuum. In Abel enim Deus, & in Cain diabolus regnare cœpit. Deus autem regnum ſuum aſſumendo carnem, & quæ ſecuta ſunt operando conſummauit regnum ſuum, remittẽdo peccata &c. quomodo conſummari potuit in præſenti: quod regnum ad plénum conſummabit in futuro, dando vitam æternam. Sicut autem Deus in bono: ſic diabolus in perfectione iniquitatis conſummaturus eſt regnum ſuũ circa finem mundi per Antichriſtum. Et ſicut patriarchas & prophetas aduẽtum Chriſti Deus præcedere voluit; ſic multa membra Antichriſti pręcedent caput ſuum.i. Antichriſtum. Contra cuius membra Paulus inſtruit Timotheum, dicens. Ex his quos deſcripſi ſunt pſeudo-doctores, qui penetrant domos, non audentes

Dilectio valida eſt ſicut mors

Diabolus à principio regnum ſuũ ſicut Deus habuit.

A docere in plateis, ne doctrina eorum pateat in audientia bonorum: ſed vt liberius ſeducant, priuatim in domibus docẽt: & ſic *mulierculas* (quę quolibet vento doctrinæ leuiter falluntur) *ducũt* ſeductas quolibet inductu illo factas *captiuas:* quia captiuatæ ſunt à Deo, & datæ ſunt ſub iura diaboli. Vel ad cumulũ improperij ſicut fęminas: ſic & viros vocat mulierculas.i. molles omni vento doctrinę cedentes: vt audito nomine improperij ſui citius erubeſcãt & conuertantur ad Dominum. Mulierculas dico *oneratas peccatis*, dũ ſeductæ ſunt diabolo: *quæ* mulieres *ducũtur varijs deſiderijs:* quia *ſemper diſcentes, & nunquam peruenientes ad ſcientiam veritatis*.i. ſemper laborantes, & nunquã ad perfectionem venientes. Et iſti tales non tantùm in domibus priuatis docent: ſed etiã hi homines reſiſtunt veritati in aperto: *quemadmodũ Iamnes & Mambres* duo fratres magi in Aegypto *reſtiterunt Moyſi* corã Pharaóne: faciendo quædam per incãtationes ſuas quæ Moyſes faciebat, nec tamen omnia. Hi *homines* dico *corrupti mente* .i. deprauati intellectu & opere: & circa fidem euntes. Ad quam quia nõ ingrediuntur, reprobati ſunt à Deo. ¶ Ne modo his prædictis deterreretur Timotheus, cõſolatur eũ Paulus, dicens. Tales quidem futuri ſunt: ſed ne timeas quia *vltra nõ proficient:* Ideò quia *inſipiẽtia illorum* ſicut Iamnæ & Mambræ ad vltimũ *manifeſta erit*. Illi non vltra proficiẽt: tu autem quaſi diceret, proficere debes & potes. *Tu* enim *aſſecutus es meã doctrinam* in ſcientia: & meã *inſtitutionẽ* in diſpoſitione vitę & in moribus: & meum *propoſitum*, quia ſicuti vitã æternã finem laboris mei propoſui: ita & tu aſſecutus es etiam *fidem:* quia ſanè credis vt ego: & *longanimitatem* in ſpe: quia paratus es quamdiu Deo placebit mecum ſuſtinere. Habes etiam *dilectionem* Dei & proximi: & *patiẽtiam*.i. ipſam virtutem: etiam ſi nihil operari neceſſe ſit, & actus illius patiẽtiæ, ſcilicet, *perſecutiones* de loco ad locum: & *paſſiones* tormentorum.

Exod. 7. 11.

B

C

D

Noſti

Nôſti etiam *qualia facta ſunt mihi* A *Antiochiæ*, *Iconij*, *Liſtris*, & præter hæc: *quales perſecutiones* ego *ſuſtinui* in multis locis. Sed quid inde timendum? *Ex omnibus* enim *eruit me Dominus*; & ſic eruet te de his quæ te pati contigerit. Incitari debes ad continentiam exemplo meo, & omnium religioſorum. *Omnes enim qui volunt piè*, id eſt, religiosè *viuere in Chriſto Ieſu patientur perſecutionem*: & ideo ne turberis ſi aliqua pateris. Piè viuentes patientur: *homines autem mali* in ſe *& ſeductores* aliorum B *proficient* quidem *in* mundan:s * ſed hoc totum erit illis *in pœnis*, & in damnationem. Ipſi dico, *errantes* in ſe: *&* ideo mali *mittentes* etiam alios *in errorem*, & ideo ſeductores. Ipſi errabunt: *tu vero permane in his* præceptis *quæ didiciſti à me*: *&* in his quæ *credita ſunt tibi*, id eſt, in Pontificali gratia: *ſciens* & rememorans hęc *à quo*, & quanto Doctore *didiceris* iſta. Si enim recordaris meæ auctoritatis, contemptui fiet tibi falſa Doctrina. *Et* te inde memorem eſſe volo: *quia* tu *noſti ſacras literas ab infantia*, traditus ſcholis à matre tua, quæ C fidelis fuit: *quæ* omnia *poſſunt te inſtruere ad* habendam *ſalutem* æternæ vitæ, ad quam itur per fidem: quæ fides eſt *in Chriſto Ieſu*. Verè ſacræ literæ poſſunt te inſtruere ad ſalutem: quia *omnis ſcriptura inſpirata diuinitus*, id eſt, ſpiritualiter ſecundum Deum intellecta, *vtilis eſt ad docendum* eos qui neſciunt: & *ad arguendum*, id eſt, ad conuincendum eos qui fidei contradicunt: & *ad corripiendum* peccantes: & ſe peccaſſe non abnegantes. D Et *ad erudiendum* eos qui adhuc rudes ſunt & ſimplices. Erudiendum dico *in iuſtitia*, id eſt, ad hoc vt iuſtificentur, exuendo rudimenta infidelitatis. Sic, inquam, erudiatur *vt* quantum in Doctore eſt: ſit ille qui eruditur *perfectus homo* Dei. Perfectus ita vt ſit inſtructus *ad omne opus bonum* faciendum.

(.·.)

Viuere volentes in Chriſto perſecutionem patientur.

* *immunditijs.*

CAP. IV.

Teſtificor coram Deo & Chriſto Ieſu, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, & per aduentum ipſius, & regnum eius: Prædica verbum. Inſta opportunè, importunè. Argue, Obſecra, Increpa in omni patientia & Doctrina. Erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt: ſed ad ſua deſideria coaceruabũt ſibi magiſtros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu verò vigila: in omnibus labora: Opus fac Euangeliſtæ: Miniſterium tuum imple: Sobrius eſto. Ego enim iam delibor: & tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Non ſolùm autem mihi, ſed & his qui diligunt aduentum eius. Feſtina venire ad me cito. Demas enim me dereliquit, diligens hoc ſeculum, & abijt Theſſalonicam: Creſcens in Galatiam: Titus in Dalmatiam: Lucas eſt mecum ſolus. Marcum aſſume & adduc tecum: eſt enim mihi vtilis in miniſterio. Tichicum autem miſi Epheſum. Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros: maxime autem membranas. Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit, reddet illi Dominus ſecundùm opera eius, quem & tu deuita. Valde enim reſtitit verbis noſtris. In prima mea defenſione nemo mihi affuit: ſed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur. Dominus autem mihi aſtitit & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, quia liberatus ſum de ore leonis. Liberauit me Dominus ab omni opere malo, & ſaluum faciet in regnum ſuum cæleſte: cui gloria in ſecula ſeculorum. Amen. Saluta Priſcam & Aquilam, & Oneſifori domum. Eraſtus remanſit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Feſtina ante hyemem venire.

43. diſt. in fin.

45. diſt.

26 q. nec mirum.

Col. 4. 14

* Al. prudens.
* Al. nõ habet omnes.

*Salutant te Eubolus,& Pudens, * & Linus,& Claudia: & fratres omnes * eius. Dominus IeſusChriſtus cum ſpiritu tuo. Gratia vobiſcum, Amen.*

ET quia ſcriptura Dei nota tibi vtilis eſt ad docendum, & ad arguendum,& corripiendum: ideo *teſtificor* tibi *coram Deo*, ne hoc vltra à me exigat. *Et* coram *Chriſto Ieſu, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos:* quos inuenerit viuos in hora iudicii: qui ſub momento diſſoluentur, & reſurgent. Iudicaturus eſt etiam ante diem iudicij mortuos. Vel iudicaturus eſt viuos ac mortuos, id eſt, iuſtos & peccatores. Teſtificor *etiam* tibi *per aduentum ipſius* Chriſti, vt ita paratus ſis quaſi qui quotidie iudicem aduenientem expectet: vt timore eius facias quæ hortor. Teſtificor etiam tibi *regnum eius*, in quo ipſi conregnabunt ſancti: vt amore conregnãdi Chriſto ſtudioſè facias, quod moneo. Hoc,inquam,teſtificor tibi. *Prædica verbum*.i. doctrinam Dei:& prædicando *inſta opportunè* eis qui libenter audiunt. Inſta etiam *importunè* eis qui primitus ad audiendum difficiles ſunt: ſed poſtmodum cognita ratione libenter audiunt. *Argue* etiã .i.conuince contradicentes fidei. *Obſecra* etiam iuſtos, vt ſemper in melius promoueantur. *Increpa* etiam debita auſteritate depræhenſos in peccatis. Hæc autem fac *in omni patiẽtia*: vt quæcunq; inferantur libenter ſuſtineas:nec ita vt docere deſiſtas, ſed ſemper eſto *in doctrina*. Ideo tanta inſtantia te docere commoneo: *quia erit tempus* circa finem mundi, *cum homines nõ ſuſtinebunt ſanam doctrinam*. Si autem in tempore illo nõ roboretur Eccleſia doctrina Apoſtolica, peribit fides. Sanam doctrinam non patientur, *ſed coacervabunt ſibi magiſtros* iuxta ſua deſideria. Si luxurioſi fuerint, luxurioſum:& ſic in cęteris. Homines dico tunc *prurientes auribus*.i. noua & inaudita audire cupientes.In quibus veritas non erit: *& à veritate quidem auertent auditum ſuum: ſed ad fabulas* (in quibus rei veritas non eſt) *conuertentur*. Illi ſic intendunt fabulis: *tu vero vigila*, id eſt, omni ſollicitudine præcaue tibi: *& labora in omnibus* (ſi potes) conuertendis. Vtque labor tuus idoneus ſit: *fac opus Euangeliſtæ*.i. prædicatoris: ſcilicet quod operandum prædicas, operare. Et ita fac vt *impleas tuum miniſteriũ*.i. officium prædicatoris: quod non infra ſubſiſtas: ſed quicquid prędicatoris eſt, facias: & laborando in aliis & in te opere complendo quod alios docueris. Et licet ſic moneam, fac opus Euangeliſtæ: tamen *eſto ſobrius*: non vltra modum abſtinentiæ deditus, ne nimietate ieiunij debilitatus (quomodo decet) incumbere nequeas prædicationi. Propterea tanta inſtãtia te commoneo: *quia ego iam delibor*, id eſt, ſacrificor: & paulatim in vinculis quotidie deficio: *& tempus meæ reſolutionis*, id eſt, dies mortis meæ inſtat & in proximo eſt: quem diem inſtare ex eo certus ſum: quia *certaui certamen* (frequentiam notat) *bonum*.i. vtile Eccleſiæ Dei. Certaui vtiq; patiendo quæcunq; pati oportuit:& *curſum*.i. velocitatem bene agendi: vbi non ita pati neceſſe fuit. Hunc vtiq; *conſummaui*: quia adeo aſcendit mea Iuſtitia, quod vltra non habet quo aſcẽdat: & in certando & in currendo *ſeruaui fidem*. Et quia iã conſummaui curſum: *ideo in reliquo*.i. in vita quæ nobis futura relinquitur, *repoſita eſt* .i. cuſtoditur *mihi corona iuſtitiæ*.i.promerita per iuſtitiam: *quam* coronam quaſi debitam *reddet mihi Dominus in illa die* futuræ retributionis, nec mihi negare poteſt: quia eſt *iuſtus iudex*: & iuſtitia exigit vt hoc mihi reddatur. Mihi quidẽ: *ſed non ſolùm mihi: ſed etiam omnibus his qui diligunt aduẽtum eius* iudicij.i.q purã habent conſcientiam:qui.n.ſibi male conſcij ſunt, hi vtique aduentũ iudicis non diligunt, ſed formidant. Per hoc plurimum animat Timotheum, quod ait præparari coronam iuſtitię, diligentibus aduentum Dei. ¶ Inſtructo Timotheo in his quæ publicè agenda erãt: de quibuſdam propriis mandat ei, dicens.

cens. Quia in proximo dies meæ reſolutionis inſtat: ideo *feſtina cito venire ad me:* & neceſſarius mihi es: *quia Demas* apoſtatando *reliquit me, diligens hoc* præſens *ſeculum, & ille abijt Theſſalonicam. Creſcens* vero alius diſcipulus in fide permanens abiit *in Galatiam. Titus* vero abijt *in Dalmatiam.* Et ſic aliis diſperſis *ſolus Lucas mecum eſt.* Veni, inquam, & in veniendo *aſſume Marcum, & adduc tecum* ad me. Hic *enim eſt mihi vtilis in miniſterio.* Fortaſſis miſſurus erat eum Apoſtolus in aliquam legationem. *Tichicum autem miſi Epheſum,* vbi tu epiſcoparis. Tu vero *veniens* ad me *affer tecum penulam quam apud Carpum reliqui Troade:* affer etiam *libros: & maxime* præ cæteris affer *membranas,* quibus opus habeo ad mittendas Epiſtolas. Penula veſtis erat tradita Tharſenſibus à Romanis: propterea quia ſponte, & non bello in imperiũ Romanorum deuenerant: quam ideo iubebat afferri, vt comprobaret ſe eſſe ciuem Romanum, ſicut appellauerat apud Feſtum. Seu penula alia veſtis erat: quam contra frigus afferri ſibi poſtulabat, acturus hyemem in carcere. Dum autem venies ad me, caue tibi ab Alexãdro: hic enim *Alexander ærarius* (nomen dignitatis) *oſtendit mihi multa mala:* nec in de curo: quia *Dominus reddet ei ſecundum opera eius. Quem* Alexandrum *tu etiam deuita: hic enim valde reſtitit verbis noſtris.* Veni vtique: quia neceſſarius es. *In prima.* n. *defenſione mea,* quãdo defendi me in conſpectu Neronis, *nemo* diſcipulorum *affuit mihi: ſed omnis dereliquerunt me.* Vt autem hoc *non imputetur illis,* precor: illi dereliquerũt me: ſed *Dominus aſtitit mihi: &* aſtando *fortem fecit me:* ideo & adeo *vt prædicatio impleretur per me,* non cedentem minis eius. Si enim conſentirem ipſi, inexpleta fieret prædicatio: ideo etiam confortauit: *vt* hæc *audiant gẽtes:* & hoc etiam audiant *quod liberatus ſum* vt non cõſentirem *de ore leonis* .i. Neronis, vel diaboli, per Neronem inuadẽtis me: nec ſolùm à leone, ſed *liberauit me*

Penula quid erat.

A *Dominus ab omni opere malo,* ne quid mali operarer: *& me liberatum ſaluum faciet,* translatum *in regnum ſuum cæleſte: cui* Domino eſt *gloria in ſecula ſeculorum Amen.* Accepta autem hac Epiſtola, *ſaluta Priſcam & Aquilam, & familiam Oneſiphori. Eraſtus* autem *remanſit Corinthi:* & *Trophimum reliqui Mileti infirmum:* & quia tot abſentes ſunt, *feſtina venire* ad me *ante hyemem.* De his autem qui nobiſcum ſunt, *ſalutant te Eubolus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & omnes fratres.* Et ego ſaluto te.

B *Dominus Ieſus Chriſtus* ſit *cum ſpiritu tuo:* & concedat vt *gratia* ſit *nobiſcum,* .i. dilectio inter me & te cœpta perſeueret. *Amen.*

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM AD TITVM.

C *Titum commonefacit & inſtruit de conſtitutione presbyterij: & de ſpirituali conuerſatione, & hæreticis vitandis: qui traditionibus Iudaicis credunt; ſcribens ei à Nicopoli.*

PROLOGVS B. BRVNONIS IN EANDEM.

Pavlvs conuerſis Cretenſibus, conſecrauit ibi Titũ archiepiſcopum, qui eos inſtrueret de quibuſcunque D opportunũ videret. Cum autem Paulus iſſet Nicopolim (quod hæc Epiſtola videtur innuere in ſequentibus) ſcripſit hanc Epiſtolam ad Titum. Audierat enim de eo, quòd nimis ſimpliciter Epiſcopale exerceret officium: quia hæreticos ſeu quoslibet peruerſos non expellebat ab Eccleſia Pontificali imperio, ſicut deceret. Denunciabat quidem eis quod malè agerent, & deſiſtere deberent: ſed eis ab incepto malo non ceſſantibus (quod pontificalis dignitas exigeret) non coercebat eos, ſed humiliter patiebatur.

Quare

Quare Paulus hanc Epiſtolam ſcribit ad Titum: agens in ea de pontificali officio: eo modo vt inſtruat eum quales conſecrare debeat Epiſcopos, per ciuitates ſui Archiepiſcopatus: maxime circa hanc inſtructionem immorans, vt poteſtate & imperio pontificati vtatur: quia licet ſimplicem eſſe bonum ſit, tamen nimia humilitas Epiſcopi incommodum facit regimini Eccleſiæ: & ideo monet Titum, vt cum imperio Epiſcopali doceat, exhortetur, & arguat: & ſi qui hæretici corrigi nolunt, ab Eccleſia depellat. Et ſic de Epiſcopali officio agens, intendit Titum perfectum reddere Epiſcopum. Vt per exemplum iſtius, quoſcunque Epiſcopos nimis ſimplices animatos redderet, & Epiſcopali imperio vtentes.

Epiſcopi nimia humilitas incommodum facit Eccleſiæ.

EPISTOLAE AD TITVM.

CAPVT I.

PAVLVS *ſeruus Dei, Apoſtolus autē Ieſu Chriſti ſecundum fidem electorum Dei et agnitionem veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt in ſpē vitæ æternæ: quam promiſit qui nō mentitur Deus ante tempora ſecularia: manifeſtauit autē temporibus ſuis verbum ſuū in prædicatione, quæ credita eſt mihi ſecundū præceptū ſaluatoris noſtri Dei: Tito dilecto filio ſecūdum cōmunem fidem gratia et pax à Deo patre. & Chriſto Ieſu ſaluatore noſtro. Huius rei gratia reliqui te Cretæ: vt ea quæ deſunt corrigas, & cōſtituas per ciuitates presbyteros ſicut & ego diſpoſui tibi: ſi quis ſine crimine eſt vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ aut non ſubditos. Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, nō turpis lucri cupidum: ſed hoſpitalem, benignum, prudētem, ſobrium, iuſtum,*

93. di. legimus.

A *ſanctum, continentem, amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui & ſeductores: maxime autem qui de circūciſione ſunt, quos oportet redargui: qui vniuerſas domos ſubuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis, proprius illorum Propheta. Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. Teſtimonium hoc verum eſt.* B *Quam ob cauſam increpa illos durè, vt ſani ſint in fide: non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auerſantium* * *ſe à veritate. Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mūdum, ſed inquinata ſunt eorum & mens & conſcientia. Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant: cùm ſint abominati,* * *& incredibiles: & ad omne opus bonum reprobi.*

** Alias, auertentiū. 12 di. Proiuſu ſit. 1. q. Dominus 11 q. 3. exiſtimant.*
** Al. abominabiles.*

PAVLVS & cætera. Sicut mos eius eſt, ſalutationem præmittit C dicens. *Paulus ſeruus Dei* .i. ſimplex & humilis admodum ſerui. Hic innuit bonam quidem eſſe ſimplicitatem. Seruus vtique Dei, *ſed* tamen *Apoſtolus Ieſu Chriſti*, id eſt, agens & coercens ſingulos quomodo Apoſtolicæ ſublimitatis imperium exigit. Tu itaque exemplo meo ſic eſto ſimplex, vt pontificale imperium non impediat nimia humilitas. Non ideo dixit ſeruus Dei, & Apoſtolus Chriſti: quin & Apoſtolus ſit Dei: & D ſeruus Chriſti: ſed ideo vt innuat, quod per Chriſtum Deus Pater in miniſterium Apoſtolatus Paulum direxerit. Apoſtolus dico *ſecundùm fidem electorum Dei.* Sequitur enim & prædicat fidem quam tenuerunt Prophetæ: & quicunque electi Dei. Apoſtolus etiam ſecundum *agnitionem veritatis* .i. ſecundum q̃ agnouit de vera cognitione Dei. Non cuiuslibet veritatis dico: ſed eius *quæ eſt ſecūdum pietatem* .i. quæ veritas ſequitur cultum Dei. Fides dico & agnitio veritatis euntia *in ſpem vitæ æternæ:*

næ: quia per fidem acceptam, & per agnitā veritatem ſperamus nos conſequi vitam æterna. Nec fruſtra: quia *quā* vitam *promiſit*.i. ſe daturum præordinauit: nec de hac promiſſione dubitare licet: promiſit enim hanc ille *qui non mentitur* & mentiri non poteſt: quia *Deus* eſt. Nec in tempore promiſit: ſed vt diligentia promiſſæ rei in Deo conſideretur, promiſit hæc *ante tempora ſecularia*, id eſt, ab æterno ſic præordinauit ante tempora, quæ voluuntur per ſecula. Promiſit, inquam: *manifeſtauit autē*.i. compleuit quod promiſerat *ſuis*.i. in congruis temporalibus vitam æternam: quia Abel vidit inde aliquid, perfectius autem Abraham: & ita paulatim Prophetæ quantò amplius propinquabat redemptio, tantò magis de ea cognouerunt: & Ioannes magis omnibus, qui digito demonſtrauit vitam æternam.i. Chriſtum: ſed maxime in tempore gratiæ manifeſtauit Deus vitam æternam .ſ. *verbum ſuum*.i. filium incarnatum, natumq; & aliis modis. Manifeſtauit etiā hoc verbum *in prædicatione, quæ credita eſt*.i. per prædicationem quæ commiſſa eſt *mihi*. Credita vtiq; mihi eſt *ſecundum præceptum Dei*.i. quia Deus ita præcepit. Dei dico *noſtri ſaluatoris*. Paulus, inquam, talis & talis ſcribit, *Tito dilecto* quodam ſpeciali modo. Tito dico *filio ſecundum communem*.i. Catholicam *fidem*, in qua eum genui & non ſecundum carnem. Catholicon .n. commune vel vniuerſale dicitur. Vel Tito filio optat ſapere ſecundum communem.i. vulgarem fidem: & non ſecundū priuatas doctrinas hæreticorum. Sit tibi Tite *gratia:* & ſecūdum remiſſionem peccatorū, & ſecundum epiſcopale officium. Sit etiam tibi *pax*.i. tranquillitas animi quanta hic haberi poteſt. Hæc vtique tibi ſint *à Deo patre* qui poteſt, & qui voluntatem habet. *Et à Ieſu Chriſto*, qui ſimiliter & poteſt, *ſaluatore noſtro* & voluntatem habet. Finita ſalutatione ſic alloquitur Titum. O Tite ego *reliqui te* conſecratum Archiepiſcopū *Cretæ gratia huius rei*.i. pro hac

Catholicon quid.

A re: quæ ſi fiat, grata erit mihi. Res autē illa hæc eſt: *vt tu corrigas*.i. vt corrigendo quæ corrigenda ſunt perficias ea *quæ deſunt*. Hoc autem dictum eſt de moribus. *Et* corrigendo mores *conſtituas* etiam *presbyteros*.i. epiſcopos *per* ſingulas *ciuitates* ſubiectas tuo Archiepiſcopatui. Conſtituas, inquam, eo modo *ſicut ego tibi diſpoſui*. Vbi ait. Sicut ego tibi diſpoſui, notat quod cum apud eum eſſet, inſtruxerit eum de conſecratione Epiſcoporum. Eum ſcilicet

B conſtitue Epiſcopum, *ſi quis fuerit, ſine crimine*, id eſt, ſine actu & infamia cuiuslibet criminalis. Qui etiam fuerit *vir vnius vxoris*, vt idem alibi expoſuimus. *Habens* etiam *filios fideles*, id eſt, qui in fide ſana filios ſuos inſtruxerit: *& non* habens eos *in accuſatione luxuriæ:* quod nec etiā malus rumor inde exierit. Si enim filios ſuos permiſit luxuriari, exemplum dedit non ſe benè correcturum filios Eccleſiæ. *Aut non* habens filios non *ſubditos*.i. inobedientes ſibi.

C Si enim remiſſus apparuit, in priuatis filiis, oſtendit quod non ſufficienter coërceret creditam ſibi Eccleſiam. Ideò volo vt qui ſine crimine fuerit, conſtituatur Epiſcopus: oportet enim Epiſcopum eſſe ſine crimine, & actu, & ſuſpitione, *ſicut diſpenſatorem Dei*, id eſt, ſicut eum qui Deum ipſum diſpenſat his quibus prædicat. *Oportet etiam Epiſcopum non eſſe ſuperbum*, id eſt, non cupientem ſe ſuperponere aliis. *Non iracundum*, ſed bene regat animum. *Non vinolentum*, id eſt, non multo vi-

D no deditum. *Non percuſſorem*.i. qui corporalibus armis non percutiat, habet enim arma ſancti Spiritus. Vel non percutientem conſcientias auditorum: ne tale quid prædicet, vnde praua opinio oriatur. *Non cupidum turpis lucri*, id eſt, non negociis ſecularibus implicitum: *ſed hoſpitalem*, qui pauperes hoſpitio receperit. Receptiſq; pauperibus, & quibuſcunque *benignum*, id eſt, largè ſua miniſtrantem. *Sobrium* etiam cibo, potu, & veſtitu. *Iuſtum* etiam &

ad proximos ſibi. *Sanctum* etiam ad Deum. *Continentem* etiam, vt exemplum continendi ſit aliis. Et præter hæc oportet eum eſſe *amplectentem*, .i. diligenter & aſſiduè tractantem *ſermonem fidelem*.i. veracem: nec omnem verum, ſed eum *qui eſt ſecundùm doctrinam*.i. qui idoneus eſt ad prædicationem. Sunt enim multa vera, quibus intendere Epiſcopum culpa eſſet. Et ideo amplectatur hunc ſermonem, *vt* & per vſum & per ſcientiam *potens ſit exhortari* fideles *in doctrina ſana*. Poſſit etiam per vſum *&* per ſcientiam *arguere eos, qui contradicunt* ſanæ doctrinæ .i. conuincere infideles qui fidem impugnant. Et neceſſe eſt vt ſic potens ſit arguere: *quia ſunt multi inobedientes* epiſcopis. Sunt etiam *vaniloqui*, loquentes inutilia: *&* in hac vana locutione ſunt *ſeductores*.i. habent artem & calliditatem ſeducẽdi auditores per vaniloquia Poſſent enim vana loqui ſine calliditate ſeductionis: & *maximè* præ omnibus ſeducunt illi *qui ſunt de circunciſione* Iudæi: *quos* ideo *oportet redargui*: quia præcipui ſeductores ſunt. Hi enim *qui* de circunciſione venerunt, *ſubuertunt* non ſolùm patremfamilias domus: ſed etiam *vniuerſas domos*.i. omnem familiam *docentes* gratia .i. amore turpis lucri ea *quæ nec* credere, nec docere *oportet*. Verè in Cretenſibus ſunt mali ſeductores: quod approbat *quidam ex illis Cretenſibus proprius* .i. naturalis *ipſorum*: quare magis credendum eſt ei. Hic autem *Propheta* .i. videns ſecundum quod ſubtiliter conſiderauit vitia Cretenſium: hic autem dictus eſt Epimenides, qui dixit hoc de illis: *Cretenſes ſemper* ſunt *mẽdaces* & ſunt *beſtiæ*, beſtialiter meditantes: & *malæ*, .i. quomodo meditantur ſic crudeliter operantes. Sunt etiam *pigri ventres*.i. luxuriantes & onerantes ſe cibis. Ideoque ad omne bonum tardi. Ne autem de veritate horum dubitaretur, quia gentilis fuit ille qui hoc dixit: aſſerit hoc Paulus dicens *Teſtimonium hoc* quod Epimenides teſtatus eſt de Cretenſibus, *verum eſt: ob*

A *quam cauſam*, quia mendaces ſunt, & cætera, *increpa eos*.ſ. Cretenſes *durè*.i. cum auſteritate & Pontificali imperio, *vt ſani perſeuerent in fide, non intendentes iudaicis fabulis*: quia quod de circunciſione reducenda docent, fabulæ ſunt: nec rei veritatem habent. Non debent intendere his: quia fabulæ: & quia ſunt mandata hominum & non Dei: olim enim ſub veteri lege Deus quidem mandauit circunciſionem & cętera: ſed poſtquam venit tempus gratiæ, Deus præcepit hoc non fieri. Et ideo ait. Non intendant

B *mandatis*: non Dei, ſed *hominum auerſantium ſe à veritate*: quia veritatem legis, ſpiritalem .ſ. intellectum nolunt accipere. Ex quibus ſequentibus innuit, quod hi tales à quibuſdam cibis abſtinendum eſſe prædicarent dicens. Non eſt intendendum fabulis Iudæorum, qui iudicãt quoſdam cibos immundos, cùm *omnia* quibus vti conſuetudo eſt, ſint *munda mundis* .i. his qui in munditia & ſanctitate percipiunt ea. Hos enim cibos Deus condidit ad ſuſtentatio-

C nem ſeruientium ſibi: quare munda & digna ſunt his, qui mundo corde, & opere Deo ſeruiunt. Omnis etiam creatura in eo quod à Deo creata eſt, munda eſt. Hic tamen non eſt neceſſe de omnibus agere. Mundis conſcientia & fide omnia ſunt munda: *ſed coinquinatis* conſcientia *& infidelibus*, etiam quod mundum reputãt, *non eſt* illis *mundum*. Cùm enim in creatorem non credant, & inquinatam habeant conſcientiam: iniuſtũ

Mũdis omnia ſunt munda.

D eſt eos vti aliqua creatura Dei. Nihil illis eſt mundum: *ſed mens* .i. intellectus: fides .ſ. *eorum & conſcientia ſunt inquinatæ*: quare nihil eis eſt mundum. Fortaſſis diceret aliquis. Quare iſti ſunt inquinati, cum confiteantur Deũ? Scio quidem (ait Paulus) quod *confitentur ore ſe noſſe Deum*, ſed quid hoc prodeſt? *Negant* enim Deum in *factis* ſuis. Negant pro certo, *cùm ſint abominati* .i. malè ominati: vel à numero hominum redempti per Deũ. Cùm etiam ſint *incredibiles* .i. non habiles credere pro nimietate impie-

tatis

tatis ſuæ. Cùm etiam ſint *reprobati ad omne bonum opus:* quia nihil quod boni ſimilitudinem habeat operantur. Plerunq; enim quidam infideles faciunt talia, quæ licet verè bona non ſint, bona tamen eſſe videntur.

CAP. II.

*TV autem loquere quæ decent ſanam doctrinam. Senes vt ſobrÿ ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, in patientia. Anus ſimiliter in habitu ſancto, non criminatrices, non multo vino ſeruientes, bene docentes, vt prudentiam doceant. Adoleſcentulas vt viros ſuos ament, filios ſuos diligant, prudentes, caſtas, ſobrias, domus curam habentes, benignas, ſubditas viris ſuis, vt non blaſphemetur verbum Dei. Iuuenes ſimiliter hortare, vt ſobrÿ ſint. In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate. Verbum ſanum irreprahenſibile: vt is qui ex aduerſo eſt vereatur *: nihil habens malum dicere de nobis. Seruos Dominis ſuis ſubditos eſſe: in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes: vt doctrinam ſaluatoris noſtri Dei ornent in omnibus. Apparuit enim gratia Dei ſaluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegātes impietatē & ſecularia deſideria, ſobrie, & iuſte, & pie viuamus in hoc ſeculo: Expectantes beatā ſpē, & aduētum gloriæ magni Dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate: & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Hæc loquere & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemó te contemnat.*

28. q. 2. c. 1. in fin.

* Al. vincatur.
Epheſ. 6. 5.
Coloſſ. 3. 22.
1. Petr. 2. 18.

23. q. 5. ſi apud.
De conſecr. di. 4. primā interrogatur.
De conſe. di. 1. ſecundum.

REprobi ſic peruerſè agunt: *tu verò* non ſic, ſed *loquere ea quæ decet* loqui *ſanā Doctrinā.* Hoc. ſ. loquere ſenibus, *vt ſenes ſobrÿ* ſint, non dediti potationi. Sint etiā *pudici* .i. caſti. Sint *prudentes*, vt nouerint docere

Senum inſtructio.

A iuniores: ſint *ſani in fide:* ſint ſani *in dilectione:* vt ſicut Domeſticos, ſic oēs alios diligant. Sint etiam ſani *in patientia:* quod non ſic patiantur cōuicia, quod ad opprobria impatientes ſint. *Anus ſimiliter* admone, vt ſint *in habitu ſancto* .i. qui ſanctitatem earum indicet: & vt *non* ſint *criminatrices* .i. nō imponant crimina quibuſlibet, qui morbus maxime vetularum eſt. *Non* ſint etiam *ſeruiētes multo vino*, ſed *bene docentes:* nec in Eccleſia: vel viros doceant: ſed ita dico, *vt adoleſcentulas doceant prudentiam:* hāc
B ſcilicet, *vt ament viros ſuos*, & non adulteros: *vt* etiam *diligant filios ſuos* omni ſollicitudine, fouentes eos: & doceant eas eſſe *prudentes*, & *caſtas*, & *ſobrias:* & in cibis, & in ornamentis: & *habentes curam domus*, id eſt, laborent cum viris bene procurare familiam. Doceant etiam eas eſſe *benignas* in erogatione eleemoſynarū, & *ſubditas viris ſuis:* non ſuper viros habentes imperium. Hæc omnia admone fieri: *vt verbum* .i. prædicatio *Dei non blaſphemetur:* ſi enim mu-
C lieres contra viros ſuperbirent, ſi eſſent incestæ & cætera, opinarentur inſipientes ſic contineri in Chriſtiana doctrina, & ideo blaſphemarent verbum Dei. *Iuuenes ſimiliter hortare, vt ſobrÿ ſint*, & temperati. Vt autem omnes conuenienter corrigas *præbe teipſum exemplum* aliis *bonorum operum:* nec in quibuſdam, ſed *in omnibus* operibus. Præbe, inquam, te exemplum eis *in doctrina:* vt quod vtile auditoribus ſit, doceas: & *in integri-*
D *tate* omnium virtutum ꝙ perfectus & integer ſis in bonis: & doce *in grauitate* .i. cum ſeueritate & imperio pontificali. Et *verbum* doctrinæ tuæ ſit *ſanū:* nihil infidelitatis habeat admixtum, ſit etiā *irreprahēſibile:* quod nec aliqua occaſio repræhēſionis inde queat concipi: & hoc ideo expedit, *vt is qui eſt ex aduerſo*, id eſt, infidelis inſidiator, *vereatur malum dicere de nobis:* nihil habens vnde male dicere poſſit. Hortare etiam *ſeruos eſſe ſubditos Dominis ſuis*, ne ſuperbiant contra eos: ſed bene ſint, *placen-*

Morbus vetularum.

Prædicator debet eſſe exemplum bonorum operum.

Seruorum inſtructio.

tes eis in omnibus ſibi imperatis: *non contradicentes* eis in aliquo, & *nõ fraudantes:* vel de rebus ſibi creditis: vel de labore ſibi imperato: vt cum laborare debent vacent ocio: *ſed oſtendentes in omnibus* actionibus ſuis *fidem* chriſtianam eſſe *bonam*, id eſt, vtilem: *vt* ſic faciendo *ornent in omnibus doctrinam Dei ſaluatoris noſtri.* Cùm enim ſerui facti fideles non ſubducant: ſed deuotiùs Dominis vtique ſeruiant, ornatur per hoc doctrina Dei & laudatur, quę ſeruos ſic inſtruxit fideles & ſubditos eſſe dominis. Ideò moneo te laborare in omnibus: ſeu ſerui ſint, ſeu Domini, ſeu ſenes, ſeu iuniores: quoniam Deus pro omnibus ſaluandis apparuit. Apparuit vtique cum verbum patris factum caro in vtero virginis præbuit ſe viſibile hominibus. *Apparuit*, inquam, *gratia Dei*, id eſt, Deus per gratiam: non ex meritis hominum: ſed per ſolã miſericordiam. Dei dico *noſtri ſaluatoris:* & ſicut pro nobis ſaluandis apparuit quod iam per fidem iuſtificati ſumus: ſic pro *omnibus hominibus* ſaluandis apparuit: & ideo in omnibus laborare debes. Et quia apparere Dei non ad ſalutem ſufficeret, niſi ab eodem inſtrueremur: ait, apparuit Deus per gratiam *erudiens nos* omnes: hoc ſcilicet. *Vt nos abnegantes impietatem*, id eſt, culturam idolorum, *&* abnegantes *deſideria ſecularia*, id eſt, quæ & ſeculum miniſtrat, & quorum cauſa eſt: *viuamus ſobriè*. i. temperate in nobiſipſis: & *iuſtè* ad proximum: & *pie* viuamus ad Deum: etiam *in hoc* tam fragili corpore, in quo vix iuſte viuere licet: ſic ſobriè, iuſtè, & piè viuendo *expectantes beatam ſpem*, id eſt, ſperatam beatitudinem, *&* expectantes *aduentum gloriæ Ieſu Chriſti*, id eſt, quando Chriſtus qui prius in humilitate vt erudiret nos apparuit: adueniet cum gloria iudicare ſeculum. Chriſti dico, magni *Dei & noſtri ſaluatoris:* quia tunc in iudicio velint nolint confitebuntur eum magnum Deum & ſaluatorem ſanctorum: venientem tunc cùm poteſtate magna

A & maieſtate: qui vſque ad illũ diem nunquam confeſſi ſunt Chriſtum eſſe Deum. *Qui* Chriſtus Ieſus inter hos duos aduentus *dedit ſemetipſum pro nobis:* ideo *vt redimeret nos ab omni iniquitate*, id eſt, & à fragilitate carnis, & à potentia & ſuggeſtione diaboli. Priuſquam enim Chriſtus in cruce nos redimeret, non poteramus obniti diabolo, & ſuggeſtioni eius, nec fragilitati noſtræ carnis: à quo periculo niſi nos Deus liberaret: etiam ſi *mundaret* nos ab omnibus

B peccatis, nihil tamen prodeſſet: niſi & virtutem daret reſiſtendi ſuggeſtionibus diaboli & fragilitati carnis. Qui enim primum hominem in tanta virtute creatum ſubuertere potuit; quantò magis eum qui tot miſeriis paſſibilitatis & mortalitatis premitur? Dedit etiam ſemetipſum vt nos mundaret ab omni delicto: ſeu originali, ſeu actuali in baptiſmo. Nos dico, factum *populum acceptabilem* ſibi poſt emundationem baptiſmatis: per hoc quia ſectatorem bonorum operum: prius enim ab impe-

C rio diaboli & fragilitate carnis eruit, dehinc ab omni delicto mundat, & hoc vtrunq; in baptiſmo: poſtea per poſitionem bonorum facit nos acceptabiles Deo. *Hæc* prædicta Deum ſ. apparuiſſe per gratiam, venturum autem in iudicium cum gloria & cætera: *loquere* & doce eos qui neſciunt: *& exhortare* eos qui ſciunt: vt præparent ſe dignos ſecundo aduentui. Quod ſi admoniti obedire renuunt, *argue* eos *cum omni imperio*. i. epiſcopali ſeueritate: ita vt *nemo te con-*

D *temnat*. i. vt nimia humilitas tua non generet cõtemptum pontificalis authoritatis.

Chriſtũ cõfitebuntur oẽs in iudicio magno velint nolint.

Arguendi ſunt cũ ſeueritate qui renuunt obedire.

CAP. III.

ADmone illos principibus & poteſtatib⁹ ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe: neminem blaſphemare, non litigioſos eſſe ſed

47 diſt. §.1 & 2.q.7. ſicut ſacerdotes.

ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines. Eramus enim aliquando & nos inſipientes & increduli, errantes, ſeruientes deſiderijs, & voluptatibus varijs; in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit ſaluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti: quem effudit in nos abunde, per Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum: vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſim⁹ ſecundùm ſpem vitæ æternæ. Fidelis ſermo eſt. Et de his volo te confirmare, vt curent bonis operibus præeſſe qui credũt Deo. Hæc ſunt bona & vtilia hominibus. 2.Tim. 2. 23. *Stultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita. Sunt enim inutiles & vanæ. Hæreticum hominem poſt vnam * & ſecundam correptionem deuita: ſciens quia ſubuerſus eſt qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus. Cùm miſero ad te Arthemam aut Tichicum, feſtina ad me venire Nicopolim. Ibi enim ſtatui hyemare. Zenam legiſperitum & Apollo ſollicitè præmitte, vt nihil illis deſit. Diſcant autem & veſtri bonis operibus præeſſe ad vſus neceſſarios, vt non ſint infructuoſi. Salutant te qui mecum ſunt omnes. Saluta eos qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.*

* *Al. primã. 24. q. 1. quæ dignior. & q. 3. dixit Apoſtol. 26. q. 5. epiſcopi in princip.*

NE modo Tit⁹ (quia dixerat Paulus) omni imperio opinaretur commiſſum ſibi populum, ſibi tantũ ſubiici debere, & nõ poteſtatibus mũdi: hæc remouendo ait. *Admone illos* Cretenſes, *ſubditos eſſe principibus* mundi: vt regibus, & cæteris *poteſtatibus* ſoluendo tributa, & cenſus debitos illis. Admone etiam illos obedire dicto, id eſt, præceptis principum: nec tamen ad opus nefarium: ſed *paratos eſſe ad omne opus bonum*, quod præcipitur eis à principib⁹ ſuis. Si enim ad culturam idoli ire iuberent eos principes, ſeu ad quodlibet nefarium, non eſſet eis eundum. O-
A portet .n. magis obedire Deo quàm hominibus. Actor. 5. 29. Admone eos etiam, *neminem* dominorũ ſuorũ *blaſphemare*: *nec etiam litigioſos*.i. nec decertare cõtra Dominos: *ſed modeſtos* & bene tẽperatos, *oſtendentes* omnẽ *manſuetudinem* & humilitarem: non tãtum ad dominos: ſed etiã *ad omnes homines*. Propterea ſic volo omnes obedire, *etiã infidelibus Dominis*: quia fortaſſis qui modo infideles ſunt, fient cito fideles ſicut & nos. *Eramus .n. aliquando* .i. paulo ante *inſipientes*, etiam ſi ſapientes mundi eſſemus. Et quia de co-
B gnitione Dei nihil ſapiebamus: ideo eramus *increduli*, nõ habentes fidem Dei. Eramus etiã *errantes*.i. peccantes & *ſeruientes deſiderijs*: quia ſi deſiderabamus pecuniã ſeu honores, multo labore ſeruiebamus ad hæc conſequenda. Seruientes *etiã voluptatibus* carnis *varijs*.i. ſecundùm omnes ſenſus. Quod .n. oculus videbat, vel auris audiebat, manus hoc cõprahendere laborabat. Nos dico, *agentes in malitia*: quia quæ mala licet, erant infere-
C bamus proximis: agentes etiã *in inuidia*: quia cũ amplius non poteramus, proximis inuidebamus. Nos dico *odibiles* aliis, & è conuerſo *odiẽtes* alios: eundo *inuicem* .i. in recompenſationem odii. Tales prius eramus, *ſed cũ benignitas Dei* .i. Deus per benignitatem: *& humanitas* Dei *apparuit*. Deſignat quare, & per quid hoc factũ fuerit, propter benignitatẽ .ſ. & per humanitatem. Cùm vtique Deus cauſa benignitatis per humanitatem cou-
D nitam verbo patris apparuit mundo. *Dei* dico, *noſtri ſaluatoris*, ꝗ ſicut pro nobis, ſic pro eis qui adhuc infideles ſunt ſaluandis apparuit. *Nec* hoc fuit *ex operibus iuſtitiæ quæ nos aliquando fecimus* .i. hoc vt Deus appareret nũquam promerueramus: *ſed ſecundùm ſuã miſericordiam fecit nos ſaluos* Deus *per lauacrum regenerationis*.i. per baptiſmũ, in quo prima generatio quę in peccatis eſt, deſtruitur: & ſecũda ſpiritualis.ſ. generatio habetur: *& per* lauacrum *renouationis*. Baptiſmus .n. ꝗ præcedit, tales nos efficit, qui quotidie creſcendo in melius, magis ac

Ephes.4.23. magis renouamur: iuxta illud. Renouamini ſpiritu mentis veſtræ. Vnde ait. Regenerationis per euacuationẽ malorũ: & renouationis per poſitionem bonorũ: quod vtrunq; & regeneratio & renouatio eſt Spiritus ſancti: *per ſpiritum*.n.*ſanctũ*, & remittuntur peccata, & accipiuntur virtutes. *Quẽ* Spiritum ſanctum *effudit* Deus *in nos abunde*.i. ſufficienter ad remiſſionem omnium delictorum: effudit inquam, *per Ieſum Chriſtum ſaluatorẽ noſtrum* ſecũdum hominem hoc intellectum. Deus.n. qui in homine illo erat, per hominem illum dedit Spiritum ſanctum: ad hoc *vt* nos *iuſtificati per gratiam ipſius* Dei, *ſimus hæredes vitæ æternæ*: & hoc *ſecundum ſpẽ*.i. ſecundum quod ſperamus dum in hoc mundo tenemur. ¶ Hic ſermo quem dixi .ſ. per lauacrum regenerationis nos ſaluari: & hæredes futuros eſſe vitæ æternę: &c. Hic, inquã, *ſermo fidelis eſt* & bene credibilis. Et ideo *de his* quæ prædixi, *volo te* ô Tite *confirmare* Cretenſes: *vt* hæc firmiter credentes, *curent præeſſe bonis operibus*: vt ſi hodie bene operantur, cras meliora operando præeſſe faciant hodiernis bonis. Curent etiam præeſſe aliis, dando exemplum bonorũ hi *qui credunt Deo*. Et hæc.ſ. præeſſe bonis operibus ſunt bona illiſipſis: & ſunt vtilia hominibus eos imitãtibus. De his confirma Cretenſes: *ſed ſtultas quæſtiones & genealogias* & contentiones quæ certant inter ſe de intellectu ſcripturarum, *& pugnas legis*, id eſt, quę ſibi inuicem videntur contraire: quęcunq; ſunt huiuſmodi, *deuita*. *Sũt* .*n*. *inutiles*, ſine aliquo fructu (quodque pei⁹ eſt) *vanæ*.i. ſine veritate quæſtiones has deuita. *Deuita etiam hæreticum hominem*.i. ab vnitate fidei diuiſum. Deuita dico, ſi incorrigibilis fuerit *poſt vnam*.i. primam *& ſecundã correptionem*: quia ſi bis admonitus non pœnituerit: hic qui eſt *eiuſmodi*, id eſt, hæreticus, *ſubuerſus eſt*: non per ignorantiam: ſed ſciens & prudens manum mittit in ignem: *&* hic talis *delinquit proprio iudicio*, id eſt, ex propria deliberatione, nullo impellente

A

B

C

D

eum: & ideo condemnatus eſt à Deo. ¶ Nota quod ex hoc loco colligitur, quod ſi quis imprudenter errat, & errrorem ſuũ non defendit, hic non eſt iudicandus hæreticus: ſed ille tantũ, qui quod male de fide ſentit (quod deterius eſt) incorrigibilis aſſeuerat & defendit. Quod ſi hac ratione ſymoniacos negamus eſſe hæreticos: ſciũt enim ſe malè agere, nec approbant, ſed ambitiosè cæcantur: contra hoc dicitur, quia quid ipſi intẽderint precio comparantes dona Spiritus S. neſcitur: ſoli enim Deo occulta cordium reuelata ſunt: ſed ſecundum quod in exterioribus eorũ factis dona videmus, iudicamus de interioribus: quia enim in Epiſcopatu eos manere videmus, quem per precium adepti ſunt; Iudicamus de eis vt de credentibus pecunia poſſe poſſideri Spiritum ſanctum. Quod ſi dicũt beneficia temporalia ſolum ſe emiſſe, & non conſecrationem; ideoq; non eſſe ſymoniacos, longè deterius ſentiunt. Scriptum eſt enim qui ſeparauerit ſe, dicatur illi anathema. Sicut enim corpus & anima nequeant ſeparari vt alterum viuat; ſic beneficiũ temporale à ſpiritali in Epiſcopo nequit ſeparari. Hoc ſentiendum de ordinibus & temporalibus honoribus.

Hæretic⁹ nõ eſt iudicandus, qui imprudenter errat.

¶ Poſtquam docuit Titum de rebus Eccleſiaſticis, ſcribit ad eũ de quibuſdam priuatis dicens. *Cum miſero ad te* ô Tite *Arthemam aut Tichicum*, *feſtina venire ad me Nicopolim*; *ibi enim ſtatui hyemare*. Et antequam venias *præmitte Zenam peritum legis*, vel ſcripturę diuinæ, vel ſecularis, *& cum eo Apollo*. Hos vtique præmitte *ſollicitè*.i. bene procuratos: dando illis quæ neceſſaria ſunt, ita dico ſollicite, *vt nihil deſit illis*. Quod ſi quæris vnde hæc accipias, volo *& iam* vt noſtri Cretenſes *diſcant præeſſe bonis operibus*, de die in diem meliorando. Sic vtique præeſſe adminiſtrando *neceſſarios vſus* prædicatoribus, *vt* hi Cretenſes *non ſint infructuoſi* doctoribus ſuis: ſed miniſtrent quæcunque vſui eorum neceſſaria ſunt. Laborantem enim agricolam oportet primum de 2.Tim.2.6.

fructi-

fructibus accipere. *Salutant te omnes qui mecum ſunt:* & tu *ſaluta eos qui nos amant in fide* .i. fideles. *Gratia Dei ſit cum omnibus vobis. Amen.*

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

Philemoni familiares literas facit pro Oneſimo ſeruo eius: ſcribens ei ab vrbe Roma de carcere per ipſum Oneſimum.

PROLOGVS B. BRVNONIS IN EANDEM.

PAVLVS familiares literas ſcribit ad Philemonem, quem ad fidem conuerterat, Romæ vinctꝰ in carcere. Accepta inde occaſione, quia quidam ſeruus Philemonis Oneſimus, cùm adhuc infidelis eſſet, à Domino furtim elapſus, de pecunia Domini ſecretè aſportauerat. Dumque ſe abſentaret à Domino, venit Romam ad Paulum in carcere. Ibique accepto verbo fidei, à Paulo baptizatus eſt: miniſtrauitque Paulo exinde: & fortaſſis de furata pecunia. Quem Paulus reconciliare cupiens, remittit ſeruum cum hac Epiſtola ad Dominum: in qua agit de Philemone, obſecrans eum multis & diuerſis cauſis, vt indulgeat ſeruo quod peccauit. In qua te intendit nos inſtruere, & orandum eſſe pro delinquente, ſi pœnituerit, & parcendum eſſe (ab eo qui habet poteſtatem) delinquenti, ſi ad miſericordiam confugerit.

A

EPISTOLA AD PHILEMONEM.

PAVLVS vinctus Chriſti Ieſu, & Timotheus frater Philemoni, dilecto adiutori noſtro; & Appiæ ſorori chariſſimæ et Archippo commilitoni noſtro, & Eccleſiæ, quæ in domo tua eſt. Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro, 2.Cor.3.

B *& Domino Ieſu Chriſto. Gratias ago Deo meo ſemper memoriam tui faciens in orationibus meis, audiēs charitatem tuam, & fidem quam habes in Domino Ieſu, & in omnes ſanctos: vt communicatio fidei tuæ euidens fiat in agnitione omnis operis boni in Chriſto Ieſu. Gaudium enim magnum habui, & conſolationem in charitate tua: quia viſcera ſanctorum requieuerunt per te frater. Propter quod multam fiduciam habens in Chriſto Ieſu imperandi tibi, quod ad rem pertinet, propter charitatem magis obſecro, cum ſis talis vt*

C *Paulus ſenex, nunc autem & vinctus Ieſu Chriſti, obſecro te pro meo filio quem genui in vinculis Oneſimo: qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi vtilis, quem remiſi tibi. Tu autem illum vt mea viſcera ſuſcipe *. Quem ego volueram mecum detinere, vt pro te mihi miniſtraret in vinculis Euangelij. Sine conſilio autem tuo nihil volui facere, vti ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed volūtarium. Forſitan enim ideo diſceſſit ad horam à*

D *te, vt in æternum illum reciperes; iam non vt ſeruum, ſed pro ſeruo chariſſimum fratrem, maxime mihi. Quantò autē magis tibi & in carne & in Domino? Si ergo habes me ſocium, ſuſcipe illum ſicut me. Si autem aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus ſcripſi mea manu. Ego reddam, vt non dicam tibi quod & teipſum mihi debes. Ita frater ego te fruar in Domino, refice viſcera mea in Chriſto *. Confidens in obedientia tua ſcripſi tibi, ſciens quoniam & ſuper id quod dico facies. Simul autem & para mihi hoſpitium.*

* Habet [illegible] lium meū chariſſim[illegible]

* Domino

Nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis. Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Chriſto Ieſu, Marcus, Ariſtarchus, Demas et Lucas adiutores mei: Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.

PAVLVS *vinctus &c.* Vt citius ad miſericordiam moueat Philemonem reticendo hic dignitatum nomina: vt, *Apoſtolus Chriſti* & cætera: inducit nomina miſeriarum, quas patiebatur dicens. *Paulus vinctus Chriſti Ieſu.* quem ideo grauius eſt offendere, quia in vinculis premitur. Videretur enim Paulus contemptui eſſe Philemoni vel in nullo compati, ſi audiens eum vinctum eſſe, clauderet ſeruo, pro quo precabatur viſcera miſericordiæ: cum nec Paulus vinctus eſſet pro culpa ſua, ſed pro Chriſto Ieſu. Vtque quantò plures viderit deprecantes, tantò citius indulgeat Philemoni ait. *Paulus & Timotheus fratres* ſcribunt *Philemoni*: quadam ſpiritualitate: nec hoc ſolùm *dilecto*: ſed etiam *adiutori noſtro*, qui non ceſſat adiuuare & ſuſtentare de rebus ſuis fideles noſtros. Scribunt etiam Paulus & Timotheus *Appiæ* vxori Philemonis *ſorori* noſtræ ſecundum fidem: & quadam ſingularitate dilectionis *chariſſimæ.* Ideò Apoſtolus ſcribit mulieri, vt illa videns ſibi ab Apoſtolo fieri, quod in ſexu muliebri non conſueuerat, conueniendo Dominum ſuum, flectet eum ad parcendum ſeruo. Scribunt etiam Paulus & Timotheus *Archippo* filio Appiæ & Philemonis, *noſtro commilitoni*, militat enim Deo nobiſcum in prædicatione. hic eſt Archippus qui Coloſſenſes fundauit in fide: quem ideo in hac Epiſtola ſalutat, vt beneuole hortetur parentes indulgere Oneſimo. Scribunt etiam *Eccleſiæ*, id eſt, familiæ ad fidem Chriſti conuocatæ: *quæ* Eccleſia *eſt in domo tua*: ideo totam familiam ſalutat, quam tam digno nomine .i. eccleſiam appellat, vt omnis familia ſecum pro Oneſimo apud Philemonem inter-

A cederet, dicens. *Vobis* omnibus patrifamilias, matri, filio, & familiæ ſit *gratia*, id eſt, remiſſio peccatorum, *& pax*, id eſt, tranquillitas animi. Sint inquam, vobis hæc *à Deo patre noſtro*: qui poteſt, & vult, *& à Domino Ieſu Chriſto*: qui ſimiliter vult & poteſt: vt Apoſtolus exorabilem faciat, ait. *Ego audiens charitatem tuam*, id eſt, dilectionem Dei & proximi: audiens etiam *fidem*, id eſt, te in fide Chriſti perſeuerate: ideo charitatem præpoſuit, quia intendebat eum mouere

B ad indulgendum proximo. *Quam charitatem habes in Domino Ieſu*: vt in eo qui fundamentum eſt dilectionis, quam etiam habes *in omnes ſanctos*. i. in omnes ſanctificatos per baptiſmum. Quare & Oneſimum ſanctificatum in fide, habenda eſt charitas, & bonitas. Hoc, inquam, audiens *ago gratias Deo meo: faciens memoriam ſemper in orationibus meis.* Ego enim de conceſſis bonis gratias ago, & vt ſemper incrementum habeant oro: *vt communicatio fidei tuæ*, id eſt, vt fi-

C des tua quæ bona tua ſanctis communicat, *fiat euidens*, id eſt, omnibus appareat eſſe *in agnitione omnis boni*. i. per fidem promouearis ad omne bonum, & illud ſit omnibus agnitum: ideo pro incremento charitatis tuæ ſic oro. Ego *enim habui gaudium magnum: &* cum gaudio *conſolationem in tua charitate*, id eſt, in adminiſtratione tuæ charitatis, & gauiſus & cõſolatus ſum, *quia viſcera ſanctorum*, id eſt, conuerſi per prædicationẽ ſanctorum *requieuerunt per te* adminiſtrantem eis. O *frater* Philemõ, mul-

D tam enim quietem habuerunt per te depellentem frigus, & eſuriem eorum. *Propter quod*. i. quia tantam charitatem circa ſanctos habere conſueuiſti: ex eo *habens multam fiduciam*, non tantùm, quia ſic meruerim, ſed *in Chriſto Ieſu imperandi tibi.* Poſſum enim, ſi volo, auctoritate Apoſtolatus, accepta à Chriſto Ieſu, imperare tibi *quod ad rem pertinet*, id eſt, ad vtilitatem tuam. De eo enim quod vtile eſt cogere te poſſum ſi placet: ſed imperium prætermittendo,

Ieſus eſt fundamentum dilectionis.

Obſecro

Obſecro te *propter charitatem magis* quàm imperem propter auctoritatem. Et obſecrandus es à me: *Cùm* tu *ſis talis vt Paulus*, ſcilicet, *ſenex*. Aetas enim conſimilis hortatur, vt ſenex ſeni conſentiat: nec hoc ſolum: ſed etiam magis ad exaudiendum inuitat hoc quod Paulus *nunc*, id eſt, in tempore quo obſecro eſt *vinctus Ieſu Chriſti*. Qui enim eum in vinculis non exaudit, profectò Ieſum Chriſtum, pro quo vinctus eſt, offendit. Obſecro, inquam, te per hæc præmiſſa: *pro meo filio quem genui in vinculis*. Sicut enim ſi parentes filium generarent in carcere, acceptior eſſet illis, quia in aduerſitatibus ſuis natus eſſet; ſic Paulus commendat Oneſimum, quem incarceratus baptizauit, qui fidem Chriſti non erubuit propter vincula Pauli. Præmiſſa multa recommendatione, eius nomen ad vltimum ſubdit. Obſecro, inquam, pro filio quem ego ſpiritualiter genui, ſcilicet, *Oneſimo*, *qui fuit tibi inutilis*, furtim elabendo à te *aliquando*, id eſt, cum infidelis eſſet: *nunc autem* factus fidelis, *vtilis* fuit *mihi* miniſtrando in vinculis: *&* per hoc vtilis *tibi*. Quicquid enim ipſe boni fecit, inde tibi debetur, cuius & ſeruus eſt, & fortaſſis pecunia fuit.

Quem Oneſimum *remiſi tibi* cum hac epiſtola. *Tu autem ſuſcipe eum ſicut mea viſcera*, id eſt, ſcito hunc eſſe in viſceribus meis. Quare ſi hunc non ſuſcipis, mea viſcera abijcis. *Quem* Oneſimum *volueram detinere mihi:* etenim eſſet mihi neceſſarius *vt* hic mihi *miniſtraret*, *mihi* detento *in vinculis Euangelij*, id eſt, quæ vincula patior, propter Euangelium quod prædico: quæ miniſtratio eſſet *pro te*, id eſt, pro tua vtilitate. Si enim hic ſeruus tuus demptus mihi miniſtraret, tibi qui Dominus eras mercedem acquireret. Sed licet mihi neceſſarius eſſet: tibi autem, ſi demptus mihi miniſtraret, vtilis: *tamen nihil horum facere volui ſine tuo conſilio*: ideò vt ne, id eſt, *vt non* eſſet bonum hoc tuum *velut ex neceſſitate*, id eſt, velles, nolles. *ſed* vt eſſet *voluntarium*.

A Debes eum ſuſcipere: ideò quia *diſceſſit ad horam à te*, *forſitan* propter hoc *vt* modo *recipias eum æternum*, id eſt, perpetuo manentem tecum. Si enim in infidelitate perdurans conſpectui tuo ſemper aſtaret in hoc ſæculo (quod parū eſt) tecum eſſet: quia mortuus cum impijs deputaretur, tu vero cum iuſtis. Sed modo quia fidelis eſt, & nunc & in futuro tecum eſt permanſurus: ideò ait forſitan, quia diſpoſitio Dei incerta eſt hominibus. *Diſpoſitio diuina incerta eſt hominibus.* Et *iam* amplius *nō* habeas eum vt *ſeruum* ſolummodo, *ſed* habeas eum *cariſſimum fratrem in Domino pro ſeruo*,
B id eſt, in loco ſerui. Vel quòd habere, ſcilicet, vt fratrem: plus ſeruo .i. quā habere vt ſeruum chariſſimum, mihi pro certo chariſſimum. Quia ſi mihi adeò charus eſt, cui tantum in Deo frater eſt: quantò magis aūt tibi charus eſſe debet: & in carne ſecundum quā ſeruus eſt: & in Domino in quo tibi frater eſt. Quandoquidem adeò charus eſt *mihi*, ergo ſuſcipe illū ſicut me, ſi vis habere me ſocium. Si enim odiſti eum qui tibi proximus eſt, profectò nec Deum diligis: & non diligenti
C Deum non eſt habēda vlla cōmunio. Modo fortaſſis diceret ille. Reddat quæ abſtulit, & ego indulgeā ipſi. Benè enim iuſtum eſt dimittere, ſed pecuniam repetere, religio Chriſtiana nō prohibet: Contra hoc Paulus. *Suſcipe illum. Si autem nocuit tibi aliquid:* ſubducendo ſe tibi. *Aut* ſi *debet* aliquid, quod te neſcio, aſportauit, ideò non minus miſerearis ei: ſed *hoc* totum *imputa mihi*, quaſi ego horum debitor ſim. Et mihi ſanè imputare debes & potes. *Ego* enim *Paulus ſcripſi mea manu: ego reddam* ti-
D bi quod debet Oneſimus. Ideò ait mea manu: ponebat enim quædam ſigna in epiſtolis ſuis, vt ſuas eſſe nemo dubitaret, qui ſigna videret. Quod ille debet ne renuas imputare mihi: *vt non dicam tibi* indurato & indulgere nolenti, *quod* tu *debes mihi* non hoc ſolum, ſed etiam *teipſum*. Paulus ius habebat ſuper eos, & in rebus eorum quos ad fidem conuerterat. Vt negationem obtende-

re non audeat, ſubiungit adiuratio-nem, dicens; *Frater* Philemon *ita ego fruar te in Domino,* ſi indulſeris Oneſimo: vt eſt illud Horatij. *Sic te diua potens* & cætera. Et ideò *refice viſcera mea,* id eſt, Oneſimum *in Chriſto Ieſu,* id eſt, propter Chriſtum. Hoc vt, ſcilicet, reficias eum. Et *præmiſſa ſcripſi tibi, confidens de obedientia tua:* confido enim te obediturum mihi ſuper his. *Sciens* etiam quod tu facies Oneſimo quod dico: *& etiam ſuper his* poſtulo: quia non ſolùm indulgebis: ſed reddita ipſi gratia tua (ſi quibus indigeat) miniſtrabis. Sic facias. *Simul etiam* cum iſtis mandatis, *para mihi hoſpitium. Nam ſpero me donari vobis per orationes veſtras.* Per hoc etiam quod ſe aduenturum dicit, Philemonem ad miſerandum ſeruo inducit. Si enim Apoſtolus veniens inueniret Dominum immiſericordem, ſeuerius corriperet eum. *Salutat te Epaphras in Chriſto Ieſu.* Vel *concaptiuus meus* in Chriſto Ieſu: qui propter Chriſtum Ieſum captiuitatem mecum patitur. Salutant te etiam *Marcus, Ariſtarchus, Demas, Lucas, adiutores mei. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cum ſpiritu veſtro,* id eſt, cum Philemone & eius familia. *Amen.* Sicut in principio, ſic in fine omnes ſalutauit, vt omnium affectiones circa Oneſimum mitigaret.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS.

IN primis dicendum eſt cur Apoſtolus Paulus in hac epiſtola ſcribenda non ſeruauerit morem ſuum, vt vel vocabulum nominis ſui, vel ordinis deſcriberet dignitatem. Hæc cauſa eſt, quod ad eos ſcribens, qui ex circunciſione crediderant, quaſi gentium, Apoſtolus & non hebræorum: Sciens quoque eorum ſuperbiam, ſuamq́ humilitatem ipſe demonſtrans, meritum officij ſui noluit anteferre. Nam ſimili modo etiam Ioannes Apoſtolus propter humilitatem in epiſtola ſua nomen ſuum eadem ratione non prætulit. Hanc ergo epiſtolam fer-

A *tur, Apoſtolus ad Hebræos conſcriptam hebraica lingua miſiſſe: cuius ſenſum & ordinem retinens Lucas Euangeliſta, poſt exceſſum Apoſtoli Pauli græco ſermone compoſuiſſe dicitur.*

PROLOGVS B. BRVNONIS IN EANDEM.

IN Iudæa erant Eccleſię, in fide Chriſti conſtitutæ, quibus & ipſe Chriſtus prędicauerat: & per Apoſtolorum doctrinã
B eius, & quibus aſcendens inſtituendas Eccleſias commiſerat, fidem ſuſceperant, & de Chriſto incarnationem, mortem, & reſurrectionem, & cætera benè credebant: ſed in eo plurimum errabant, quod circunciſionem, & quædam legalia obſeruabãt; credentes ſine his neminem poſſe ſaluari, & in hoc detrahentes eminentiæ & fidei Chriſti. Et ſuper hoc multas veriſimiles adducebãt rationes, ſcilicet, quod Chriſtus ſub lege natus, legem per omnia obſeruaſſet,
C & ſi quando de ſolutione legis incuſaretur, reddebat rationes, quod legem in nullo ſolueret: vt ibi quando oppoſuerunt ei, quia in ſabbato curaret non obſeruare ſabbatum: reddidit rationem & ait. *Si vos in die ſabbati bouem vel aſinum ſoluentes adaquatum ducitis ſine tranſgreſſione legis: quomodo ego ſoluendo hominem à dæmonio legem tranſgredior?* Non recordantes quod Chriſtus finem illi legi poſuiſſet, dum vetus paſcha celebrauit, & illi veteri mox nouum paſcha (nouum ſcilicet ſacrificium) conſe-
D crauit, tradens corpus & ſanguinem ſuum Apoſtolis ſuis; oſtendens quicquid præceſſerat, vmbram fuiſſe, nunc autem primum veritatem ſe tradere. Propter hoc quia Chriſtum legem viderant obſeruaſſe, quia iterum Petrus & alij, qui prædicauerant Iudæis à circunciſione & huiuſmodi legalibus, non eos coëgerant recedere, timentes impatientiam eorũ: quia mallet omnem fidem deſerere, quã

Luc.13. verſ.15.

his

his in quibus conſueuerant renunciare. Sciebant enim Petrus & alij, quod ſic enutrirent eos in pueritia, non poſſe eos aliter perduci ad virilitatem perfectionis. Propter hoc, inquam, circũciſionem cum fide Chriſti tenebant: ſed Paulus videns Chriſtum inutilem illis eſſe, quamdiu legem cum fide tenerent, iuxta illud quod ad Galatas ait. *Si circuncidamini, Chriſtus vobis nihil proderit:* ex ſuperabundanti hanc illis epiſtolã ſcripſit, cum tamen gentium tantùm Apoſtolus eſſet, agens ſecundum quod ad Romanos ait. *Honorificabo miniſterium meum, ſi quomodo ad æmulationem prouocem carnem meam*, & cętera. Quare, quia non erat eorum Apoſtolus, nomina dignitatis in hac epiſtola præponere noluit, ſicut ſolet in ſingulis. Ideò etiam hæc reticuit, quia exoſus erat illis, propterea quia legem perſequebatur, & vbiq; deſtruebat: vnde ſæpius incuſauerunt eum, imponentes ei, quod legem à Deo nõ eſſe datam diceret, & omni tempore fuiſſe inutilem: quare vt ſe purgaret ab iſtis, oportuit eum in Hieruſalem ſecundum ritus Iudæorum purificare: & purificatum in templum aſcẽdere, & Timotheum diſcipulum circuncidere. Si autem cum vt perſecutorem legis ſuæ, cum odio haberent: dignitatis ſuæ nomina præpoſuiſſet, in principio obſtreperent, dicentes, nec audiendum illis eſſe inimicum ſuum, etiam ſi ſecundum rationem ſuaderet. Propter hæc deuitanda dignitatis ſuæ mentionem nõ fecit. Quaſi diceret. Nulla mea auctoritas vos compellit, ſed attendite auctoritates legis veſtræ, & Prophetarũ, & ex ipſa lege & Prophetis intelligetis in Chriſto fuiſſe finem legis. Et quia in cæteris nomẽ ſuum non præpoſuit, dixerunt quidam, hanc non eſſe Pauli, ſed alij Barnabæ, alij Lucæ, alij Clementis eſſe dicebant. Contra quos ſic argumentatur Hieronymus. Si quia Pauli nomine non titulatur, Pauli non eſt, ergo quia nullius nomine titulatur, ſit nullius. Lucas vtique hanc de Hebræo trãſtulit in græ-

Galat.5.2.
Rom.11.14.
Act.21.26.
Actor.16.3.

A cum. In hac autem epiſtola materiã habet eminentiam Chriſti & inutilitatem legis: comprobans per eãdem legẽ & Prophetas eorũdem in Chriſto finem habuiſſe: legalia, quę nec eo tempore quo eſſe debebant alicui proderant, niſi per fidem venturi: ſed Chriſtus ſic ad iuſtificationem ſufficit, vt adiutorio legis non indigeat, & ſi lex admiſceatur, fidem irritam faciat. Eo fine ſic de Chriſto & lege ait, vt Iudæi legalia deſerant, & in eminentia Chriſti iuſtificationem
B quærant & accipiant. Circa finem etiam epiſtolæ inſtruit eos de moralitate: quia ſicut vitium naturale Iudæis ſemper fuit, luxurioſi nimis erant in cibis & in libidine.

CAPVT I.

MVltifariam multiſque olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſſimè * *diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula. Qui cùm ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis, tantò melior angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando angelorum? Filius meus es tu, ego hodie genui te: Et rurſum. Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit. Et adorent eum omnes angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit. Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Ad filium autem. Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi, & virga æquitatis virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiã & odiſti iniquitatẽ: propterea vnxit te Deus tuus oleo exultationis* * *præ participibus tuis. Et tu in principio Domine terrã fundaſti: & opera manuũ tuarũ ſunt cæli. Ipſi peribunt,*

* habet in.
De pe. diſt. ſecunda illa anima.
Pſal.2.7. Act 13.
2.Reg.7.14. 1. Paral. per 22.10.
Pſal.96.7.
Pſal.103.7.
Pſal. 44. 7.
* Lætitia.
Pſal.101.26.

tu

*tu autem permanebis, & omnes vt veſtimentum veteraſcent. Et velut amictum mutabis eos & mutabũtur: tu autem idẽ ipſe es, & anni tui non deficient. Ad quem autem angelorum dixit aliquando: ſede à dextris meis, donec * ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſteriũ miſſi, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis?*

Pſal.109.1. * Quoadvſque.

MVltifariam &c. Nunc in principio probare intendit, Chriſtum filium Dei audiẽdum eſſe, conferendo cũ prophetis, qui, ſi ideò audiendi fuerunt, quia Deus per eos vt per inſtrumentum locutus eſt, multò magis obſeruanda ſunt præcepta Chriſti, in quo Deus locutus eſt, vt in filio. Confert iterum Chriſtum angelis, quia ſi verba angelorum per os Prophetarum prolata obſeruabantur, obſeruanda ſunt verba Chriſti longè amplius, qui longè melior angelis eſt effectus. Et hæc omnia quæ præmittit ſpectant ad concluſionem * inferius poſitam, vbi ait. *Propterea abundantius* &cæt. Quaſi diceret. Obſeruate quæ dicta ſunt à filio, quia Deus olim loquens patribus noſtris: .i. prioribus Iudæis qui & in carne & in cultu Dei patres nobis ſunt, loquens, inquam, patribus in Prophetis. Non enim Prophetarum erant, quæ loquebantur: ſed Dei loquentis per eos vt per inſtrumentum. In hoc nomine quod Deus eſt, multum opponebant Paulo, dicentes, quia Deus immutabilis eſſet. Legem aũt Deum dediſſe negari non poſſet, immutabilem debere eſſe legem: quam qui mutari non poterat, dediſſet. *Olim*, inquam, *Deus loquens patribus in Prophetis Multifariam* .i. multotiens, vt cum poſitione dictionis non inſiſtamus. Multotiens, inquam, quia & Abraham, & Iſaac, & Iacob, & vnicuique eorum multis vicibus. Loquens etiam *multis modis*, quia modo per ſomnia vt Danieli, modo aperta voce vt Moyſi: nunc interiori aſpiratione, vt Dauid. Vel multifariam .i. diuerſo genere locutionis: vt

* illationẽ.

A huic in ſomnio, illi ſermone aperto, illi interius aſpirando, & ideò diuerſis modis, quia ſi in ſomnio tantum, putaretur inane quod ita fuiſſet auditũ: ſed vbi hic aperto ſermone, hic in ſomnio, alius interna aſpiratione, omnes idem & de eodẽ perhibebãt, certiorem fidẽ tot modis intellectæ rei faciebãt. Multifariam, inquam .i. multo genere locutionis, & multis modis .i. diuerſis operationibus: vt in ardenti rubo Moyſi, in vellere ſicco, & vdo Gedeoni, & ſimiliter multis alijs. Olim loquens patribus in Prophetis: *locutus eſt nobis in filio*. Quod
B ad illud antiquius præſens tẽpus, ponit loquẽs, & ad illud quod quaſi pręſens erat, poſuit præteritum locutus, ſignificat idem ſe loqui per filium ꝙ locutus eſt per prophetas, niſi quod in Prophetis occulta veritas, & adhuc complenda, in filio autem aperta veritas & completa. Dicens etiam Deus loquens patribus *locutus eſt nobis filijs* eorundem patrum: innuit eidem populo non diuerſa fuiſſe locutum, ſed ſi per Prophetas Iudæis per filium ſolis loqueretur gẽtibus: poſ-
C ſet opinari ad diuerſos populos de diuerſis fuiſſe locutum. Locutus eſt nobis *nouiſſime*, ſcilicet, in *diebus iſtis*: adhuc enim multi ſuperſunt qui eũ loquentem & audierunt & viderunt. Vel ita. Locutus eſt diebus iſtis ſicut dictum eſt. Locutus dico nouiſſime quæ hæc locutio Dei per filium nouiſſima fuit: nullius nouitate locutionis vlterius immutanda: ſed olim locutus in Prophetis eſt non nouiſſimè: quia veritatem locuturus in filio deſtructurus erat vmbram, quam loquebatur in Prophetis. Et ſi Prophetas audiſtis, quia Deus locutus eſt in
D Prophetis; abundantius obſeruate quæ de Deo in filio audiſtis. Nunc incipit magnificare filium, modo ſecundùm humanam, modo ſecũdùm diuinam, modo ſecundùm vtramq; ſimul ſubſtantiam dicens. *Quem* filium Deus pater *conſtituit* .i. firmiter ſtabiliuit *hæredem vniuerſorum*, id eſt, firmum poſſeſſorem omnium: non hæredem quaſi pater eius deceſſerit,

quod

Ioan.16.15 quod in humanis legibus fit: ſed hæredem ſecũdum quod idem ait: Omnia quæcunq; habet pater, mea ſunt. Hęc conſtitutio ſecundum quod homo eſt, facta eſt in eo, in quo ſecundum diuinam ab æterno fuit omnis plenitudo: *per quem* iterum filium *fecit* non ſolùm cœleſtia, ſed *etiam ſæcula* .i. quæcunque ſæcularia videtis: Pſal.103.24 iuxta illud. Omnia in ſapientia feciſti. Hoc ſecundum diuinam dictum eſt de filio: *qui* filius *cùm ſit ſplẽdor gloriæ* .i. diuinæ eſſentiæ patris, quæ diuinitas per excellẽtiam gloria dicitur, & conſideratione illius nihil glorioſum videtur. Filius, inquam, ſplendor eſt glorię: quia ſicut radius ſolem ſignificat lucere, ita filius radius eſt notificans patrem, non tamen aliud à patre: ſicut nec radius aliud eſt à ſole. Hoc autem ſecundùm vtramq; naturam, maximè ſecundum diuinam dictum eſt de filio. Qui filius etiam cum ſit *figura ſubſtantiæ eius* .i. plena oſtẽſio eſſentiæ patris. Figura autem, non quod diuerſus à patre, ſed idem: eadem enim ſubſtantia filius eſt cum patre, hæc ſecundum diuinam tantũ. *Portans* etiam *omnia:* quia ſicut niſi per filium creari non poterãt, ſic niſi per filium creata ſubſiſtere non poſſent. Portans omnia *verbo* .i. ſola voluntate, ſicut quemlibet regem iudicaremus potentem, qui ſolo verbo gubernaret imperium ſuum. Portans, inquam, omnia verbo *virtutis ſuæ* .i. virtuoſo verbo ſuo. Hæc omnia nihil adhuc ad illos, quia dicerent, quid prodeſt nobis ſi per eum facta ſunt omnia: ſi ſplendor ſit gloriæ &c. Ad hoc Paulus reſpondet. Filius dico *faciens purgationem peccatorum*, id eſt, purgans homines à peccatis, & quod purgare poſſit comprobatur ex præmiſſis: per quem facta & portata dicuntur omnia, & qui cum patre eadem eſt ſubſtantia &c. Quod etiam tempore legis Iudæi confitebantur, vbi dicebant eidem Chriſto. Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus? Hic planè oſtendebant neminem poſſe ſaluari à peccatis per legem. Purgationem peccatorum

Filius Dei eſt ſplendor gloriæ patris.

Marc.2.7.

A faciens. Hoc de filio dictum eſt ſecundùm diuinam. Qui filius cum ſit talis & talis, *ſedet ad dexteram maieſtatis*, id eſt, ad æqualitatem paternæ maioritatis. Maieſtas enim dicitur eſſentia Dei: nec in illo paradiſo vnde pulſus eſt Adam, ſed ſedet *in excelſis* cęlorum, locatus in dextera patris, hoc ſecundum humanam. Nunc filium comparat angelis, ita tamen vt longè præferat illis dicens. Filius, inquam, *effectus tantò melior angelis, quantò differentius hæreditauit nomẽ*, id eſt, honorificentiam poſtquam re-

B ſurrexit & aſcendit. Differentius ideò, quia cum adhuc eſſet paſſibilis & mortalis, differens nomen habuit: quia angeli miniſtrabant ei: ſed aſcẽdens multò differentius nomen poſſedit. Et quia differentius eſſe poſſet, non tamen præ angelis, ideò ait. Differentius, ita vt ſit præ illis angelis. Verè nomen hæreditauit præ angelis. Nam vox patris ait ad illum. *Filius meus es tu:* quod nulli angelorum dixit. Sed ad maiorem confirmationem ſub interrogatione: hoc ita ait. *Cui angelorum dixit aliquando*, id eſt, Matt.4.11.

C nec priuſquam confirmarentur, nec poſtquam per caſum aliorum cõfirmati ſunt: Dixit, inquam, *Tu es filius meus* conſubſtantialis, non adoptiuus, *ego* enim pater *genui te hodie*, id eſt, in æternitate. Propter infirmitatem intellectus noſtri, cum hodie (quod nota præſentis temporis eſt) poſuit præteritum genui, ne ſi diceret hodie gigno te, ſuſpicaremur eum non ab æterno genitum de patre. Et ideò genui dixit, ſecundum infirmitatem noſtram, hodie

D ſecundum diuinitatem in qua nihil præteritum, nihil futurum, ſed omnia ibi hodie præſentia. Et rurſum cui angelorum dixit hoc aliquando? vel ſine interrogatione. Rurſum pater hoc ait de filio. Vbi ait rurſum: de eodem ſignificat eſſe dictum. Ait pater. *Ego ero illi*, id eſt, ad honorem illius, ero illi *in patrem, & ipſe* filius *erit mihi in filium* ad me magnificandum. Ero, & erit poſuit, non quia hic pater: ille filius non ſit

ab æterno, ſed quantum ad communem notitiã hominum. Nec ad hoc ille pater, nec iſte filius: ſed in die iudicij erit pater, erit filius, cum omnes impij cognoſcent Chriſtũ, eſſe Chriſtum filium Dei: quod viuẽtes negauerunt. Hęc duo ſecundùm diuinitatem dicta ſunt de Chriſto. *Et iterum* dicit pater de eodem filio: *adorẽt eum: omnes angeli Dei:* ſed præmittit quando hoc dictum ſit. *Cùm* pater *introducit*.i. oſtendit introducendum *primogenitum* ſuum Chriſtum *in orbem terræ*. Introducit ideò: quia in interiora cordiũ ductus eſt: cum, inquã, introducendum oſtendit: dicit. Illud & iungitur in litera Pſalmi. *Adorent eum*, ſcilicet, filium ſecũdum humanam naturã *omnes angeli Dei*. Et hoc de eo poſt reſurrectionem accipiendum eſt. Illud præcedens: ero illi in patrem: in Eſaia inuenitur in Pſalmo etiam. Miſericordias Domini: quod idem valet: ibi habetur. Ipſe inuocabit me pater meus es tu. Illud quod ſequitur, adorent eum, habetur in Pſalmo. Dominus regnauit exultet terra: niſi quod ibi eſt adorate: hic adorent. Dicit etiam pater de eodem filio pertinens ad angelos. Hoc, ſcilicet, *qui* filius *facit* cęleſtes *ſpiritus ſuos angelos*.i. ſuos legatos mittẽs eos quo placet. Nec tantùm illos inferiores: ſed etiam *flammam ignis*.i. Seraphim, qui ordo dignitate alios pręcellit. *Facit miniſtros ſuos* etiam ſecũdum humanam naturam obſequentes illi. Hoc pater ait, pertinens ad angelos. Hoc autem idẽ ait ad filium. O Deus fili *Thronus tuus*.i. iudicialia ſedes tua *permanet in ſæculum ſæculi*. Et meritò: quia *virga regni tui* eſt *virga æquitatis*.i. directa æquitas & inflexibilis. Virga regis recta: & ideò de ære ſolet fieri, vt ſignum ſit directæ & inflexibilis æquitatis, quæ æquitas in Chriſto didirecta eſt & inflexibilis. Meritò iterum Thronus tuus eſt in æternum: quia tu *dilexiſti iuſtitiam*.i. omne bonum non coactus, ſed ex dilectione amplexatus es. *Et* ſicut dilexiſti iuſtitiam, ita *odiſti iniquitatem*.i. omne malum. Quidam enim ſic diligunt

Pſal. 88. 27.

Pſal. 103. 7.

Virga regis de are ſolet fieri.

A iuſtitiam, vt tamen quaſdam iniuſtitias odio non habeant. Et propterea vt Thronus tuus eſſet in æternum, vt virga æquitatis eſſet tibi, vt diligeres iuſtitiam: *propter hæc* omnia vt exiſterẽt in *te* ô Deus fili. Deus pater *vnxit*: ego, ſcilicet: qui loquor vnxi te. Alij per miniſtros vt Dauid & Saul vncti ſunt: Chriſtus autem propria operatione patris. Vnxit te, inquam, *Deus tuus* conſubſtantialis tibi: *oleo*.i. Spiritu ſancto: quia ſicut oleum carnem, ſic Spiritus ſanctus fouet & demulcet animam. Oleo dico *exultationis*.
B Et meritò dicitur exultationis: quia homo ille per ſpiritum de quo conceptus eſt, à peccato permanſit immunis. Vnctus eſt Chriſtus Spiritu S. in vtero matris. Accepit iterum Spiritum ſanctum in baptiſmo, quando in ſpecie columbæ ſuper eum viſus eſt: non tamen in baptiſmo ſpiritum accipiens, quaſi noua iuſtificatione indigeret: ſed vt oſtẽderet quod Spiritum ſanctum hominibus in baptiſmo ad iuſtificãdum tribueret. Vnxit te Deus oleo *præ participibus tuis*.i. prę Apoſtolis & cęteris, qui Spiritum
C ſanctũ acceperunt. Prę illis ideò, quia Chriſtus de Spiritu ſancto, omnes alij de ſemine carnis concepti ſunt. Hæc omnia ſecũdum humanitatem de filio dicta ſunt: hæc pater dixit de filio: & iterum propheta ad patrem de eodem filio, ſecundum diuinam. O Domine pater, *tu fundaſti terram*.i. firmiter ſtabiliſti hanc Eccleſiam: quæ terra dicitur comparatione ſuperioris Eccleſiæ angelorum. Fundaſti dico *in principio*.i. per principium quod eſt filius, iuxta quod idem de ſe ait. Ego principium qui & loquor
D vobis. Fundaſti terram: & cœlum.i. maiores ſanctos, vt Apoſtolos, qui myſteria tua compluũt ſubditis. Hos, inquam, non ſolum fundaſti: ſed dicẽdi ſunt propria *opera manuum tuarum*. In excellentia enim horum apparet manus tua fuiſſe operata, ſicut quilibet artifex diceret. Hæc imago egregia opus meum eſt: ſed in illa deterius facta non cognoſco me, cum tamen vtraque opus eius ſit. Et *ipſi*

Matt. 3. 16

Ioan. 8. 25.

cœli

cœli *peribunt* .i. morte deſtruetur, quicquid ex natura ſua erunt: *ſed tu permanebis in illis* .i. iuſtitia & cætera quæ tu operaberis, in illis permanebunt. *Et omnes* ſiue cœli, ſiue terra *veteraſcent* .i. paulatim corrumpentur miſeria carnis. Veteraſcent dico, & peribunt *vt veſtimentum* .i. ſecũdum corpus quod in eis eſt, circundans animam tanquam veſtimentum. Ip peribunt, & tu *mutabis eos velut amictum*.i. corpus, quod quaſi amictus animæ eſt. Mutabis impaſſibile factũ & immortale. *Mutabuntur* etiam ſecundum animas glorioſiores factas, & in cognitione Dei proficiẽtes. Ipſi peribunt & veteraſcent: *tu autem es idem ipſe* .i. immutabilis contra hoc quod ipſi veteraſcunt: *& anni tui non deficient* .i. æternitas tua permanens eſt. Contra hoc, quod illi morte peribunt: Non ſolùm per pręmiſſa maior angelis comprobatur, ſed etiam per hoc dictum filio. Sede à dextris, quod nulli dictum eſt angelo. Quia ad quem angelorum dixit pater aliquãdo: ſicut idem verbum ſupra notauimus. *Sede*.i. iudica & quieſce *à dextris* .i. in potioribus *meis: quoaduſque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*.i. ita plenariè ſubiectos tibi, vt ſcabellum ſubijcitur pedibus. Per pedes tamen humanitas Chriſti intelligitur, quæ vltima pars in illo. Hęc autem plena ſubiectio, conſummanda eſt in vltimo iudicio ſecundum humanitatem filij. Verè nulli angelorum dixit hoc quod dixit filio: ſede à dextris, quia angeli miniſtri ſunt filij, hoc autem repugnans eſt vt miniſtri ſint Chriſti, & eiuſdem dignitatis. Quod ita ait: ideò conſtat hoc non eſſe dictum alicui angelorum, quia *nonne omnes* angelici *ſpiritus* quotquot *ſunt*, ſunt *adminiſtratorij* .i. diſpoſiti vt adminiſtrẽt Chriſto? Et quia quidam miniſtri conſtituti ſunt, quibus imperare non audent domini, ad hoc remouendum addit. Ita dico adminiſtratorij, quod *miſſi in miniſterium* quocunque ſibi placet etiam *propter eos* .i. propter homines. Multum ſubiectos conſtat eſſe Chriſto:

A imperio cuius deſeruiunt etiam hominibus, qui minores ſunt angelis. Propter eos dico, *qui capient hæreditatem ſalutis* .i. qui poſſidebunt æternam ſalutem in hæreditatem .i. firmam ſibi poſſeſſionem.

CAP. II.

PROPTEREA *abundantius oportet obſeruare nos ea quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus. Si enim qui per angelos di-* B *ctus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? Quæ cum initium accepiſſet enarrandi per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis & portentis & varijs virtutibus, & Spiritus ſancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem. Non enim angelis ſubiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. Teſtatus eſt autem in quodam loco quis dicẽs. Quid eſt homo quod memor es eius, aut* Pſal. 8. 5. C *filius hominis quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulò minus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.* 1 Cor. 15. 27 Phil. 2. 8. *In eo enim quod omnia ei ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei. Nunc autem needum videmus omnia ſubiecta ei. Eum autem qui modico quam angeli, minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem. Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia: qui multos filios in gloriam adduxerat,* D *auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare. Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex vno omnes. Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens. Nunciabo nomen* Pſal. 21. 23. *tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te. Et iterum. Ego ero fidens in eum. Et iterum. Ecce ego & pueri mei* Eſa 8. 14. *quos dedit mihi Deus. Quia ergo pueri communicauerũt carni & ſanguini: &*

Oſea 13.14. 1.Cor.15.33.

ipſe ſimiliter participauit eiſdem: vt per mortē deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti. Nuſquam enim angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret & fidelis pontifex ad Deum: vt r propitiaret delicta populi. In eo enim quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens & eis qui tentantur auxiliari.

EX omnibus ſuperioribus infert: ad hoc enim comprobandum omnia adduxit, dicēs. Quia ſi in Prophetis & in filio locutꝰ eſt Deus: quia per filium omnia facta ſunt: quia maior eſt angelis: quia dictum eſt filio, ſede à dextris: quod nulli dictum eſt angelo: propterea oportet nos obſeruare ea quæ audiuimus à filio abundantius, quam ea quæ audiuimus à Prophetis. Prophetas quidem abūdanter, ſed filium abundantius oportet audire: ne fortè non audiendo filium, pereffluamus. Nos multis miſerijs & peccatis quotidiè effluimus, ſed ſi non obſeruemus mādata Chriſti pereffluimus: quia omne bonum elabetur à nobis, & pœna totius iuſtitiæ nobis reſidua erit. Probauit filium eſſe audiendum: tum quia in filio locutus eſt Deus, ſicut in Prophetis: tum quia filius maior eſt angelis: & hoc per auctoritates eorundem probauit: modo mandata filij obſeruanda dicit: ideò quia non effugient pœnam qui neglexerint propoſitam ſibi à filio ſalutem. Quod ita probat. Verè quæ audiuimus à filio niſi obſeruauerimus, pereffluemus .i. puniemur: quia ſi ſermo angelorum non impletus pœnam intulit non obſeruantibus: tunc ſalus filij neglecta, qui maior eſt angelis, pœnam inferet negligētibus, quod ita. *Si ſermo* .i. oſtenſio voluntatis Dei ſeu in lege, ſeu in Prophetis, qui ſermo dictus eſt *per angelos*. Angeli enim & Moyſi legē & cæteris Prophetis miniſtrabant, quæcunque illi docebant: ſi, inquam, hic ſermo *factus eſt firmus* .i. confirmatus

Peccatores effluunt & pereffluunt.

A eſt ſicut lex data Moyſi, per quædam miracula .i. per tonitrua ibi audita: etiam quibuſdam minis & pollicitationibus confirmata. Si, inquam, ſermo per angelos factus eſt firmus: & ideò omnis præuaricatio & inobediētia. Præuaricationem vocat, non ſolum dimittere quod præcipitur in lege, ſed etiam contra legem facere: vt qui iubetur diligere proximum, non tantum non diligit: ſed etiam occidit. Inobedientia dicitur non implere, quod in lege præcipitur: etiam ſi nihil contra legem operetur: vt qui iu- B betur diligere nō diligat: ideò ait *omnis præuaricatio & inobedientia:* & nō omnis præuaricator & inobediens: ſignificans vnam ſolam præuaricationem, vel inobedientiam non effugere pœnam. Præuaricator autem vel inobediens multarum præuaricationum vel inobedientiarum reus eſſe poteſt. Si, inquam, omnis præuaricatio & inobedientia *accepit retributionem mercedis* .i. mercedem retributā. Merces dicitur quæ pro qualitate fa- C cti, ſiue malum ſiue bonum ſit, redditur. Retributio ſignificat quantum meruit tantum eſſe redditum ei. Retributionem, dico, *iuſtam:* quia ſic retribuendo Deus agit ex iuſtitia; nec putetis eum ſic miſericordem eſſe vt obliuiſcatur iuſtitiæ. Si, inquam, præuaricatio vel inobedientia ſermonis dicti per angelos accepit retributam mercedem: *quomodo nos effugiemus* illud pereffluere *ſi neglexerimus:* non dico præuaricatores extiterimus: ſed (quod minus eſt) ſi ſaltem neglexe- D rimus .i. intelligere contemnamus, non dico ſermonem, ſed *ſalutem:* Verbum enim Chriſti creditum credentibus, cauſa efficiens eſt ſalutis. Salutem dico *tantam* .i. indeficientem. Salus enim hæc quando remittūtur peccata principium habet: poſitionem virtutum habet incrementum: in æterna beatitudine conſummationem. Nec eos reddit inexcuſabiles, quod nequeant opponere ſe, quaſi remotos hanc audiſſe ſalutem dicens. *Quæ ſalus cùm accepiſſet initiū* non conſtitutionis: quia ab æterno

Præuaricatio quid ſignificat.

Inobediĕtia dicitur non implere quæ in lege præcipiuntur.

Merces & retributio in quo differunt.

ſic fieri erat diſpoſitum: ſed initium *enarrari per Dominum* angelorum .i. per Chriſtum quod Chriſtus enarrare cœpit hãc ſalutem. Tunc, inquam, cum accepiſſet hoc initium *confirmata eſt in nos* .i. in vos Iudæos *ab eis qui audierunt* ab ipſo ore Chriſti, ſcilicet, per Apoſtolos quorum iuſtitia & auctoritas firmitatem huius ſalutis vobis commendauit. Confirmata dico, *Deo cõteſtante*: Ipſi enim Apoſtoli auctoritate ſua ſatis hanc atteſtabãtur: ſed Deus idem teſtabatur cum illis *ſignis & portentis*. Signa vocat vt morbos depellere; quod ars medicinalis poſſet efficere. Portenta autem, quæ contra naturam erant, vt cæco nato oculos aperire, Lazarum ſuſcitare: quæ & aliud ſignificabãt. Conteſtante autem etiã Deo *varijs virtutibus*, hic veras virtutes ſignificat: vt iuſtitiam, prudentiam: & huiuſmodi quæ miniſtrabat fidelibus ſuis. Conteſtãte etiam *diſtributionibus* .i. per diſtributiones *Spiritus S.* huic enim genera linguarum, illi reuelationes ſcripturarũ, & cæteris cæteras gratias diſtribuebat. ¶ His omnibus factis *ſecundũ voluntatem ſuam* (non enim conſiderabat meritum, ſed beneplacitũ miſericordiæ ſuæ) dixit quod negligentes ſalutem Chriſti non effugiẽt eius vindictam. Nunc ſubiũgit, quod vindicandi in omnes habeat potentiam. Dixi quomodo nos effugiem⁹: & verè non effugiemus vindictam negligentes ſalutem filij: cum præuaricatores ſermonis angelorũ puniti ſint: quia filio ſubijciet orbem terræ quẽ angelis non ſubiecit. Hic locus fidem facit à minori. Quod ita ait. *Deus* pater *nõ ſubiecit orbem* terræ *angelis*: miniſterio quidem eorum multa in orbe fiunt. Sed omnia ſpectant ad Dei imperium. Orbem terræ dico *futurũ* ſubiectum ei *de quo loquimur*, ſcilicet, Chriſto. Vel ita. Orbem non ſubiecit angelis: quod, ſcilicet, vt ſubijciatur: futurũ eſt ei de quo loquimur, Chriſto. Quod autẽ orbis ſubijciendus ſit Chriſto: probat auctoritate Dauid: qui tamen de hac ſubiectione futura loquitur quaſi de præterita, ſicut ad-

Signa & portenta differunt.

A miſſus in diuino cõſilio. Et vt certius exaltationẽ Chriſti ſuper omnia probaret, præmittit humilitatem eius, ne ſi (tacita humilitate) exaltationẽ aſſereret, ambigeretur alium eſſe qui humiliatus, aliũ qui exaltatus eſt. Vnde ſic ait. Non ego ſolus dico orbẽ ſubijciendum Chriſto, ſed etiã *teſtatus eſt* idem mecũ *quis dicens in quodam loco.* Hæc auctoritas adeò nota erat, quod nec auctoris, nec loci in quo erat nomine indigeret. Hæc, inquã, teſtatur Dauid loquẽs ad patrem. O Domine *homo* ille Chriſtus *quid eſt*, admiratiuè .i. magnũ quid futurus eſt: ſed quãtum quid ſit: hoc tamen totũ per hoc B ꝙ tu *memor es eius* hominis. Memor fuit Deus hominis Chriſti, quãdo eũ immunem à peccato cõſeruauit. Hominem eũ appello: aut vt expreſſius dicam homo ille filius hominis magnũ quid eſt in eo *quod* tu *viſitas eum.* Sicut medicus vt viſitet, ingreditur ad infirmum: ſic Deus viſitauit Chriſtum in ſepulcro, ingrediẽdo ad eum vt incorruptibilis reſurgeret. Vbi ait *filius hominis* & verum hominem: & non de ſemine viri natum oſtendit: C hominis enim filius non hominum. Et ſicut cognoui eius incarnationẽ: ſic minorationem eiuſdem: *minuiſti* enim *eum* filium Dei in virtute per aſſumptam naturam paſſibilitatis & mortalitatis. Minuiſti dico *paulò minus* .i. minus per paulum: quia licet mortalis, tamen in hac mortalitate imperabat angelis. Minuiſti paulò minus ſeparatũ *ab angelis* .i. ab illa dignitate loci: Deus enim homo fact⁹, inter homines eſt cõuerſatus. Poſita humiliatione Chriſti, incipit de exaltatione dicens. *Coronaſti eum gloria* .i. D claritate immortalitatis *& honore*: quia ipſi flectitur omne genu. Coronaſti ab ea ſimilitudine dicit, qua ſicut victor reuertens de triumpho, coronam ſuſcipit; ſic Chriſtus triũphata morte, gloria & honore coronari meruit. Et cum coronatũ *conſtituiſti ſuper opera manuum tuarum* ſuper homines & angelos, quæ propriè dicuntur opera manuum Dei: & ita ſuper opera, quod *omnia ſubieciſti ſub pedi-*

Deus pater tanquam medicus Chriſtum viſitauit in ſepulchro.

Chriſtus gloria & honore coronatus eſt

bus eius .i. ipſi plenaria ſubiectione. Poſſet enim ſuperior eſſe dignitate: quod nō tamen inferiora aliqua ſubiectione eſſēt ei obnoxia. Modo Paulus quod Dauid ait: omnia ſubieciſti, quomodo intelligēdum ſit, exponit dicens: ait Dauid. Omnia ſubieciſti. *In eo autem quod* ſcriptura *ſubiecit*.i.oſtendit ſubiecta *ei omnia, nihil dimiſit non ſubiectū ei:* quia vbi ait omnia nihil excipit. Si enim habetur, ſuperius iungitur. Benedico orbem futurum Chriſto ſubiectum: quia in eo quod ſubiecit ei omnia: nihil dimiſit non ſubiectum ei. Et licet dixerit omnia ſubieciſti: *nunc* tamen *nondum videmus omnia eſſe ſubiecta ei:* quare dicebam futurum ſubiectum ei. Hodie enim aliquid ſubijcitur: ſed necdum omnia: cras iterum aliquid, & necdū omnia: & iſtud necdum dici poterit: donec in iudicio etiam ſubijcientur ipſi impij. Opponeret aliquis. Sicut necdum ſubiecta ſunt, ſic nec in ęternum ſubijcientur. Ad hoc Paulus. Licet necdū ſubiecta ſint ei omnia: tamē quia partem prophetiæ in eo cōpletam videmus: ſcilicet, coronatum gloria & honore: certi ſumus, partem quæ reſtat implendā, ſcilicet, vt ſubijciantur ei omnia. Quod ita ait. *Eum qui minoratus eſt modico*.i. per modicum *quàm angeli:* poſſet enim ab eo q erat minorari, vt tamen remaneret maior angelis, ait: minor factus quā angeli. Eum, inquam, *videmus* iam *Ieſum*.i. ſaluantem ſuos, *coronatū gloria & honore*.i. claritate immortalitatis: & quod omne genu flectatur illi. Coronatū, inquā, nō ſine merito, ſed propter paſſionem: quæ paſſio non quoquomodo tolerabilis: ſed paſſio mortis. Hic iā oſtendere incipit, non ſolùm propter potentiam & vltionē mādata Chriſti debere obſeruari: ſed (vt illa prætermittamus) propter dilectionē qua nos adeò dilexit, vt pro ſaluatione noſtra mortem eligeret. Minoratus ideò, *vt guſtaret mortē pro omnibus* prædeſtinatis: vel pro omnibus vniuerſaliter. Precium enim datum eſt omnibus, ſi velint, ſufficiens. Guſtaret dicit, propter amaritudinē

A mortis, quæ interi' illi ſapuit. Vel guſtaret: quia mors illa cito præteriens, quaſi in guſtu fuit, non inebrians per moram. Guſtaret, inquā, & hoc *gratia*.i. per gratiam Dei: non enim hoc promeruerat homo. Ideò guſtaret mortē pro omnibus: *quia decebat eum*.i. Deum patrem *propter quem* glorificādum facta ſunt *omnia, & per quem* facta ſunt *omnia*. Eum dico *qui adduxerat*.i. adducendos prædeſtinauerat *multos filios*.i. homines iuſtificatos *ad gloriam*.i. ad ſaluationē. Eum, inquā, decebat *auctorem ſalutis eorum* filiorū

B (ſcilicet, Chriſtū) *conſummare per paſſionem* mortis ſicut promiſit. Fruſtra enim facta eſſent omnia, ſi homo nō redēptus periret. Omnis enim creatura terrena homini deſeruit: vt homo in illis materiam habeat laudandi Deum. Si autem homo non ſaluaretur, diſpoſitio Dei falleretur: qui propter ſe glorificādum fecerat omnia: cum in nullo glorificaretur, dānato homine. Et cùm propter Deum glorificandum, & per Deum facta eſſent omnia: conſilium eius impleri oportuit, vt glorificaretur in creatu-

C ris: ne nō prouidere ſalutem his, quæ fecerat abſurdū eſſet. Conſummatio Chriſti in reſurrectione incipit: perfectionē habitura in die iudicij, quādo omnia ſubijcientur ei. ¶ Probat q decuit conſummare Chriſtū per paſſiones: quia dicerent illi ſatis indecēs eſſe: vt q auctor erat ſalutis, cui omnia deberēt ſubijci, eū in ignominias paſſionis deponere. Vnde ait. Verè ſic eum conſummare non dedecuit: *quia qui ſanctificat* prædeſtinatos ad gloriam.i. Chriſtus: *& qui ſanctificantur*.i. prædeſtinati *omnes* pendent *ex*

D *vno*.i. ex Deo patre. Sic enim Chriſtus homo poteſtati Dei ſubiectus eſt, ſicut hi qui per eum ſaluantur. Et cùm Chriſtus ex Deo pendeat, non dedecuit ſi diſpoſuit de eo quomodo ſibi placuit. Probat quod ſanctificans & ſanctificati ex vno pendeant per auctoritates, ſic dicens. *Propter quam cauſam*, quia ſanctificans & ſanctificati ex vno ſunt: propter hoc, inquam, *non cōfunditur*, id eſt, non eru-

beſcit

beſcit Chriſtus *eos vocare fratres*, dicens in Pſalmo. *Nunciabo nomē tuum* (.i. honorificentiam tuam) *fratribus meis*, & *laudabo te* poſitus *in medio Eccleſiæ*, quaſi columna ſuſtinens & fulciens domum, ne quid in ea ruat. Et iterū probat idem auctoritate Eſaiæ loquentis in perſona Chriſti ſic. *Ego* Chriſtus *ero fidens in eum*.i. in Deum patrem. Cumq; in Deum ſe dicat cōfidere: apparet eum ſicut alios ex Deo pendere. *Et iterum* probat, quod ſanctificans & ſanctificati ex vno ſint dicens in Eſaia. *Ecce ego* Chriſtus paratus ſum obſequio Dei *& pueri mei, quos Deus dedit mihi*. Vbi ait. Ecce ego: & Deus dedit mihi: oſtendit ſe ex Deo pendere. Probauit quod non dedecuit: cōcludit modo quod per paſſionem oportuit Chriſtum auctorē eſſe ſalutis hominum, dicens. Quia Chriſtus qui ſanctificat: & homines qui ſanctificantur ex vno ſunt: ergo Chriſtus participauit eiſdem hominibus: ſimiliter vt paſſibilis & mortalis fieret. Et quare qui ſanctificat participauit eiſdem? *Ideò quia pueri* quos ſanctificabat *communicauerunt carni & ſanguini*.i. corpori & animæ. Per ſanguinem enim animā accipit: non quòd ſit anima, ſed quia ſedes eſt animæ. Communicare carni & ſanguini dicit, veros homines eſſe. Et quare Chriſtus ideò participauit humanitati? qa pueri quos ſanctificabat homines erant: propterea, ſcilicet, *vt per mortem* pro puerorum ſalute paſſam *deſtrueret eum, qui habebat imperium mortis*.i. diabolum, qui imperabat, lege mortis omni homini. Niſi enim per mortē nō poſſet deſtruere mortem: mori autem non poſſet, niſi homo fieret: *& ideò oportuit eum participare eiſdem* ſimiliter. Deus enim hominem primum purum & in libertate creauit: quem diabolus ſeductum (quia imperium Dei tranſgreſſus eſt) imperio ſuo vt ſeruum mancipauit. Homo autem corruptus per peccatum, nulla virtute hanc ſeruitutem euadere potuit. Cùm autem homo per ſe ſeruus factus eſſet, ſi per alium liberaretur quàm per hominem, vio-

Quare per ſanguinem anima accipiatur.

A lentia eſſet, & diabolus iniuriam ſibi fieri iuſtè reclamaret. Propterea vt homo redimeretur, oportebat inueniri hominem in quo peccatum non eſſet: vt diabolus in eo vſurpans ſibi poteſtatem: in quo quia peccatū non eſſet, nullam haberet: per hoc quod homini ſine peccato mortem (quæ pęna eſt peccati) inferret: vſurpando quod ſuum nō erat: iuſtè pro hac pręſumptione perderet omnem hominem quem iuſtè poſſederat. Homo autem ſine peccato inueniri non potuit inter homines: quia omnes in

B concupiſcētia nati. Si autem (vt quidā opponunt) angelica natura incarnaretur: cum vterque angelus & homo in natura habeat peccare, facillimè caderet: cum vtramque naturam per ſe cōſtet cecidiſſe. Sic relinquitur humanam naturam nullo modo ſine peccato poſſe conſiſtere, niſi vniretur ei diuinitas. Ideò etiam (ſicut aiunt ſancti) Deus voluit homo fieri, vt per hoc homines redderet magis obnoxios ſuæ dilectioni. Oſtendit Chriſtum nō ſolùm per mortem deſtruxiſſe mortis imperium: ſed etiam

Deus quare voluit homo fieri.

C merito mortis ſuæ legē (quæ Iudæos in ſeruitute tenuerat) euacuaſſe. Vnde ſic ait. Vt per mortem deſtrueret diabolum: *&* vt per mortem *liberaret eos*.i. Iudæos ad quos hic ſermo erat: *qui per* totam vitam *timore mortis obnoxij fuerant ſeruituti*.i. legi, quæ vt ſeruos cogebat eos, dicens. Si hoc feceris, morte morieris. Sed Chriſtus nolens vos ſeruire timore mortis legem euacuauit: vt ſicut ſerui prius timebatis: ſic modo per gratiam liberi diligatis. Verè participauit ſimiliter vt homines ſanctificaret: *nuſquam enim apprehēdit*.i. in nulla ſcriptura le-

D gitur apprehendiſſe *angelos*.i. angelicam naturam, vt angelos redimeret: *ſed apprehendit*.i. legitur apprehēdiſſe *ſemen Abrahæ*, carnē ſumēs de Abraham: vt qui per fidem ſemen ſunt Abrahæ, eos ſaluaret. *Vnde* quia ſemen Abrahæ apprehendit, *debuit ſimilari fratribus per omnia* paſſibilis factus & mortalis: *vt miſericors* (quod erat in natura) *fieret* operis exhibitione: *&*

pontifex.i. factus nobis pons, quo trāſeamus ad Deum. Pontifex dico *fidelis:* quia nec ab his quos ducebat: nec à Deo cui tradebat munera ſuæ ductionis quęſiuit. Similari etiam ideò, *vt repropitiaret*.i. propitiando remitteret, *delicta populi*. Et verè potens eſt repropitiare delicta populi, *nam in eo* .i. in inferiori eius ſubſtātia *in qua ipſe paſſus eſt* ſub Pilato, *tētatus* à diabolo: *potens eſt* ipſe auxiliari *eis quicunq; tentantur*, & à tentationibus *liberare*.

CAP. III.

VNDE *fratres ſancti vocationis cœleſtis participes, conſiderate Apoſtolum & pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum: qui fidelis eſt ei, qui fecit illum: ſicut & Moyſes in omni domo eius. Amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſe dignus habitus eſt: quantò ampliorem honorem habet domus qui fabricauit illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo. Qui autem omnia creauit Deus eſt. Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius, tanquam famulus, in teſtimonium eorum quæ dicenda erant: Chriſtus verò tanquam filius in domo ſua. Quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus. Quapropter ſicut dicit Spiritus ſanctus: Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra: ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri: probauerunt & viderunt opera mea quadraginta annis. Propter quod offenſus * fui generationi huic, & dixi, ſemper hi errant corde. Ipſi autem non cognouerunt vias meas: quibus iuraui in ira mea, ſi introibūt in requiem meam. Videte fratres, ne fortè ſit in aliquo veſtrum cor malum, incredulitatis diſcedendi à Deo viuo. Sed adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies: donec hodie cognominatur: vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim Chriſti effecti ſumus: ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineamus: dum dicitur: Hodie*

Num.11.7

Pſal.94.8.

* *infenſus.*

A *ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, quemadmodum in illa exacerbatione. Quidam enim audientes exacerbauerunt: ſed non vniuerſi qui profecti ſunt ab Aegypto per Moyſen. Quibus autem infenſus eſt quadraginta annis? Nonne illis qui peccauerunt, quorum cadauera proſtrata ſunt in deſerto? Quibus autem iurauit non introire * in requiem ipſius, niſi illis qui increduli fuerunt? Et videmus quia non potuerunt introire in requiem ipſius propter incredulitatem.*

* *quibus autem iurauit vt nō introirent.*

B A Superioribus infert: quod ex vindicta & potētia Chriſtus timēdus eſt: quia iterum ex dilectione pro vobis mortem guſtauit rediligēdus à vobis, quia potens & præſto eſt tentatis auxiliari. *Vnde*.i. per hæc omnia, ô vos *ſancti fratres facti participes cœleſtis vocationis*. Ad participanda enim cœleſtia bona vocati eſtis. Vos, inquam, diligendo & operando quæ præcipit, *conſiderate* Ieſum.i. ſaluatorem *Apoſtolum* quem pater legauit
C ad vos: & *pontificem* .i. factum nobis pontem, quo trāſeamus in gloriam, *Ieſum* pontificem *confeſſionis noſtræ:* quia quicquid alij faciant, nos eū fide cōfitemur ſaluatorē noſtrum. Comparauit Ieſum Prophetis: cōparauit eum angelis, ita vt illis omnibus maiorem oſtēderet. Nunc eum comparat Moyſi, ita iterum vt digniorem Moyſe aſſerat, quantò filius dignior eſt diſpenſatore ſeruo. Vnde ſic ait. Cōſiderate Ieſum, *qui* Ieſus *fidelis eſt ei*.i. Deo patri *qui fecit illum* .i. qui fa-
D cturam humanam vniuit filio. Fidelis ideò: quia nō ſuam; ſed patris gloriā ſemper quæſiuit, nec timore territus, vel amore ſeductus mādata patris occultauit. Fidelis, inquam, eſt ei: *ſicut & Moyſes* fidelis fuit *in omni domo illius* Ieſu, vel Dei patris: in qua Moyſes non dominus ſed miniſter erat. In omni ideò, quia in omnibus quæ neceſſaria erāt & in docendo, & in paſcendo, & in ducendo domū illam.i. populū Iudæorū, fideliter enutriebat. Vel ita conſtruamus. Ieſus fidelis eſt Deo ſicut Moyſes fidelis fuit.

Chriſtus quare factus eſt pontifex noſter.

A Ieſus dico fidelis in omni domo illius, tam in Iudæis, quam in gentilibus: non in quadam domo ſicut Moyſes in Iudæis. Illud, ſicut, ſimilitudinem tantum notat, non quãtitatem: Probat per effectum quod ait. Vere Ieſus fidelis eſt, ſicut Moyſes. *Nam* Ieſus *habitus eſt dignus*: iſte, inquam, Ieſus: qui filius longè præcellit miniſtrum dignus eſt gloriæ ſicut Moyſes: quia etiam *amplioris gloriæ* dignus eſt *præ Moyſe*, id eſt, quam Moyſes vel præ Moyſe exiſtens in merendo. Tantò vtique amplioris, *quanto ampliorem honorem domus*, id eſt, in domo apud eos: ſcilicet qui in domo ſunt. Vel domus, id eſt, de domo fabricata *habet ille qui fabricauit illam domum*. Ampliorem dico, quam ille qui diſpenſator eſt in ea. Nunc duo reſidua ſunt ad probandum: & ꝙ domus non à ſe, ſed ab alio fabricata ſit, & quod Chriſtus eam fabricauerit. Hæc autem omnia de ſpirituali domo accipienda ſunt. Sæpe enim contigit, vt in domibus noſtris honorabilior eſſet qui in ea miniſtrabat, quã ille cuius erat domus. Quaſi diceret. Benè dico qui fabricauit illam: per ſe enim non poteſt fabricari: *omnis nanque domus fabricatur ab aliquo*. Ad hoc ille. Si ab aliquo, non tamen à Deo. Ad hoc Paulus. Verè domus fabricatur à Deo: *nam Deus eſt qui creauit omnia*: ꝙ ſi omnia creauit: conſtat quod & domum: quã quia fabricauit, ſequitur vt amplioris gloriæ habeatur in illa, quã qui in domo tantũ miniſtrat. Propterea quia fabricauit domũ, in qua Moyſes diſpenſauit: præ Moyſe ideo dignus habitus eſt. Propterea etiam amplioris glorię eſt: quia *Moyſes quidem* vt famulus in domo non ſua: Chriſtus vero filius in domo ſua. Quidem, & vero, diſtributiuæ coniunctiones ſunt. Moyſes quidem *fidelis erat in tota domo eius*, i. Dei patris vel Chriſti, *tanquã famulus*; quia ſolummodo famulabatur in ea. Famulus autẽ qui hodie eſt in domo, cras fortaſſis expelletur, nunquã adeo fidelis erit, ſicut filius qui hæreditate poſſeſſurus eſt domũ. Moyſes tãquam famulus erat *in teſtimonium eorũ*. i. vt ſolũmodò teſtificaretur ea: nõ vt gratiã adiutricem ad operanda mãdata dare poſſet: eorum, dico, *quæ dicenda erant*. i. quæ conueniebant dici illi carnali populo, qui ſpiritalia capere non poſſet. Moyſes tanquã famulus in domo nõ ſua: *Chriſtus verò* ſic erat fidelis *tãquam filius*, quẽ illius domus manebat hæreditas. Filius, dico, *in domo* non alterius, ſed *ſua*. *Quæ domus* Chriſti *nos* renati per gratiam *ſumus*: hac conditione dico, ſumus domus, *ſi retineamus fiduciam ſpei*, id

B eſt, ſpem futuræ beatitudinis cum fiducia, vt fiducialiter ſperemus: & ſi retineamus *gloriam* ſpei. i. glorioſam ſpem: quia de iucunditate cęleſti. Retineamus dico fiduciam ſpei *firmam*, id eſt, perdurantem *vſque ad finem* vitę: quando quod modo ſperamus accepturi ſumus. Quapropter quia retinendo fiduciam & gloriam ſpei ſumus domus Chriſti. Propter hoc videte fratres, ne forte quod cõtingere poteſt, ſit in aliquo veſtrũ: In aliquo ideo ait: quia plures ſciebat in Eccle-

C ſia poſſe eſſe perfectos: *ne*, inquam, *ſit in aliquo veſtrum cor incredulitatis*, vt increduli ſitis: putantes Chriſtum non ſufficere ad iuſtificationem, ſed legem eſſe neceſſariam. Cor dico incredulitatis *malum*. i. in multa mala præcipitatum. Ex quo enim incredulus eſt aliquis, præceps ruit in actũ peccati. Nec parum nocet cor incredulitatis: quod eſt habere cor *diſcedendi à Deo*. Et malè vobis ſi à Deo diſceditis: quia Deo dico viuo: à quo

Vitã perdit qui à Deo diſcedit.

D qui diſcedit, vitã perdit: qui ad eum incedit, vitam inuenit. Videte ne ſit in aliquo cor incredulitatis quod ego prohibeo: *ſicut* idẽ prohibens *dicit Spiritus ſanctus* in Dauid his verbis. *Hodie*. i. In tempore gratiæ: ſic. n. Dauid loquebatur quaſi ſpiritu præſens in diebus Chriſti. Per hodie autẽ totum tempus gratiæ, à Chriſto vſque in finem mundi intelligitur. Hodie, inquam, in diebus Chriſti, *nolite obdurare corda veſtra: ſi audieritis vocẽ eius*, ſicut reuera audietis. Illud ſi, affirmatiuum eſt. Nolite obdurare cor,

agentes *ſicut in exacerbatione* .i. multotiens exacerbando me *fecerunt patres veſtri.* De multis exacerbationibus vnam reponit, dicens. Nolite obdurare *ſecundum diem* .i. ſicut illi obdurati ſunt in die tentationis, *quando tentauerunt* me, dicentes. *Pſal. 77. 19.* Nunquid poterit hic parare menſam populo ſuo? Tentationis dico factæ *in deſerto:* vbi magis confugiendum illis eſſet ad auxilium Dei, quam ad prouocandum eum per tentationem. Vos autem poſiti in deſerto mũdi huius, videte ne per tentationes Deum irritetis: *vbi*.i. in quo deſerto *tentauerunt me patres veſtri.* Videte ſi ſecundùm carnem patres ſunt: ne ſint patres ſecundum imitationem. Tentauerunt inquam, & *probauerunt*.i. probabilem me inuenerunt: etenim *viderunt opera mea quadraginta annis :* in quibus me omnia poſſe experti ſunt. *Propter quod*.ſ. quia tentauerunt me, *offenſus fui* .i. iratus *huic* tàm peſſimæ *generationi:* & dixi *de illis. Iſti ſemper errant:* & hoc *corde*.i. ex propria deliberatione: quia ſerio peccant: potẽtes & ſciẽtes recte agere. Et licet ſic dicerem illis : tamen *ipſi non cognouerunt vias meas* .i. cognoſcere noluerunt opera mea, in quibus ambulare debuiſſent: ſed quia non cognouerunt, *ſi ipſi introibunt in requiem meam*, quam illis pollicitus eram? Defectio orationis: vt intelligãtur quælibet inconueniẽtia: quaſi diceret. Si introibunt nemo mihi credat vlterius. Vel quælibet huiuſmodi. Illud ſi quidam dicunt eſſe quaſi non, attendẽtes vim ſentẽtiæ non dictionis. Si introibunt dico *vt* ego *iuraui* .i. firmiter ſtabiliui eos non intraturos : iuraui vtique *in ira mea*.i. quando iratus eram illis: quod vtrunq; & ira & iuramentũ aufert eis introire in requiẽ. Si quibus ibi ſit eadem manet in ſentẽtia ſic. Si intrabũt in requiẽ meã illi, quibus in ira mea iuraui, ꝙ non eſſent in requiem intraturi. Et quia fratres propter cor in incredulitate obduratum patribus veſtris requies negata eſt : ideo fratres videte ne forte ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis diſceden-

A di à Deo viuo, ſicut expoſitum eſt. Ne inquam, ſitis increduli, ſed adhortamini voſmetipſos de incremẽto virtutum dicentes per ſingulos dies: *Venite exultemus* &c. donec .i. *quamdiu cognominatur* in vobis *hodie*.i. tempus gratiæ. Cognominatur ideo ait, ne remoti à diebus Chriſti putarent minus ſibi conferre Chriſtũ quàm temporaneis. Hodie, inquã, cognominatur : quia hæc gratia quæ etiam vltimis tribuitur, cognata eſt gratię datæ in diebus Chriſti : tantum valens poſteris, quãtũ primitiuis. Adhortamini, inquã, *vt non obduretur aliquis ex* B *vobis fallacia.* Scitote.n. quòd diabolus vos fallit ſi forte obduramini. Fallacia dico cauſa *peccati:* quia poſtquã deceptus eſt aliquis : magis ac magis dehinc præcipitatur in peccatum. Debetis vos adhortari & non obdurare: quia ꝗ non eramus, *effecti ſumus* per gratiam *participes Chriſti* .i. partem capientes cum Chriſto in hæreditate patris. Hac tamen conditione dico participes, *ſi retineamus firmum* C *vſq; ad finem vitæ*, quod nunquã deſeramus *initiũ ſubſtantiæ eius*.i. fidem quæ eſt initium bonorũ: Et per quod iam deificamur: & diuinæ ſubſtantię quodammodo participamus. Retineamus, dico, *dum*.i. quamdiu, *dicitur* in nobis. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, quemadmodum patres veſtri* obdurauerunt *in illa exacerbatione* præfata. Benè dico in exacerbatione. *Quidam enim* eorum *audientes* mãdata Domini *exacerbauerunt* D Deum. *Non tamen vniuerſi qui profecti ſunt ab Aegypto per Moyſen*.i. per ducatum Moyſi exacerbauerunt Deum : quia nec Caleph, nec Ioſue. Similiter & vos profecti ab Aegypto per Moyſen.i. à tenebris *Num. 13. 31.* infidelitatis per Chriſtũ conſecrantẽ vobis aquam remiſſionis, nolite exacerbare Deum. Verè quidam exacerbauerũt: quia *quibus infenſus eſt* Deus *quadraginta annis: nonne illis qui peccauerunt* (& non impunè) ne impunitatem promittatis vobis: quia *cadauera quorum* peccantium *proſtrata ſunt in deſerto?* Illis vtiq; Deus infenſus fuit.

A Iterum ad idem. *Quibus autem iurauit* Deus *non introire in requiem ipſius* .i. in cœleſtem Hieruſalem, vbi eſt vera requies: *niſi illis qui fuerunt increduli:* & in verbis Domini fidẽ non habuerunt? Quibus pro peccato proſtratis ſicut abſtulit terrã repromiſſionis: ſic veram requiem quę ſignificabatur per illam terram. *Videte itaq;* ne vos increduli (quod vtique eſtis) ſi legem quaſi neceſſariam fidei reducitis non credentes poſſe iuſtificare Deum pro incredulitate non intretis in requiem. B Deus quidem iurauit eos non intraturos in requiem: & ſicut iurauit, impletum videmus: *quia non potuerunt intrare in requiem propter incredulitatem ſuam.*

CAP. IV.

TImeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, exiſtimetur aliquis ex nobis deeſſe. Etenim et nobis nunciatum eſt, quẽadmodum & illis: ſed non profuit illis ſermo auditus, nõ admixtus fidei ex his quæ audierunt. Ingredimur enim in requiem qui credimus: quemadmodum dixit. Sicut iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Pſal. 94. 11. *Et quidem operibus ab inſtitutione mundi perfectis: dixit enim quodam loco de die ſeptima ſic. Et requieuit Deus die ſeptima ab omnibus operibus ſuis.* Gen. 2. 2. *Et in iſto rurſum. Si introibunt in requiem meam. Quoniam ergo ſupereſt introire quoſdã in illam, et hi quibus prioribus annunciatum eſt, nõ introierunt propter incredulitatem, iterum terminat diem quendam, hodie in Dauid, dicendo, poſt tantum temporis (ſicut ſupra dictum eſt) Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Nam ſi eis Ieſus requiem præſtitiſſet, nunquam de alia loqueretur poſthac die. Itaque relinquitur ſabbatiſmus populo Dei. Qui enim ingreſſus eſt in requiem eius, etiam ipſe requieuit ab operibus ſuis, ſicut & à ſuis Deus. Feſtinemus ergo ingredi in illã requiem: vt ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum. Viuus eſt .n. ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſq; ad diuiſionem animæ ac ſpiritus: compagum quoq; ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in cõſpectu eius. Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius, ad quem nobis ſermo.* Eccl 15 20. Deus omnipotens. *Habentes ergo pontificem magnum qui penetrauit cælos, Ieſum filium Dei, teneamus ſpei noſtræ confeſſionem. Non .n. habemus pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſq; peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiã cõſequamur, & gratiã inueniam⁹ in auxilio opportuno.*

ET quia propter incredulitatẽ intrare non potuerũt in requiem, igitur *timeamus ne forte aliquis ex nobis exiſtimetur* ſecundum veritatem *deeſſe* ab illa requie. Sed præmittit poſſibilitatem introeundi nobis cõceſſam dicens. Timeamus, inquam, C *ne relicta pollicitatione*.i. frequẽti promiſſione *introeundi in requiem eius* .ſ. Dei: vndę nos habere cõſtat facultatem introeundi: ne, inquam, hac relicta per incredulitatem exiſtimetur aliquis noſtrum deeſſe à requie. Bene dico pollicitatione: *etenim nobis nũciatum eſt (quemadmodum & illis)* per fidẽ poſſe intrare in requiẽ. Illis quidem nunciatũ fuit: *ſed* tamẽ *non profuit illis ſermo* nũciationis *auditus* tãtũ, & *non admixtus fidei,* vt crederent his qui à Deo audiebant. Fidei dico acceptæ *ex his quæ audierunt:* vt ſicut D audiebãt, ſic Deum impleturum crederent. Vel ita. Sermo auditus & nõ admixt⁹ fidei: ex his .i. propter ea quæ audierunt ab illis exploratoribus reuerſis non profuit illis. Secundùm hanc ſentẽtiam ad hiſtoriã nos mittit: quando duodecim exploratores miſſi à Moyſe reuertentes terruerunt filios Iſrael, dicẽtes. Num. 13. 29. Terram quidem eſſe fructiferam: ſed filios Enachim ibi eſſe giganteæ ſtaturæ: quorum in conſpectu ſtare nõ poſſent, quibus & huiuſmodi auditis dixerũt. Faciamus

nobis

nobis ducē & reuertamur in Aegyptum in incredulitate exacerbantes Deū. Verè ſermo auditus tantū, quia non eſt admixtus fidei, non profuit illis: nā quia in nobis eſt admixtus fidei proderit nobis. Locus à cōtrarijs. Quod ita ait. *Nos qui credidimus*.i.qui fidē auditis admiſcuim', *ingrediemur in* veram *requiem:* cuius & figuram & veritatē illi (quia increduli) perdiderunt. Nos, inquā, ingrediemur: *quemadmodum dixit* nos per fidem ingreſſuros: vbi ait. *Sicut iuraui in ira mea, ſi introibūt in requiem meam.* Et hoc dicere fuit per contrariū: quia vbi illos propter incredulitatem non intraturos dixit in requiem: ibidem per contrarium nos, quia credimus dixit ingreſſuros in requiē. Vel ſingula reddamus ſingulis. Nobis nunciatum eſt de requie illa: quia nos qui credidim' ingrediemur requiē: illis non profuit ſermo auditus tantū, quemadmodū dixit: ſicut iuraui in ira mea ſi introibūt in requiem meam. ¶ Dixit ſuperius. Videte ne ſit in aliquo veſtrum cor incredulitatis: quia propter incredulitatē non intrauerūt in requiē pollicitā: de qua requie nūciatum eſt vobis: quod ſi fidem habeatis, hāc requiē habere poteſtis. Quibus aūt modis, & quibus temporibus nunciatum ſit ſubiungit: oſtendens duas nunciationes de hac requie factas eſſe in figura: quia nemo adhuc requiem illā habere poterat: cuius requiei tertia nunciatio facta eſt: non in figura, ſed in ipſa veritate, quādo iam & haberi poterat, & habebatur ipſa reqes .ſ. in diebus gratiæ. Litera ſic iungitur. De requie illa vtique nunciatū eſt nobis; nā & in hoc loco & in illo, & in alio. Illud &, diuerſitates locorū vbi de requie agitur ſignificat: illud quidē diſcretionē tēporis: quia tēpus quo primū de requie hac *nunciatū eſt*.ſ. cōſtitutio mūdi, longè diſtabat à tempore impletionis ſ. à diebus Chriſti. Vnde ſic ait. Nunciatū quidē nobis eſt de requie: & quidē *operibus perfectis* incipiēdo *ab inſtitutione mūdi:* nunciatū eſt nobis de requie illa. Facto homine, perfecta dicuntur eſſe opera Dei:

A cū omnis creatio mūdi fuerit ꝓpter hominē: ſi homo caput creaturarum deeſſet, imꝑfecta eſſent omnia propter hominē creata. Et quia à Deo perfici & cōſummari ſecundū opinionē quorundā poſſent, & nō principium habere à Deo, ideo ait incipiendo ab inſtitutione mundi. Verè perfectis operibus nūciatum eſt nobis. *Dixit.n.* ſcriptura vel Moyſes *in quodam loco de ſeptima die ſic.* Ideò non determinans locum dicit in quodam loco: quia & hic locus ſcripturę ſatis notus erat illis: & quia hic locus diſcretus & egre-

B gius erat: vbi de ſaluatione ſermo habebatur: dignitate, inquā, diſcretus ab illis: vbi de tauro immolando habetur ſermo. Vel ſi ibi non ſit, enim, nihil oportet repetere: ſed dicamus operibus perfectis. Dixit in quodā loco de die ſeptima: ſic illud & ꝙ ſequitur vim habet in ordine literæ: vnde ſumptum eſt: quaſi diceret. Hoc & hoc fecit Deus: & his factis *requieuit die ſeptima.* Non dicitur Deus requieuiſſe, quaſi qui labore aliquo vexaretur: ſed vt per hoc ſignificaret requiē

C futuram ait. *Deus requieuit*, id eſt, ceſſauit *ab* omnibus *operibus ſuis*, quod nihil poſtea operaturus ſit: cuius materia vel ſimilitudo in priori creatione non præceſſerit, materia in rebus corporeis: ſimilitudo in incorporeis vt in animabus. Statim ſexta feria facto homine, ſabbato requieuit: quaſi per hoc diceret homini, ſi obediens mihi fueris: hæc eadem requies peracta obedientia parata eſt tibi. Vbi ait. Requieuit die ſeptima:

D ſic de requie nunciatum eſt, vt & figura requiei expectaretur, ſcilicet terra repromiſſionis. Et veritas figuræ in diebus Chriſti: ante quē nemo veram habuit requiem. Sicut in præfato loco, ſic etiā in iſto rurſum nunciatū eſt. Vel dicit ſcriptura de requie illa vbi ait rurſum de eodem ſignificat eſſe dictum. Sic, inquam, nunciatū eſt: *ſi introibunt in requiem meā.* Vbi enim hoc dicēdo incredulis negabat requiē, ſignificabat eſſe requiē fidelibus poſſidendam. Hæc autem ſcriptura inuenitur in Dauid: qui iā de

De' requieuiſſe dicitur tametſi labore non fatigatur.

de figura, ſcilicet de terra illa promiſſionis nõ poterat Prophetare: quam filii Iſrael iam multo tempore poſſederant. Et ita ſecundum Dauid non de figura quę iã habebatur, ſed de veritate rei quæ in Chriſto expectabatur hæc prophetia erat. Secundum Moyſen autem qui hoc idem dicebat filiis Iſrael prophetia erat: & de figura nondum habita, & de veritate in Chriſto accipienda. Præmiſſis de eadem requie duabus nunciationibus in figuris, ſubiungit tertiam ſecundũ impletionis veritatem, dicens. Quia hoc & illo modo de requie illa nunciatum eſt: ergo vt impleretur prædicta, terminat iterum agens de eadem requie, diem quendã Spiritus S. dicẽdo hodie in Dauid. Diem hunc dicit quendã .i. diſcretum & omnibus qui ante fuerũt præcellentẽ: quia in hoc die impletur ſalus, quæ in anteactis diebus nũciari tãtum potuit nunquã impleri. Dicẽdo hodie in Dauid poſt tãtum temporis. Multum.n. tempus præterierat à Ioſue qui terrã promiſſionis Iudæis diſtribuit, vſq; ad diem Dauid: vnde apparet Dauid aliam requiem intellexiſſe futurã, quã illam terram quam iã diu poſſederant. Dicendo, inquã, hodie ſicut ſupra dictũ eſt ibi. Hodie ſi vocem eius audieritis nolite obdurare corda veſtra: quia ſicut priores patres propter incredulitatem etiam figuram perdiderunt: ſic & vos (ſi increduli fueritis) veram requiem non poſſidebitis. Poſt tantũ temporis ideo terminat: *quoniã ſupereſt* .i. reſtat adhuc *quoſdam introire in illam requiem*. Ideò etiam ait nolite obdurare corda: quia hi quibus prioribus annunciatũ eſt de requie propter incredulitatem ſuam: nec ſaltem introierũt in figuram, nedũ in ipſam veritatem. Vel ita manente eadẽ ſententia. Quia ſic & ſic pollicita eſt requies illa: ergo vt impleantur promiſſa: ſupereſt quoſdam introire in illam requiem. Et quoniam ſupereſt quoſdam introire: ideo *iterum terminat quendã diem*, poſt tantũ temporis, dicendo, *hodie in Dauid*. Et quoniam hi quibus prioribus annunciatum eſt

A de requie illa, ꝓpter incredulitatem non introierunt in eam: ideo hodie ſi vocem eius audieritis nolite obdurare corda veſtra: ſicut ſupra dictum eſt patribus veſtris. Verè ſupeſt quoſdam introire in illam terrã: nam (ſicut falſo putatur à quibuſdam) Ieſus .i. Ioſue non præſtitit eis illam requiem. *Si enim* hic *Ieſus*.i. Ioſue *præſtitiſſet eis* hanc *requiẽ: nunquam* Dauid *loqueretur de alia* requie longe *poſt* Ioſue: dicendo *hac die*, id eſt, hodie. Vel ita. Nunquam Dauid loqueretur de alia die poſt hãc.i. ſi intellexiſſet à Ioſue veram requiem diſtributam eſſe.

B Aſſumatur ita. Sed Ieſus Ioſue non præſtitit illis veram requiem. Et quia promiſſa eſt, & nondũ præſtita, itaq; hoc ſolum ex præmiſſis *relinquitur.ſ. ſabbatiſmus populo Dei*. Sabbatiſmus dicitur iucunditatis: & illa delectatio quæ fit in ſabbato ſignificãs iucunditatem veri ſabbati. Et bene dico Sabbatiſmus. *Nã quicunq; ingreſſus eſt in requiẽ eius*: ſiue Abraham, ſiue quilibet ſanctus inuenit hũc Sabbatiſmũ. Sabbatiſmus quid dicitur.

C Quod ita ait. Nõ ſolùm Chriſtus, ſed *etiam ipſe* qui ingreſſus eſt *requieuit ab operibus ſuis*, id eſt, ab omni labore: *ſicut & Deus* quieuit *à ſuis* operibus. Quies enim Domini, ſignum & cauſa fuit noſtræ quietis. Deus.n. ſexta die hominẽ fecit, ſexta ætate redimere venit, ſexta die, & eiuſdem diei ſexta hora eum redemit, quieſcens ſabbato in ſepulchro, ſignificans ſecum in æterno ſabbato quieturos. Et quia requies relinquitur populo Dei: & quicunque ingrediens in illã, ſicut Deus ita requieſcit: *ergo* bene operando, & Quies Domini ſignũ fuit noſtra quietis.

D ſanè credendo, *feſtinemus ingredi in illam requiem*: ita feſtinem⁹, *vt ne quis* noſtrum *incidat in idipſum exemplum incredulitatis*.i. in eãdẽ incredulitatẽ, in quam patres noſtri inciderũt. Nos dico, grauius nunc offendentes: quia nos habemus illos in exemplum cauendi nobis, illi ſine præcedenti exemplo ceciderũt. Feſtinare nos oportet in requiem, & non incidere in incredulitatem: *quia ſermo Dei*.i. verbũ patris iuxta illud. Omnipotẽs ſermo tuus Domine à regalibus ſedibus venit. Sap.18.15.

nit. Hic, inquã, ſermo Dei eſt *viuus*.i. vitam habens, ſuiſq; vitam miniſtrãs. Cumque ſit viuus eſt etiam *efficax*.i. faciens quodcunq; vult: remunerando pios, damnando impios: & cũ tantam habeat potentiam, non minorẽ habet ſapientiam. Eſt enim *penetrabilior omni gladio* .i. omni humano ingenio: quod quia occulta penetrat, dicitur gladius perforans interiora. Gladio, dico, *ancipiti*: quia ſicut gladius anceps qui in medio teneturante & retro percutit; ſic humanum ingenium: & de ſapientia ſpirituali, & de ſcientia humana intelligit. Sermo etiam Dei eſt *pertingens vſq; ad diuiſionem animæ ac ſpiritus*: quia ſcit bene diſcernere quæ ſint animæ .i. ſenſualitatis: & quæ ſint ſpiritus.i. rationis. Diſcernit etiam ipſos actus ſenſualitatis inter ſe & diſpoſitiões: quia aliquando ſenſualitas rationem ſecum trahit in peccatum, modò bene operando conſentit ſpiritui. Scit etiã diſcernere ea quæ ſunt ſpiritus inter ſe, quomodo nunc repugnet ſenſualitati, quandoque conſentiat: quandoq; bene operari ſecum cogat, pertingens vſque ad *diuiſionem compagũ*. Vel (quod idem valet) Diſcretor etiam compagum animæ & ſpiritus: quia ſcit ſeriem illam quodam ordine compactam: nunc in ſenſualitate, nunc in ſpiritu: ſicut quando ſenſualitas deſinit male agere: & dehinc bene operãdo conſentire ſpiritui: & ſic gradatim aſcendit etiam ſpiritus: primũ bene operari incipit, dehinc contemplari illa cœleſtia: à cœleſtibus tranſiens, figit oculum in ipſum Deum. *Diſcretor etiam medullarum*.i. omnis ſubtilitatis animæ & ſpiritus: quia nulla ſubtilitas eũ latere poteſt. Diſcretor etiam omnium *cogitationum*: quia nouit quicquid homo cogitat: nec ſolum cogitationum: ſed etiã diſcretor *intentionum cordis*, quia nouit quicquid per cogitationes intendat. Et (vt ſapientiam eius breuiter comprændam) *non eſt vlla creatura inuiſibilis*.i. quæ non appareat *in conſpectu eius*, qui tantus eſt vt ſimul omnia comprændat. Et cum ſermo Dei ita ſit efficax vt potẽtiam efficiẽdi quicquid velit habeat: & cum adeo ſit ſapiens, bene & poterit, & ſciet: quid vnicuique debeat retribuere. In conſpectu eius nulla creatura inuiſibilis: *ſed omnia* ſunt *nuda*, .i. reuelata & (quod maius eſt) etiam interius *aperta oculis*.i. perſpicacitati *eius, ad quem* tam potentem, tã ſubtiliter omnia proſpicientem, *nobis* eſt *ſermo*: huic enim reddituri ſumus rationem de ſingulis. Feſtinate ergò ad eũ relicto malo incredulitatis. Cõparauit quidem Ieſum, & maiorem oſtendit Prophetis, & angelis, dicens eum filium Dei: ſed quomodo in eo penderet tota ſalus hominum, necdum dixerat: ad quod poſſent illi obijcere. Quid prodeſt nobis ſi maior angelis ſit filius Dei, cum Deus in eo non diſpoſuerit nos ſaluari? Ad hæc reſpondet Paulus dicens, quòd in eo Deus omnem ſalutem propoſuit per ſacerdotium Chriſti, Leuiticum deſtruens ſacerdotium: & per gratiam Chriſti inutile pondus veteris legis. Litera ſic iungitur. Quia ad iſtum tã potentem, tam ſapientem nobis eſt ſermo: *ergo teneamus confeſſionem* ſpei noſtræ.i. fidem per quam nobis conceditur ſperare futurã gloriam. Teneamus, inquam, *habentes pontificem*, qui factus eſt nobis pons in ſalutem. Pontificem dico magnum longè prę omnibus Leuiticis: *qui* pontifex noſter *penetrauit cœlos* in ſublimitate potentiæ: ſacerdotes autem de Leui ſemel in anno licebat introire in ſancta ſanctorum, vbi tamen non erant niſi manufacta. Hic autem potentialiter penetratis cœlis, ſedet in dextera patris. Pontificem iſtum dico *Ieſum*.i. ſaluatorem noſtrum & potentem ſaluare: quia *filium Dei*. Nos talem habentes põtificem, teneamus ſpei noſtræ confeſſionem. Iterum ne præ magnitudine Ieſu deſperarẽt infirmi fratres, dicendo quia filius eſt Dei: quia cęlos penetrauit, nunquam dignabitur condeſcendere infirmitatibus noſtris ait Paulus. Sine diffidentia teneamus confeſſionem: *quia non habemus Pontificem*, qui licet filius

Sermonis diuini efficacia.

Põtifex noſter Chriſt' benign' eſt.

Dei ſit, *non* tamen *poſſit cōpati* & condeſcēdere *infirmitatibus noſtris*:& ſecundū fragilitatē naturæ, & etiā lapſis: ſed habemus pontificem *tētatum* in carne *per omnia* genera tentationis. Tentatum dico *pro ſimilitudine*.i. quia ſimilis fuit nobis, mortalis & paſſibilis. Vel, tentatum pro ſimilitudine i. vt exemplum in ſe daret nobis reſiſtendi tentationibus, & ſic tentatum tamen *abſq́. peccato*. Ex eo enim quod tentatus eſt, ſcit compati. Ex eo aūt quod ſine peccato: poteſt liberare. Ergo quia & compatientem & potentem liberare habemus pontificē: *ergo cum fiducia adeamus ad thronum gratiæ*.i. ad Chriſtum, in quo nō quædam gratia: ſed thronus & ſedes eſt omnis gratiæ. De plenitudine enim

Ioan. 1.16. eius oēs accepimus: adeamus ideo, *vt per eum conſequamur miſericordiam* de commiſſis: *& apud eum inueniamus gratiam in auxilio* .i. auxiliatricem ad bene operandum de futuro. Auxilio, inquam, non pro velle noſtro ſed *opportuno*: quia quocunque modo Deus opportunum videat, nūquam ſuos inadiutos deſeret.

CAP. V.

25. diſt. c. fin. ibi quibus & pauca.

OMnis nanque pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus cōſtituitur in his quæ ſunt ad Deum: vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis. Qui condolere poſſit his qui ignorant & errant: quoniam & ipſe circundatus eſt infirmitate: & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam et pro ſemetipſo offerre pro peccatis.

8. q. 1. in ſcripturis. De elect. qualiter.

Nec quiſquam ſumit ſibi honorē, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Ita & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eū.

Pſal. 2.7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Pſal. 109.4. *Quemadmodum & in alio loco dicit. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationesq́. ad eū qui*

** poſſet.* *poſſit * illum ſaluum facere à morte, cū clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia. Et qui-*

A *dem cum eſſet filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam: & conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ: appellatus à Deo pontifex, iuxta ordinem melchiſedech. De quo nobis grandis ſermo, & interpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum. Etenim cùm deberetis magiſtri eſſe propter tempus, rurſum indigetis vt vos doceamini, quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei: & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Omnis enim qui lactis*

B *eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ: paruulus enim eſt. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus: eorum qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali.*

DIxit ſuperius adeamus Chriſtū cum fiducia: vt per hunc Pontificem conſequamur miſericordiam & gratiam in auxilio. Nunc autem probat à minori, quod per hunc pontificem Chriſtū poſſumus miſericordiam conſequi, dicēs. Verè per Chriſtum poſſumus conſequi miſericor-

C diam in auxilio. Namque per miniſteriū omnis Pontificis homines ſub eo poſſunt miſericordiam conſequi: qui pontifex longe minor quia ſumptus ex hominibus: Chriſtus autem pontifex ex Deo. Et in quibuſdam verbis pontificem iſtum Chriſto cōparabit, & in aliis minorem oſtēdet. Nec hoc repugnare videatur quod ait. Omnem pontificem conſtitui, vt per miniſterium eius miſericordiam conſequantur ſubditi. Cùm in mul-

D tis hoc defuerit: quia licet hoc deeſſet, vel propter peccatū miniſtri vel populi: ad hoc tamen pontifex cōſecratus fuit: vt per miniſterium eius miſericordiam conſequeretur populus, niſi in altero peccauerit. Quod ita ait. Cōſequemur miſericordiam per pontificem Chriſtum. *Namque omnis pontifex ex hominibus.* Quia antequam eligatur: ſic eſt ex hominibus, quod non plus poſſit conferre alij quàm ille ſibi. Hic, inquam, pontifex *aſſumptus*, id eſt, diuina voluntate electus. Electio enim diuina qua

aſſumitur, hoc efficit in eo vt poſſit intercedere pro populo: qui priuſquã ſic aſſumatur, impotens eſt in hoc: velut alius homo. Aſſumptus, inquã, *conſtituitur pro hominibus*, qui paulo ante erat ex hominibus. Cõſtituitur, inquam, pro hominibus: non vt præſit eis in ſecularibus: ſed *in his quæ ſunt*.i. quę pertinent *ad Deum*.ſ. vt obſecret & ſacrificet pro illis. In his ad Deum ita conſtituitur: *vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis* populi delendis. Dona vocabantur in lege veteri illæ minores oblationes. Sacrificia autem, quando immolabatur taurus vel huiuſmodi. In Chriſto autem preces & quęcunque fecit vſque ad horam paſſionis dona dicuntur. Sacrificia autem quando ſeipſum in ara crucis obtulit. Vbi ait aſſumptus ex hominibus: ibi oſtendit maioritatem Chriſti, qui ex electione Dei aſſumptus ſit: in his quæ prædicta ſunt, ſimilitudinem: quia ſi per illum pontificem offerentem dona & ſacrificia conſequuntur homines miſericordiã: quare nõ ſimiliter per Chriſtũ hæc eadem offerẽtem? Conſtituitur, inquã, pontifex *qui poſſit*.i. qui in vſu habeat *condolere his qui ignorant* .i. ignoranter ex ſimplicitate peccant: *&* his qui *errant*, id eſt, ſcienter incidũt in peccatum. Talis n. debet eligi, qui omnibus infirmitatibus fratrum ſciat compati: non qui impatienter præcipitet ſententiã damnationis in ſubditos. In hoc bene Chriſtus ſimilis, qui tentatus per omnia compatitur infirmitatibus noſtris. Dico poſſit condolere, & vtique debet: quoniam ſicut ſubditi, ita etiam ipſe circundatus eſt infirmitate, id eſt, & fragilitate carnis, & ſæpius actu peccati. In hoc autem Chriſtus maior: quia abſque peccato. Et quia ipſe circundatus eſt infirmitate: *propterea quemadmodum* offert *pro populo* abſoluendo à peccatis: & conſeruando de futuro: *ita etiam* eodem modo *debet* (& neceſſe eſt) *offerre pro ſemetipſo*, in quo eſt infirmitas conſeruando de futuro: & *pro peccatis* præteritis delendis. In hoc iterum

[D]ona & [ſa]crificia [d]ifferunt.

A Chriſtus maior: quia non indiget vt offerat pro ſe, niſi tantum pro populo. Quomodo hic pontifex aſſumendus ſit, ſubiungit, dicens. Hic pontifex ſic debet offerre: & quiſquam horum pontificum *non ſumit*, id eſt, nõ ſe ad ſumendum *honorem* ingerit. Sumit dico *ſibi*.i. reſpectu eorum quæ ſua ſunt. Sumeret ſibi ſi per pecuniã, ſi propter perſonam, ſi propter genus, propter ſecularem potentiã: vel huiuſmodi ingeratur in honorem. Hæc enim omnia ex eo ſunt: ſed qui B propter virtutes, patientiam, humilitatem & huiuſmodi: ſumeretur ad honorem: hic non ſibi .i. ex eo quod ſuum eſt: ſed ex virtutibus quæ Dei ſunt, ſumeret honorem. Nemo ſumit ſibi honorem: *ſed* ille *qui vocatur à Deo*.i. qui diuina vocatione eligitur. Non dicitur, vocatur à Deo, ꝙ vox diuina ibi audiatur: ſed ſi propter virtutes Dei ab his qui ſani ſunt eligitur, idem valet ac ſi Deus diceret; Veni quia dignus es accipere pontificatum. Vocatur à Deo *velut Aaron* à C Deo vocatus eſt. Aarõ tamẽ nõ communi electione electus eſt, quia filii Coræ contradixerunt: quare illato igne alieno: thurificantes ab igne cõſumpti ſunt: & Datan & Abiron pro eodem murmurantes, à terra abſorpti ſunt. Sed Moyſes ex præcepto Dei, & per miraculum aſſumpſit Aaron in ſacerdotium. Præcepit enim vt de 12. tribubus. 12. virorum. 12. virgæ in tabernaculo ponerentur, vt cuius virga floruiſſet, pontifex ſecundum manifeſtam voluntatem Dei fieret. In electione autem Aaron oſtendit, D quod ſi, pauci ſint qui iuſtè eligant & multitudo cõtradicat: tamẽ paucorũ ſententia canonicè eligentiũ ſequẽda eſt: multitudinis error reprobandus. Pontifex ille ſi tanquam Aaron vocatus ſit, non ſe ingerens in honorem, hominibus prodeſſe poteſt. Sic & Chriſtus ſimili de cauſa ſuis auxiliari poteſt: quia *Chriſtus non clarificauit*, id eſt, non ſe magnificando ingeſſit ad hoc, *vt fieret pontifex*: *ſed* pater clarificauit Chriſtum *qui locutus eſt ad eum*, dicens. *Tu es filius meus*,

Aarõ qualiter electus eſt in pontificem.

Leuit.2.1.

Num.17.8.

ego

ego hodie genui te, ſicut in principio Epiſtolæ expoſuimus. Hæc autem non ſunt verba, quibus pater eum clarificauit, ſed in quibus Chriſtum ſacerdotio dignum oſtendit. Quando autem dum Chriſtus baptizaretur ait. Hic eſt filius meus, in quo mihi bene complacui: In his verbis filium clarificauit. Adiungens autem, ipſum audite, in hoc verbo pontificem cōſecrauit. Vt pater oſtenderet dignitatem filii, tu es filius meus. Ita de Chriſto ait: quemadmodum de pontificatu eiuſdem etiam in alio loco eiuſdem ſcripturæ ait. *Tu es ſacerdos*, duraturus *in æternum ſecundum ordinem*.i. ſecundum dignitatem ordinis *Melchiſedech*. Sacerdotium aūt Leuiticum non in æternum, ſed in tempore duraturum. Ideò ſacerdotium Chriſti neceſſe eſt vt maneat in æternum: quia ſicut, niſi per eū, beatitudo nō poteſt haberi; ſic niſi per eū habita non poteſt retineri. In hoc iterum quòd in æternū prælatus eſt ſacerdotio Leuitico: quia illud in tempore. Et ſi deſtruendū ſacerdotiū prodeſſe potuit, multò magis æternū ſacerdotium Chriſti: quod etiam alterius eſt dignitatis: quia ſecundū ordinē Melchiſedech. *Qui* Chriſtus vt certi ſitis vos in eo cōſecuturos miſericordiā: *in diebus carnis ſuæ* .i. paſſibilitatis & mortalitatis ſuæ. Naturale.n. eſt carnis pati & mori. In his, inquam, diebus *obtulit preces & ſupplicationes* ad Deum. Preces vocat quaſcunque poſtulationes ante paſſionis articulum fecit. Supplicationes dicit: quādo inſtante hora paſſionis tanta intentione orauit, vt ſanguineum ſudorem emitteret. Obtulit, inquam, ad eum, *qui poſſit ſaluum facere illum à morte*. Non vt non moriatur, ſed ne mors ipſi diu dominetur. Intendens per ſe liberatum à morte, humanum genus ab eadem liberādum. Obtulit, inquā, ad eum *cum clamore valido:* nō quod ita altè clamauerit: ſed cum valido clamore, id eſt, cum maxima intentione, & cum *lachrymis*. Alibi non inuenitur eadem hora lachrymaſſe Chriſtum, niſi in hoc Euangelio Pau-

Matt.3.17.

Sacerdotiū Chriſti manet in æternum.

Lachrymatus eſt ſæpe Chriſtus.

A li: cui non minus eſt credēdum: quia ſi pro Lazaro & pro deſtructiōe Hieruſalem miſerando vbique humano defectui lachrymaſſe dicitur: multò magis lachrymaſſe dicendus eſt: vt conſummatione obedientiæ ſuæ defectum humani generis ſanaret. Offerens, inquam, preces cum lachrymis *exauditus eſt:* completo quod poſtulabat, *pro ſua reuerentia* .i. pro ſua religione. Vel pro ſua reuerentia, id eſt, pro obedientia qua ſe patrem ſemper reueritum fuiſſe probauit. Non tantum preces cum la-

B chrymis obtulit: ſed etiā *didicit*, non cognitione: ſed per experientiam rei *obedientiam ex his quæ paſſus eſt*.i. per mortem: cum .i. *quāuis eſſet filius* Dei potens omnia: ſic tamē ſacerdotium ſuum implere voluit. *Et* ipſe *conſummatus*.i. mortuus. Vel conſummatus, id eſt, in dextera patris, vt nihil imperfectum haberet conſtitutus: *factus eſt cauſa ſalutis æternæ omnibus obtemperantibus ſibi:* non illis qui ſibi renuunt obedire. Cauſa vtique ſa-

C lutis bene poteſt eſſe: quia *appellatus* eſt *pontifex* non ab hominibus, ſed *à Deo:* nec ſecundùm Leuiticum, ſed *iuxta* dignitatē *ordinis Melchiſedech*. Dicturus eis quomodo ſacerdotium ſuum, legale deſtruat ſacerdotium: & quomodo omnia legalia in eo finem habeant: quomodo verò ſuum ſacerdotium præceſſerit legale, & in æternum ſit permanſurum. Primum eos (ſecundum partem tamen) aſpera inuectione aggreditur: & conueniē-

D ter primum eos corrigit: vt correcti deuotiores ſint ad audiēdum, & proniores ad credendum, dicens. *De quo* .i. quomodo Chriſtus ſit pontifex ſecūdum ordinem Melchiſedech. Reſtat *nobis ſermo grandis* .i. multa comprahēdens: *& ininterpretabilis*, id eſt, qui modo nō poſſit interpretari, nec à me: quia nō habeo congruos auditores, nec vobis interpretabilis, quia capere non poteſtis. Ininterpretabilis dico *ad dicendum*.i. ad exponendū vobis: *quoniam* vos *facti eſtis imbecilles ad audiendum*, id eſt, ad intelligendum. Vel ſermo iſte grandis eſt & in-

terpretabilis: quia multa ſacramenta hîc continentur, quæ oportet exponi. Grandis ideo dico, quoniam vos facti eſtis imbecilles ad audiendum. Vere imbecilles. *Nam cum deberetis eſſe magiſtri propter tẽpus*, prolixum quod habuiſtis addiſcendum: vos enim in ipſo initio prædicationis conuerſi eſtis. Cùm, inquam, deberetis eſſe magiſtri, nunc *rurſum indigetis vt vos doceamini quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei.* In ſermonibus Dei multi gradus continentur. primum ſimplex inſtructio: dehinc media ad vltimum perfecta. Exordium autem vocat, vt quando aliquis docetur credere incarnationem paſſionem Chriſti, & huiuſmodi ſimplicibus opportuna. Elementa autem exordii ſunt, vt ſeriatim enarrare materiam paſſionis, vel aliquid huiuſmodi. Vos etiam facti eſtis tales *quibus opus ſit lacte*, id eſt, puerili inſinuatione: & ita lacte quod *non ſolido cibo*, id eſt, perfecta doctrina. Vere ita lacte, quod non opus ſit ſolido cibo. *Nam omnis* ille *qui particeps eſt lactis*, id eſt, cui neceſſaria eſt inſinuatio puerilis, hic talis *expers ſermonis eſt iuſtitiæ*, id eſt, doctrinæ iuſtorum, id eſt, perfectorũ: ideo expers, *quia paruulus eſt* ſenſu. Vos autem perfecti malitia ſenſibus vero pueri. Paruulorum eſt lac: *ſed perfectorum eſt ſolidus cibus*, id eſt, ſolida doctrina: perfectorum .i. *eorum qui habent ſenſus*, id eſt, intellectus ſuos *pro conſuetudine*, id eſt, pro aſſiduitate ſtudij *exercitatos ad diſcretionem boni & mali:* vt bonum diſcernere ſciant à malo: & etiã de bonis quæ magis ſint bona, quæ minus, ſciunt diſcernere: & de malis ſimiliter.

Sermo Dei multos gradus continet.

CAP. VI.

Quapropter intermittẽtes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectionem feramur: non rurſum iacẽtes fundamentum pœnitẽtiæ ab operibus mortuis: & fidei ad Deum, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoq. manuũ, ac reſurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. Et hoc faciemus, ſi quidem permiſerit Deus. Impoſſibile eſt enim eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti: guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam: rurſus crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes. Terra enim ſæpe veniẽtem ſuper ſe bibens imbrem & germinans * *herbã opportunam illis à quibus colitur accipit benedictionem à Deo: proferens autem ſpinas ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima: cuius conſummatio in cõbuſtionem. Confidimus autem de vobis dilectiſſimi meliora & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur. Nõ enim iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius: qui miniſtraſtis ſanctis & miniſtratis. Cupimus autem vnumquemque veſtrum eandem oſtentare ſollicitudinem, ad expletionem ſpei vſq. in finem: vt non ſegnes efficiamini: verum imitatores eorum qui fide et patientia hæreditabunt promiſſiones. Abrahæ namq. promittẽs Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem: iurauit per ſemetipſum, dicens: niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te: & ſic longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſſionem. Homines enim per maiorem ſui iurant: & omnis controuerſia eorum finis ad cõfirmationem, eſt iuramentum. In quo abundantius volens Deus oſtẽdere pollicitationis ſuæ hæredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum: vt per duas res immobiles quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatiũ habeamus, qui confugimus ad tenẽdam propoſitam ſpem: quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam: & incedentem vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introiuit Ieſus, ſecundum ordinem Melchiſedech: pontifex factus in æternum.*

* *generans.*

De pe. di. 2. ſi.u.ver. cõfidimus.

De pe. di. 2. non eſt tam iniuſtus.

Gen. 22. 16.

De iureiur. & ſi Chriſtus.

EIs duriter increpatis, iterũ blanditur, inſerendo ſe, dicens. *Quapropter* .i. quia propter tempus magiſtri eſſe deberetis, & quia exercitatos ſenſus in lege Domini vos oportet habere: ideò nos *intermittentes ſermonem inchoationis Chriſti*.i. elementa exordij quibus aliquis inchoat in cognitione Chriſti. Hanc, inquam, pueritiam deſerentes, *feramur ad perfectionem*, vt ſciamus quomodo in principio erat verbum: & Deus erat verbum: &cæt. Feramur, inquam, ad perfectionem, *non rurſum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis* & cætera. Opera mortua vocat, vel peccata quæ mortificant, vel priora bona propter peccatum ſuperueniens mortificata. Pœnitere autem ab operibus mortuis eſt fundamentum: quia niſi hic lapis primum ponatur, nihil ædificabitur. Fũdamentum *etiam fidei* quæ ſit *ad Deũ:* qui enim aliunde quærit iuſtificationem, vel non omnes partes fidei credit, hic fidem non habet ad Deum. Fundamentum etiam *doctrinæ baptiſmatum*. Pluraliter ideò dicit baptiſmatum: quia eſt baptiſmus in aqua: dicitur etiam baptiſmus in lachrymis pœnitentiæ. Tertiò modo in effuſione ſanguinis pro Chriſto. Fundamentum *etiam impoſitionis manuũ:* niſi enim quis credat quod per impoſitionem manus & peccata dimittantur, accipiẽdo Spiritum ſanctum, & contra futura mala roboremur: hic fundamentum non habet: quia irritum eſt quicquid ſuperædificat. Fundamentum etiam *reſurrectionis mortuorum:* niſi enim quis credat reſurrectionem Chriſti effeciſſe reſurrectionem mortuorum, fidem perdidit, & non habet ſupra quod ędificet. Fundamentum etiam *iudicij æterni*. Aeternum dicit iudicium: quia quicquid iſti conſtituetur de bonis ſiue malis, in æternum durabit. Qui autem futurum iudicium non credit, fundamentum non habet, quia infidelis eſt. Hæc omnia propterea dicũtur fundamentum: quia niſi hæc in fundamento præceſſerint, nemo ali-

Opera mortua quæ ſunt.

Baptiſmus tripliciter dicitur.

A ter poteſt bonum operari. Hæc autẽ omnia neceſſaria erant illis; ſcilicet, fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, quia peccauerant grauiter: & bona opera quę in eis pręceſſerant, ſicut ſupra ait: multa eos paſſos pro Chriſto à contribulibus ſuis, peccãdo irrita fecerant. Iterum fides ad Deũ, quia ſi intelligerent quomodo ex fide Chriſti omnis iuſtificatio habeatur, non recurrerẽt ad circunciſionẽ quaſi ſibi neceſſariam. Si iterum de baptiſmo benè docti eſſent,
B quomodo in illo omnia peccata dimittantur, legalia confiterentur eſſe ſuperflua. Si etiam ſcirent quomodo per impoſitionem manus Spiritus S. & priora dimittat, & confortet contra venientia mala, non curarent legalia. Si iterum reſurrectionẽ Chriſti crederent eſſe efficientẽ cauſam noſtræ reſurrectiõis in gloria, nihil præter Chriſtũ quærerent. Iterum ſi penſarent quomodo Chriſtus iudex futurus ſit omnium, per fidem iudicis ſoli ſtuderẽt placere iudici. Quia his omnibus indigebant, propterea ait.
C Feramur ad perfectionem iacientes (ſicut lapis in fundamento iacitur) fundamentum pœnitentiæ: & ſequẽtia ſicut expoſita ſunt. Iacientes dico nõ rurſum .i. non iterato priori modo vt ſicut pri⁹ iecimus in vobis omnia hæc, & vobis peccantibus deſtructa ſunt rurſum eadẽ iterata deſtruãtur. Vt ſecundum hanc ſentẽtiam illud rurſum negemus tantummodo. Vel ſi ad omnia ponatur negatio, ſententia manet eadem ſic. Feramur
D modo ad perfectionem, ita vt ſimus rurſum .i. amplius iaciẽtes fundamẽtum pęnitentię: modo quidem iaciemus: ſed videte ne rurſum oporteat iacere. Sic ad omnia ponatur negatio, manente ſententia. Moneo feramur ad perfectionem: *& vtiq; hoc faciemus*.i. ad perfectionem feremur: *ſi quidem Deus permiſerit*.i. ſi in vita hac ſpatium conceſſerit quo peccata noſtra poſſint redimi. Ideò dico ſi Deus promiſerit: *quia impoſſibile eſt* in alia vita *per pœnitentiã* renouari: ibi enim locus accipiẽdi: quod meruit, hic lo-

cus meredi. Quod ita ait. Si Deus permiſerit, ideò dico: quia in futura vita non permittet. Impoſſibile enim eſt renouari per recuperatam iuſtitiam aliquos in alia vita motos ad pęnitētiam: quod renouare rurſus eſſet. Hic enim licet quod ibi iterari nō poteſt: ſcilicet, vt quis ibi renouetur. Renouari dico, *eos qui ſemel illuminati* per fidem quia crediderūt: qui etiā poſtquam fidem confeſſi ſunt, *guſtauerūt* quaſi ſuauem guſtum & iucundū *cœleſte donum:* ſcilicet, remiſſionem de peccato per baptiſmum, quod donū deſurſum eſt. Hæc duo circa fidem. Qui etiā *facti ſunt participes Spiritus S.* quod genera linguarum, vel cętera dona habuerunt. Qui etiā (quod maius eſt) *guſtauerūt nihilominus* quam nos *bonum* .i. iucundum *verbum Dei* .i. diuinitatem filij intellexerunt. Qui etiam guſtauerunt .i. quadam anticipatione prælibauerunt *virtutes venturi ſæculi* .i. impaſſibilitatem & immortalitatē: eos qui etiā hæc omnia habuerunt, *& prolapſi ſunt:* impoſſibile eſt renouari rurſus motos ad pęnitentiam: & impoſſibile eſt eos *rurſum* eſſe *crucifigentes filium Dei ſibimetipſis* .i. in alia vita impotentes efficere vt vlterius valeat ſibi crucifixio Chriſti: *&* rurſum non *habentes* filium Dei *oſtentui* .i. oſtenſioni vt imitentur eius oſtēſionem. Quaſi diceret. Rurſum impotentes imitari filium Dei. Vel aliter vt iteratione baptiſmi ne gemus in hoc verſu: impoſſibile eſt eos qui tales & tales fuerunt, nedum inferiores rurſus renouari .i. rebaptizari motos ad pęnitentiam. Ipſi dico ſi rebaptizātur rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei: non quod in re iterum crucifigant, ſed in peccati paritate: quia vna fides, vnum baptiſma, & Chriſtus cōſecrans illud ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt. Ideò dicuntur rurſum ſibi crucifigere filiū Dei paritate peccati: quia ſi prius per baptiſmum iuſtificati poſtea peccauerunt, primum baptiſma putant propterea ſic irritū eſſe, vt ſi pœnitēt iam de futuro ad iuſtificationem nō valeat. Hi tales iterum volunt crucifigere Chriſtum: vt ex iterata crucifixone iteratam habeant remiſſionē.

[margin: ...ucifige- iterum ...riſtum ...id eſt.]

Neſcientes quod vnum baptiſma & vna mors Chriſti ita poſt peccatum ſicut ante (ſolummodo ſi pœniteat) ad omnem iuſtificationem ſufficiat. Oſtentui in priori ſentētia pro oſtēſioni inuſitatè quidē ponitur: ſed ſatis bene eſt ſecundū originē vocis: ab oſtēdo, oſtēdis. Vbi ſupra ait prolapſi: illud pro, grauitatē caſus deſignat .ſ. in criminale. Dixit ſuperius feramur ad perfectionē, & quibuſdā interpoſitis adiunxit. Hoc, inquā, faciemus .i. ad perfectionē feremur: ſi Deus permiſerit: & de eodē ſubdit. Verè id faciemus: ꝙ ad perfectionē feremur: & iuſtum eſt quoniā *terra bibens imbrē.* Per terrā homines accipit: qui vt fructū faciāt, excolūtur verbo Dei. Hæc, inquā, terra bibens imbrē .i. cum magno deſiderio ſuſcipiens diuini verbi doctrinam: ſicut enim imber ſiccatā & induratam terrā inebriat: ſic verbū Dei cor induratum molleſcere facit, & cōtemperat, vt fructus facere poſſit. Terra, inquam, bibens imbrē *ſæpe venientē.* Sæpe ideò, quia nec aſſidua, ne vileſcat, nec nimis parca: ne opportunitatem fructificandi amittat, debet eſſe diuina doctrina: ſed ſæpe vt ſit opportunior vtrinq; contemperata. Venientem *ſuper ſe:* quia & à Deo & à prælatis, qui ſuperiores ſunt in Eccleſia, deſcendit doctrina. Terra, inquam, ſic bibens imbrem *& generans herbam* .i. fructum boni operis. Herbam dico *opportunam illis à quibus colitur*, id eſt, prædicatoribus qui eam excolunt. Opportunam ideò quia facit nō degenerem: ſed fructum diuinitatis .i. ſecundum quod docentur operari: & vident in doctoribus ſuis. Hæc, inquam, terra ſic generans *accipit benedictionem* .i. multiplicationem bonorum *à Deo.* Bona terra accipit benedictionem. *Terra autem proferens ſpinas ac tribulos, reproba eſt.* Vel ſi habetur enim; ita iungatur non mutata ſententia. Verè terra generās herbam opportunam accipit benedictionem. Nam terra proferens ſpinas ac tribulos reproba eſt.

[margin: *Homines terra comparantur.* — *Simile.*]

ba eſt. Proferẽs, notat tam malè peccare, vt prauo exemplo corrumpat alios. Per ſpinas peccata accipit minus pungentia: per tribulos (qui aſperius pungunt) grauiora. Terra, inquam, ſpinas ac tribulos proferens reproba eſt.i.inimica Deo: *& proxima maledicto*.i.perditioni. Vbi ait proxima, ſignificat pęnam quidem propè eſſe, ſed adhuc per pœnitentiam poſſe euadere. *Conſummatio*.i.finis *cuius* reprobæ terræ erit *in combuſtionem*.i.in perpetuum ignem, niſi pęniteat. Idem verſus proximæ literæ coniungitur, non tamen ſic idoneè. Verè in alia vita nemo poteſt renouari ad pœnitentiam. Nam terra .i. homo in hac vita tantum bibit venientem imbrem .i. poteſt niti ad emendationem. Hic enim locus merendi, ibi recipiendi. Vel ſecundum aliam ſentẽtiam, impoſſibile eſt renouari.i. rebaptizari. Nam terra ſemel bibit imbrem.i. homo ſemel ſuſcipit aquam baptiſmatis. ¶ Quia ſatis duriter eos increpauit, dicens ſuperius, cum deberetis eſſe magiſtri; rurſum indigetis vt doceamini &c. Per hoc iterũ quod propè dixit de benedictione bonæ terræ: ſuaſit eis fructum opportunum facere: & per contrarium deterruit, nunc blanditur eis, vt ſicut minis concuſſit, ita modo foueat blandimentis, dicens. *Tametſi ita loquimur*, increpando vos ſuperius: tamen ô *dilectiſſimi* nos *confidimus de vobis meliora*, quam cõbuſtionem: *& viciniora ſaluti* veſtræ, quam ſint ſpinæ & tribuli. Vbi ait de vobis, ſignificat talem naturã eſſe in eis, quæ ſit idonea correctioni. Meliora & viciniora hæc comparatio nõ ſit inter participãtia. Propterea de vobis confidimus: quia multa bona olim operati eſtis: quæ ſi (poſtquam pœnitueritis) Deus non retribueret, iniuſtus eſſet: ſed *Deus non eſt iniuſtus vt obliuiſcatur operis veſtri*: quo omnia veſtra omnibus communia feciſtis: *& dilectionis*: quia hoc opus non timoris, ſed ex dilectione proceſſit: *quam* dilectionem *oſtendiſtis in nomine ipſius*.i. ad honorẽ Dei. Operis veſtri benè dico, *quia* veſtra

A *miniſtraſtis ſanctis*, *&* adhuc eadem dilectione *miniſtratis*. Triplex bonũ notat in eis, ſcilicet opus bonum: & dilectionem; & honorificentiam Dei in opere ſuo. Miniſtraſtis olim & adhuc in eodem eſtis: *cupimus autem de* futuro *vnumquemq; veſtrum, vt nec vnus deſit ab hoc opere: oſtentare*: id eſt, frequenter oſtendere *eandem ſollicitudinem*, adminiſtrandi ſanctis *vſque in finem* veſtrum. Oſtentare dico ad expletionem ſpei .i. in futura beatitudine cõpleatur in vobis quod modò ſperatis. Ita cupimus oſtentare, *vt non efficiamini ſegnes* in hac ſollicitudine: *ſed* ſitis *imitatores eorum* .i. ſanctorum *qui hæreditabunt promiſſiones* .i. promiſſas beatitudines: non propter genus, ſed *fide & patientia* .i. per fidem: & quia diu ſuſtinendo non fuerunt fatigati. ¶ Quia ſciebat Paulus multum placere illis ſi patribus eorum diceret repromiſſam ſalutem, ait: ac ſi quilibet interrogaret: ſunt ne factæ promiſſiones? Sunt vtique: nam Abrahæ. Et tria ſubiungit quod & promiſſiones factæ ſint: & per iuſiurandum confirmatæ: & in

C Abraham iam impletæ dicens. *Deus promittens Abrahæ iurauit per ſemetipſum*: & ideò per ſemetipſum: *quoniam neminem habuit maiorem per quem iuraret*. Et quare? Ideò quia maiorem non habuit, per ſe iurauit ſubdet: ſed verba iuriſiurandi præmittit: iurauit, inquam, *dicens*. O Abraham *niſi benedicam te*.i. incremento virtutum ditauero te in hac vita. Benedicam dico, *benedicẽs* .i. ita vt in officio benedicendi ſemper maneam: *&* niſi *multiplicabo* te in futura beatitudine remunerando fidem tuam. Multiplicabo, inquam, *multiplicans* .i. non huius multiplicationis finem faciens niſi hoc fecero: (defectio locutionis) ſequatur quodcunque inconueniens. *Et ſic* Abraham certificatus, Abraham *ferens longanimiter*: quia & diu & multa aduerſa ſuſtinuit: *Adeptus eſt* tandem *repromiſſionẽ* .i. ſæpe promiſſam beatitudinẽ. Ideò iurauit: quia homo iurat. Ideò per ſe, quia maior eo non eſt: *homines enim*

Deus iurat per ſemetipſum.

B

D

iurāt per m[aio]rem ſui: ideò Deus poſt promiſſio[nem] iurauit condeſcēdēs conſuetudini hominum, quorum vſus eſt certos fieri per iuſiurandum, ſicut Ieſus diebus ſuis ſecundum morem illius regionis in parabolis & ſimilitudinibus loquebatur illis: cum tamē iurare Dei nihil aliud ſit, quàm immutabiliter ſtabilire. Homines iurant per maiorem ſui: *& iuramentū finis eſt omnis controuerſiæ* .i. altercationis eorum: valens ad confirmationem alterius partis: *in quo*, ſcilicet, per iuramentum *Deus volens abundantius oſtendere.* Abundanter enim per promiſſionem, ſed abundantius oſtendit per iuramentum. Volens oſtendere *immobilitatem* .i. immutabilitatem ſui conſilij. Conſilium Dei fuit (quod vix aliqui cognouerant) per fidem Chriſti ſaluare homines. Hoc, inquam, conſilium oſtendens immobile *hæredibus pollicationis* .i. frequentis promiſſionis: *poſuit iuſiurandum inter* promiſſionem & impletionem medium. Ad hoc poſuit, *vt per duas res immobiles*, ſcilicet, per promiſſionem & iuſiurandum: in *quibus impoſſibile eſt mentiri Deum*, quia nec in altero: per has duas res *habeamus ſolatium fortiſſimum*, id eſt, quod in omni aduerſitate fortes nos faciat, volentes ad horam pati vt in ęternum regnemus. Iuſiurandum dicitur, quaſi quod ius eſt ad iurādum. Periurium autem non iuſiurandum: ſed ius non iurandum dicitur. In hoc iuramento Dei auctoritatem habemus iurandi: ita tamen vt nec ſuperfluè iuremus, etiam ſi veritatem dicamus: nec vbi neceſſe eſt veritatem iuramento confirmare deſeramus. Habeamus ſolatium *nos qui confugimus* in omni tribulatione *ad ſpem* tenendam, non propter aduerſa deſerendam. Spem dico *propoſitam* iam nobis in Abraham & impletam. Vel propoſitam .i. omnibus in fide ſperantibus oblatam. Ille confugit ad ſpem, qui tribulationem ſpernit gaudio beatitudinis, quam ſibi futuram ſperat. *Quam* ſpem *habemus ſicut anchoram animæ tutam ac firmam:* vt ſicut anchora nauim tenet ne ſubmergatur: ſic ſpes animam noſtram faciat tutam, ne ſubmergatur conſentiendo iniquitati: & firmam quod nūquam refugiat pati ſaltem in minimo titubans. Spem etiam dico incedentem *vſque in interiora velaminis* .i. in interiorem & velatam beatitudinem, quam nemo viuentium vidit. Interiora velaminis dicebatur locus ſancta ſanctorum quæ poſt velamen erant. Ante velamen autem locus dicebatur ſancta, in quo ſtabāt ſacerdotes: ſed ad ſancta ſanctorum ſemel in anno ingrediebatur pontifex: quæ interiora velaminis ſignificabant cœleſtem beatitudinem, nobis in hac vita velatam Et ſicut ſperamus illuc vtique in[gre]demus: quia *vbi* .i. in quæ interiora *introijt Ieſus præcurſor* .i. præ nobis currens vt eum ſequamur. Curſor ideò: quia nulla culpa curſum eius aliquando reflexit. Introijt, inquam, pro nobis introducendis. Pro nobis optime dico: quia *factus* eſt *pontifex* noſter duraturus *in æternum: ſecundum dignitatem ordinis Melchiſedech.*

Iuramentū eſt finis controuerſiæ.

Iuſiurandum quid dicitur.

Spes anchoræ cōparatur.

CAP. VII.

HIC *enim Melchiſedech rex Salem, ſacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ, regreſſo à cæde regum: & benedixit ei: cui & decimas omnium diuiſit Abraham: primum quidem qui interpretatur rex iuſtitiæ, deinde autem rex Salem, quod eſt rex pacis: ſine patre, ſine matre, ſine genealogia: neque initium dierum, neque finem vitæ habens: aſſimilatus autem filio Dei, manet ſacerdos in perpetuum. Intuemini autem quantus ſit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha. Et quidem de filijs Leui ſacerdotium accipientes, mandatum habent decimas ſumere à populo ſecundùm legem, id eſt, à fratribus ſuis, quamquam & ipſi exierunt de lumbis Abrahæ. Cuius autem generatio nō annumeratur in eis, decimas ſumpſit ab Abraham, & hunc qui habebat repro-*

Gen. 14. 18.

miſſiones

*miſſiones benedixit. Sine vlla autem cõtradictione, quod minus eſt, à meliore benedicitur. Et hic quidem moriẽtes homines decimas accipiunt, ibi autem conteſtatur quia viuit. Et vt ita dictum ſit per Abraham & Leui, qui decimas accepit decimatus eſt. Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchiſedech. Si ergo conſummatio per ſacerdotium Leuiticum erat (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundùm ordinem Aaron dici? Translato enim ſacerdotio, neceſſe eſt & vt legis translatio fiat. In quo enim hæc dicuntur de alia tribu eſt, de qua nullus altario præſto fuit. Manifeſtum eſt enim, quod ex Iuda ortus ſit Dominus noſter, in qua tribu nihil de ſacerdotibus Moyſes locutus eſt. Et amplius adhuc manifeſtum eſt, ſi ſecundum ſimilitudinem Melchiſedech exurget alius ſacerdos: qui non ſecundùm legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis.** Conteſtatur enim, quoniam tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex. Introductio verò melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum, & quantum eſt non ſine iureiurando. Alij quidem ſine iureiurando ſacerdotes facti ſunt: hic autem cum iureiurando per eum qui dixit ad illum. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum. In tãtum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus. Et alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quòd maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium. Vnde & ſaluare in perpetuũ poteſt, accedẽs * per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat vt nobis eſſet pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus. Qui non habet neceſſitatem quotidie, quẽadmodum ſacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde*

** diſſolubilis.* *Pſal. 109. 4.* *Pſal. 109.* ** accedētes.*

A *pro populo. Hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo. Lex enim homines conſtituit ſacerdotes, infirmitatem habentes: ſermo autẽ iuriſiurandi qui poſt legem eſt, filium in æternum perfectum.*

QVomodo ſecundum ordinem Melchiſedech, multis interpoſitis tandem exequitur, dicens. Benè dico Ieſum pontificem ſecundum dignitatem Melchiſedech. *Hic enim Melchiſedech rex Salem:* quæ nunc Hieruſalem, tunc dicebatur Salem: B ſed propter Iebuſeos eam poſtea inhabitantes additum eſt Hieru ad Salem: & exinde nomen habuit Hieruſalem. Hic, inquam, rex Salem, fuit *ſacerdos Dei ſummi* .i. non ab hominibus neque per hominem: ſed de dignitate ſua confidens aſſumpſit ſibi ſacerdotium Dei: *qui* Melchiſedech *obuiam venit Abrahæ regreſſo à cæde regum*, qui Loth nepotem ſuum ducebant captiuum: & ei Abrahæ benedixit Melchiſedech: *cui* benedicenti ſibi *Abraham diuiſit decimas omnium* C ſpoliorum. Hic *primum quidem* dictus eſt Melchiſedech: *qui* .i. quod nomen *interpretatur rex iuſtitiæ. Deinde autem* dictus eſt *rex Salem: quod eſt* interpretatum *rex pacis.* Hic iterum Melchiſedech, *ſine patre, ſine matre:* non quòd parentes non habuerit, ſed quia ſcriptura eum habuiſſe nullatenus dicit. Fuit etiam *ſine genealogia*, non habens filios vel filias: *neque initium dierum habens, neque finem vitæ:* quod ſcriptura loquatur, fortaſſis ſerio prætermittens. Hic *autem* Mel- D chiſedech *aſſimulatus* in præmiſſis *filio Dei, manet ſacerdos* .i. ſacerdotium eius durat *in perpetuum.* Quomodo aſſimulatus filio Dei, reuertentes exequamur per ſingula. Melchiſedech dicitur rex iuſtitiæ: quis autem rex iuſtitiæ niſi Chriſtus: qui per procellas mundi, ſuos regit in iuſtitia. Chriſtus etiam rex Salem, id eſt, pacis: quia poſtquam ſuos in iuſtitia rexit: in pace vera angelorum locatos regere non deſinit. Sacerdos Dei ſummi: quis autem tantus ſacerdos ſicut Chriſtus: qui propter inobedientiam

Hieruſalē Salem dicebatur. *Gen. 14. 20.* *Melchiſedech rex iuſtitia interpretatur.* *Salem pax interpretatur.*

tiam patris ſeipſum obtulit in ara crucis: qui obuiam venit Abrahæ regreſſo à cæde quinque regum. Quinque reges, quinque ſenſus corporis ſunt, per quos omnia vitia in homine dominantur, vt per viſum cupiditas, dum deſiderat quod vidit: & ſic per cæteros ſenſus, iuxta quod in Euangelio mulieri dictum eſt. Quinque viros habuiſti. Per Abraham quicūq; fidelis intelligitur: vnicuique autem fideli reuertenti à cæde hoſtium .i. vitiorum: per quinq; ſenſus dominantium obuiam venit Chriſtus, dando incrementum boni operis. Legitur etiam ibi obtuliſſe Abrahæ panem & vinum, quod hic non habetur: quæ panis, ſcilicet, & vinū corpus & ſanguinem Chriſti ſignificant: quorum participatione & peccata dimittuntur: & ſuſcipiens de futuro contra vitia cōfortatur. Cui diuiſit Abraham .i. fidelis decimas omnium .i. perfectiones omnes quæ habuit. Quiſque enim fidelis omnem perfectionem ſuam Chriſto attribuit per decē, qui numerus perfectus eſt (quia vſque ad decē numerus creſcit, nec vltra: ſed à principio recapitulat dicendo, vndecim .i. vnus & decem) perfectio deſignatur. Primum quidem dictus Melchiſedech, qui interpretatur rex iuſtitiæ. Deinde rex Salem quod eſt rex pacis: ita Chriſtus prius regit ſuos in iuſtitia huius vitæ: in alia vita regit eos in pace. Sine patre Chriſtus ſecundum carnem: ſine matre ſecundum Deitatem: ſine genealogia: quia filios carnis non habuit, non habens initium dierum, nec finem ſecundum diuinitatem, coæternus patri. Per præcedentia ſatis commendata eſt dignitas Melchiſedech: ſed nunc etiam ad augmētum dignitatis eiuſdem *intuemini, quantus ſit hic* Melchiſedech: *cui Abraham patriarcha* .i. princeps patrum noſtrorum Iſaac, & Iacob, *dedit decimas:* quaſi ſeruus eiuſq; tributarius, & *de præcipuis* quæ habebat. Et hoc etiam alio modo intuemini, quantus ſit Melchiſedech: per hoc quod aliqui *de filijs Leui accipientes ſacerdotium, habent mandatum* A *ſumere decimas à populo:* nec alio modo auderent, & hoc *ſecundùm legem,* in qua ſerui ſunt. A populo dico .i. *à fratribus ſuis,* qui propterea quia fratres, libenter tribuunt eis: in hoc quod ſumunt decimas, differunt à populo: *quamquam etiam ipſi* filij Leui *exierunt de lumbis Abrahæ,* ſicut reliqui de populo. Filij Leui ſumunt decimas à fratribus, ſed Melchiſedech *generatio, cuius non annumeratur in eis,* id eſt, in Iudęis: hic, inquam, ſumpſit decimas ab Abraham & *benedixit hunc* in tempore maioris dignitatis ſuæ, ſcilicet, quando B *iam habebat repromiſſiones* à Deo. ¶ Nunc ex præmiſſis colligit, Abraham dedit, Melchiſedech benedixit: ſine vlla cōtradictione. Nullus enim hoc contradicere poteſt, quin illud quod minus eſt benedicitur à meliore. Etiam enim ſi ſecundum aliud maior ſit qui benedicitur: in eo tamen conſtat eſſe minorem, quod ab eo qui benedicit: hoc quod non habebat qui benedicitur, accipit. Hoc etiam modo intuemini dignitatem Melchiſedech: quia *hic quidem,* id eſt, in ſacerdotio C Leuitico *morientes homines accipiunt decimas.* Ibi autem in ſuperiori loco ſcripturæ conteſtatur Moyſes: quod Melchiſedech viuit: dum de vita loquens de morte nil adiunxit. Hoc etiam modo intuemini dignitatem eius: quia Leui qui decimas accipit, ipſe etiam Leuiticus ordo *decimatus eſt,* id eſt, decimas dedit. Et hoc dico, *vt ita dictum ſit decimas* dediſſe Leui *per Abraham,* id eſt, per materialem cauſam. Quando enim Abraham decimas dedit: adhuc omnes erāt in lumbis Abrahę. Quod optime ſequi videtur. Si enim omnes D in Adam peccauimus: quia in lumbis eius quando peccauit, eramus, quare Leui dediſſe decimas non dicatur, qui in lumbis Abrahæ erat, Abraham dante decimas? Et verè Leui decimas dedit per Abraham dantem: quia *adhuc Leui erat in lumbis patris ſui Abrahæ:* quando Melchiſedech obuiam venit ei Abrahę danti ſibi decimas. Si enim tunc temporis eſſet

Ioan. 4. 18.

Veritas corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia.

tis eſſet Iſaac,non diceretur Leui tūc in lumbis Abrahæ fuiſſe: ſed in lumbis Iſaac: ſed quia adhuc erat in lumbis Abrahæ per Iſaac ſimiliter & Leui. Leui dicitur decimatus in lumbis Abrahæ, & non Chriſtus, licet filius ſit Abrahæ:quia Chriſtus non ſecundum cōcupiſcentiam carnis de lumbis Abrahæ natus:Leui autem per legem membrorum, quæ eſt concupiſcentia carnis de lumbis Abrahæ natus eſt. ¶ Oſtendit ſuperius, ſacerdotem eſſe Chriſtum ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſufficienterq́ue probauit hoc ſacerdotium, & tempore & multa dignitate excellentius eſſe ſacerdotio Leui: quod iterum multis modis depreſſit. Nunc autem cōmendato ſacerdotio Chriſti, tranſit vt oſtendat quomodo per ſacerdotium Chriſti, Leuiticum deſtruatur ſacerdotium: quo deſtructo, ex neceſſitate probat ſequi deſtructionem legis. Litera ſic iungitur. Quandoquidem Chriſtus factus eſt ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech: & hoc ſacerdotium omnimono præeſſe Leuitico ſatis probatum eſt: ergo tu legalis reſponde mihi de hoc quod ſequitur. *Si per ſacerdotium Leuiticum erat conſummatio*, id eſt, habebatur perfecta iuſtificatio. Et benè dico per ſacerdotium debere fieri conſummationem: *quia populus accepit legem* exiſtentem *ſub ipſo* ſacerdotio. In manu enim ſacerdotis lex erat: & lex impleri non poterat: nec ſaltem minimum operari, niſi miniſterio ſacerdotis. Si, inquam, conſummatio erat per Leuiticum ſacerdotium: *quid adhuc* poſtquam vetus ſacerdotium conſummaret, *neceſſarium fuit* dici à Propheta Dauid ſurgere ſacerdotem alium à Leuiticis, & ſecundùm tribum, & ſecundùm ritum. Surgere *ſecundum dignitatem ordinis Melchiſedech*. Et ne ille diceret, vtique ſurgat ſecundum hunc ordinem ita vt commixtim teneat ordinem Aaron. Ad hoc ait ita dici ſecundùm ordinem Melchiſedech, vt non ſit in aliquo ſecundum ordinem Aaron. Surgere ideò ait: quia

A Leuitici ſacerdotes depreſſi erāt impotentes excutere, vel à ſe, vel à populo iugum peccati per legem. Hic autem Chriſtus ſurrexit, per cuius ſacerdotium fideles excutiētes iugum peccati ad beatitudinem exurgunt. Quaſi diceret. Si per Leuiticum ſacerdotium, eſſet conſummatio, fruſtra ſurgeret aliud ſacerdotium ſecundum Melchiſedech ad conſummandum: ſed ſurrexit aliud ſacerdotium, Leuiticum igitur non conſummabat: habemus aſſumptionem trāſlato ſacerdotio &cæt. Litera tamen B ſic iungitur. Quaſi diceret aliquis. Quare dicis legem ſub ſacerdotio, & ſacerdotium eſſe deſtructum, ſurgente alio ſacerdote? Quid per hoc intendis? Ideò vtique dico legem ſub ipſo: & ipſum Leuiticum ſacerdotium eſſe deſtructum: *quia translato ſacerdotio, neceſſe eſt vt fiat translatio legis* eius ſacerdotij: cum lex ſit in manu ſacerdotis. Deſtructionem autem legis probare intendo, dum ſacerdotium eius deſtruo. Verè alius ſurrexit ſacerdos, & verè ſacerdotium eſt translatum: quod idem eſt: C nam alius ſecundum tribum, & ſecundum ritum. Vel quia translatum eſt: quia & ſecundum tribum, & ſecūdum ritum. Secundum tribum eſſe translatum prius oſtendit, dicens. Verè translatum eſt, vel verè ſacerdos alius eſt: nam Chriſtus *in quo*, id eſt, in cuius conſideratione *dicuntur hæc: de alia tribu eſt*; & non de tribu Leui: *de qua* alia tribu *nullus fuit præſto*, id eſt, præſtabiliter *altari*. Et verè de alia tribu: *quia manifeſtum eſt, quod Dominus noſter* Chriſtus *ortus ſit ex* D *Iuda: in qua* tribu *Moyſes nihil locutus eſt de ſacerdotibus*, vt quilibet de illa tribu deberet ſacerdos fieri. Tranſlatio autem ſacerdotij ſecundum tribum iam præceſſerat in Samuele, reprobatis filijs Heli, qui ſecundum lineā generis hęredes erant ſacerdotij: quę tranſmutatio ſignificabat veram (quę futura erat in Chriſto) tranſmutationem. * Probat iterum ſecūdum ritum translatum eſſe ſacerdotium: quod nō amplius viſum fuerat: quia

* *tranſlationem.*

licet tribus reprobaretur, ritus tamen non ſunt mutati. Vnde ait. Probaui ſecũdùm tribum transferri ſacerdotium. *Adhuc* etiam *manifeſtum eſt amplius* .i. ampliori & firmiori ratione: quia magis valet probatio de ritu quam de tribu. Manifeſtum eſt, inquam, translatum ſacerdotium eſſe, *ſi* hoc eſt quod *ſecundùm ſimilitudinem* & ritum *Melchiſedech exurgat ſacerdos alius*, ſicut prædictum eſt: *qui* alius *non eſt factus* ſacerdos *ſecundum legem mandati carnalis* .i. quæ lex ſolummodo mãdabat & promittebat carnalia: *ſed* factus eſt ſacerdos *ſecundum virtutem*.i. Deitatem quę erat in eo. Virtutem dico *vitæ inſolubilis* .i. per quam dabat credentibus in ſe vitam inſolubilem.i. æternam. Vel ita. Non eſt ſecundum legem mandati carnalis .i. ſecundum carnalem intellectum legis: ſed ſecundum virtutem ipſius legis, ſpiritalem, ſcilicet, intellectum. Virtutem dico vitæ inſolubilis: quia ſpiritalis operatio legis vitã promittit æternam, ſicut infirmitas vitã carnalem. Dico translatum eſt ſacerdotium, ſi ſurrexit alius ſacerdos: ſed ſacerdos alius ſurrexit: & hoc ab auctoritate probat, dicens. Verè ſurrexit alius ſacerdos: *quia* Dauid *conteſtatur* .i. mecum vel cũ multis alijs ſcripturis teſtatur. *Quoniam tu* Chriſte *es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Cùm deberet dicere, Chriſtus eſt ſacerdos vt fideliter poneret verba prophetiæ ait. Tu es ſacerdos. Cauſam quare vetus ſacerdotium ſit deſtructum, & nouum inductũ ſubiungit: ne aduerſarius opponeret. Quare dicis Deum dediſſe aliud ſacerdotium ad reprobationem veteris, qui vetus vtiq; ſacerdotium inſtituit? Ad hoc reſpondens ait. *Reprobatio quidem præcedentis mandati fit* & veteris legis *propter infirmitatem eius* .i. quia etiã tempore quo tenebatur infirma erat: quia & ſi aliquam non tamen perfectam dabat iuſtificationẽ: reprobata propter *inutilitatem eius*: quia iam non ſolùm eſt infirma ſi tenetur, ſed etiã damnoſa. Verè infirmitatem habuit.

A Tempore enim quo tenebatur *lex*, *nihil adduxit ad perfectum*.i. nihil adducere valuit ad perfectionem: quia & ſi aliqui ſub ea fuêre perfecti: non per eam, ſed per fidem venturi. In eo quod lex dicitur pręcedens: ſignificatur aliud debere conſequi ad corrigendam legis imperfectionem. Reprobatio quidem præcedentis mandati: *introductio verò fit melioris.* Vt magis commendet: non ait mandati ſed *ſpei*: quia hoc nouum mandatum Chriſti tale eſt, in quo habeatur ſpes: non carnalis ſed gloriæ cœleſtis: *per*
B *quam* ſpem non ſolũ propinquamus, ſed etiam *proximamus ad Deum.* Legem fuiſſe infirmam: mandatum autem Chriſti cauſam eſſe qua proximemus ad Deum, multũ eſt ad laudem noui ſacerdotis. Et quãtum hoc iterum eſt ad commendationẽ eius, quod non ſine iureiurando Ieſus factus eſt ſacerdos. *Alij quidem*.i. Leuitici *facti ſunt ſacerdotes ſine iureiurando*, tanquam illud quod deberet mutari: *hic autem* Ieſus *cum iureiurando* factus eſt ſacerdos, *per eum*.i. per Deũ patrem, *qui dixit ad illum* Ieſum, *tu es* *Sacerdotij Chriſti cõmendatio.*
C *ſacerdos in æternum.* Et quod ſacerdotium tuum ſit in æternum: *iurauit Dominus &* de hoc *non pænitebit eum* .i. nõ immutabit tuum ſacerdotium. Ait quidem Dauid, Deum hoc iuraſſe: ſed vbi: vel quando: vel quibus verbis hoc iurauerit nõ ait. In quantum cum iureiurando Ieſus: illi autem ſine iureiurando: & in quantum per Ieſum proximamus ad Deum: & per legem nemo adducebatur ad perfectum: *in tantum* Ieſus *factus eſt ſponſor* .i. firmator & aſſertor *teſtamenti melioris*.i. meliora, quia æterna promittentis. Sicut promiſſis, ſic etiam hac
D dignitate quæ ſequitur: Ieſus Leuiticos ſacerdotes præcellit: quia *alij quidem* .i. Leuitici *ſacerdotes facti ſunt plures*. Idcirco plures *quod permanere* in vita *prohiberentur morte* ſuperueniente. *Hic autem* Chriſtus *habet ſempiternum ſacerdotium, eò quod maneat in æternum. Vnde* quia manens in æternum ſempiternum habet ſacerdotium, *ſaluare* etiam *poteſt in perpetuum:*

tuum: cum conſtet mortales legis ſacerdotes tempore ſacerdotij ſui potuiſſe aliquas ſaluationes conferre. Oſtenſo quomodo per ſacerdotium Chriſti, vetus ſacerdotium, & lex deſtruatur: & ipſo ſacerdotio Chriſti ſatis commendato, commendat etiam nunc actum & exhibitionem ſacerdotalis officij in Chriſto: deprimendo per contrarium operationem veteris ſacerdotij, dicens. Poteſt Ieſus ſaluare in perpetuum: ipſe dico *accedens ad Deum:* non per alienas hoſtias animalium, *ſed per ſemetipſum* hoſtiã viuam in ara crucis oblatum. Ieſus dico, *ſemper viuens ad interpellandum* patrem *pro nobis:* quia caro eius ad hoc ſemper in cœlis viuit, vt repræſentatione ſua iugiter pulſet patrem pro nobis. Dico accedens per ſemetipſum: *decebat enim* & neceſſarium erat, *vt talis* & per ſemetipſum accedens: *eſſet nobis pontifex, ſanctus* in ſe poſſeſſione virtutum: *innocens* ad proximum: & cum ſanctus habitu bonorum, *impollutus* etiam abſentia vitiorum. Nec modo impollutus vt aliquando fuerit pollutus: ſed omni die *ſegregatus à peccatoribus* .i. à grege peccatorum ſegregatus: *factus* etiam *excelſior cœlis* .i. omni cœleſti creatura. *Qui* pontifex talis & talis *non habet neceſſitatem quotidie offerre pro ſe quemadmodum ſacerdotes* Leuitici neceſſitatem habet offerre *hoſtias,* prius intercedentes *pro ſuis delictis: deinde pro* delictis *populi.* Non ait quotidie, quaſi aliquo die neceſſe ſit Chriſto offerre pro ſe: ſed vt remoueat à Chriſto quod attribuit illis quotidie habentibus neceſſitatem offerendi pro ſe. Non habet Chriſtus neceſſitatem hanc. *Hoc enim,* ſcilicet, offerre, *fecit ſemel,* non tamen pro ſuis, ſed pro delictis populi: fecit, inquam, *offerendo ſe.* Et eius ſemel facta oblatio ſufficiens fuit omnibus ad remiſſionem omnium. Quare non eſt neceſſe vt iteretur. Sacerdotes illi habent neceſſitatem quotidie offerendi pro ſe: *quia lex ſacerdotes conſtituit homines habentes infirmitatem &* fragilitatis naturæ & peccati. Lex tales conſti-

A tuit ſacerdotes: *ſed ſermo iuriſiurandi qui poſt legem* datam per Dauid dictus *eſt:* conſtituit ſacerdotem non hominem: ſed *filium* Dei non habentem infirmitatem ſed duraturum *in æternum* & *perfectum.*

CAP. VIII.

CAPITVLVM autem
ſuper ea quæ dicuntur.
Talem habemus pontificem, qui conſedit in dex-
B *tera ſedis magnitudinis*
in cœlis: ſanctorum miniſter, & taber-
naculi veri: quod fixit Deus & non ho-
mo. Omnis enim pontifex ad offerenda
munera & hoſtias conſtituitur. Vnde
neceſſe eſt & hunc habere aliquid quod
offerat. Si ergo eſſet ſuper terram, non
eſſet ſacerdos, cùm eſſent qui offerrent
ſecundum legem munera: qui exempla-
ri & vmbræ deſeruiunt cœleſtium: ſic-
ut reſponſum eſt Moyſi, cùm conſum- Exo. 25. 40.
maret tabernaculum. Vide, inquit, om-
nia facito ſecundum exemplar, quod ti-
C *bi oſtenſum eſt in monte. Nunc autem*
melius ſortitus eſt miniſterium, quan-
tò & melioris teſtamenti mediator eſt:
quod in melioribus repromiſſionibus
ſancitum eſt. Nam ſi illud prius culpa
vacaſſet, non vtique ſecundi locus in-
quireretur. Vituperans enim eos dicit. Hier. 31. 31.
Ecce dies veniunt dicit Dominus, &
conſummabo ſuper domum Iſrael & ſu-
per domum Iuda teſtamentum nouum:
non ſecundum teſtamentum quod feci
patribus eorum in die qua apprehendi
manum illorum, vt educerẽ illos de ter-
D *ra Aegypti: quoniam ipſi non permanſe-*
runt in teſtamento meo, & ego neglexi
eos dicit Dominus. Quia hoc eſt teſta-
mentũ quod diſponam domui Iſrael poſt
*dies illos dicit Dominus: dando * leges* * dabo.
meas in mentem eorum: & in corda eo- 19 q. 2. duæ
rum ſuperſcribam eas: & ero eis in Deũ: ſunt.
& ipſi erunt mihi in populum. Et non Hier. 32. 38.
docebit vnuſquiſque proximum ſuum,
& vnuſquiſq; fratrem ſuum, dicens: co-
gnoſce Dominum: quia omnes ſciẽt me, à
*minore * vſq; ad maiorem eorum: quia* * minimo.
propitius ero iniquitatibus eorum: &
*peccatorum * illorum iam non memo-* * peccatũ.
rabor.

* commemorabor.

rabor. * *Dicendo autem nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur & ſeneſcit, propè interitum eſt.*

QVASI pauca dixiſſet de hoc ſacerdote breuiter complectitur modo dignitatẽ eius, ſuper hoc quã in præmiſſis complexus ſit. Quaſi diceret. Multa quidẽ dixi de laude huius ſacerdotis: ſed nunc faciam capitulum.i.breuem multorum complexionem. *Capitulum*, dico, *ſuper ea*.i.ſuperius & dignius ad laudem Chriſti continens quidem ea omnia *quæ dicuntur* in præmiſſis: hoc, inquam, eſt capitulum. Nos *habemus talem pontificem qui* iamdiu eſt: quod *conſedit* cũ patre quieſcens & iudicans. Conſedit dico *in dextera* .i. in æqualitate *ſedis magnitudinis* .i. ſedentis diuinitatis. Magnitudo enim pater dicitur qui ſimiliter ſedens quieſcit & iudicat. Conſedit dico *in cœlis* .i. vel ſuper illos materiales cœlos, vel ſuper thronos & dominationes. Hic pontifex dico ibi *miniſter ſanctorum*. In cœlis enim miniſtrat gloriam per ſancta ſanctorum ſignificatam: miniſter etiam ibidem *veri tabernaculi*.i. veritatis, quam tabernaculum vetus præfigurabat, ſcilicet, iuſtitiam in præſenti Eccleſia, gloriam in futura. *Quod* verum tabernaculum *fixit Dominus* in æternum permanſurum: illud verò vmbratile: legis tabernaculum nõ fixũ: ſed erat portabile de loco ad locum. Diceret Iudæus, & legale quidẽ tabernaculum fixit Dominus per miniſtrum Moyſen. Vtique ait Paulus: ſed hoc fixit Dominus, ita quod non fuit hic cum eo cuius miniſterio figeret: ſed per propriam perſonã fixit. Verè Chriſtus miniſter eſt: nam *omnis pontifex cõſtituitur* ad miniſtrandum, ſcilicet, *ad offerenda munera & hoſtias. Vnde* quia omnis pontifex conſtituitur ad offerendum, *neceſſe eſt hunc etiam* pontificem Chriſtum *habere aliquid quod offerat*, & cùm neceſſe ſit eum habere aliquid ad offerendum: aut illud erit ſuper terram, aut cœleſte, ſed non ſuper terram. *Si* enim *ſuper terram*, iam *non eſſet ſacer-*

A *dos:* nedum pontifex: ergo cęleſte erit quod offeret. Super terram eſſe dicit quicquid in carnalibus & pro carnalibus offeret. Si eſſet ſuper terram quod Ieſus offerret: non ſolùm nego eum pontificem, ſed nec eſſet ſacerdos: fruſtra enim in carnalibus ſacerdos eſſet: *cùm eſſent* multi ſacerdotes *qui offerrent munera ſecundùm legem*, id eſt, ſuper terrã. Diceret ille. Multi quidem ſunt offerentes: ſed quia nemo ſic dignè poſſit offerre, bonum erat vt Ieſus efferret ſecundùm legem, & hoc remouet, dicens. Cùm

B eſſent qui ſecundum legem offerrent: & *qui deſeruiunt exemplari*. Exemplar dicitur illud ad cuius ſimilitudinem fit aliquid. Exemplum autem ſimilitudo, quæ ab exemplari capitur. Quando Deus Moyſen vocauit in montem, ibi reuelauit ei omnem (quæ implenda erat) de cultu Dei veritatem. Sed Deus cũ Moyſe intelligens populum illum carnalem non ſtatim poſſe capere ſpiritalia, dixit Moyſi, vt ſicut veritatem quam ibi videbat, faceret figuras illi populo carnali: in quibus puerilis populus tamdiu enutriretur, donec de

C pueritia figurarum tranſire poſſet ad maturitatem virtutis: & hoc modo veritas prius oſtenſa exemplar fuit figurarum factarum, ad ſimilitudinem prius oſtenſæ veritatis. Iterum alio reſpectu figuræ dicuntur exemplar veritatis, ſecundum impletionem illius, ad ſimilitudinem figurarum præcedentium: & ſecundũ hunc modum figuras hic vocat exemplar. In ſequẽtibus autem veritatem prius in monte Moyſi reuelatam: exemplar vocat reſpectu figurarum ad ſimilitudinem oſtenſæ virtutis * in-

Exemplar & exemplum quid dicatur.

* veritatis

D uentarum. *Deſeruiũt*, inquam, *exemplari* .i. figuris: & quia exemplar quãdoque eſt veritas, non figura: addit *& vmbræ*: quia illæ figuræ exemplar erant, non veritatem, ſed vmbram habentes veritatis, per Chriſtum leuiter depellendam. Cum eſſent, inquam, qui deſeruiunt vmbræ *cœleſtium*, ita complendo omnia, *ſicut à* Deo *reſponſum eſt Moyſi:* & cum illi ſa-

cerdotes

cerdotes benè legem implerent: fruſtra Ieſus hoc ſacerdotium aſſumeret. Reſponſum eſt Moyſi non cum inciperet, ſed *cùm conſummaret tabernaculum.* Quaſdam enim figuras per ſe inuenire potuit: ſed cũ omnes per ſe nõ poſſet inuenire, reuerſus eſt ad Deum: vt ſicut de veritate, ſic de figuris edoceretur. Cui Dominus inquit. *Vide* Moyſes, *facito omnia* .i. figuras omnes *ſecundum exemplar* .i. ſecũdum veritatem: *quod* exemplar *oſtenſum eſt tibi in monte:* illi habent miniſterium deſeruire exemplari & vmbræ: *ſed Ieſus ſortitus eſt miniſteriũ melius:* B quia & in ſpiritalibus miniſtrat, & ſpiritalia dat. Sortitus dico nũc poſt quam oſtenſum eſt eum non offerre, quod ſit ſuper terram. Miniſterium dico tantò melius *quantò* & ipſe Ieſus dator *eſt teſtamenti melioris* .i. meliora: quia æterna promittentis. Et non ait dator, ſed *mediator:* quoniam medius inter Deum & hominem à Deo accipit, quod homini tribuit. Quod teſtamentum *ſancitum* .i. confirmatum, eſt duraturum in æternum. Sancitum dico *repromiſſionibus* .i. multis ac diuerſis pollicitationibus. Repromiſſionibus dico *melioribus* ſicut ſæpe dictum eſt. Dixit ibi: Chriſtus eſt dator melioris teſtamẽti, & hoc probat dicens. Verè teſtamentum Chriſti melius eſt teſtamẽto priori. Nam illud prius teſtamentum non vacauit à culpa: Chriſti autem teſtamentum vacat à culpa. *Si enim illud prius* teſtamentum *vacaſſet* à culpa, non daretur ſecundum teſtamentum: ſed quia ſecundum datum eſt: apparet primum fuiſſe imperfectum, & ſecundum perfectum. Fruſtra enim prius teſtamentum deſtrueretur, niſi eſſet imperfectum. Et fruſtra ſecundum daretur ad correctionem prioris imperfecti, ſi nõ eſſet perfectum. Quod ita ait. Si illud prius teſtamentum vacaſſet à culpa: non ait ſi homines ſub illo vacaſſent à culpa: ſed illud ipſum teſtamẽtum vacaſſet .i. vacuum eſſet à culpa: in hoc enim ipſa lex non eſſe vacua videbatur à culpa: quam præcipiebat & gratiam adiu-

A tricem quam miniſtraret non habebat: ſic omnes legales faciens culpabiles. Si, inquam, illud prius vacaſſet à culpa (idem pro certo dico vobis) *non inquireretur locus* .i. opportunitas *ſecundi* teſtamenti dandi. Inquireretur ideò ait: quia Deus primum per Noë, deinde per patriarchas: poſtea per legem & prophetas: in lege paulatim inſtruendo carnalem ruditatem hominum, inquirebat locum, quo illis ad perfectionem inſtructis, opportunè daret ſpiritale teſtamentum. Si, inquam, prius teſtamentum vacaſſet à culpa, non inquireretur locus ſecundi teſtamenti. Sed locus ſecundi inquiritur, & hoc probat per teſtimonium Hieremiæ dicentis. Verè inquiritur. *Nam* Spiritus ſanctus *vituperans eos* legales, *dicit* per Hieremiam. *Ecce veniũt* paulatim propinquando magis ac magis dies: Tempus Chriſti dies vocat: quia veniente Chriſto tenebræ pulſæ ſunt. Et illuxit dies, id eſt, veritatis cognitio. Et hoc quod veniant hi dies: non ego, ſed *Dominus dicit:* credite illi: *&* in diebus illis *conſummabo*, id eſt, dabo *teſtamentum nouum*, quod erit conſum- C mans vetus: quia ad perfectum adducens: quomodo nouum ſatis in ſequentibus determinabit. Conſummabo, inquam, illud in domo Iſraël, & in domo Iuda. Ad literam per Iſrael & Iudam, Iudæi tantum intelliguntur, ſed ſecundùm interpretationes vocum, omnis videns & confitens Deum intelligitur. Iſrael & Iuda diuidit: quia poſt mortem Salomonis, qui in vtriſque regnum habuit, Roboam filius eius tribum Iuda & dimidiam tribum Beniamin tantùm habuit: & aliæ tribus Iſrael ab eo die, 3. Reg. 12. 19 D recedentes ab eo adhæſerunt Hieroboam. Hoc teſtamentum nouum *dabo ſuper domum*, id eſt, vt quaſi de ſupernis veniens dominetur *Iſrael, & Iudæ:* & non ſit quaſi lex vetus ancilla in manu ſacerdotis. Et quia poſſet eſſe teſtamentum nouum: quia noua terrena promitteret & præciperet: determinat hoc dicens. Nouum ita vt *non* ſit *ſecundum* illud *teſtamentum*

 quod

quod ego *feci patribus eorum.* Et quia quibuſdā patribus vt Abraham ſpiritale teſtamentum fecerat: ideò determinans ait: quod feci *in die qua apprehendi manum illorum, vt educerem illos de terra Aegypti.* Apprehendi manum, ea ſimilitudine dicit qua aliquis manum in luto iacentis, & per ſe ſurgere impotentis apprehendit, & erigit: ſic Deus eos per ſe impotentes apprehendit: & de erumna Aegyptiorum extraxit. Quomodo eos vituperauerit nūc ait: Ego quidem apprehendi manum eorum: ſed *quoniā ipſi non permanſerūt in teſtamento meo,* ipſi neglexerūt me, *& ego neglexi eos:* & ſi dico vos neglectos à Deo, ne moleſti ſitis mihi: quia hoc *dicit Dominus.* Verè dabo teſtamētum nouum, & non ſecundum illud quod dedi patribus eorum: *quia hoc eſt teſtamentum quod* ego *diſponam* .i. ordinabiliter dabo *domui Iſrael* .i. omnium videntium Deum, nec modo: ſed *poſt dies illos* determinatos: & hoc iterum credite: quia ſic *dicit Dominus.* Diſponam vtique *dando leges meas in mentes* .i. in intelligentias *eorum*, nec ſolùm diſponam: ſed etiam *ſcribam eas,* vt *in* æterno maneant, in *corda* .i. in voluntates *eorum:* quia & intelligent & ex voluntate leges meas operabūtur. Scribam dico quaſi illud quod ſupereſſe debet eiſque dominari, *&* poſtquam in mente & in corde eorū leges meas ſcriptas habebunt: *ero eis in Deum:* quia dicetur. Verè Deus in iſtis habitat, qui tot refulgent miraculis, *& ipſi erunt mihi in populum:* quod dicetur de eis. Hi reuera ſunt populus Dei: hæc pars prophetiæ impletur in hoc mundo: quod ſequitur implendum reſtat in futuro. Erunt mihi in populum: *& nō docebit vnuſquiſque proximum ſuum.* Diceret aliquis fortaſſis: quia non curabit de eo: ideò addit: *nec vnuſquiſque* docebit etiam *fratrem ſuum*, quem multum diligit, *dicēs* ita: frater *cognoſce Deum:* ideò alter non docebit alterum: *quoniam ſcient me à minore vſque ad maiorem eorum.* Hoc autem complebitur in die iudicij: quando etiam impij confitebuntur Chriſtum filium Dei. Notant ſancti, quod ait à minore vſque ad maiorem, & non è conuerſo: vt oſtendat oēs tunc perfectè Deum cognoſcere: à minore enim hoc impoſſibile eſt doceri maiorem. Et ero eis in Deum, omnes iterum ſcient me: & hęc omnia faciam eis: *quia propitius ero iniquitatibus eorum: & iam non memorabor peccatorum illorum.* Iniquitates ait, quando non ſeruant æquitatem ad proximum ſuum. Peccata, quando in ſeipſis malè agunt. Vel vt peccatum & iniquitatem idē accipiamus: ita dicimus, dicit. Propitius ero iniquitatibus eorum. Et quia propitiatio dici poſſet: ſi abſq; vltione dimitteret in præſenti: ideò addit: Ita propitius ero, quod iam vltra non memorabor peccatorum eorum in futuro. Habent quidam libri, peccatum illorum, & ſecundùm hanc literam intelligitur originale. Ab hoc loco incipit Paulus. Dixit Propheta. Dabo teſtamentum nouū. *Dicendo autem nouum, veterauit prius* teſtamentum in actiua ſignificatione. Vel veterauit, id eſt, vetus factum eſt prius teſtamentum, in paſſiua. Et benè dico veterauit prius: quia propè interitum eſt: quod ita ait. *Quod autem antiquatur* ſicut in animatis, *& ſeneſcit,* ſicut in animatis: omne hoc *eſt prope interitum.* Senectus enim & antiquatio prænunciæ ſunt mortis.

Iniquitates & peccata differunt.

CAP. IX.

HABVIT *quidem & prius iuſtificationes culturæ & ſanctum ſeculare. Tabernaculum enim factum eſt primum: in quo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panū quæ dicitur ſancta. Poſt velamentū autē ſecūdum tabernaculū, quod dicitur Sancta ſanctorum, aureū habēs thuribulū: & arcā teſtamēti circumtectam ex omni parte auro: in qua vrna aurea habens māna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti:*

Exod. 26.1.

Nu. 17. 10.

45.diſt. diſciplinæ. 3 Reg 8.9.
menti: ſuperq́; eam erant Cherubim gloriæ obumbrãtia propitiatorium: de quibus non eſt modo dicendum per ſingula. His verò ita compoſitis, in priori quidem tabernaculo ſemper introibant ſacerdotes ſacrificiorum officia conſummantes.
Exod.30.10.
In ſecundo autem ſemel in anno ſolus pontifex, non ſine ſanguine, quem offerret pro ſua & populi ignorantia: hoc ſignificante Spiritu S. nondum propalatam eſſe ſanctorum viã, adhuc priore tabernaculo habẽte ſtatum. Quæ parabola eſt temporis inſtantis: iuxta quam munera & hoſtiæ offeruntur: quæ non poſſunt iuxta conſciẽtiam perfectum facere ſeruientem: ſolummodo in cibis & in potibus, & in varijs baptiſmatibus, & iuſtitijs carnis vſque ad tempus correctionis impoſitis. Chriſtus autem aſſiſtens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, non huius creationis: neq́; per ſanguinem hircorũ * aut vitulorũ, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta: æterna redemptione inuenta.
* taurorũ.
1.Pet.1.19. 1.Ioan.1.7. Apoc.1 6. De col.miſſ. cum Martha §. ceterum.
Si enim ſanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quãtò magis ſanguis Chriſti qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundauit conſcientiã noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuẽti? Et ideò noui teſtamenti mediator eſt: vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priore teſtamẽto repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis.
Gal.3.15. De cele. miſſa.cum Martha. ver.teſtamentum.
Vbi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis cõfirmatum eſt. Alioquin nondum valet, dum viuit qui teſtatus eſt. Vnde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt. Lecto enim omni mandato legis à Moyſe vniuerſo populo: accipiens ſanguinem vitulorum & hircorum cũ aqua & lana coccinea & hyſopo: ipſum quoque librum & omnem populum aſperſit, dicens:
Exod.24.8.
Hic ſanguis teſtamenti: quod mandauit ad vos Deus. Etiam tabernaculum & omnia vaſa miniſterij ſanguine ſimiliter aſperſit. Et omnia pœnè in ſanguine ſecundum legem mundantur: &

A ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cæleſtium his mundari: ipſa autem cæleſtia melioribus hoſtijs quam iſtis. Non enim in manufactis ſanctis Ieſus introijt exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlũ: vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neq́; vt ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno. Alioquin oportet eum frequenter pati ob origine mundi. Nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum: ad deſtitutionem * peccati per hoſtiam ſuam apparuit. * deſtructionem.
B Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori: poſt hoc autem iudicium: ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata: ſecundo ſine peccato apparebit expectantibus ſe in ſalutem per fidem. * Rom.5.6. 1.Pet.3.18. * non habet per fidem.

SED licet prius teſtamentum ſit propè interitum: tamen *habuit quidem etiam* prius teſtamentum *iuſtificationes* non veras: ſed pro modo *culturæ* ſuæ .i. carnales: quia carnalis erat cultus: & habuit *ſanctum* non ſpiritale, ſed *ſæculare*: quia ab hominibus quidem putabatur ibi ſancti-
C tas: quæ tamen non erat, & hoc probat. Verè prius teſtamentum habuit ſanctum: nã tabernaculum primum habuit & ſecundum. Quod ita ait: *Factum eſt primum tabernaculum, in quo primo erant candelabra*. Licet pluraliter dicat candelabra: vnum tamen erat candelabrum, habens haſtile in medio, in quo innitebantur ſex brachia: tria à ſiniſtra: & erat in illo tabernaculo *menſa* ſtatim poſt introitum: & ſuper hanc menſam erat *propoſitio panum* .i. duodecim panes Deo per ſanctificationem propoſiti: de Exo.25.32.
D quibus ſi forte per neceſſitatem aliquis abſumeretur (Hic enim ſanctificatus panis erat neceſſarius ad ſacrificia) paratus erat panis ſimiliter de ſimila, qui ſtatim loco aſſumpti ſubſtituebatur. Hi autem duodecim panes in ſabbato ponebantur: quibus in ſequenti ſabbato ablatis, alij duodecim reſtituebantur. *Quod* tabernaculum continens hæc *dicitur* Exo.25.30.

Sancta. Erat autem extra hoc tabernaculum altare ſub dio: ſuper quod immolabantur animalia. Poſt velamentum autem erat ſecundum tabernaculum. Velum enim interpoſitum fuerat, quod prius tabernaculũ à ſecũdo ſeparabat. Quod ſecundum tabernaculum dicitur ſancta *ſanctorum*. Secundum tabernaculum dico *habens thuribulum aureum: & habens arcam teſtamenti* .i. continens teſtamentum, in circuitu *tectam auro*. Et quia exterius circumtectà poſſet eſſe auro & non interius: ideò addit tectã auro *ex omni parte* & intus & extra: *in qua* arca erat *vrna aurea* .i. gomor de auro factum: *habens manna*, vt memoriter tenerent, quo pane Deus pauerat eos in deſerto. *Et* erat in eadem arca *virga Aaron*, quę frondue rat, id eſt, per quam electus eſt in ſacerdotem: *& erant* ibidem *tabulæ teſtamenti*, in quibus lex ſcripta fuit, *& ſuper eam* arcam erant *Cherubim*, id eſt, duo angeli. Cherubim dico *gloriæ*, id eſt, glorioſè decorata: & illa Cherubim erant *obumbrantia propitiatorium*. Tabula erat ſuper arcam quæ dicebatur propitiatorium: eo quod inter duo Cherubim ſuper eandem tabulam confixa apparere ſolebat angelus, dans diuina reſponſa. Et in hoc ſecundo tabernaculo erat altare incenſi. In templo verò erant duo tabernacula quæ velum interpoſitum diuidebat. Erat in primo tabernaculo iuxta introitum menſa, & ſuper eam duodecim panes: & ſuper ſingulos eorum thus. Erat & candelabrum ex vna quaq; parte habens tria brachia medio ſtipiti cohærentia: in quibus brachijs erant ſpherulę: poſt ſpherulas lilia: poſt eas ſciphuli. Primum itaque tabernaculum Eccleſiam fidelium quæ in mundo eſt ſignificat. In qua miniſtri Eccleſiæ orationes quaq; die offerunt & ſacrificia. Menſa autem in templo iuxta portam: ſcriptura diuina intelligitur: quę per fidem intrantibus Eccleſiam pro eorum capacitate miniſtratur. Panes verò duodecim, ſunt duodecim Apoſtoli, quorum doctrina

A fideles in Eccleſia reficiũtur. Hoc autem quod ſuperueniente aliqua neceſſitate aliquis de panibus ſumebatur: & alius ſubſtituebatur loco illius, ſcilicet: ſignificat quod aliquo Apoſtolorum vel ſuorum ſucceſſorum de mundo ablato, alius qui eius vice fungatur, loco illius ſubſtitui debet qui panes omnes in ſabbato abſumũtur. Quia poſtquam ad veræ gloriæ requiem in die iudicij peruenietur, iàm nullum Epiſcopi officium vel eccleſiaſticæ curę exercebitur. Hi

B panes de ſimila dicuntur fuiſſe: quia in Apoſtolis nihil niſi innocentiæ puritas & virtutum perfectio fuit, neque in eorum ſucceſſoribus debet eſſe. Thus autem ſuperpoſitum cuius odor iucundus eſt: orationes ſunt eorum, quæ Deo acceptabiles ſunt: & ſuis ſubiectis iucundæ & vtiles. Haſtile verò candelabri cui tria brachia ex dextera parte inhærebant, & totidem ex ſiniſtra Chriſtus eſt, cui quaſi firmo ſtipiti tam veteris eccleſię fideles, quam nouæ inhærent: & hoc to-

C tum quod ſunt vel fuerunt ex eo habent. Tres enim rami qui ex dextera parte ſunt, tres ordines fidelium huius eccleſiæ (quæ dignior eſt quam vetus) oſtendunt: hos habes in Euangelio vbi dicitur: Duo erunt in lecto: *Luc. 17. 34.* vnus aſſumetur, alter relinquetur. Duo in agro, vnus aſſumetur, alter autem relinquetur. Duo in molendino, vnus aſſumetur, & alter relinquetur. Duo in lecto continentes: quorum illi relinquentur qui vel pro fauore mundi abſtinentes, vel pro Deo

D hoc facientes, tamen deficiunt. Illi autem qui pro Chriſto hoc faciunt & perſeuerant, in gloria aſſumentur. Duo in agro, ſunt laborantes in Eccleſia quæ Dei ager eſt: quorum (ſicut de alijs dictum eſt) quidam ad gloriã aſſumentur: quidam ad pęnam relinquentur. Duo in molendino, demõſtrant huius ſæculi poſſeſſores in volubilitate mundanarũ rerũ manẽtes: qui laborant quomodo vir placeat mulieri: & mulier viro. Horũ illi relinquentur, quod ipſius mundi delectatio in crimina & perniciẽ trahit.

Illi vero aſſumentur, qui in crimina A non incidunt: & de mãmona iniquitatis amicos ſibi faciunt. Illi autẽ tres rami, qui ſiniſtræ parti inhærent, tres ordines fideliũ ſub veteri oſtendunt: Quos habes per Danielem, per Noe, per Iob. Daniel etenim qui vixit caſte, continẽtes ſub veteri lege oſtẽdit. Noe vero fabricator & artifex arcæ Domini, Doctores legis præſignauit. Iob vero qui in coniugio & rerum poſſeſſione fuit: demonſtrat illos qui in coniugiis & rebus mundanis Deo placuerint. In omnibus autem his ramis erant ſphærulæ: quia rotunditas perfectionis erat in omnibus, & ęqualitas iuſtitiæ. Has autem ſphærulas lilia ſequebantur: quia poſtquam aliquis perfectus eſt gratus odor Deo, & in Eccleſia exemplo bonorum operum redolens efficitur. Poſt lilia vero ſuccedunt ciphuli: quia cùm aliquis probatur perfectus, & exemplo bonę operationis tanquam lilium ſuo odore cognoſcitur: reſtat vt efficiatur prædicator, & Catholicæ doctrinæ indigentibus propinator. Qui operatione & doctrina talis effectus, & ſeipſum igne charitatis accendit, & aliis lumen in tenebris oſtendit. Secundum autem tabernaculum à primo veli interpoſitione diuidebatur: in quod pontifex ſolus & ſemel in anno cum ſanguine ingrediebatur. Tabernaculum illud cœleſtis Eccleſia eſt. Illud autem obtegitur velo: quia dum ſumus in hac adhuc mortali carne vel Eccleſia: quæ & quanta Deus ſuis præparet ignorantiæ cæcitate cognoſcere non poſſumus. Pontifex autem qui ſemel in anno, & cum ſanguine introibat, Chriſtus eſt: qui in perfectione temporum ſemel ſanguinem ſuum offerens viam cęleſtis patriæ nobis initiauit. Quod vero ipſa hoſtia vno quoque anno reiterabatur: imperfectionem ipſius hoſtiæ oſtendebat: & ex ipſa ſua iteratione aliam hoſtiam quam iterari nõ oporteret, expectari præcipiebat. Thuribulum aureum Chriſtus eſt: qui in eo quod perfectam ſapientiam habuit, & de mundanis & de cœleſtibus iure aureus fuiſſe dicitur. In eo autem quod igne charitatis in Deum & in proximum plenus fuit: & iucundum orationum odorem pro mundo Deo effudit: thuribulo iure aſſimilatur ignem continenti: & odorem thuris in ſuperiora emittenti. Idem etiam eſt arca teſtamenti, id eſt, in qua reſeruabatur teſtamentum & latebat: quia in ſapientia patris, cum qua idẽ perſonaliter erat, præcepta veteris legis & nouæ latebant: & iam ex eius diſpoſitione pendebant: qui etiam ea B claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit. Hęc arca omni parte tam interius quam exterius auro tecta erat: quia ipſe & anima & corpore omnium conſummatione virtutum enituit, & nulla ei defuit iuſtitia.

In hac arca erat vrna aurea: quia in corpore Chriſti erat vera & humana anima: & eadem omni virtute & perfecta ſapientia plena. In vrna erat manna abſconditum: quia in anima Chriſti eſt ipſa diuinitas: quæ eſt panis & refectio angelorum. Erat C etiam in arca virga Aaron & tabulæ teſtamenti. Virga Aaron verum ſignificauit ſacerdotium. Tabulæ teſtamenti corda eorum ſunt, in quibus legis præcepta inſident & quieſcunt. *Virga Aarõ verũ ſacerdotium ſignificauit.* Sunt itaque in arca virga Aaron & tabulę teſtamẽti: quia in Chriſto verum eſt ſacerdotium: & vnuſquiſque fidelis: vnde in Euangelio ait: Manete in me, & ego in vobis. *Ioan.15.4.* Super arcam erat tabula quæ vocabatur propitiatorium, in qua Deus D apparens per angelum propitiabatur peccatis eorum. Super propitiatorium, duo Cherubim ſemper inclinato vultu illud aſpicientia: & coniunctione alarũ ſuarum deſuper extẽſarum illud obumbrantia. Idem Chriſtus propitiatoriũ eſt, ſecundũ quod ab eo quæ volumus, poſtulamus, & ſua miſericordia noſtris peccatis ꝓpitiatur. Super eum ſunt duo Cherubim: quia etiã altiores cęlorũ virtutes ei innituntur, & firmamentum ſuæ ſtabilitatis habẽt illum. Eadem Cherubim propitiatoriũ ſemꝑ aſpiciunt:

ſed deſuper obdurant, quia cœleſtes virtutes miſericordiam Dei ſemper contemplantur, ſed quò intentius eũ aſpiciunt, tantò obſcurior & magis ignotus efficitur: quoniam miſericordia Domini abyſſus multa. *Pſal. 35. 7.* In arca autem quatuor erant annuli, in quibus vectes immittebantur: & ſic arca quo res poſcebat deferebatur. Quatuor annuli, quatuor ſunt euangelia. Vectes ſancti prædicatores, qui in doctrinam euangelij immiſſi: & Chriſtum & eius fidẽ quo Deus vult & præordinat deferunt. Hoc autem quod de lignis Sethim (quæ imputribilia ſunt) facta eſt: corpꝰ Chriſti poſt paſſionem immortale & impaſſibile futurum præſignauit. Hæc in primo & ſecundo ſunt tabernaculo (*de quibus non eſt modo dicendum*) eundo *per ſingula* eorum interpretanda. De ſingulis quidem non eſt dicendum: *ſed* de *his ita compoſitis* eſt dicẽdum hoc, ſcilicet *quod in prius quidem tabernaculum ſemper introibant ſacerdotes cõſummantes officia ſacrificiorum*, id eſt, perficientes ſacrificia ſecundum ritũ officij ſui in prius ſemper. *Sed in ſecundum tabernaculum ſemel in anno* introibat *ſolus pontifex*, & *non ſine ſanguine*, quo accepto, de animali foris immolato, tingebat de eo cornua altaris incenſi: *quem* ſanguinem *offert* ſacerdos *pro ignorantia ſua*, & pro ignorantia *populi* dimittenda: *Spiritu ſancto ſignificãte* per hoc quod in prius omnes introibant: in ſecundum nullus præter ſolum põtificem: *Viam ſanctorum nondum eſſe propalatam*, id eſt, ſanctos non poſſe introire in cœlos: quæ via propalanda erat eis in Chriſto eo reſurgente. Et adhuc quando nondum propalata erat via ſanctorum, ſed Abraham & omnes ſancti tenebantur in tenebris: tunc, inquam, *priore tabernaculo habente ſtatum*. Donec enim via ſanctorum, Chriſto celebrante nouum paſcha, propalata fuit; vetus lex ſtatum ſuum ex Deo habuit. *Quæ* omnia de omni priori & vero tabernaculo *eſt parabola inſtantis temporis*, id eſt, figura pertinens ad hoc tempus

A quod nunc inſtat: quia quicquid ibi figuratum fuit, nunc in Chriſto impletum eſt. In prius tabernaculum ſemper introibãt ſacerdotes cõſummantes ſacrificia: quia in præſentem eccleſiam quotidie introimus con ſummãtes ſpirituale ſacrificiũ Chriſti. In ſecundum aũt tabernaculum pontifex ſemel ingrediebatur in anno: quia Chriſtus verus pontifex ingreſſus eſt in cœleſtem eccleſiam ſemel, non vlterius reuerſurus à gloria. Quod verus ſacerdos ſingulis annis introitum illum ſecundi taber-B naculi reiterabat: verum pontificem Chriſtum nondum introiſſe in ſuum tabernaculum in cœlis: ſed adhuc intraturum expectabat. Legalis pontifex non introibat ſine ſanguine: quia Chriſtus non penetrauit cœlos, niſi prius ſanguine ſuo effuſo in redemptionem omnium: quem ſanguinem Chriſtus obtulit non vtique pro ſua: ſed pro totius populi delenda ignorantia. *Iuxta quam* para-C bolam, id eſt, figuram *offeruntur* in veteri lege *munera*, id eſt, minores oblationes. Offeruntur *etiam hoſtiæ* animalium. Sic in hac præſenti eccleſia munera noſtra ſunt orationes in odorem ſuauitatis Deo: & hoſtiæ ſunt illi qui pro Chriſto mactantur, vt Laurentius: etiam qui ſeipſos mactant ieiuniis, vigiliis, & multimodis afflictionibus. *Quæ* munera & hoſtiæ in veteri lege *non poſſunt facere perfectum ſeruientem* in his. Et ſi perfectus eſt ſecundum reputa-D tionem hominum: non tamen perfectus *iuxta conſcientiam* ſuam: quia ſe reum ſceleris factum, & non mũdatum per legalia: conſcientia ſibi iugiter inſuſurrat. Nec mirum ſi non perfectum: quia ſeruientem dico illum *ſolummodo in cibis & in potibus:* quia copioſè manducat & potat: *&* in *varijs baptiſmatibus*, id eſt, ablutionibus factis ſecundum ritus legalium: ſeruientem etiam *in iuſtitijs*, ſed *carnis*: quia carnales ſunt illæ iuſtitiæ: corpus quidem à pœna legis liberantes: ſed animam in vinculis peccati deferentes. Iuſtitiis carnis,

dico, *impoſitis* vt durarent *vſque ad tempus correctionis*, id eſt, vſque ad Chriſtum: perfectione teſtamenti cuius corrigeretur imperfectio veteris. Munera & hoſtiæ legales neminem poſſunt facere perfectum: ſed Chriſtus inuenit æternam redemptionem: quod eſt dicere Chriſtus facit perfectum. Sed per quid æternam redemptionem inuenerit præmittit dicens: *Chriſtus aſſiſtens:* non determinat cui aſſiſtat. Et poſſumus dicere. Chriſtus aſſiſtens patri repræſentatione ſua, ſemper interpellans pro nobis. Vel Chriſtus aſſiſtens pro nobis erigens infirmitatem noſtram ad cœleſtia: porrigendo nobis manum auxilii. Chriſtus, inquam, aſſiſtens *pontifex* non carnalium: ſed *bonorum futurorum*, id eſt, cœleſtium. Vel bonorum futurorum, id eſt, præſentis iuſtitiæ & æternæ beatitudinis: quæ omnia tempore legis futura erant. Chriſtus, inquam, pontifex talis introiuit tabernaculũ: nomine ſignificantis deſignat ſignificatum. *Tabernaculum* dico *peramplius:* quia ſi illud vetus mille vel plura millia hominum capiebat: cœleſte tabernaculum etiam peramplius eſt late capiens infinitatem omnium ingredientiũ in illud. Tabernaculum perfectius: quia in illo tabernaculo totius beatitudinis accipitur perfectio. In legali tabernaculo vbiq; erat imperfectio. *Tabernaculum*, dico, *non manu factum:* & ne quilibet hoc peruersè acciperet, putans non eſſe factum manu. i. operatione Dei: determinat dicens: *Id* quod dico non manufactum: *eſt* dicere illud tabernaculum *non* eſt *huius*, id eſt humanę *creationis*, ſicut vetus. In quo mulieres nebant cortinas, fabri in genere ſuo operabãtur, & ſimiliter cæteri artifices. *Introiuit* quidẽ hoc tabernaculũ *neq; per ſanguinẽ hircorũ & vitulorũ* effuſum, ꝙ oportebat fieri in introitu ſecũdi tabernaculi: *ſed* introiuit *per proprium ſanguinẽ*, effuſum in cœleſte tabernaculũ. ſ. in ſancta ſanctorũ. *Introiuit* vtiq; *ſemel:* & per ſanguinẽ ſemel effuſum. Quod. n. ſemel

A introire & ſanguinẽ ſemel effundere dicit: ſignificat perfectionem eius ſacrificij: ꝙ non oportuit iterari. Quod aũt ſacrificiũ vetus totiens iterabant: ſignificabat in illo non eſſe nec adhuc veniſſe perfectionem. Introiuit in ſancta: *inuenta redemptione*. Nõ determinat à quo inuenta: an à ſe, an ab alio: & vtrunq; dicere poſſumus. Redemptione inuenta à Chriſto: quia hic pontifex in ſacrificio ſuo inuenit redemptionem hominũ à peccatis: in qua inuentione legales ſemper de- B fecẽre põtifices, vel redemptione inuenta à nobis. Nos. n. in Chriſto redemptionem noſtrã inuenimus. Redemptione dico *æterna:* quia quos redimit, æternos facit. Probat hoc à minori dicens: Verè per ſanguinem Chriſti inuenta eſt redemptio: *quia ſi ſanguis hircorum & taurorum: &* ſi *cinis vitulæ* combuſtę *aſperſus* ſuper populum, *ſanctificat inquinatos*. i. mũdat pollutiones peccatorũ: Sãctificat dico valens *ad emundationẽ* non vtique animæ: ſed *carnis* tantùm: quia carnẽ C liberat à pœna legis: anima polluta remanet: ſi, inquã, ſanguis illorũ animaliũ aliquo modo ſanctificat: *quantò magis ſanguis Chriſti emundabit nos? qui* Chriſtus obtulit non hircum, nõ taurum: ſed *ſemetipſum Deo:* ſe dico *immaculatũ*, ꝙ nullum ſacrificiũ potuit eſſe in lege. Immaculatũ dico *per Spiritum ſanctum*, vnitum ſibi in vtero matris: de quo cõceptus eſt, factus per hoc immunis à peccato. Vel obtulit ſe per Spiritum ſanctũ, dictãtem ſibi vt in omni patientia obediret patri. Quanto magis, inquam, ſanguis D Chriſti *emũdabit:* non dico carnẽ: ſed etiã *conſcientiam noſtrã:* quod nec relinquetur vnde conſcientia ſibi formidet. Emũdabit vtiq; *ab operib⁹ mortuis*. i. à peccatis mortem operãtibus, ad ſeruiendum Deo. Hæc enim duo ſanguis Chriſti efficit in nobis, quia & mundat à peccatis, & virtutem liberi arbitrii reſtituit, *vt* Deo *ſeruire poſſit. Deo* dico *viuenti* poſitum ad cauſam: quia ſeruientibus ſibi vitam æternam dabit. Obtulit ſemetipſum: *& eſt mediator*. i. dator *noui teſtamẽti*.

Sacrificium Chriſti fuit perfectum.

Opera mortua dicũtur peccata.

Medius inter Deum à quo accipit, & hominem cui tribuit: ideo dator teſtamenti noui: *vt morte eius intercedente*.i.interueniente media inter diſpoſitionem & completionem teſtamenti. Morte dico neceſſaria *in redẽptione:* non dico gentilium de quibus conſtat: ſed in redemptione *earũ præuaricationũ, quæ erant ſub priori* teſtamento*. Lex enim illa prior præcipiendo preuaricationes addebat: à quibus nullo modo ſoluere poterat. *Vt*, inquam, intercedente morte *accipiant repromiſsionem æternæ hæreditatis*.i.æternam hæreditatem frequenter ſibi promiſſam: accipiant, nõ omnes, ſed *qui vocati ſunt* à Deo, electi ab æterno. Poſtquam Chriſtus nouum teſtamentũ diſpoſuit, pro confirmatione eius teſtamenti neceſſe fuit eum mori: tũ quia ſi captus à Iudæis negaret quod antea dixerat, & pro aſſertione eorum refugeret pati, putarent diſcipuli Chriſtum non intellexiſſe vera eſſe quæ docuerat, dum ea timore mortis negaret. Præterea mori oportuit, vt à morte reſurgens quæ ſe prædixerat impleturum cõſummaret .ſ. redemptionem Iſrael. Vitula de qua ſuperius diximus, rufa erat, typum gerens ſanguinis Chriſti: & tota comburebatur in cinerem redacta: vt eſſet holocauſtum Domino: cuius cinis aſpergebatur aqua: ita Chriſtus multis tribulationibus attritus: & morte tãdem quaſi in cinerem redactus fuit. Cinis aũt vitulæ, qui ſuper homines ꝓiiciebatur, ſignificat memoriã contritionis Chriſti, quæ ſemper ingerenda eſt hominibus. Sic, frater, eſto memor Chriſtum pro te paſſum & contritũ, & peccando noli eũ prouocare. Si aũt cinis vitulæ emundabat carnẽ: lõge dignius cinis Chriſti emundat animã. ¶ Dixit ſuperius, Chriſtũ datorẽ noui teſtamenti morte intercedente: nũc aũt quod oportuerit eum mori pro confirmatione noui teſtamenti, approbat cõſuetudine humanæ legis. Quaſi diceret aliquis. Quid opus fuit vt ad confirmationem teſtamenti noui mors Chriſti intercederet? Oportuit vtiq;

* veteri.

Teſtamentum nouum non fuiſſet confirmatũ, niſi Chriſtus mortu' fuiſſet.

Num. 19. 2.

A ait Paulus: vt morte intercedẽte daret teſtamentum: quia *vbicunq; fit teſtamentũ in* humanis legibus: *neceſſe eſt* vt *intercedat*.i. inter diſpoſitionem teſtamenti & completionem media veniat *mors teſtatoris*.i.teſtamentum facientis. Ideò neceſſe eſt mortem teſtatoris interuenire: *quia* omne *teſtamentum confirmatum eſt in mortuis* teſtatoribus .i. per mortẽ eorum qui teſtamenta diſponunt. *Alioquin*.i. ſi aliter ſit quod mors teſtatoris nõ interueniat: *nondum valet* diſpoſitum teſtamentum, *dũ* .i.quamdiu *viuit* il-
B le *qui teſtatus eſt*. Si enim teſtator mortem euadit, iterum ſi placet teſtamentũ mutabit. *Vnde* quia omne teſtamentum ſanguine & morte cõfirmatur. *Primum quidem teſtamentũ non eſt dedicatum*.i.confirmatum *ſine ſanguine*. Vtiq; non eſt dedicatum ſine ſanguine: *lecto enim omni mandato legis:* omni ideo: quia ſi quædam dimitteret: videretur dimiſſa reprobare: & tantummodo lecta confirmare. Lecto, inquam, omni mãdato *à Moyſe*: idem.n. Moyſes legit, vniuerſo po-
C pulo audiente. Tũc Moyſes poſtquã legerat, *accipiens ſanguinem vitulorũ & hircorum cum aqua* mixtum: accepta etiam *coccinea lana & hyſopo* de quibus fit aſperſorium: *ipſum* etiã *librum, & omnem populum aſperſit* ſanguine, *dicens* ita: *Hic ſanguis* de quo vos aſpergo eſt *teſtamenti*.i. ad confirmandum teſtamentum *quod Deus mandauit ad vos*. Sicut librum, ſic etiã *tabernaculum et omnia vaſa miniſterij* ſimiliter *aſperſit* de eodem *ſanguine*. *Et*
D *omnia pœnè*, ait Paulus, *ſecundùm* veterem *legem mundãtur in ſanguine: &* quicquid de aliis ſit remiſſio *peccati non fit* in veteri lege *ſine effuſione ſanguinis* .i. nullum peccatum remittebatur, niſi quodlibet animal in ſacrificium occideretur. Similiter Chriſtus, qui ꝑ Moyſen ſignificatur lecto omni mandato nouæ legis ſuæ in cęna, vniuerſo populo diſcipulorũ audiente: poſtquam omnia legit: Ieſus accipiens ſanguinẽ vitulorum & hircorum.i propriũ ſanguinẽ: qui Chriſtus dicitur vitulus propter virtutem

crucis:

crucis: cuius cornibus impios ventilauit. Qui etiam Chriſtus dictus eſt hircus, propter ſimilitudinem carnis peccati, & quia hoſtia pro peccato fuit, dum peccata noſtra ſuper lignū portauit. Accipiens, inquā, Chriſtus ſanguinē ſuum cum aqua egreſſum de latere ſuo in cruce: per aquam ſanctificans baptiſma, precio ſanguinis redimens nos à peccatis: accipiēs illum cum lana coccinea: qui color igneus eſt & cum hyſopo. Lana enim ſignificat charitatem Chriſti, quod coccinea fuit ſimilis igni feruorem dilectionis Chriſti: Hyſopus autem qui valet ad depellendum tumorem pulmonis, humilitatē Chriſti, qui per feruorē dilectionis & humilitatem pro redemptione noſtra ſanguinem ſuum effudit. Ipſum etiā librum, id eſt, Euangelium ſuū quod intercedente morte confirmauit, & omnem populum fidelium aſperſit, id eſt, ſanctificauit ſanguine ſuo dicens. Hic eſt ſanguis noui teſtamenti affirmator, quod teſtamentum Deus mandauit ad vos. Hic Moyſes multū fideliter probauit, dicens eadem verba quæ Chriſtus, cum poſt cœnā calicem ſui ſanguinis tradidit dicēs. Hic calix noui teſtamenti eſt in meo ſanguine. Aſperſit librum, aſperſit etiam tabernaculū ſimiliter ſanguine. Ea dem allegoria accipitur per tabernaculum, ſcilicet, Eccleſiā Chriſti ſanguine eius redemptam, quę ſupra per omnem populum accipiebatur. Aſperſit etiam omnia vaſa miniſterij, quia Chriſtus doctores Eccleſiæ in quibus cōtinentur miniſteria ſua, & ſanguine redemit, & redemptis ſpiritum ſapientiæ & ſcientiæ tribuit, & omnia ſecundùm legem Chriſti mūdantur in ſanguine eius. Illud pœne nihil habet in allegoria. Et ſine effuſione ſanguinis Chriſti non fit remiſſio cuiuslibet peccati. Et quia omnia oportet mundari in ſanguine, & ſine effuſione ſanguinis nulla fit remiſſio. *Ergo neceſſe eſt exēplaria quidem cæleſtium* .i. legalia quæ ſunt figura ſpiritaliū, *mundari* his ſupra dictis, ſcilicet vitulorum & hircorum. Ex-

Lana charitatem Chriſti ſignificat Hyſopus Chriſti humilitatem notat.

A emplaria verorum neceſſe fuit mundari *his hoſtiis, ſed ipſa cæleſtia*, cui⁹ hęc erant figura neceſſe fuit mundari *melioribus hoſtiis* quam iſtis prædictis, hirco & vitulo. Et verè melior hoſtia fuit qua mundata ſunt cæleſtia: nam Ieſus, & vere iſta ſunt cæleſtia, nam non manu facta, &c. Quod ita ait: *Ieſus introiit non* manens *in ſanctis manufactis*, quæ manu facta ſancta quidem fuêre *exemplaria verorum*, ſed introiit *in ipſum cœlum*. Ad hoc introijt, *vt nunc* poſtquam oſtenſum eſt, inutilia eſſe manu facta ſancta *appareat vultui*, id eſt, beneplaci-
B to *Dei pro nobis* in cœlum ſecum introducendis. Introiit quidem in cælum, ſed neque ita introiit, vt ſæpe inde reuertens iterum offerat ſemetipſum quaſi non omnibus, & omni tempore ſufficiat ſacrificium ſuum ſemel oblatum. *Nō vt ſæpe offerat quēadmodum pōtifex* legalis per ſingulos annos quia non ſufficit: ſacrificium ſuum iterans *intrat in ſancta* ſanctorum: non in ſuo ſicut Chriſtus, ſed *in*
C *alieno ſanguine*. Quare, quia alienus ſanguis eſt, iuſtificare non poteſt. In hoc & ſacrificium ſuum ſufficiens, & legale inſufficiens oſtendit. *Alioquin* .i. ſi aliter vis dicere, vt Chriſtus ſæpe debeat ſe offerre, tūnc proculdubio (ſi ita eſt) *oportebat eum frequenter pati*, incipiēdo *ab origine mundi*. Si enim illis tantum qui in tempore ſuo fuerunt, paſſio eius profuit, & ſingulis futuris ætatibus oporteat eum iterato pati: tunc vtique neceſſe erat vt inci-
D piendo à diebus Abel ſingulis ætatibus, ſingulas cruces portaret, vel Abraham & cęteri ſancti non erunt redempti. Sic quidem oporteret. *Sed nunc* poſtquam oſtenſum eſt tantum inconueniens inde conſequi, dicendū eſt quod *ſemel* Chriſtus apparuit *in conſumatione ſæculorum*. Tempus Chriſti dicitur conſummatio: quia Chriſtus quicquid prædictum de eo fuerat, conſummauit. Et cum ante in nullo fuerit cōſummatio .i. vera perfectio: ipſe omnium perfectionem attulit. *Apparuit*, inquam, *ad deſtitutionem* .i. ad deſtructionem *per hoſtiā*,

Tempus Chriſti dicitur conſummatio.

non

non alienam, ſed *ſuam*. Quia plenè peccatum deſtruxit non oportet iterum Chriſtum pati: ideò etiam non debet altera vice mori: quia cæteri homines ſemel tantùm moriuntur. *Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus mori ſemel: poſt hoc autem* quod mortui ſunt, reſtat de illis *iudicium. Sic & Chriſtus ſemel* quidem *oblatus Deo* per mortem *ad exhauriẽda*.i.euacuanda *peccata multorum*. In hoc quidem quod ſemel mortuus eſt ſimilis eſt homini: ſed in hoc quod homo moritur, iudicetur Chriſtus, vt iudicet diſſimilis. Quia ita ait. *Secundo* aduentu veniens ad iudicium *apparebit* Chriſtus *ſine peccato*.i. non in ſimilitudine carnis peccati: ſed glorificatæ per claritatem immortalitatis & impaſſibilitatis. Vel apparebit ſine peccato.i. non veniens vt ſicut prius iterum fiat hoſtia pro peccato. Apparebit vtique in ſalutem: non impijs, ſed *expectantibus ſe in iuſtitia* & timore.

CAP. X.

s.diſt. ſancta Romana §. quibus & pauc.

V MBRAM *enim habens lex futurorum bonorum: non ipſam imaginem rerum, per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtijs quas offerunt indeſinenter, nũquam poteſt accedentes perfectos facere. Alioquin ceſſaſſent offerri: ideò quod nullam haberent vltra conſcientiã peccati cultores ſemèl mundati. Sed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit. Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideò ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi. Holocauſtomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi. Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. Superius dicens, quia hoſtias & oblationes & holocauſtomata & pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi quæ ſecundum legem offeruntur. Tunc dixi, ecce venio vt faciam Deus voluntatem tuam: aufert primum, vt ſequẽs ſtatuat. In qua voluntate ſanctificati ſumus per* [Pſal 39. 7.]

A *oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel. Et omnis quidem ſacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerẽs hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata. Hic autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei: de cætero expectans donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius. Vna enim oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos. Conteſtatur autem nos * & Spiritus ſanctus. Poſtquam enim dixit. Hoc autem teſtamentum quod teſtabor ad illos poſt dies illos dicit Dominus: dando * leges meas* [* nobis. Hier. 31. 31.] [* dabo.]

B *in cordibus eorum: & in mentibus eorũ ſuperſcribam eas, & peccatorum & iniquitatum eorum iam nõ recordabor amplius. Vbi autem horum remiſſio iam nõ eſt oblatio pro peccato. Habentes itaque fratres fiduciam: in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen .i. carnem ſuam: & ſacerdotem magnum ſuper domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine, fidei aſperſi corda à conſcientia mala: & abluti corpus aqua munda, teneamus ſpei noſtræ*

C *confeſſionem indeclinabilem. Fidelis enim eſt qui repromiſit. Et conſideremus inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum: non deſerentes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam: ſed conſolãtes & tantò magis, quantò videritis appropinquantem diem. Voluntariè enim enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia: terribilis autem quædam expectatio iudicij & ignis æmulatio, quæ cõ-*

D *ſumptura eſt aduerſarios. Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinẽ teſtamenti pollutum duxerit: in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit. Mihi vindictam, & ego retribuam. Et iterum. Quia iudicabit Dominus populum ſuum: Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Rememoramini autem priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamen* [Deut. 17. 6. Mat. 18. 16. 2. Cor. 13. 1. 2. q. 4. §. 1. & ca. placuit.] [Deut. 32. 35 Rom. 12. 19.]

ſuſti-

ſuſtinuiſtis paſsionum: & in altero quidem opprobrijs & tribulationibus ſpectaculum facti, in altero autem ſocij taliter conuerſantium effecti. Nam & vinctis compaſsi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis; cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam. Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Patiētia enim vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem. Adhuc.n. modicum aliquantulumque, qui venturus eſt veniet, & non
Abac. 2. 4. *tardabit. Iuſtus autem meus ex fide viuit. Quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ. Nos autem non ſimus ſubtractionis filij in perditionem, ſed fidei in acquiſitionem animæ.*

CHriſtus ideo oblatus eſt ad exhaurienda peccata: quia lex nō poteſt facere perfectos, ſcilicet nō exhaurire peccata. Et quare lex non poſſit facere perfectos præmittit, dicens. *Lex habens vmbram futurorum bonorum* .i. futuræ iuſtitiæ in præſenti ecclesia, & ſaluationis in futura. Ita
Imago & vmbra. habens vmbrā, quod *nec ipſam imaginem rerū:* quod nec habet in ſe aliquā partem veritatis. Imago.n. ſaltem figuras membrorum ſingulas oſtēdit, vmbra autē confusè omnia commiſcet. Lex, inquā, habens vmbram eiſdē ipſis hoſtiis quæ ſemper idem .i. imperfectè erant: *quas hoſtias offerunt per ſingulos annos:* & hoc *indeſinenter*, .i. vel ſingulis menſibus, vel ſingulis hebdomadibus. Lex, inquam, eiſdem hoſtiis totiens repetitis, *nunquam poteſt facere perfectos accedentes ad ſe.* Quod non faciat perfectos, probat per hoc: quia ſi modo immolaſſent pro aliquo peccato, & ſecūdum legē abſoluerentur ab illo: ſi iterū peccarēt: & pro nouo peccato iterū immolarent, faciebat ſacerdos memoriam prioris peccati, pro quo iā immolauerat: oſtēdens imperfectionē ſacrificij illius: per ꝙ ſi iuſtificatus eſſet, fruſtra vetus peccatum recapitularet. Quod ita ait: *Alioquin*.i. ſi hoſtiæ legis perfectos facerēt, proculdubio *ceſſaſ-*

A *ſent* illæ *hoſtiæ* pro prçteritis peccatis. Ideoq; cultores ſacrificiorum ſemel immolata hoſtia, mundati, *non vltra haberent* vllā *conſcientiā* præteriti *peccati.* Ceſſaſſent quidē offerre: ſed hoſtiæ pro præteritis nō ceſſarent offerri: *in ipſis* enim hoſtiis pro recentibus culpis *per ſingulos annos* oblatis *fit cōmemoratio* præteritorum *peccatorum.* igitur hoſtiæ illæ perfectos facere nō poſſunt. Et neceſſe eſt vt per ſingulos fiat commemoratio præteritorum: *quia impoſſibile eſt auferri peccata ſanguine hircorum et taurorum.* Ideo quia
B per ſanguinem taurorum & hircorū auferri nequeunt peccata: *propterea ingrediens mundum*.i. Propheta inducens filium Dei mundum ingredientem per aſſumptionē carnis, dicit in voce filij ad patrem. O Domine pater tu *noluiſti hoſtiā & oblationē* ſecundū legalem traditionem. Hoſtias de animalibus: oblationem de panibus & luminariis dicit: Illa quidem noluiſti *ſed aptaſti*, id eſt, aptare mihi voluiſti *corpus*, vt de corpore meo hoſtia tibi fieret beneplacens & munda. Corpus
C Chriſti aptum fuiſſe dicitur: quia & immune à peccato, & paſſibile, & mortale fuit. Niſi enim ſine peccato eſſet, hoſtia munda eſſe non poſſet. Si autem impaſſibile & immortale fieret, mortem non deſtrueret, quā immortalis mortem guſtare nō poſſet. Sed quia & immunis à peccato, & impaſſibilis, & immortalis fuit: ideo cōgrue ait, corpus aptaſti mihi: hoſtiam & oblationem noluiſti: *holocauſtomata etiam*.i. ſacrificium totum incē-
D ſum, & *pro peccato*, id eſt, hoſtia quæ vocabatur peccatum vel pro peccato. Hæc, inquam, *non placuerunt tibi:* & *tunc* poſtquam vidi hoc diſplicere tibi: vt mūda & placens hoſtia offerretur tibi: *dixi*, id eſt, deliberaui apud me hoc: *ecce* opportunè *venio:* quia nunc reprobatis illis legalibus, hoſtia noua ero & beneplacēs Deo. Venio ad hoc, *vt faciam voluntatem tuā*, id eſt, vt pro modo voluntatis tuæ offeram tibi meipſum ſacrificium nouum, in odorem ſuauitatis. Quod ita cōſtruere debeamus, Venio vt faciā:

Hoſtia & oblationes differunt.

idem docet in ſequentibus. Faciā voluntatem tuam: ſic.n. *ſcriptum eſt de me in capite libri.* Liber dicitur Chriſtus homo, qui in exemplum iuſtitiæ expoſitus eſt omnibus. Caput libri dicitur diuinitas habitans in Chriſto, q regit eum in omni perfectione. Vel in capite libri .i. in principio Geneſis vel Pſalterij Scriptum eſt in lege Domini voluntas eius, &c. Præmiſſa authoritas quomodo intelligenda ſit, Paulus exponit: ita Propheta in voce filii, dicens ſuperius ad reſpectum ſuperioris partis, ait *ſuperius.* Dicens, inquam, hoc: *quia*.i. quod tu pater *noluiſti oblationes et holocauſta & pro peccato,* id eſt, *non poſtulaſti* hæc ab eis vt fierent tibi: nec (etiam ſi faciunt iniuſſi) non ſunt placita tibi. Diceret aliquis fortaſſe, ideo non placent, quia non fiunt ordinabiliter ſecūdum legem. Ad hoc remouendum ait. *Non ſunt placita tibi ea q̄ offeruntur ſecundū legem*.i. licet fiant ſecundum legis inſtitutionem tūc reprobatis legalibus hoſtiis dixi: ecce venio vt faciam voluntatem tuā ô Deus. Hæc, inquam, dicens. In his verbis *aufert primum teſtamentum,* ita *vt ſtatuat* .i. perpetuo durandum ſtabiliat *ſequens*, nouum .ſ. teſtamentum: *in qua voluntate*.i. in quo nouo teſtamento ex voluntate Dei conſtituto, nos *ſumus ſanctificati,* poſitione virtutum poſt emundationem malorum. Sanctificati dico, *per oblationem corporis Chriſti Ieſu* .i. per corpus Chriſti oblatum *ſemel:* in qua ſemel facta oblatione ſufficiens fuit ad purgationem omnium macularum. ¶ Opponeret aliquis: ſacrificium pontificis ideo inſufficiēs erat, quia ſemel tātum in anno fiebat: ſed quotidiana ſacrificia proderāt ad auferenda peccata. Ad hoc remouendum ait. Sicut pontifex ſemel facto ſacrificio auferre peccata non poterat, ſic etiam omnis quidem legalis ſacerdos *quotidie miniſtrās præſto eſt:* & ipſe ſæpe repetendo referens eaſdem hoſtias heri hircum, hodie iterum hircum: quia ſicut non heri, ſic nec hodie proderat: offerēs, inquam, eaſdem hoſtias, quæ hoſtiæ nūquam

Liber dicitur Chriſt° Caput libri dicitur diuinitas in Chriſto habitans.

Obiectio.

Reſponſio.

Obiectio.

Reſponſio.

A poſſunt auferre peccata. Pontifex ſeu *quilibet ſacerdos* legalis repetens hoſtias, peccata nequit auferre: ſed hic pontifex Chriſtus *offerēs hoſtiam* non repetitam: ſed *vnam* ſolam *pro peccatis* omnium, *ſedet*, id eſt, quieſcit & regnat poſitus *in dextera*, id eſt, in æqualitate Dei patris ſeſſurus ibi *in ſempiternum.* Nec reuerſurus vt iterum offerat, quaſi hoſtia eius fuerit inſufficiens: ſed *de cætero*, id eſt, de futuro *expectans* ibi in dextera Dei *donec inimici eius ponantur ſcabellum*

B *pedum eius*, id eſt, omni modo ſubiectionis ſubiiciantur ei, quod futurum eſt in die iudicij. Offerens hoſtiā vnam: ideo vnam, *quia vna* ſola *oblatione ſanctificauit*, & *ſanctificatos* virtutum perfectione *conſummauit:* permanſuros *in ſempiternum.* Nos quidem dicimus Chriſtum vna oblatione ſanctificatos conſummaſſe. In hoc autem *conteſtatur*, id eſt, confirmat *nos*: idem nobiſcum affirmans etiam *Spiritus ſanctus: quia poſtquam dixit* in Hieremia. *Hoc autem eſt teſta-*

C *mentum quod teſtabor ad illos: & hoc dicit Dominus: poſt dies illos dabo leges meas in cordibus eorum, & ſuperſcribam eas in monte eorum.* Poſtquam hoc dixit, adiunxit Spiritus ſanctus: & iam *amplius non recordabor peccatorum,* iniquitatum *eorū.* In his autem verbis conteſtatur Spiritus ſanctus vnam oblationem conſummaſſe ſanctificatos: quia *vbi eſt peccatorū remiſſio, iam non eſt* neceſſaria *oblatio pro peccato.* ¶ Poſtquam per pontificium Chriſti, ſufficienter vetus pontificium deſtruxit: & vetera ſacrificia

D reprobata, & in ſacrificio Chriſti ſemel oblato, omnem iuſtificationem conſiſtere perhibuit: faciens finem de huiuſmodi, tranſit ad inſtructionem moralem: adhortans eos in primis, vt puro corde integritatem fidei teneant: & ſi incumbat perſequi, audacter confiteantur, gaudentes pati pro Chriſto; & ſic in fide, & confeſſione firmam ſpem habeant. Vnde ſic ait. Quia pontifex Chriſtus ſemel offerens ſanctificat veteres: nec quotidianis ſacrificiis

prodeſſe

prodeſſe poſſunt. *Itaq; fratres* nos *habentes fiduciam in introitu*.i. de introitu *ſanctorum* .ſ. quod nos ſancta ſanctorum vere introibimus: habentes, dico, fiduciā *in ſanguine Chriſti:* quē ſemel offerens pro noſtra emūdatione fudit: quā viam.i. introitū ſanctorum *viā* dico *nouā*.i. nouiter in Chriſto reſeratam (nemo etiā ante Chriſtum ambulauit hāc viā *quam initiauit nobis Chriſtus.*) Viam nouam *& viuentē*.i. perdurantem in ęternū. Initiauit dico *per velamen* .i. per ſignificatum illius velaminis, quod duo tabernacula diuidebat .i. per *carnē ſuā*. Velamē.n. illud quod ſancta ſanctorum occultabat: carnem Chriſti, quę deitatem ſibi vnitam velabat, præfigurabat. Vnde expirante Chriſto in cruce cōſummatis omnibus, ſciſſum eſt velum templi, ſignificās apertam eſſe viam in Chriſto intrandi in ſancta ſanctorum. Vel ita initiauit nobis viam per velamen .i. per carnem ſuam: cuius carnem & ſanguinem in acceſſu mortis accipimus viaticum ad patriam. Carnem dico & ſanguinem ſpecie panis velatam. Initiauit nobis per carnem ſuam: & per ſe *ſacerdotem* quotidie patrem pro nobis interpellātem. Sacerdotem dico *magnum* ad comparationem legalium. Magnum dico *cōſtitutum ſuper domū Dei*.i. præſentem & futuram eccleſiā. Nos, inquam, fratres habentes talem fiduciam *accedamus*.i. approximemus ad Dominū *cum vero corde* .i. cum recta intelligentia *in plenitudine fidei*.i. habentes fidem: non de quibuſdam tantū, ſed de omnibus credendis plenariam. Accedamus, inquam, *aſperſi corda*.i. habentes mundata corda: nō ſolum à peccato, ſed etiam *à mala cōſcientia:* quod nec cuiuslibet mali conſcientia nos mordeat: *& abluti corpus aqua munda* .i. habentes purificatam carnem baptiſmo mundante nos: *teneamus* opere & corde *confeſſionem:* quod ſi ingruant mala, inde non formidemus ideo cōfiteri Chriſtum. Confeſſionem dico *indeclinabilem*, quod nec in dexteram declinemus, nec ad ſiniſtram: quæ confeſſio

Mat. 26. 51. Mar. 15. 38. Luc. 23. 45.

A eſt cauſa *noſtræ ſpei*. Si enim fidem Chriſti in conſpectu perſecutorum non timuerimus cōfiteri, tunc ꝓ certo ſperare poſſumus futuram gloriā ſanctis. Diceret ille. Quis tamdiu, & tanta tolerando, poſſet ſperare rem fortaſſe nunquam habendā? Ad hoc Paulus. Si audacter confitemini: ſalua ſpes eſt vobis: *quia* Deus *eſt fidelis*, & mentiri non poteſt, *qui repromiſit* confitentibus ſe bona quæ ſperatis. Teneamus confeſſionem *& conſideremus inuicem*.i. alter alterum, non in litigio & detractione: ſed *in prouocatione charitatis & bonorum operum* .i.

B alter exemplo alteri⁹ prouocetur ad dilectionem & ad bene operandum. Nos, dico, *non deſerentes collectionem noſtram* .i. congregationem eccleſiæ: timore vrgētium perſecutorum territi: *ſicut eſt conſuetudinis quibuſdam*, vt ad tempus credant, & in tempore tentationis recedant. Nō deſerentes: *ſed conſolantes* collectionem Eccleſię: *tantò magis* laborantes in hoc, *quantò amplius videritis appropinquantem* diē

Luc. 8. 13.

C mortis. Vel ita prouocemus fratres ad charitatem, non deſerentes collectionem noſtrā .i. ſi peccauerint fratres, non ideo ſuperbe indignātes ſeparemur ab eis: ſicut eſt conſuetudinis quibuſdam, vt labenti fratri dedignentur compati: ſed conſolātes noſtram collectionem, & tantò magis per compaſſionē reuocate eos à malis, quantò videritis appropinquantē diem retributionis. Malis male, bonis bene. Ideo teneamus fidē & con-

Fratres peccantes non ſunt ſuperbe deſerendi.

D feſſionem non deſerentes collectionem noſtrā. Hæc omnia prædicta ideo faciamus: *quia nobis peccātibus voluntariè*.i. ex voluntate & propria deliberatione in peccato manentibus, *poſt acceptam notitiam veritatis*.i. poſt quā Chriſtum qui eſt ipſa veritas cognouimus, fideq́; ſuſcepimus: ſi volūtas peccādi perdurat in nobis, *iam nō relinquitur:* nihil ꝓderit nobis Chriſtus factus hoſtia pro peccatis delendis. Vel ita iā *non relinquitur*.i. non reſeruatur Chriſtus: vt pro iterum peccantibus, iterum fiat *hoſtia pro peccatis. Sed* hoc relinquitur nobis .ſ. *qua-*

dam terribilis expectatio iudicij futuri: & relinquitur nobis *æmulatio*, id eſt inuidia *ignis:* quæ æmulatio *conſumptura eſt aduerſarios* veritatis. Probat à maiori puniendos eſſe peccantes in Chriſtum dicens. Verè qui voluntariè peccat, in veritate punietur. *Nã aliquis* præuaricando *faciens irritam legem Moyſi*, quæ non erat niſi vmbra veritatis, *moritur ſine vlla miſeratione* conuictus de peccato *ſub duobus vel tribus teſtibus.* Et ſi præuaricans in lege Moyſi moritur, *quantò magis putatis* eum *mereri deteriora ſupplicia, qui conculcauerit filium Dei?* Ille conculcabilem & nimis vilem intelligit filium Dei, qui ad remittenda peccata eum impotentem dicit, niſi adiungatur circuncisio: *& qui duxerit* .i. intellexerit *ſanguinem teſtamenti* eſſe *pollutum* .i. ſanguinem Chriſti, quo confirmatum eſt teſtamentum nouum.

Sanguinem Chriſti dicunt aliqui eſſe pollutũ.

Sanguinem Chriſti dicit ille pollutum, qui in eo dicit non poſſe mundari omne delictum. Si enim Chriſtus munda hoſtia fuit: etiã ab omni culpa mundare potuit: quod ſi mundare non potuit, ſequitur vt polluta hoſtia fuerit: *in quo* ſanguine *ſanctificatus eſt* quicunque baptizatus. Ille etiam deteriora meretur qui *fecerit contumeliam Spiritui ſancto.* Qui aliunde quam per ſpiritũ dicit peccata remitti, in ſpiritum cõtumelioſè agit. *Spiritui* dico *gratiæ* qui gratis datur, & gratis peccata remittit.

Obiectio.

Diceret ille. Licet lex Moyſi quæ ſine miſericordia erat, damnaret præuaricatores ſuos, Chriſtus tamen qui miſericordiam & gratiam attulit, licet peccemus, non tantum

Solutio.

nõ damnabit, ſed indulgebit. Ad hoc remouendum Paulus probat Chriſtũ eſſe iudicem, nec propter miſericordiam deſeruiſſe iudicium dicens. Verè conculcans filium Dei, deteriora patietur. *Nos .n. ſcimus* eum *qui dixit* hoc in Deuteronomio. *Mihi* reſeruate *vindictam:* ſi proximus peccat, mea eſt vltio in proximum, *& ego retribuã eis* in tempore pro modo delicti. Quod ſi peccare in proximum nõ deſerit inultum, quantò magis peccare in ſeipſum? *Et iterum* ſcriptura approbans iudicium Dei ait: *quia iudicabit Dominus populum ſuũ.* Et quia Dominus iudicans reddet vnicuique vindictam peccati, videte ne peccetis ait Paulus. Quia *horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis* .i. quæcunq; vult potentis. ¶ Poſtquam aſperius corripuit illos, nunc rememorando priora bona illorum, blanditur eis, vt quos terrore iudicii concuſſit, quibuſdam blanditiis alliciat, dicẽs. Videte ne incidatis in manus Dei: *ſed rememoramini priſtinos dies, in quibus* vos *illuminati* per fidem, ſtatim accepta fide *ſuſtinuiſtis magnum certamen paſſionum.* Multa enim tunc paſſi eſtis à contribulibus veſtris Suſtinuiſtis vtique paſſiones: *& enim in altero* .i. in vna parte quidem *facti eſtis ſpectaculum* mundo, *opprobrijs* .i. propter opprobria *& tribulationes* illatas vobis. *In altero autem* .i. ex vna parte *effecti eſtis ſocij conuerſantium* taliter, ſicut nos .i. omnium illorum qui in religione fidei conuerſabãtur vobiſcum. Verè ſocij. *Nam & vos compaſſi eſtis vinctis:* miniſtrando eis in vinculis neceſſaria de bonis veſtris: & opprobria & tribulationes paſſi eſtis. Vos enim *ſuſcepiſtis cum gaudio rapinam bonorum veſtrorum, cognoſcentes vos habere* in cœlis *ſubſtantiam meliorem:* quia ſpiritalem *& permanentem.* Et quando quidem tales in principio fidei fuiſtis, *itaque nolite* degenerando *amittere confidentiam, veſtram*, id eſt, bona opera, per quæ licet confidere: *quæ* confidentia ſi perſeuerat, *magnam habet remunerationem.* Dicerent illi: difficile eſt tot vexationes, & tamdiu pati. Ad hoc Paulus. Nolite patientiam amittere, ſed eſtote longanimes in patiendo: *quia patientia* longanimis *eſt vobis neceſſaria: vt* patiendo *facientes voluntatem Dei, reportetis promiſſionem*, id eſt, promiſſam gloriam. Nec ſemper oportebit pati: *quia adhuc modicum* quidem temporis *& aliquantulum* paſſionis: ſed leue & momentaneum reſtat. *Et* poſt hoc *veniet* vobis ille *qui venturus eſt.* Et poſtquam venerit:

non

A *non tardabit* .i. non tarde dabit vobis gloriam, quam promiſit: martyribus non tardatur gloria, ſed ſtatim exeũtibus de mundo datur. His autem qui in pace Eccleſiæ quieſcunt tardare videtur: propterea quia de quibuſdam quę illicitè contraxerunt, neceſſe eſt prius pœnitentiam agere. Qui venturus eſt veniet & non tardabit: & interim dum venit: vos iuſti ex fide viuetis: quia dixit Deus per Prophetam: *iuſtus meus ex fide viuit. Si verò* iuſtus *ſubtraxerit ſe* à fide, *non placebit animæ*.i. voluntati *meæ*. Dico
B ſi ſubtraxerit ſe: *ſed nos non ſumus filij ſubtractionis*, ituri ſic *in perditionẽ: ſed* ſumus *fidei in acquiſitionem* .i. ad hoc vt per fidem acquiramus ſalutem *animæ* noſtræ.

CAP. XI.

EST *autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. In hac enim teſtimonium con-*
C
Gen.1.13. *ſecuti ſunt ſenes. Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, vt ex inuiſi-*
Gen.4.4. *bilibus viſibilia fierent. Fide plurimam hoſtiam Abel quam Cayn obtulit Deo: per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe iuſtus: teſtimonium perhibente muneribus eius Deo: & per illam defunctus*
Gen.5.24. *adhuc loquitur. Fide Enoch tranſlatus*
Sap.4.8. *eſt, ne videret mortem, & non inuenie-*
Eccl.44.17 *batur: quia tranſtulit illum Deus. Ante tranſlationem enim eius teſtimonium habuit placuiſſe Deo. Sine fide au-*
D
tem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.
Gen.6.13. *Fide Noe reſponſo accepto de his quæ ad-*
Eccl.44.17: *huc non videbantur: metuens aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnauit mundum: & iuſtitiæ quæ per*
* factus. *fidẽ eſt, hæres eſt inſtitutus *. Fide qui*
32.q.4.quæ ignoret. *vocatur Abrahã, obediuit in locum exi-*
Geneſ.12. & 13. *re, quem accepturus erat in hæreditatem: & exijt, neſciens quo iret. Fide de-*
Gen.12.4. *moratus eſt in terra repromiſſionis, tan-*
Gen.13.1. *quam in aliena: in caſulis habitãdo cum*

A *Iſaac & Iacob, cohæredibus repromiſſionis eiuſdem. Expectabat enim fundamẽta habentem ciuitatem: cuius artifex & conditor Deus. Fide & ipſa Sara ſte-* Gen.21.3.
rilis virtutem in cõceptione ſeminis accepit: etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit eſſe eũ qui repromiſerat. Propter quod & ab vno orti ſunt: & hoc emortuo, tanquam ſidera cœli in multitudine: & ſicut arena quæ eſt ad oram maris innumerabilis. Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus: ſed à longe eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes: quia
B
peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram. Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere. Et ſi quidem illius meminiſſent, de qua exierunt: habebant vtique tempus reuertendi. Nunc autem 23.q.4.ſi eccleſia.
meliorem appetunt, id eſt, cæleſtem. Ideò non confunditur Deus, vocari Deus eorum. Parauit enim illis ciuitatem. Fide Gen.22.10.
obtulit Abraham Iſaac cum tentaretur: Eccl.44.21
& vnigenitum offerebat in quo ſuſceperat repromiſſiones: ad quem dictum eſt: quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen: arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare po-* * cogitans.
C
tens eſt Deus. Vnde eum & in parabolam accepit. Fide & de futuris benedi- Gen.27.27.
xit Iſaac Iacob & Eſau. Fide Iacob mo- & 48.15. & 49.31.
riens ſingulos filiorum Ioſeph benedi- Gen.50.24.
xit, & adorauit faſtigium virgæ eius. Fide Ioſeph moriens de profectione filiorum Iſrael memoratus eſt: & de oſſibus ſuis mandauit. Fide Moyſes natus oc- Exod.2.2.
cultatus eſt menſibus tribus à parentibus ſuis, eò quod vidiſſent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum. Fide Moyſes grandis factus, ne- Exod.2.16.
D
gauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem: maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum, improperium Chriſti. Aſpiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Aegyptum, non veritus animoſitatem regis. Inuiſibilem enim tanquam videns ſuſtinuit. Fide ce- Exod.12.12
*lebrauit paſcha, & ſanguinis effuſionem: ne qui vaſtabat * primitiua,* * vaſtaret.
tangeret eos. Fide tranſierunt mare rubrum, tanquam per aridam terram: quod experti Aegyptij deuorati ſunt. Exo.14.22.

Ioſ.6 22. Ioſue 2.1. *Fide muri Hierico corruerunt, circumitu dierum ſeptem. Fide Raab meretrix non perijt cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barach, Sampſon, Iepte, Dauid, Samuel, & Prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. Obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis. Effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello. Caſtra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos. Alij autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent reſurrectionem. Alij vero ludibria & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis: egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus. In ſolitudinibus errantes: in montibus & ſpeluncis, & in cauernis terræ. Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem: Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur.*

(Marginal notes: 16. di. naſc. ibi. ſept.)

QVIA de fide ſermonem incepit, dicens: Nos ſumus filij fidei &c. ſubiungit quaſi diffinitionem fidei: quæ tamen non eſt diffinitio, ſed fidei commendatio. Ad cuius fidei commẽdationem diu immorando, multa veterum exempla ſupponet. Ait autem. Nos ſumus filij fidei. *Fides autem eſt ſubſtantia* .i. exiſtentia & acquiſitio *rerum ſperandarum* .i. futurorum bonorum: quæ ſingulariter & præcipue ſperanda ſunt. Fides, inquam, ſic eſt ſubſtantia futurorum bonorum: quia nec ſine fide in quolibet ſubſiſtunt, nec niſi per fidem acquiruntur. Vel ita dicamus. Fides in præſenti habita eſt in futuro ſubſtantia rerum, id eſt, bonorum cœleſtium. Merito enim hic habitæ fidei tunc ſubſiſtunt bona illa in eo, qui fidem in hoc mundo habuit: rerum dico nunc per fidem ſperandarum. (Fides quid.)

A Fides etiam eſt *argumentum*, id eſt, approbatio rerum *non apparentium*.i. bonorum: quæ (dum in hoc mundo manemus) videre non poſſumus. Si quis enim cõſiderat Abraham, quomodo merito fidei poſſedit gloriam, idem de ſe poteſt ſperare, quod ſi per fidem imitabitur Abraham, ſicut ille: quam non vidit, per fidem poſſidebit gloriam. Dico fides eſt ſubſtantia futurorum bonorum & argumẽtum. Propterea ſic commendo fidem: *quia in hac*.i. in fide, *ſenes*.i. antiquiores patres *conſecuti ſunt* bonum (Senes.)
B *teſtimonium*. Senes dicit non ætate, ſed temporis præceſſione. Abel enim & ſi iunior annis, ſenior tamẽ quàm Abraham antiquitate præcũtis temporis. Sed opponeret aliquis. Fidem dicis argumentum eſſe rerum, quæ non apparent. Sed quomodo credi poſſunt, quæ videri nequeũt? Ad hoc Paulus. Fides vtiq; argumentum eſt rerum non apparentium. Nam *fide*.i. per fidem *intelligimus ſecula aptata*, id eſt, apte formata eſſe. Aptata dico (Obiectio.) (Reſponſio.)
C *verbo*, id eſt, filio vel imperio Dei, quod idem eſt. Et ſi de ſeculis credimus, quod per verbum Dei formata ſint (quod tamen nemo vidit hominum) credamus ſimiliter per fidem de rebus nondum apparentibus. Secula, inquam, credimus aptata verbo Dei, ita *vt fierent viſibilia*.i. res viſibiles *ex inuiſibilibus:* quando enim chaos erat ſicut ſcriptum eſt. Tenebræ erant ſuper faciẽ abyſſi. Tenebræ ideo, quia elementa illa videri non (Gen.1.a.)
D poterant: etiã ſi tunc eſſet, qui viſum humanum haberet. Sed poſtquam elementa ſeparata ſunt: & creaturis formatis in quandam ſpiſſitudinem coaleſcendo creuerunt, elementa prius inuiſibilia, iam fuêre viſibilia. Nec mirum ſi videri non poterant, licet res eſſent corporeæ, cùm humorem illum qui eſt in grano ſeminis, vnde culmus & ſpica pullulat: videre nec diſcernere poſſimus, licet in illa maſſa grani contineatur. Vel ita ſunt verbo Dei vt fierent viſibilia ex inuiſibilibus.i. ſecũdum inuiſibilia quæ præceſſerant in conſilio

Dei.

Dei. Prius enim Deus ab æterno in conſilio ſuo omnium creaturarum formas diſpoſuit:& ſecundum quod ſingula in conſilio præordinata fuerant, inuiſibilia adhuc ſecũdum modum illum facta ſunt viſibilia in tẽpore formationis ſingulorum. Verè ſenes cõſecuti ſunt teſtimonium per fidem. *Abel* enim *fide*.i.per fidem *obtulit hoſtiam plurimam* .i. magis acceptabilem Deo, quam fuerit hoſtia Cain. Hoſtia Abel grata Deo fuiſſe cognoſcitur, quia agnus quem obtulit, igne diuino conſumptus ſit. Hoſtia Cain reprobatur:quia non ſuperueniẽte igne manipulus frugũ quem obtulit, integer manſit. *Per quam* fidem Abel iuſtus *cõſecutus eſt teſtimonium* hoc,ſcilicet,*ſe eſſe iuſtum.* Ait enim Chriſtus in Euãgelio. A ſanguine Abel iuſti &c.Moyſes autem iuſtitiam Abel commẽdat, & multi Prophetarum.Conſecutus eſt Abel *teſtimonium Deo perhibenti* teſtimonium *muneribus eius* ſicut præfati ſumus:*& per illam* fidem Abel *defunctus loquitur adhuc:* quia facit nos loquentes de fide eius. *Enoch* etiam *per fidem* quam habuit, *translatus eſt* ad alias patrias: ideò *ne videret mortem: &* translatus *non inueniebatur:quia Deus tranſtulit illũ:* qui ſi ab homine tranſlatus eſſet, facilè inueniretur. Deus ideò tranſtulit eum: *quia ante tranſlationem habebat teſtimonium placuiſſe Deo.* Per fidem ſic iſti placuerũt Deo. *Sine fide autem impoſsibile eſt aliquem placere Deo.* Verè ſine fide nemo placebit Deo.*Nam accedentem*,id eſt,volentem approximare *ad Deum*, *oportet credere,quia* Deus vnus *eſt:&* quia Deus *ſit remunerator inquirentibus ſe.* Si hoc ſolum crederent gẽtiles,quod creator vnus eſſet: & ſingulis pro eorum actibus retribueret, ſatis eſſet illis. *Noë* etiam *accepto reſponſo de his quæ non videbantur adhuc*,id eſt,de diluuio futuro,*metuens* illud diluuium per fidem quam habuit in verbis Domini, *aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ*,id eſt,in qua ſaluaret filios ſuos & filias. *Per quam* fidem: quia ſecũdum verbum Dei futurum credidit dilu-

Hoſtia Abel fuit grata: hoſtia vero Cain ingrata fuit.

Mat.23.35.

Enoch trãſlatus eſt ne mortem videret.

Fides Noë recommendatur.

A uium, *damnauit*, id eſt, damnabilem fecit *mundum.*Dum enim Noë credidit, & homines ſtultum eſſe crediderunt,quod præparabat arcam,in qua ſaluaret domum ſuam: comparatione fidei eius dãnati ſunt. *Et ipſe* Noë *eſt inſtitutus hæres iuſtitiæ eius quæ eſt per fidem.* Nunc ad patres Iudæorum deſcendit,oſtendens in eis & in prioribus omnem iuſtitiam ex fide habuiſſe originem. Ille etiam *qui* merito fidei nunc *vocatur Abraham*, prius dictus Abram per fidem, *obediuit Deo exire de* Vr Chaldæorum *in locum il-*

B *lum quem* merito fidei, *accepturus erat in hæreditatẽ.* Obediuit, inquam, *& exijt* de terra nationis ſuæ,*neſciens quo iret.*Idem Abraham *per fidem moratus eſt in terra repromiſsionis tanquam in aliena: habitando* ibidem *in caſulis*, id eſt, in tentorijs *cum Iſaac & Iacob:* non quòd Iacob eodem tempore quo Abraham fuerit, ſed quia Iacob eandem terram ſicut Abraham habitauit: inquirens cum patribus ſuis non illam ſed veram terram repromiſſionis. Iſaac & Iacob dico, *cohæredibus eiuſdem repromiſsionis:* il-

C lis enim frequenter Deus ſicut Abrahæ repromiſit. Abraham ideò habitabat in caſulis: *quia expectabat ciuitatem habentem fundamenta*, id eſt, ſtabilitatem æternitatis, cœleſtem, ſcilicet, Hieruſalem: *cuius* ciuitatis *Deus eſt artifex*, id eſt, arte ſua diſponens ſibi ſingula:& idem eorum quæ diſponit eſt conditor ipſemet fabricans illa. Abraham habitans in caſulis oſtendebat ſe non curare Hieruſalem terrenam, ſed inquirere cœleſtem. *Ipſa etiam Sara ſterilis*, & nonagenaria *per fidem accepit virtutem in conceptione*, id eſt, concipiendi *ſemi-*

D *nis:* ipſa dico non ſolum ſterilis: ſed *etiam præter tempus ætatis:* quia (ſicut dictum eſt) nonagenaria erat:accepit ideo, *quoniam credidit* Deum *eſſe fidelem*, id eſt, veracem *qui illi promiſerat* ſemen: *propter quod* quia Deum credidit fidelem: Et *ab vno* ventre vel ab vno patre: & hoc vno è mortuo vel ventre, vel patre, *orti ſunt filij tanquam ſidera cœli:* nec ſecundum

Abrahæ fides magna fuit.

Fides Saræ commendatur.

claritatem virtutum comparo ſideribus: ſed eundo *in multitudinem* eorum. Orti ſunt etiam *ſicut arena:* nec iterum ſecundum ſterilitatem tantū arenæ comparo: ſed *quæ eſt innumerabilis*.i. ſecundum innumerabilitatem eorum: quæ arena eſt *ad oram maris*.i.iuxta littus gentilitatis. Multi enim de filijs Abrahæ virtutibus micuerunt, vt ſidera: multi ſteriles & infructuoſi in littus * gentilium ſunt præcipitati. Et *omnes iſti*, Abraham, ſcilicet, Iſaac, & Iacob, *defuncti ſunt:* etiam cum morerentur exiſtentes *iuxta fidem*, id eſt, credentes ſe accepturos promiſſa Dei. Defuncti, inquam, ſunt, *non acceptis repromiſſionibus* in vita: *ſed aſpicientes eas* repromiſſiones futuras *à longe*, id eſt, in diebus Chriſti: & ſalutantes ſicut nautæ patriam, quam à longe videntes, multum deſiderant: *& confitentes* de ſe, *quia* ipſi *ſunt ſuper terram peregrini*, ſemper ad alia tranſeuntes: *& hoſpites*, id eſt, aliunde venientes. Ideò & ſic confitentes: *qui enim dicunt hæc*, ſcilicet, ſe peregrinos eſſe & hoſpites: his verbis *ſignificant ſe veram patriam inquirere.* ¶ Diceret aliquis, inquirebant alienam: quia fortaſſis ad ſuam patriam reuerti non poterant. Ad hoc Paulus, hæc dicebant: *& ſi quidem meminiſſent illius* patriæ, *de qua exierunt*, volentes illuc reuerti: *vtique habebant tempus*, id eſt, opportunitatem *reuertendi.* Sed *nunc* poſtquam illius non meminerant, *appetunt meliorem* patriam, id eſt, *cœleſtem.* Et quia cœleſtem appetunt, *ideò Deus non confunditur*, id eſt, non erubeſcit *vocari Deus eorum*, vt dicatur Deus Abraham, Iſaac, & Iacob. Ideò Deus eorum vocatur, *quia parauit illis* cœleſtem *ciuitatem. Abraham* iterum *per fidem obtulit* Iſaac, *cùm temptaretur:* Deus non temptabat Abraham, quaſi qui fidem eius ignoraret: ſed vt ipſe Abraham & mundus virtutem ſuæ fidei cognoſceret. Et ne putaretur Abraham ideò immolare Iſaac: quia in alio filio implendas expectaret promiſſiones ait.

* al. ritus.

A Et ipſe Abraham *qui ſuſceperat repromiſſiones ad quem dictum eſt: quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen:* ipſe offerebat hunc vnigenitum: *arbitrans quia Deus potens eſt* eum *ſuſcitare à mortuis:* & per eum ſuſcitatum Abrahæ vocari ſemen. *Vnde* quia ita credidit, *accepit eum* filium, & in multiplicationem ſeminis: *& in parabolam*, id eſt, in figuris Chriſti. Aries enim qui inter vepres cornibus hærens repertus eſt: & Iſaac vnum Chriſtum Deum & hominem ſignificabant. Per hoc igitur quod aries

B quidem eſt immolatus, Iſaac vero morti ſubtractus, ſignificatum eſt Chriſtum ſecundum carnem paſſurum: ſecundum diuinitatem verò mortis diſcrimen non eſſe ſenſurum. Aries enim immolatus, carnem Chriſti immolandam: Iſaac verò ſubtractus, diuinitatem Chriſti non lædendam per paſſionem præfigurauit. *Iſaac* etiam *benedixit Iacob:* & Eſau habita fide: & de illis quomodo maior ſeruiret minori: & de futuris quorum typum gerebant: ſcilicet, quomodo primogenitus Iudaicus

C populus primogenita ſua (cultum, ſcilicet, Dei) deſereret: & minor, gentilis ſibi vſurparit. *Iacob* in Aegypto *moriens*, per fidem *benedixit ſingulos filiorum Ioſeph*, ſcilicet, Manaſſem & Ephraim: *& adorauit faſtigium virgæ eius* Ioſeph: qui ſecundus à rege Aegypti ſceptrum gerebat, in ſignum ſuæ dignitatis, adorauit faſtigium virgæ, id eſt, Chriſtum per Ioſeph figuratum: cui virga æquitatis virga eſt regni ſui. *Ioſeph moriens fide*, id eſt, per fidem *memoratus de profectione filiorum Iſrael*, quod profecturi eſſent de Aegypto: & hoc memo-

D rans, *mandauit de oſſibus ſuis*, vt deferrentur ad ſepulturam Abrahæ: confidens & reſurrecturos eſſe cum Chriſto illos, quibus facta erat repromiſſio, ſi corpora eorum inuenirentur in terra repromiſſionis. *Moyſes natus per fidem*: quia crediderunt parentes hunc magnum futurum, *videntes eius elegantiam? ocultatus eſt tribus menſibus à parentibus*

rentibus ſuis, eo quod vidiſſent infantem elegantem: *& non timuerunt edictum regis*, qui omnem maſculum in pueris Hebræorum iuſſerat interfici. *Moyſes* etiam *grandis factus*, *negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis per fidem: eligens magis affligi cum populo Dei, quam habere iucunditatem temporalis peccati: & improperium Christi*, quod in ſe patiente pro Chriſto præfigurabat: *exiſtimans eſſe diuitias maiores omni theſauro Aegyptiorum*. Ideò ſic exiſtimans: *quia aſpiciebat in remunerationem* futuram, non in laborem præſentem vel iucunditatem. Moyſes *per fidem reliquit Aegyptum*, educens inde populum Iudæorum: *non veritus animoſitatem regis Aegyptiorum*. Ideò non veritus: *quia ſuſtinuit inuiſibilem*, id eſt, expectauit Deum, quem videre non poterat, *tanquam* corporaliter eum *videns*, adhibens fidem ſermonibus Dei. Idem Moyſes *celebrauit paſcha* effuſione ſanguinis agni *per fidem*: ideò, *ne qui vaſtabat primogenita* Aegypti *tangeret Iudæos*. Fidem habuit in ſanguine agni quod per virtutem agni innocentiæ (id eſt, Chriſti quem præfigurabat) poſſet ſaluari. Filij Iſraël per *fidem tranſierunt mare rubrum tanquam per aridam terram*. Et ne quis dicat hoc fuiſſe caſum, *quod* ſcilicet, tranſire mare *Aegyptij experti, deuorati ſunt*. *Muri Hierico per fidem corruerunt circuitu ſeptem dierum*. *Raab meretrix excipiens exploratores* Iudæorum *cum pace*, *non perijt cum incredulis*, propter fidem qua credidit quod Deus traderet vrbem in manus Iudæorum. Multa de laude fidei dixi: *& quid adhuc* amplius *dicam? tempus enim* (ſi exequar omnia de fide) *deficiet*, id eſt, deſeret me *enarrantem de Gedeon*, qui vellus in area poſuit, de *Barac*, qui fide populum liberauit, de *Samſon*, qui per fidem multa operatus eſt. De *Iepte*, qui dux populi liberauit populum licet ſtulto voto filiam immolauerit. De his quatuor in libro Iudicum plenius inuenitur: de *Dauid* etiam, qui multa per fidem fecit: & de *Sa-*

A *muele*, *&* alijs *Prophetis*, *qui vicerunt regna*, id eſt, reges ſuperauerunt *per fidem*: qui etiam *operati ſunt iuſtitiam* per fidem: *adepti ſunt repromiſſus beatitudines* per fidem. *Obturauerunt ora leonum* per fidem vt Daniel. *Extinxerunt impetum ignis*, vt tres pueri. *Effugarunt aciem gladij*, vt Iudas Machabæus. *Conualuerunt de infirmitate*, vt Ezechias. *Fortes facti ſunt in bello* complures. *Euerterunt caſtra exterorum*, illis fugatis. *Mulieres acceperunt mortuos ſuos de reſur-*

B *rectione* venientes: vt vidua Sareptana per Heliam filium vnicum: & Sunamitis per Heliſæum. *Alij autem diſtenti ſunt* in eculeis, vt ſeptem Machabæi, *non ſuſcipientes redemptionem*, id eſt, nolentes à tormentis redimi, *vt* merito paſſionum *inuenirent meliorem reſurrectionem*. Quantò enim magis quis patitur, tantò melius coronabitur. *Alij verò ſunt experti ludibria, & verbera, inſuper, & vincula & carceres. Lapidati ſunt: ſecti ſunt*, vt Eſaias.

C *Tentati ſunt*, an timore pœnæ negarent fidem. *Mortui ſunt in occiſione gladij. Circumierunt* fugiendo hac illac *in melotis*. Melota eſt (vt aiunt) veſtimentum de pilis camelorum. *Melota quid.* Vel melus animal eſt, quod dicitur taxo, & à melo melota dicitur. Circumierunt etiam *in pellibus caprinis*, *egentes* temporalibus: *anguſtiati* animo, *afflicti* corpore: *quibus* ſanctis *mundus non erat dignus*, vt tales haberet: vel quibus dignus non erat mundus: ſecunda verba impio-

D rum dicentium: hi tales inquinamentum mundi ſunt, purgetur mundus ab illis. *Errantes in ſolitudinibus* vt Matathias, & qui cum eo erant: & *in montibus*, *& in ſpeluncis*, *& in cauernis terræ*. Speluncæ naturales foueæ ſunt. *Speluca quæ dicuntur.* Cauernæ arte cauatæ. *Et hi omnes probati teſtimonio fidei*, *non acceperunt repromiſſionem*, id eſt, repromiſſam hæreditatem, *Deo prouidente aliquid melius pro nobis*: ſcilicet, *vt* priores ſancti *non conſummarentur* in perfectione iucunditatis *ſine nobis*. Si enim ſine

incar-

incarnato Chriſto acciperent illi æternam beatitudinem, Chriſtus non incarnaretur: quia fruſtra, cum alio modo ſalus exiſteret: & ſic priores ſancti ſaluarentur ſine nobis.

CAP. XII.

Ephes. 4. 4. Coloſ. 3. 8. 1 Pet. 2. 8.

IDeoq́. & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circunſtās nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen: reſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum: qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, atque in dextera ſedis Dei ſedet. Recogitate enim eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes. Nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes: & obliti eſtis conſolationis, quæ vobis tanquam filijs loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini; neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. In diſciplina perſeuerate. Tanquam filijs vobis offert ſe Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quia ſi extra diſciplinā eſtis, cuius participes facti ſunt omnes, ergo adulteri, & nō filij eſtis. Deinde patres quidē carnis noſtræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos. Num multò magis obtemperabimus patri ſpirituum, & viuemus? Et illi quidam in tempore paucorum dierum, ſecundum voluntatem ſuam, erudiebant nos: hic autem ad id quod vtile eſt in recipiendo ſanctificationem eius. Omnis autem diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris: poſtea autē fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ. Propter quod remiſſas manus & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris: vt non claudicans quis erret: magis autem ſanetur. Pacem ſequimini cum omnibus & ſanctimoniam: ſine qua nemo videbit Deum. Contemplantes ne quis deſit gra- A *tiæ Dei: ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. Ne quis fornicator aut prophanus, vt Eſau: qui propter vnā eſcam vendidit primitiua * ſua. Scitote enim quoniam & poſt ea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt. Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eā. Non enim acceſſiſtis ad tractabilem, & acceſſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ ſonum, & vocem verborum: quam qui audierunt, excuſauerunt ſe, ne eis fieret verbū. Non* B *enim portabant quod dicebatur: & ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur. Moyſes dixit. Exterritus ſum & tremebundus. Sed acceſſiſtis ad Sion montem & & ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cœleſtem, & multorum millium angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum, qui cōſcripti ſunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & ſpiritum * iuſtorum perfectorum, & teſtamenti noui mediatorē Ieſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem quā Abel. Videte ne recuſetis loquentem. Si enim illi non* C *effugerūt recuſantes eum, qui ſuper terram loquebatur, multò magis nos qui de cœlis loquentem nobis aduertimus, cuius vox mouit terram tunc: nunc autem repromittit, dicens: Adhuc ſemel, & ego mouebo nō ſolum terram, ſed & cœlum. Quod autem adhuc ſemel dicit: declarat mobilium translationem, tanquam factorum, * vt maneant ea quæ ſunt immobilia. Itaq. regnū immobile ſuſcipientes, habemus * gratiam: per quam ſeruiamus, placentes Deo cum metu & reuerentia. Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt.*

Prou. 3. 11. Apoc. 3. 19. 13 q 4 ca vindicta. — 49 diſt. c. 1 ver. claudus. — Rom. 12. 18. — Gen. 28. 33. — * al. primogenita. — Gen. 27. 38. — Exo. 19. 12. — Exo. 20. 21. — Exod. 19. 13. — * ſpiritus vel ſpirituum. — Aggai 2. 7. — * Facturā. — * Habeamus. — Deu. 4. 24.

D ADductis tot commendationibus fidei, infert ex omnibus: Quādoquidem fides tot teſtimonijs commēdabilis eſt, *ideo* ſicut priores, ita *& nos habentes tantam nubem teſtium*, commendantium fidem impoſitam nobis. Nubem ideò dicit, quia ſicut nubes ab æſtu protegit & pluuia; ſic præfatorum ſanctorum exempla muniunt nos contra irruētia

Exempla ſanctorum muniunt nos contra irruentia mala.

tia

tia mala. Nos etiam ſicut illi *deponentes* per pęnitentiam *omne pondus* peccati quod perpetrauimus: deponentes etiam *peccatum nos circunſtans* vndique .i. omnem prauam ſuggeſtionem *per patientiam curramus*, non reflexi à bono *certamen propoſitum nobis*, non enim ad blanditias vocati ſumus, ſed ad tolerandos labores. Curramus, inquam, imitando *aſpicientes in Ieſum auctorem fidei* noſtræ .i. qui nos conſummabit in gloria ſi fides noſtra perduret integra. *Qui* Ieſus *ſuſtinuit crucem, contempta* non tantum acerbitate, ſed etiam *confuſione* .i. erubeſcentia de ignominioſo genere mortis. Suſtinuit, inquam, *gaudio propoſito ſibi* in gloria merito paſſionis. Vel propoſito ſibi terreno gaudio .i. terrenis facultatibus propoſitis ſibi à crucifixoribus ſuis, ſi vellet ſe diffiteri filium Dei. Atque ideò quia crucem ſuſtinuit, cõfuſionem contempſit, *ſedet in dextera ſedis*, id eſt, in æqualitate ſedentis Dei patris. Curramus propoſitum certamen imitantes Ieſum, qui contempta confuſione ſuſtinuit crucem: eum, inquam, aſpicite crucem in morte ſuſtinentem, *recogitate* etiam *eundem* Ieſum *qui ſuſtinuit contradictionem:* vt ſicut in morte, ſic etiam imitemini eum in patienda contradictione. Quicquid aduerſitatis tulit Ieſus, vſque ad horam paſſionis: ſignificat hic per contradictionem. Vel ſi habetur, enim ita iungatur. Debetis aſpicere Ieſum ſuſtinentem crucem. Nam etiam hoc quod in Chriſto minus eſt, ſcilicet, contradictionem quam ſuſtinuit recogitate, id eſt, frequenter debetis mandare memoriç. Quod ita ait. Recogitate Ieſum qui ſuſtinuit contradictionem talem, id eſt, adeò contemptibilem & difficilem, quodque magis potuit grauare eum, ipſe qui peccatum non nouit, illatam ſibi à peccatoribus ſuſtinuit non aduerſus Petrum, vel quemlibet diſcipulorum: ſed *aduerſus ſemetipſum*. Recogitate, inquam, hanc contradictionem: ad hoc *vt memores* eius *non fatigemini*, id eſt, ne ſitis feſſi patiendo

A aduerſa, vel ſi fatigamini corpore, ne fatigemini in *animis veſtris*, ſed carne infirma ſpiritus tamen prompti ſint. Si enim tanta ſit contradictio, vt fatigentur animi, ſicut idem Paulus de ſe ait. Grauati ſumus ſupra modum, ita vt tædeat nos viuere non tamen deficientes, ſicut nec Paulus defecit, licet fatigatus eſſet animus. Deficerent, ſi timore tribulationum fidem negarent, debetis vtique ſine fatigatione & defectu ſuſtinere, *quia* & ſi *reſtitiſtis*, *nondum* tamen *vſque ad ſanguinem*, id eſt, nondum effuſus eſt ſanguis veſter, quod ſi oportet, pro fide patiendum eſt. Nondum vſque ad effundendum ſanguinem reſtitiſtis, vos tamen *repugnantes aduerſus peccatum*. Ita dicens in altero laudat eos, quia repugnauerunt. In altero oſtendit adhuc poſſe aſcendere, ſcilicet, ad effuſionem ſanguinis. Repugnantes, inquam, aduerſus peccatum ne locum haberet in vobis. Dum enim impijs conſentire renuitis, contra peccatum ſtatis, quibus ſi conſentiretis, peccatum ſtatim locum haberet in vobis. Repugnaſtis olim aduerſus peccatum, *&* nunc quare *obliti eſtis conſolationis*, id eſt, diuinitatis vos in tribulatione conſolantis? *quæ* diuina conſolatio *loquitur nobis* non *tanquam* alienis, ſed tanquam *filijs*, quos fouere intendit dicens in Salomone. O tu *fili mi, noli negligere diſciplinam*; id eſt, perſecutiones & verbera quæ ſunt diſciplina. In his enim homo addiſcit quanta ſit fragilitas ſua, & quam parum viribus ſuis poſſit: niſi præſto ſit gratia Dei. Diſciplinam dico non perſecutorum, ſed *Domini:* ipſi enim nihil poſſunt niſi ex permiſſione Dei, hoc modo purgare filios ſuos volentis. Noli negligere diſciplinam: *neque fatigeris*, id eſt, ne feſſus refugias pati *dum argueris*, id eſt, reus eſſe conuincetis *à Deo* per hanc diſciplinam indulgente tibi. Per hanc etiam diſciplinam, homo & fragilitatem ſuam cognoſcit: & (ſi patienter ſuſtineat) indulgentiam promeretur de peccatis.

2. Cor. 1. 8.

Prou. 3. 4.

B C D

Non

Non debes fatigari dum argueris: *eum enim quem diligit Dominus caſtigat*.i.in caſtitate & continentia vitiorum per diſciplinam agit: illum quē diligit, caſtigat: *omnem autem filium quem recipit*, priuſquam recipiat, *flagellat*. Licet enim peccata dimittat, nulli tamen pœna remittitur: quin vel in hac vita, vel in futura ſoluatur, vel ab ipſo homine ſpontanea volūtate, quod opus acceptius eſt: vel alio ſibi inferēte. Sicut per originale probare poſſumus, quod quidem in baptiſmo dimittitur, pœna tamen eius peccati (mortalitas, ſcilicet, & paſſibilitas) relinquitur. Et quando quidē diſciplina Domini adeò commēdabilis eſt: igitur *perſeuerate in diſciplina* .i. in patientia tribulationum, in qua vtiq; perſeuerare debetis: *Deus enim offert ſe vobis* in tribulationibus adiutorem *tāquam filijs*. Benè dico tanquā filijs: quia *quis* eſt *filius, quem non corripiat pater?* Deus vtique filium non habebit incorrectum. Filius non erit niſi qui corripitur. *Quod ſi* .i. ſi vero vos *eſtis extra diſciplinam*, quod ſubtrahatis vos à diſciplina Domini: *cuius* diſciplinæ *participes facti ſunt omnes* filij Dei. Si, inquam, extra diſciplinam eſtis: *ergo* non eſtis filij legitimi: ſed *eſtis* filij *adulteri*.i. adulterini quibus pater non adhibet pædagogos: quia eos nō curat. Vel eſtis filij adulteri.i.diaboli, adulterātes vos. ¶ Probauit per teſtimonia ſcripturæ, debere eos perſeuerare in diſciplina: nūc rationibus humanæ conſuetudinis idē approbat. Quaſi diceret. Quia in diſciplina perſeuerandum nobis ſit, per auctoritates oſtendi: deinde poſt teſtimonia ſcripturarum, humanæ cōſuetudinis rationes induco, ad idē probandum. Nos *quidē* habuimus *patres* nō animarum, ſed *carnis noſtræ*: lineā enim carnis ab ipſis traximus, & carni noſtræ à carne parentum diriuatæ Deus animā contulit. Hos autem patres *habuimus eruditores, & reuerebamur*: honorem eis exhibendo timebamus *eos*. Reuereri enim eſt, cū timore honorem impēdere. Et ſi patres carnis reuerebamur: *nonne multò*

Originalis peccati pœna per baptiſmum nō tollitur.

Filius non eſt qui non corripitur.

Reuereri quid.

A *magis obtemperabimus patri ſpirituum* i.Deo qui dat animas longè corpore digniores? cui obtēperantes *viuemus* in æternum: quod patres carnis nec ſibi nec nobis conferre queunt? Patri vtiq; ſpirituum magis obtemperandum eſt: quia *illi quidem* patres carnis *in tempore paucorum dierum erudiebāt nos ſecundum voluntatem ſuam*, hic ad grammaticam, ille ad fabrilem artē, plerunq; ad inutilia. *Hic autem* pater ſpirituum, *ad id quod* pro certo *vtile eſt*, erudit nos per diſciplinam *in recipiendo ſanctificationem eius* .i. patien-
B tiā & cæteras virtutes: poſitione quarum ſuos ſanctificat. Quia illi poſſēt obijcere, dicētes. Quis poteſt pati huiuſmodi diſciplinam, in qua ſemper mœror, nūquam gaudium? ipſe idem vt ſoluat obijcit ſibi dicens. Ego quidem commendo vobis patiētiam diſciplinæ: ſed tamen confiteor, quod *omnis diſciplina in præſenti tēpore quidem videtur* his, qui ſuperficiem rei tantum aſpiciūt, *non eſſe gaudij, ſed ſolummodo mœroris*. Mœror enim hic ſemper eſt, nūquam gaudium. Nunc ſolutionem ſubdit: videtur quidem
C in præſenti eſſe mœroris: *ſed poſtea*.i. in futuro *exercitatis per eam* diſciplinam, nō adulterinis extrapoſitis *reddet* Deus *fructum iuſtitiæ*. Fructū dico non ſicut fructus eſt mundi: qui nunquam eſt in tranquillitate, ſed fructū *pacatiſſimum* .i. in omni quiete poſſidendum. *Propter quod*, quia exercitatis per diſciplinam adeò fructuoſa erit iuſtitia ſua: *erigite* ideò *remiſſas manus*.i. operationes charitatis, prius intenſas modo diſſolutas. Erigite etiam *genua ſoluta* .i. fortitudinē prius habitam, nunc timore diſciplinæ re-
D ſolutam. Ideò per genua ſoluta, amiſſionem virtutis ſignificat, quia in genibus prius apparet tremor, ſi fuerint diſſoluta; erectio, ſi fuerint confortata. Erigite genua *& facite pedibus*.i. affectionibus veſtræ fidei, *rectos greſſus*. Primus greſſus fidei eſt, confiteri: deinde ſi neceſſe ſit, pati, ita rectos facite *vt non erret aliquis* veſtrū recedens *à via* fidei: nec ſaltem ſit *claudicans* in via: poſſet enim fidē tenere, ſanè credens,

Obiectio.

Reſponſio.

Greſſus primus fidei & ſecundus.

dens, & claudicare in ea ſi timeret confiteri. Et pro aſſertione fidei non erret aliquis, *ſed magis ſanetur* ab errore, ſi forte erraueſit. Vt autem recti ſint greſſus veſtri, *ſequimini pacem cum omnibus*: etiam cum inimicis, Sequimini etiam *ſanctimoniam*, id eſt, omnem ſanctitatem, *ſine qua* pace & ſanctimonia *nemo videbit Deũ*. Quomodo ſanctimonia ſequenda ſit, inſinuat, dicens. Sequimini ſanctimoniam: *contemplantes ne quis* veſtrûm *deſit gratia Dei:* gratia enim Dei parata eſt vobis, videte ne repellatis eã. Contemplantes etiam *ne aliqua radix*, id eſt, ſuggeſtio peccati. Radix dico *amaritudinis*, licet quidam putent eſſe dulcedinis. Videte inquã ne radix huiuſmodi *impediat* vos, *germinans ſurſum*, id eſt prorumpens in actum peccati. Tunc enim ſuggeſtio ſurſum germinat: cùm quod malè ſuadet, per actum conſummat. Videte ne qua radix ſic vos impediat, *& per illam* ſurſum germinantem, *inquinentur multi:* proniores ad imitationem turpitudinis, quam honeſtatis. Contemplantes etiam *ne quis* veſtrum ſit *fornicator aut prophanus*, cultum Dei deferens: *ſicut* fuit *Eſau*: *qui propter vnam eſcam* lenticularum *vendidit primogenita ſua* fratri ſuo Iacob. De fornicatione Eſau non alibi inuenimus. Vel ſi allegoriæ inſiſtimus: dicamus ita ne ſit quis fornicator in cultu Dei. Fornicatores erant, qui fidei Chriſti neceſſariam eſſe circunciſionem credebant: aut ne quis ſit prophanus, fidem penitus deſerẽs. Ne ſitis ſicut Eſau, putantes vos infructuoſa pęnitentia damnationem euadere: quia *ſcitote hoc* de Eſau, *quod &* ante venditionem: *& poſtea cupiẽs hæreditare benedictionem* primogeniti, *reprobatus eſt:* & ſi non à patre, tamen à Deo. Verè reprobatus, *non enim inuenit locum pœnitentiæ:* pœnituit quidem ſe vendidiſſe primitiua, ſed hæc pœnitentia locum opportunitatis non habuit, *quanquam inquiſiſſet eam* pœnitentiam cum lachrymis. Si enim lachrymaretur confitẽdo peccatum, & puniendo iniquitatem ſuam, locum haberet eius pœnitentia: ſed quia in ipſis lachrymis indignabatur de electione fratris: cogitans interficere fratrem ſi poſſet, ideò locus pœnitentiæ ipſi negatus eſt. Debetis pacem & ſanctimoniam ſequi: Videte ne amaritudinis radix germinet in vobis: &c. quia non acceſſiſtis ad legem importabilem & terribilem eam facienti & inutilem ſicut prior lex, ſed acceſſiſtis ad legẽ multa facilitate iocundam ad gratiam adiutricem ad cæleſtium repromiſſionem. Quod diffuſè ait ſic incipiens: *non acceſſiſtis ad ignem tractabilem & acceſſibilem*. In datione enim veteris legis ignis fuit corporeus, ſi pateretur Deus qui poſſet tractari humanis manibus, & ad quem poſſibile eſſet accedere. *Nec* acceſſiſtis *ad turbinem, & caliginem & procellam.* Turbo enim, id eſt, ventorum commotio ibi fuit, & tenebroſa caligo, & procella. Ventis enim percellentibus ſe inuicem, contuſio erat grandinis. *Nec ad ſonum tubæ, & vocem verborũ.* Clangor enim tubarum & vocalia verba ibidem audita ſunt, *quam* vocem Iudæi *qui audierunt, excuſauerũt ſe*, obtendentes fragilitatem ſuam, *ne fieret eis verbum*, id eſt, ne Dominus loqueretur eis ſed Moyſi, & Moyſes illis: ideò ſic ſe excuſauerunt, *quia non portabant*, id eſt non poterant portare illud *quod dicebatur eis.* Deus ideò in tanta aſperitate terroris legem dabat eis, quia ſciebat per lenitatem dilectionis nil boni eos operaturos: & ideò quaſi ſeruos per ſupplicia cogendos. Præſignabatur etiam in tãta multiplicitate terrorũ eos nunquam poſſe portare legem illam. Et dictum erat in acceptione legis: *quia ſi beſtia tetigerit montem illum*, in quo dabatur lex, *lapidabitur.* Vel ſecundum quoſdam ex iudicio: vel ſecundum alios ex grandinis cõtuſione. Hæc omnia per oppoſitum figurabant dationẽ nouæ legis. Nos enim accipiendo gratiam, acceſſimꝰ ad ignem, id eſt, ad ardorem Spiritus ſancti, nec tractabilem, nec acceſſibilem, ſed ſpiritualem. Sonus tubæ qui

fuit ibi, ſuggeſtionem ſignificauit: quę ſic ad actum peccati, vt tuba prouocat ad bellum. Quantò magis enim Iudæis prohibebatur, tantò ardentius ruebant in vetitum. Ibi iterum fuit turbo, id eſt, commotio ſuggeſtionũ, actus ſcilicet peccati. In noua gratia & ſuggeſtio, & act⁹ peccati remouetur. Ibi iterũ fuit procella .i. contuſio grandinis, ſcilicet cōſuetudo peccandi. Fuit iterum caligo, id eſt, excæcatio, ex conſuetudine peccandi procedens. In gratia iſta & cōſuetudo peccandi remota eſt, & omnis cæcitas illuminata: ibi fuit vox verborũ, quam audire potuerũt. Hic inſpiratio interius, quã qui prælibat, multo deſiderio currit vt compræhendat. Illi non portabant quod dicebatur. Onus autem huius leue, & iugum ſuaue eſt. Ibi dictum fuit, ſi beſtia tetigerit montem lapidabitur, quia hic ſi quis beſtialis vitæ, & intellectus poſuerit os ſuum blaſphemãdo in montem, id eſt in diuinitatem, lapidabitur, contuſus potentia Deitatis, & eo quod adeò terribile erat quod videbatur, ita dixit ipſe Moyſes. *Exterritus ſum* animo: *& tremebundus* corpore. Ad legem terroris & inutilem non acceſſiſtis: ſed *ad Sion*, id eſt ad vitam ſpeculatiuam. Sion dico *montem*, id eſt, altitudine virtutum eminentem: *& ad ciuitatem Dei viuentis*, id eſt ciuibus ſuis vitam æternam dantis, ſcilicet ad cæleſtem Hieruſalem, *& ad frequentiam multorum millium angelorum*: vt cum eis in gloria Dei perſonetis: *& ad eccleſiam primitiuorum*, id eſt, patriarcharum & prophetarum, *qui conſcripti ſunt* ſenatores *in cælis*, *&* ad *Deum* patrem *omnium iudicem*, & ad *ſpiritus iuſtorum & perfectorum*, id eſt quos Spiritus ſanctus iuſtos facit, & perfectos propter diuerſitates donorum: ſicut Ioãnes ſolet pluraliter ait ſpiritus. *Et* acceſſiſtis *ad Ieſum datorẽ noui teſtamenti*. Vel ita dicamus ad Dominũ omnium, & ad Deum ſpirituum, .i. animarum iuſtorũ perfectorum: Acceſſiſtis etiam *ad aſperſionem ſanguinis*, id eſt, ad ſanguinem Chriſti,

Mat. 11. [margin]

Gen. 4. 10. [margin]

A quo aſperſi mundati eſtis. Sanguinem Chriſti dico *loquentem melius quam* ſanguinem *Abel* de quo ſcriptum eſt. Sanguis fratris tui Abel clamat ad me de terra: ideò melius quia ſanguis Abel vltionẽ; ſanguis Chriſti clamat remiſſionem. Et quia ſanguis Chriſti loquitur pro vobis: *videte* itaque *ne* malè agendo, *recuſetis* illum *loquentem* pro vobis, quia malo veſtro ſi recuſatis. *Si enim illi recuſantes eum, qui loquebatur ſuper terram*, id eſt, Moyſen vel angelum, *non effugerunt* vltionem, *multò magis nos* non

Sanguis Chriſti: remiſſionem clamat. [margin]

B effugiemus *qui auertimus* Deum *loquentem nobis*, non de terra, ſed *de cælis. Vox cuius* loquentis, *tunc* in datione veteris legis *terram mouit*, *nunc autem repromittit in* Aggæõ, *dicens. Adhuc ſemel*: adhuc ideò, quia iam mouerat terram. *Ego mouebo, non ſolũ terram*, quam olim moui: *ſed etiã cælum*, mutabilem eorum transferens in immutabilitatem. Nunc Paulus exponit. *Quod autem dicit* Propheta *adhuc & ſemel*, per adhuc *declarat translationem mobilium*. Translata enim elementa, de mobilitate fient

C immobilia. Trãslationem dico mobilium *tanquam factorum*, id eſt, ſicut eorum quæ fecit. Qui enim ea de nihilo fecit, facta leuius transferre potuit. Semel dicit *vt* translatione facta *ea maneant immobilia*, quæ modò sũt mobilia. Et quandoquidem omnia in immobilitatem transferentur: *itaque* nos *ſuſcipientes regnum immobile*, id eſt, nos in immobilibus regnaturi, *habemus* aliquam *gratiam in* nobis à Deo præmiſſam. Niſi enim præcederet in nobis aliqua gratia Dei, non ſuſciperemur ab eo in immobi-

D litate regnaturi. Vel ita quia translata manebunt omnia immobilia, itaque nos qui tunc erimus ſuſcipientes regnum illud immobile, habeamus aliquam gratiam, *per quam placentes Deo ſeruiamus ei, cum metu* animi *& reuerentia*, id eſt, timore corporis & exhibitione honoris. Neceſſe eſt enim vt ſeruiamus Deo cum metu & reuerentia. *Etenim Deus noſter eſt ignis conſumens*, id eſt excoquens

Seruire Deo debemus cum metu & reuerentia. [margin]

om-

omnis peccati rubiginem: & ideò neceſſe eſt vt purgatos inueniat non purgandos.

CAPVT XIII.

Rom. 12.10. 1. Pet 4.9.

A CHARITAS *fraternitatis maneat in vobis, & hoſpitalitatem nolite obliuiſci. Per hanc enim placuerunt quidã angelis hoſpitio receptis. Mementote vinctorum, tanquam ſimul vincti; & laborantium, tanquam & ipſi in corpore morantes. Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus. Sint mores ſine auaritia: contenti præſentibus. Ipſe enim dixit. Non te deſeram, neque derelinquam, ita vt confidenter dicamus. Dominus mihi adiutor eſt, non timebo quid faciat mihi homo. Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei; quorum intuentes exitum, conuerſationis, imitamini fidem. Ieſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſecula. Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci. Optimum eſt enim gratia ſtabilire cor, non eſcis quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt. Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in ſancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra. Propter quod & Ieſus vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium eius portantes. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Per ipſum ergò offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuiſci. Talibus enim hoſtijs promeretur Deus. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes, Hoc enim non expedit vobis. Orate pro nobis. Confidimus enim quia bonam conſcientiam habemus, in omnibus bene volentes conuerſari. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius reſtituar vobis. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ouium, in ſanguine teſtamenti æterni Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius, faciens in vobis quod placeat coram ſe per Ieſum Chriſtum: cui eſt gloria in ſecula ſeculorum amen. Rogo autem vos fratres, vt ſuſferatis verbum ſolatij. Etenim per paucis ſcripſi vobis. Cognoſcite fratrem veſtrum Timotheum* B *dimiſſum; cum quo ſi celerius venerit, videbo vos. Salutate omnes præpoſitos veſtros, & omnes ſanctos. Salutant vos de Italia fratres. Gratia cum omnibus vobis. Amen.*

Ioſue 1.5. Pſal.117.6.

Diſt.11. nolite. Diſt.12. de his.

Mich. 2.10.

De cele.miſ. c.in ch.

CVM metu & reuerentia ſeruite Deo. Charitas etiam perſeueranter *maneat in vobis*. *Charitas* dico *fraternitatis*, quam fraternitas repoſcit. Hoc enim quod fratres eſtis exigit vt vos inuicem diligatis: *& nolite obliuiſci hoſpitalitatem*, quæ C eſt pars charitatis, in qua olim valuiſtis. Per hoc quod ait, nolite obliuiſci, ſignat eos prius deuotos in hoſpitalitate, nunc remiſſos eſſe. Ideò ſectanda eſt hoſpitalitas, *quia per hanc* virtutem *placuerunt quidam Deo*: vt Abraham & Loth, quos Deus inde ſignificauit ſibi placuiſſe, angelis receptis hoſpitio. Ideò enim angelos ſuos immiſit, quaſi hoſpites, vt per hoc hoſpitalitatem gratam ſibi eſſe cognoſcerent. Charitas maneat in vobis. *Mementote etiam vinctorum*, id eſt, his miniſtrate, qui in vinculis opprimuntur, *tanquam ſimul vincti*, id eſt, memores vos ſimul eſſe vinctos: quia ſi illi in carcere, vos vincti moleſtia carnis. Vel ita. Mementote vinctorum tanquam ſimul vincti, id eſt, ſicut velletis reminiſci veſtri, ſi ſimiliter in vinculis eſſetis. Mementote etiam *laborantium* quocunque genere mundanæ miſeriæ: *tanquam & ipſi* laborantes ſitis: quod idem ait

Hoſpitalitas eſt Deo grata.

tanquam *morantes in corpore*. Quicunque enim premitur onere carnis, nunquam expers eſt ærumnæ & laboris. Sit etiam *in omnibus* vobis *honorabile connubium*. hic remouet fornicationem. Et coniugijs celebratis ſit *thorus immaculatus*. hic adulterium abdicat. Ideò moneo connubia: caſtitatem thori, remouendo fornicationem & adulterium: *quia Deus iudicabit*, id eſt, damnabit *fornicatores & adulteros*: non quod homicidia & reliqua mala iudicare non debeat, ſed nunc de his duobus tantum ſermo erat. *Mores* etiam *veſtri ſint ſine auaritia*, vt non concupiſcatis ſuperflua. Vos dico *contenti præſentibus*: Dei enim eſt prouidere de craſtinis. Debetis eſſe ſine auaritia. *Ipſe enim* Deus *dixit* ad Ioſue, & per eum ad omnem fidelem. O tu Ioſue ſeu quicunque fidelis, ego *non deſeram te* penitus abiectum, *neque* ſaltem aliqua hora *derelinquam* te inadiutum: Deus hoc dixit *ita*: *vt* ſupra hoc quod prius diximus: nos ſcilicet contentos eſſe præſentibus, nunc *confidenter dicamus*. *Dominus eſt mihi adiutor, & ideò non timebo quid faciat mihi homo*, etiam ſi tollat præſentia *Mementote etiam præpoſitorum veſtrorum*: vt eius confotmemini, *qui locuti ſunt vobis verbum Dei, quorum exitum*, id eſt, finem bonum eſſe *intuentes*. Exitum dico *conuerſationis*, id eſt, bonæ operationis in qua conuerſantur. *Imitamini* primùm *fidem* eorum, vt ſic bona conuerſatio & bonus exitus ſimiliter ſit in vobis Dicerent illi, non poſſumus perfectionem eorum ſequi: quia ipſi ab ipſo Chriſto edocti, habuêre maiorem affluentiam gratiæ, quam nos poſſimus habere. Ad hoc Paulus. Benè inquit, imitari poteſtis: *Ieſus Chriſtus* enim qui fuit *heri* quantum ad illos, *hodie* etiam eſt paratus in eodem quantum ad vos: *ipſe etiam* præſens erit *in* omnia *ſecula* ſperantibus in ſe, quibus ait: Ecce vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Imitamini fidem præpoſitorum:

Mat. 28. 20

A ſequentes doctrinam eorum. Et *doctrinis varijs*: quæ nunc vnum nunc aliud aſſerunt, *& peregrinis*, id eſt, extraneis aliunde quam à nobis procedentibus. his inquam doctrinis *nolite abduci* ab eo quod à nobis accepiſtis. Erant enim quidam ſeductores, qui dogmatizabant ex eo quod Paulus omnes cibos mundos eſſe, & ſanctificatos à Deo dixerat, vt quantò magis ingurgitarent ventrem opulentia eſcarum, tantò magis eſſent grati Deo, qui omnes cibos ſanctificauerat ad edendum: Inde ait: Nolite huiuſmodi doctrinis abduci: *quia optimum eſt*, non corpus, ſed cor ſtabiliri & confirmari *gratia*, id eſt, ex libertate quam Deus intulit nobis in vſu omnium, *quam* ſtabiliri *eſcis*, id eſt multiplicatione voluptatis, *quæ* eſcæ *non profuerunt ambulantibus in* voluptatibus, & ſupra modum locum dantibus *eis*. Eſcis vtique non debemus cor ſtabilire, quia *habemus altare*, id eſt, corpus Chriſti, quod in altari conſecratur: ſupra quod principatum à nobis vota & orationes Deo offerimus: *de quo* altari, id eſt, corpore Chriſti *non habent poteſtatem edere quicunque deſeruiunt tabernaculo*, id eſt, corporis voluptatibus: ſic enim ad horam manſuri ſumus in corpore, ſicut miles in tabernaculo militari. Probat duplici auctoritate, veteris primum: deinde nouæ legis, eumdem ſenſum in vtraque colligens auctoritate quod promiſit, dicens. Verè qui deſeruiunt tabernaculo voluptatis, non habent facultatem edere de hoc altari: qui non ſunt extra caſtra .i. quia ſecundum dimiſſiones voluptatum non exeunt corpora ſua. Quod ita ait. *Eorum animalium quorum ſanguis infertur per Pontificem in ſancta* ſanctorum *pro peccato* populi delendo, & hoc ſemel in anno. *Horum* animalium *corpora cremantur extra caſtra*. Mos erat (ſicut ſæpè fati ſumus) vt Pontifex legalis ſemel in anno ſanguinem inferret in ſancta ſanctorum. Hic aũt ſanguis aſſumebatur de anima-

Cor eſcis non eſt ſtabiliendum.

B

C

D

animalibus, extra caſtra cremaris. Pontifex autem ille Chriſtus eſt, qui pro peccato omnium delendo ſanguinem ſuum in cruce fuſum intulit in ſancta ſanctorum. Quod autem illud animal cremebatur vt cinis fieret, ſignum erat contritionis Chriſti, quam ſuſtinuit, cinis cuius, id eſt, memoria paſſionis debet aſpergi ſuper capita, id eſt, in mentibus ſingulorum. Quod extra caſtra cremebatur, ſignificabat omnem volentem mundari oportere, vt exeat extra caſtra.i. carnales voluptates. Nunc ſubiungit noui teſtamenti auctoritatem idem cum veteri ſentientem dicens, *Propter quod* comprobãdum ſcilicet, quod qui tabernaculo deſeruiunt, non habent edere de hoc altari, vel propter quod præfiguratum in veteri, nunc implendum. *Ieſus* etiam *paſſus eſt extra portam*, ſignificans participantes altari ſuo debere fieri extra portam .i. extra ſenſus voluptatis. Senſus enim portæ ſunt animæ: quia per oculos ducitur ad concupiſcendum quod videt, & ſic per cæteros ſenſus. Ieſus paſſus eſt extra portam, ideo *vt per proprium ſanguinem ſanctificaret populum.* Quia Ieſus extra portam paſſus eſt, *igitur exeamus ad eum*, poſiti *extra caſtra*, id eſt, extra voluptates tabernaculi: nec hoc ſolum, ſed etiam *portantes* (ſi neceſſe fuerit) *improperium eius*, id eſt, mortem crucis. Et vtique ſic debemus exire: quia etiam ſi volumus hîc manere, *non habemus hîc manentem ciuitatem, ſed inquirimus futuram*, id eſt, æternam. Et quandoquidem futuram inquirimus, ergo vt appræhendamus eam, *offeramus per ipſum* Ieſum *hoſtias laudis*, id eſt, laudes non minus quam hoſtiæ promerẽtes *Deo*, & hoc *ſemper.* Et quod dico hoſtias laudis, eſt dicere: offeramus *fructum labiorum.* Per labiorum, facilitatem, per fructum deſignat vtilitatem. Labiorum dico *confitentium nomini* .i. gloriæ *eius.* Offeramus laudes. *Beneficentiæ autem*, id eſt, largitatis eleemoſynarum *& communionis* (poſtquam non propria, ſed communia

Senſus hominis portæ ſunt animæ.

A dicebatis) *nolite obliuiſci.* Nec debetis obliuiſci, *quia talibus hoſtijs*, id eſt, per beneficẽtiam & communionem, *Deus promeretur* in paſſiua ſignificatione. Vt autem horum memores ſitis, *obedite præpoſitis veſtris*, qui perfecti ſunt, & bene vos inſtruunt, *& ſubiacete eis* .i. obedite: vt omnem ſubiectionem verbo & opere exhibeatis illis. Debetis vtique ſubiacere eis, *quia ipſi peruigilant pro vobis, quaſi* illi qui *reddituri* ſunt *rationes pro animabus veſtris*, ſibi commiſſis. Et

B ideo ſic ſubiacete eis, *vt faciant hæc*, id eſt, peruigilent pro vobis *cum gaudio, & non gementes*, pro duritia & intemperantia veſtra. Dico non gementes: *non enim expedit vobis hoc*, vt eos gemere faciatis. Obedite præpoſitis & *orate pro nobis.* Dicerent illi: Tu gentem noſtram & ritus noſtros perſequeris, & quomodo dicis, orate pro nobis? Ad hoc Paulus. Orare pro nobis debetis. *Nos enim confidimus*, id eſt, confidenter vobis dicimus *quod habemus bonam conſciẽ-*

Obiectio.

Reſponſio.

C *tiam in omnibus*, id eſt, ad omnes *volentes bene conuerſari* ad illos. Vbi autẽ conſcientia pura eſt, & opus mundum eſt, ne ergo moleſti ſitis mihi. ¶ Dixit ſuperius orate pro nobis: nũc *autem deprecor vos amplius hoc facere*, id eſt, orare pro nobis inſtantius, *quò* id eſt, eò vt *reſtituar vobis celerius*, deferens mecum fructus eleemoſynarum, ſi fortè ſoluar à vinculis. Dico orate pro nobis, ego autem ſic oro pro vobis. *Deus pacis* aptet vos in omni bono, *qui* Deus *eduxit Do-*

D *minum noſtrum Ieſum Chriſtũ de mortuis*, id eſt, à numero mortuorum. Ieſum dico *paſtorem magnum* .i. ſuper omnia magnificatum. Paſtorem dico non luporum, ſed *ouium* .i. manſuetorum, Paſtorem dico factum *in ſanguine*.i. per oblationem ſanguinis ſui. Sanguinem dico confirmatorem *teſtamenti æterni*.i. in æternum duraturi. Hic, inquam, Deus *aptet vos in omni bono*. Aptatos eos intelligit, ſi bona voluntas in eis fuerit. Aptet ita, *vt faciatis voluntatem eius* Dei, nec viribus veſtris: ſed ita faciatis

vt ipſe ſit *faciẽs in vobis* hoc *quod placeat coram ſe*.i.in beneplacito eius: faciens dico *per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria in ſecula ſeculorum, amen.* ¶ Quia aliquantulum aſperius correxerat illos, nunc blanditur eis, ne moueantur viſa aſperitate verborum, dicens. Deus ſic aptet vos, ego *autem fratres rogo vos, vt* hoc *verbum* non reprehenſionis (vt fortè aliqui de vobis exiſtimant) ſed Epiſtolam *ſolatij ſufferatis*, id eſt, in omni patientia ſuſcipiatis. Et poteſtis ſatis ſufferre, *quia ſcripſi vobis perpaucis.* Hic ſignificat eos impatientes, quibus multò plura ſcripſiſſet, ſi patienter audituros cognoſceret. Sufferte verbum *& fratrem veſtrum Timotheum à* me *dimiſſum* ad vos, vel à vinculis quibus ligatus mecum erat, nunc dimiſſum. Eum, inquam, delatorem huius Epiſtolæ, *cognoſcite* .i. honorificè & cum omni charitate ſuſcipite, *cum quo videbo vos*, ſicut autumo, *ſi celerius* reuertens à vobis, *venerit* ad me. *Salutate omnes præpoſitos veſtros.* Ipſis enim; quia perfecti erant, non ſcribebat Epiſtolam, ſed quibuſdam ſubditorum incorrectis. Salutate *etiam omnes ſanctos* in eccleſia veſtra. Erant enim quidam ſubditorum perfecti, quibus ſimiliter non ſcribebat. *Salutant vos fratres de Italia. Gratia* Dei *cum omnibus vobis amen.* Signum Pauli quod Epiſtola ipſius eſſet.

EPISTOLA B. PAVLI AD Laodicẽſes, nuper in antiqua bibliotheca inuenta: ſed quia inter Catholicas vulgo non legitur, non eſt à B. BRVNONE elucidata.

PAVLVS *Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtũ, fratribus qui ſunt Laodiciæ.*

A *Gratia vobis & pax, à Deo Patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto. Gratias ago Chriſto per omnem orationem meam, eo quod permanentes eſtis in eo, & perſeuerantes in operibus bonis, promiſſum expectantes in die iudicij. Neque deſtituant vos quorundam vaniloquia inſinuantium, vt vos auertant à veritate Euangelij, quod à me prædicatur. Et nunc faciet Deus, vt qui ſunt ex me ad profectum veritatis Euangelij, deſeruientes ſint, & facientes benignitates operum, quæ ſunt ſalutis vitæ æternæ.*

B *Et nunc palàm ſunt vincula mea, quæ patior in Chriſto, quibus lætor & gaudeo, & hoc mihi factum eſt ad ſalutem perpetuam, quod ipſum factum orationibus veſtris, & adminiſtrante Spiritu ſancto, ſiue per vitam, ſiue per mortem. Eſt enim mihi viuere, vita in Chriſto, & mori gaudium (vel lucrum.) Et ipſe in vobis faciet miſericordiam ſuam, vt eandem dilectionem habeatis & ſitis vnanimes. Ergo dilectiſſimi, vt audiſtis præſentiam Domini, ita retinete & facite in timore Dei, & erit vobis vita in æternum. Eſt enim Deus qui operatur*

C *in vobis: & facite ſine retractu vel peccato quæcunque facitis. Et quod eſt optimum, dilectiſſimi, gaudete in Chriſto, & præcauete ſordidos omnes in lucro. Omnes ſint petitiones veſtræ palam apud Deũ: & eſtote firmi in ſenſu Chriſti, & quæ integra, & vera, & pudica, & caſta, & iuſta, & amabilia ſunt, facite. Et quæ audiſtis & accepiſtis, in corde retinete, & erit vobis pax. Salutate omnes fratres in oſculo ſancto. Salutant vos ſancti omnes. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Et*

D *hanc facite legi Coloſſenſibus. Et Coloſſenſium vobis.*

Finis Epiſtolarum B. Pauli Apoſtoli.

HECATOSTICHON APOLOGETICVM D. IACOBI HIERONYMI, CARTHVSIAE PAriſienſis alumni: quo Phraſin B. BRVNONIS, quæ naſutis humilior videatur à calumnia defendit, & ſententiarum pondera lance iuſta appendit.

QVis nouus harmonico mulcens ſtridore lyriſtes,
Allobrogum longi ſaxa niuoſa iugi?
Tranſiliens colles, ſaliens in montibus. O quam
Per cælum auritas omne moratur aues?
Ore ſenem cultu macieq́; profeſſus eremum,
Et nihil agreſti pectine agreſte ſonans.
Frons erecta polo eſt, pedibus calcantur honores,
Septenum in capitis vertice ſidus ineſt.
Delicijs molliq́; thoro nemo arguet vſum,
Nec quicquam à ſtudijs & pietate vacans.
Non aurum digiti, nec habet lyra dia ſmaragdos,
Nec fucum allophilum ſancta camœna petit.
Nec ſibi caluiciem ſacra veridicentia texit,
Nec calamiſtratas captat ab arte comas.
Alter an Amphion, rediuiuus an inclytus Orpheus?
Illecebræ neruis ſurda elementa trahens?
Reſtituens ſenſum, quibus hunc natura negauit:
An lyra naturæ robore maius habet?
Oppida iam putent inculta, arridet eremus:
Dum fremit armorum turbine mundus hebes.
Dum tam grata canunt ſuperis epinicea ſiluæ,
Angeliciſq́ue opplent inuia luſtra choris:
Militet vt ſancto iam omnis doctrina parenti
Spiritui, vertens ſigna aquilina cruci.
O videam charites Chriſto connubia pactas,
Atque eadem caſtas fœdera Caſtalides.
Immò adeò cunctas deſerto Helicone videbo,
Deſerti fabricam iamq́ue leuare noui.
Alternum miſcere melos ſub nomine Chriſti,
Per templum bifidis è regione choris.
Nec tacitis cellis deerit ſymphonia pſallens
Spiritu, & alterna lectio iuncta preci.
Hiccine Carthuſi BRVNO caput Ordinis, olim
Clarum hagiographiæ nomen in orbe gerens?
Quo ſchola Francorum nequaquam inuidit Athenis,
Roſtraq́ue Romano nil theodoxa foro.
Ecce mouet citharas, & naula prophetica ductor
Ordinis, & vita conſona plectra ſuæ.
Exemplum ſignumq́ue ſuis illuſtre relinquit,
Viuere & æthereo principe digna loqui.
Compellare virum propiusq́; audire iuuabit,
Nempe (niſi auditu fallor) & ipſe vocat:
Affluite errantes (ait) atque audite tenelli:
Cum lyrico Domini rege docebo metum.
Ille ego qui malens inhonorus honoribus illuc
Cedere, quò puppim numinis aura vocat.
Parrhiſii mundo profugum quem perpulit horror

Funeris, vt cæli hæc ſeptimus aſtra ſequar.
Aſtra dedêre viam, diui arriſêre tot eſſe
Milia, ſic hamis illaqueanda meis.
His agor auſpicijs. Ceu vox clamantis eremo,
Per taſi mundum ſterno tonantis iter.
Baptiſtæ reparando vias diſiectaq; membra,
Caſtra monoptolemis ſingula condo meis.
Deſerto deſerta placet Carthuſia Chriſto,
Thuſcala cui laudum nocte dieq; calent.
Inuia pſalmologi deſerta inaquoſaq; terra eſt,
Qua pateat virtus gloriaq; alma Dei.
Vnde columbinis auidè latera inſtruit alis:
Diſcat vt huc fugiens ſeq́ue Deoq́ue frui.
Diſcipulis eadem tribus hæc in monte refulſit
Gloria. Quo fieri vult tria caſtra Petrus
Cernere Zacchæus per turbam neſcit Ieſum:
Cui, Turba opprimeris, diſcipuliq; canunt.
Sic monache inceſti fugiens contraria mundi,
Nauiter effectum nominis huius habe.
Haſce igitur partes mihi delegauit Ieſus,
Aſperula in planas ſternere luſtra vias.
Lauiget vt Chriſto rigidos citharædia ſaltus:
Militiæ tollens hic noua ſigna piæ.
Nulla Madaurenſis mileſia habemus aſelli,
Nulla Lycambææ conſcia tela necis.
Semina diuina mihi ſunt vberrima flammæ,
Deuoto nihil eſt dignius ociolo.
Exuro gelidos, exurgere cogo iacentes:
Et nunc illecebras, nunc quoque vim facio.
Nunc lyra Dauidis, nunc Pauli buccina pleno
Ore quidem hæc, digitis concrepat illa meis.
Hac Carthuſe tibi ratio eſt praſcripta ſilendi;
Vt claudens homini labra, loquare Deo.
Quippè ad eum Paulo, aut Dauide interprete fari eſt
Et iactura tuum nulla ſilere quatit.
Nec latia offendat linguæ neglectior vſus,
Dictio ſi trita eſt corporis æqua toga:
Sublimes humili ſenſus attempero linguæ:
Nec mihi ab ore ſed ex pectore verba fluunt.
Niliacis ornate alij delubra tropheis,
Laudo: ſed in præſens cauſa aliena mihi eſt.
Humana verbis ſophia inclareſcere nolens,
Paulus adeſt doctis debitor & rudibus.
Cum Dauid cinere, & cilicino horreſcat amictu,
Rhetoricis compta quis volet eſſe roſis?
Iam mihi purga aures atque excute fæce palatum,
Vel magis intra animi ſepta redito tui.
Non linguæ, ſed cordis ad hæc delectus habendus:
Nam mihi cum rebus tota palæſtra fuit.
Ne ſenſu hæc ſapias, ſed quo ſunt prodita guſtes
Spiritu, & hoc animæ viſcera paſce bono.
Conſului iam pariter ſummis minimiſq́ue volebam,
Et ratio captus omnis habenda fuit.

FINIS.